PETRI MARTINEZ TOLETANI A BREA IN PHILOSOPHIA MAGISTRI, ATQVE SACRAE THEOlogiæ doctoris, olim apud Complutenses præcipuæ cathedræ præfecti, nunc verò in alma Seguntina Academia primarij professoris, in tres libros Aristotelis de Anima Commentarij.

*

HIS accessit indiuiduus & inseparabilis comes, tractatus eiusdem, quo integrè & copiosissimè ex peripatetica schola animæ nostræ immortalitas asseritur & probatur: qui si à Commentariis diuellatur, vtrunq; perit.

Quas petis quæstiones de Anima Caietani de Vio, versa pagina reperies.

Index locupletissimus duplex, vnus quæstionum & præcipuorum dubiorum, alter rerum, grauiorumq; sententiarum.

Prima editio.



Cum priuilegio.

SEGVNTI

EXCVDEBAT IOANNES GRATIANVS

anno 1575.

ACCIPE QVAESTIONES DE Anima Caietani de Vio.

VIdeo, candide lector, Caietanas quæstiones sæpius à te efflagitari, & velle pro auctario huic corpori implicari atq; inseri. Hoc verò minimè faciundum existimauimus: Ex vna, ne quisquam crederet alieno labore & autoritate cupere volumen nostrum copiosius & splendidius efficere: Ex altera verò, quoniam nihil est apud Caietanum in quæstionibus de Anima grauiter dictum aut acutè, quod hîc non illustretur, & ad vnguem in studiosorum gratiam non perpendatur.

CENSVRA APPROBATIONIS horum librorum.

Nihil est in hisce Cõmentariis, quod vel Aristoteles desideret in expositore, vel Scholastici in autore: nanq; maturè admodum ac eruditè sensa Aristotelis aperiuntur: acerrimè itẽ quæstiones in ipsum motæ, summaq; dexteritate tractantur, ac definiuntur: ita videlicet, vt illic Aristotelem seipsum crederis illustrare, hic verò summum ac consummatũ Philosophum atq; Theologum (qualis est horũ Commentariorum Autor) de media Philosophia ac Theologia probatissimas quasq; sententias eruere, libentissimeq; amplecti intelligas.

Doctor Rengipho

Alfonsus de Sandoval Theologiæ professo-

EL REY.



OR quanto por parte de vos el doctor Pedro Martinez, canonigo de la yglesia cathedral de la ciudad de Siguença, y cathedratico de prima de Theologia de la vniuersidad de la dicha ciudad, nos ha ſido fecha relacion, deziẽdo q̃ vos aueys compueſto vnos Commentarios ſobre los tres libros de Anima de Ariſtoteles, en los quales auiades pueſto mucho trabajo, y erã de grã prouecho y vtilidad para los fieles Chriſtianos: ſuplicãdonos dieſſemos licencia y facultad para los poder imprimir y vẽder, y priuilegio para q̃ por tiẽpo de treynta años otra perſona no pudieſſe imprimir ni vender el dicho libro ſin vueſtra licencia, o como la nueſtra merced fueſſe. Lo qual viſto por los del nueſtro conſejo, por quanto en el dicho libro ſe hizo la diligẽcia que la pragmatica por nos nueuamente hecha diſpone, fue acordado que deuiamos mandar dar eſta nueſtra cedula para vos en la dicha razon, e nos touimos lo por bien. Para lo qual vos damos licencia y facultad, para que vos, o la perſona que vueſtro poder ouiere, y no otra perſona alguna, podays hazer imprimir y vender el dicho libro, que de ſuſo ſe haze mincion, en eſtos nueſtros reynos de Caſtilla, por tiempo y eſpacio de diez años, que corran y ſe cuenten deſde el dia de la fecha deſta nueſtra cedula. So pena q̃ qualquier perſona, o perſonas, que ſin tener para ello vueſtro poder, lo imprimiere, o vẽdiere, e hiziere imprimir o vender, pierda toda la impreſſion que hiziere, o vendiere con los moldes y aparejos della, y mas incurra en pena de cinquenta mil marauedis por cada vez que lo contrario hiziere. La qual dicha pena ſea la tercia parte para la perſona que lo acuſare, y la otra tercia parte para el juez que lo ſentẽciare, y la otra tercia parte para nueſtra camara y fiſco: con tanto que ayays de vender cada pliego del dicho libro impreſſo en molde a tres marauedis y no mas: y que todas las vezes que le quiſieredes de hazer imprimir, durante el dicho tiempo de los dichos diez años, le traygays al nueſtro cõſejo, juntamẽte con el original que en el fue viſto, que va rubricado cada plana, y firmado al fin del de Domingo de çauala nueſtro eſcriuano de camara de los que reſiden en el nueſtro cõſejo, para que ſe vea ſi la dicha impreſſion eſta conforme a el, o ſe os de licencia para lo poder vender, ſo pena de caer e incurrir en las penas cõtenidas en la dicha pragmatica. E mãdamos a los del nueſtro conſejo, e a otras qualeſquier juſticias deſtos nueſtros reynos, guarden y cumplan y executen, y hagan guardar, cumplir y executar eſta nueſtra cedula, y todo lo en ella contenido. Fecha en Madrid a quinze dias del mes de Febrero de 1575. años.

YO EL REY.

Por mandado de ſu Mageſtad.
Antonio de Eraſo.

ERRATA.

Pagina.5. col. 1. linea.7. ipsæ. lege.ipse. pag. 7. col. 2. lin. 5. aliam aliam. alaim alia. pag.9. col.2. lin.6. tamem. talem. lin. 40. eum. cum. pag. 10. col. 1. lin. 31. quæest secundum. quę secundum. pag. 15. col. 2. lin. 31. actu. actus. pag. 149. col. 1. lin. 45. alteralterationis. alterationis. pag. 187. col. 2. lin. 24. extimam. externam. pag. 188. col. 1. lin. 4. viderepossim. viderepossit. pag. 313. col. 1. lin. 36. diminutissimo. deminutissim. pag. 356. col. 1. lin. 40. addisceres. addiscentes.

ILLVSTRISSIMO, ATQVE EXCELLENTISSIMO PRINCIPI D. D. LVDOVICO REQVESENS COMMENDATArio maiori Castellæ, Maiestati Regiæ à consilijs, & totius Flandriæ præsidi, Petrus Martinez Theologiæ professor Salutem.

DECIMVS QVARTVS AGITVR annus, Princeps excellẽtissime, ex quo nostra commẽtaria in libros Aristotelis de Cęlo edidimus, tibiq; inscripsimus: & postmodum nostras etiã lucubrationes in libros de Generatione publicauimus, potentissimoq; fratri tuo, ac domino meo domino Ioanni Stunicæ nũcupauimus, cuius animi altitudo tantùm est apud Regem suum promerita, vt legatum illum apud Romanos Pontifices constituerit: quod quidem munus tam strenuè gerit, ac sapienter in ætate minimè senili, vt vsq; ad miraculum processisse videatur. Verùm quid mirũ, si Princeps omnibus numeris absolutus, non Romanam legationẽ, sed totius orbis moderationem mirificè & laudabiliter exerceat? Referuãtes postremò libros de Anima fratri etiã Didaco Stunicæ, ne quisquam auderet hunc nostrum Geryonem lędere lorica trilici atq; impenetrabili, tanquam armis Vulcanijs communitum. Verùm (proh dolor) nobis hæc meditantibus, longissimasq; spes, & machinas cõstruentibus, ecce Didacus fato interceptus est immaturo quidẽ atq; acerbo: quod quoties memoria repeto, angor intimis sensibus, & intercludor dolore, ad quem maxima pars huius iacturæ inæstimabilis videtur pertinere. Non sum ambiciosus in malis, nec augere lachrymarum causas volo, vtinamq; esset causa minuendi: præsertim cùm arcana Dei prouidẽtia ille sol oriens ereptus sit, qui in vniuersum orbem christianum lumẽ suum propediem esset refusurus. Desponderam propemodum animum, Princeps præclarissime, & vsq; ad inertem animi deiectionem huius adolescentis & illustrissimi & sapientissimi obitũ persenseram, ita vt ad eminentissimas artes, quibus ab adolescẽtia semper assueui, sine vlla ingenij alacritate retardarer. Verùm cùm hos libros de Anima tam esse ponderosos viderem, & quotidie efflagitari cernerem, & iure agi mecum, quòd fidem meam non liberarem, tandem illos constitui sub tuo nomine edere, apud quem & nomen Stunicæ gentilitiũ, & erepti fratris memoria

ſempiterna ſunt plurimùm valitura, vt quod illi viuenti promiſerã, illius memoriæ reddã. Verùm enimuero ſi tot vinculis obligatus tibi nunquam fuiſſem, aucupari gratiam tuam ſummo ſtudio contenderem, meq; Polycrate feliciorem exiſtimarem, ſi te Mecœnatẽ & columen rerum mearum eſſem habiturus: quibus enim natura dedit principem tenere locum, eiſdem etiàm cõtulit magnanimos eſſe, rerumq; præſtãtiſsimarum ſtudioſos, & omnium bonarum artiũ amplificatores. Teſtantur hoc maiores tui, quibus nihil Sol aſpexit illuſtrius & conſummatius: & tu poſtremò ſeculi noſtri ornamentũ teſtificaris, quẽ ad confirmandas, conſtabiliendaſq; chriſtianę reipublicę opes natura videtur genuiſſe. Qua de re taceo, quàm ſtrenuè in Granatenſi bello te geſſeris, vnde ad memorabile nauale præliũ cũ Turcis te cõuertis, & quaſi derepente victoriam refers, qua poſt homines natos nil illuſtrius auditũ eſt. Et vbi conquieſcere te opus eſſet, potentiſsimus Philippus (qui te tanquam vngues ſuos nouerat) Mediolano totius Italiæ retinaculo præfert. Inde Flandrię imperiũ tibi demandatur, in quo tanta rerum colluuio, tot ſeditiones, tanta confuſio & perturbatio, & in ſacris ac prophanis tam præcipites & temerariæ mentes, vt quempiam hominem è cælo delapſum exigere videantur. Sed bona ſpes habet animos noſtros tale te ſeruaturũ eſſe temperamentum, vt omne illud latiſsimum imperium reſipiſcat, & tuis auſpicijs trãquillitate delectetur. Videsne clariſsime Princeps, te tanquam alterum Herculem ad debellanda portenta, monſtraque ſubigenda, quæ per varias nationes ſparſa ſunt, meritò circunduci? Accipe igitur has noſtras vigilias, quas dente Theonino circunrodendas nõ exiſtimo, ſi tuo nomini ſint cõſecratæ: nos enim cùm has qualeſcũq; lucubrationes noſtras tibi conſecramus, pictores & ſummos ſtatuarios imitati ſumus, qui ſuas imagines in excelſo loco conſtituunt, ne, ſiquid errauerint, facilè deprehendatur. Accipe grati animi mei tui, tuorumq; memoris monimentum, & vale excellentiſsime præſes, humanitatis & fortitudinis exemplar vnicum: vale iterum Romanæ religionis acerrimus defenſor: millies vale hoſtium chriſtiani nominis profligator.

AVTOR AD LECTOREM.

AD LIBERANDAM NOSTRAM FIDEM, lector candide, mi esse fuit, iam tandem hos in tres libros de Anima Commentarios à nobis promissos excudi cum libris de Generatione & Cælo. Quod quidem iamdiu præstitissem, nisi argumentum esset tam ponderosum, & multiplici rerum difficultate circunfusum, & nos tam anxiè districti, propemodum cum sarcinis enatare non possemus. Verum enimuero, etsi promissis standum sit, hos plusquam Herculeos labores reiiciẽdos ducerem, nisi tuas querelas audissem, & eminentissimas Academias mecum expostulantes, quod in aliis locupletatæ, ac veluti latifundiis præpotentes, in hoc vno emendicent & spicilegium facere cogantur. Vnde cùm primum mihi licuit respirare, Apostolicæ sedis indulto, & Capituli Seguntini beneficio permissa quadam tenus vacatione & otio liberiore, mox incumbendum esse censui, & tibi maturandum esse opus, cui videbam nostra scholia in libros de Cælo & Mundo, de Generatione & corruptione, etsi præcoces fructus & quasi abortiuos fœtus, non omnino displicuisse. Quæ ratio fuit, vt expeditiorem veluti viam inueniens, hos in tres libros de Anima Commentarios, quanta mea, meorumq; amanuensium diligentia fieri potuit, correctos & perpurgatos prelo non antè demandarem, quàm nonum in annum & eo amplius in scriniis detineo & premo. In his verò, quid sentiam, explicatius & enodatius reperies, quàm in prioribus libris; vbi ipsam Aristot. contexturam ad normam veterum expositorũ nostra ab iis, quæ sunt Aristot. diuerso charactere & aperto sermone propono. Quæstiones autem & dubia distinctè, non vt antea cum ipso textu mistas, atque methodi distributione accommodatissima ita distinctè & luculenter (pro mea ex tua supellectili) resoluo, vt semotis Sophistarum argutiis, perpetuò caueam, vt breuitas obscuritatem, prolixa copia molestiam attulisse non videatur: vt hac via tibi sine fastidio prodesse possemus, aliorum multa tolerauimus, alia expolimus, alia adaptauimus, pleraq; deniq; sustulimus. Vt verò cum fœnore tibi persoluamus nostræ procrastinationis moras, addimus tibi auctarium ipsa mercede non vilius; opusculum scilicet de animorum nostrorum immortalitate, in quo meam de Aristotelis sententia, & iuxta fidem Catholicam mentem expono: in quo sermone lusi nonnihil floridius, quanquam rei grauitati & maiestati satis impari, quandoquidem enitor ipsam rationalem animam ex ipsis naturæ exordiis explorare, prorsusque cognoscere, vt cognitam ac perspectam tanti faciamus, quanti ipsa est, vt sic purgato fonte, nostrorum affectionum riuuli, puri & limpidi scaturiant. Te verò per Deum immortalem obsecro & obtestor (si me amas) vt Commentarios horum trium librorum de Anima à tractatu de immortalitate non diuelli patiaris: alioqui vtrumque sine altero sine magna iactura: discerni non potest, perinde ac si lumen ab aëre, aut animam à corpore disiungere conereris. Stetimus pro promissis, quanquam ea nonnihil distulimus; sed sera partus solent esse gratiores. Reliquum est, vt vt (quoniã tua tam interest agitur) quæ tantopere hæc nostram operam efflagitasti, animo tam beneuolo ac pectore tam christiano accipias, vt nostræ vigiliæ in studiosorum vtilitatem prodiisse videantur. Vale.

Attende lector, & vt obserues, [illegible] obsector.

IN PETRI MARTINEZ COMMENTARIOS DE ANIMA PRAEFATIO, QVAM QVINDECIM AB HINC ANNIS

admodum illustris vir atq; eximius doctor theologus Garcia Loaysa Giron libris eiusdem de cælo, mundo, ortu & interitu præfecerat, nunc à Ioanne Castellano marginalibus summis illustratur, & punctis atq; incisuris elimatur.



ETSI antiquis temporibus silētij illa Pythagorica præceptio, quam *echemythian* Græci appellant, magis apud sapientes homines valuit, quàm illud Aristotelis ex Philocteta vulgatissimum, *æschron siopan men cæ isocratin ean legin*, turpe est tacere & Isocratē pati dicere. Tamen post vulgata diuini Platonis instituta tot inuolucris oppleta, & Aristotelis naturæ interpretis præcepta, in quibus sunt sapientissimi Philosophi, qui putent, consultò obscuritatem & tenebras affectasse, nihil magis desiderandum, optandúmq; est ab illis, qui situm sapiētiæ extinguere cupiunt, quàm multorum hominum interpretationes & commentarij, qui densissimas tenebras atq; nodos Gordianos etsi non dissoluant, saltem inter tantas atq; varias opiniones & sectas aliquid lucis afferant, & quod à multis dictum est, forma dicēdi variata, sæpe & sæpius posteritati mandent. Neq; illos parū nos fecisse æquum est existimemus, cùm Plato & Stoici omnes in quemadmodum dicatur, summa diligentia laborarunt, tantā in verborum elocutione, & sermonis intelligētia atq; ipsorum commutatione præceptionem & lucem esse positam existimarunt. Verùm sunt doctissimi homines non solùm ex his, quos hęc nostra ętas tulit, sed ex illis priscis tēporibus atq; antiquissimis, qui turpe esse putēt atq; indecēs, de mysterijs naturę cōtra maiorū inuēta scripta proferre & in mediam hominum lucē vulgare. Quapropter de vulgandis in Aristotelē & Platonem cōmentarijs sermonem institui facere, ne à tanto studio & dignissima laude præclara nostrorum tēporum ingenia exēplo veterum Philosophorum deterreantur: in quibus etsi erat scientia cū ingenij virtute coniuncta, tamē nō erat similis vitæ ratio, neq; tam multiplex studiorū aui ditas, discrepātiáq; religionis institutio. Illi nanq; primi sapiētes artē viuendi philosophiam esse existimarūt, in duasq; *isgi*, quod Latini silentiū vocant, distributū esse partes dixerūt, alterū *dysopian* esse, hoc est, inutile silentium, de quo neq; verbum dicemus, tanquam à nostra institutione, disputationeq; alienū: alterū *echemythian*, quam taciturnitatē, qui de natiua latini sermonis intelligentia agunt, appellarūt, eamq; à prēstantissimis hominibus summis laudibus commendatam inuenimus. Neque solùm viro sapienti, in quo totius virtutis simulacrum & exemplar esse debet, verumetiam pudicis mulieribus à Doctore gētium cautū est, vt in silētio discāt atq; taciturnitatē custodiāt. Post infusam in hominis animum ignorantiæ labē, vndiq; sensa sine principe moderatore diffusa, nihil certū, nihil stabile, nihil, quod firmis, perpetuisq; radicibus esset innixum, colligere poterāt. Siqui verò fuere, qui in hac vastissima calamitate laboribus hausti, atq; accuratis meditationibus intēti, vigilijsq; sacrati lōgo temporis spatio de natura sensili, de motu siderum, de eorum obitu & ortu (quod oculorum vsu comprehenditur) de cælorum conuersione, de vi Solis & Lunæ, de cæterisq; caducis rebus, quę partim in nobis ipsis, partim externa sensuum vi (dum non vulgaris sit diligentia) percipiuntur, aliquid æternum atque firmum se inuenisse putarunt: ita magni fecerunt, vt non solùm reticendum esse atque nullibi vulgandum, verùm malum, indecorum, inhonestum esse, apud rude vulgus de illis abditissimis rebus atq; à sensu longè positis sermonem facere: quapropter à communi inscitia euenisse existimo, vt plenis buccis (quod aiunt) illi primi, qui naturæ peritiam abditam profitebantur, *sophi* appellarentur, neq; solùm hos, sed etiam illos, qui quasdam sellularias artes callebant, sapientes, appellare consueuerunt: vnde nobilis vates Homerus fabrum lignatium sapientem vocat: vndiq; nanq; ignorantia peruagata, rerum scientiam, etsi exilē, tunc auxit

Præfatio nis thesis

Antiqui & quibus initijs, quasi in vtero, concepta fuerit Philosophia.

auxit & illustrauit. Siquid verò literis mandarunt, ita erat inuolucris & enigmaticis
quæstionibus coopertum, vt difficilior res esset inuenta percipere & enodare, quàm in na-
tura hac vniuersa denuo sapientiã inquirere. Qui verò post primos sunt secuti sapientiores
effecti, tum propria cura & diligentia, cùm aliorum inuentis illud primum censuerunt, se
non esse sapientes, verùm sapientiæ amatores: quæ res sola sapiẽtię certũ progressum signi-
ficauit, neq; sapientis esse nosse eas artes, quæ vitæ commodis inseruiunt, tamen de occul-
tandis naturæ mysterijs in maiorum sententia perstitêre. Pythagoras nãq;, à quo primum *Pythago-*
philosophos nomen dimanauit, proprium eius dixit esse numerorũ scientiam, quos (inquit) *ræ siletiũ*
à natura hominis si dimoueris, etiam & ratio peribit: ex eius schola sapientissimi viri pro- *mirabile.*
diere, nam non solùm Græciam institutis informauit, verùm totam Italiã præceptis naturę
& morũ instituit. Is ita silentio deditus fuit, vt non tantùm libros suos nõ vulgaret, verũ te
neros discipulorum animos quinquennali taciturnitati primùm inseruire docebat: deinde
post edoctum, imbibitumq; silentium cælestis doctrinæ arcana & sensilis naturę mysteria
velamento verborum obducta illis propinabat. Cũ igitur vniuersa philosophandi ratio in
duas distributa sit partes, alteram, quæ ad morum rationem spectãt, alteram, quæ ad sapiẽ-
tiæ informationem, vtrãq; miro silentio edocuit & diuulgauit. Primam nãq; his præceptis *Pythago-*
cõtinuit, silentiũ non præcepto, sed exercitatione docuit, ignem aiebat gladio ne effodito, *ræ præce-*
stateram ne trãsito, cerebrum ne comedito, cor etiam ne comedito, supra sextarium ne se- *pta.*
deto, maluam trãsferto, sed eam ne comedito, aduersus Solem ne loquitor, anulũ ne gesta-
to, vestigiũ corporis cõfundito, cùm lecto surrexeris, stragula cõplicato, per semitas ingre-
ditor, viã regiã declinato, ollæ quoq; vestigiũ in cinere turbato, hirundines intra domũ ne
admittito, cõtra Solẽ ne meijto, speculũ ne spectato ad lucernã, dextrũ pedẽ priorẽ calcia-
to, sinistrũ priorẽ lauato, vnguiũ, crinĩũq; tuorũ præsegmina ne cõmingito, sed in ea despui
to, à fabis abstineto: & alia multa, quę magis ad risum, quàm ad morũ informationem inui
tãt. Quę si accuratè perpẽdantur, nihil est de statu reipublicæ atq; de ei⁹ cõditione & impe
rio, nihil de domorũ gubernatione & patrisfamilias cura, nihil de prudẽtia, iustitia, de ami
corũ statu & naturis seruãdis, quod nõ isto abditissimo silentio cõplectatur. Alteram verò
partẽ numeris est assecutus, per septenariũ (quẽ heptas antiqui appellarunt) de numero &
motu cælestiũ corporum & fixorum planetarũ iudicauit, atq; esse primæuã totius animæ
mũdanę originẽ, causamq; cælestis harmoniæ. Quã Plato in Timęo opinionẽ amplexus, *Plato nu-*
ex pari & impari à septenario decurrẽtibus vniuersi animi naturã coagmentauit, per qui- *meros Py*
narium summa & infima omnia à *monade* deriuata, per dualitatẽ materiam, per vnitatẽ for *thagori-*
mam, Deũ esse extra omnem numerum, tanquam rerum omnium originem & finem, per *cos imita*
quaternariũ, quem *tetarton* vocãt, elementorum cohærẽtiam & similitudinẽ & animi per- *tur.*
fectionem: quapropter inter arcana venerantur, & ex eo iuris iurãdi religionẽ sibi Pytha-
gorici fecerunt: per ternarium animi cõmunem absolutionem tribus partibus cõtentam,
quas *logisticon, thimicon thimiticon* nominãt: per *diapason*, quod ex *diatesaron* & *dispente* cõstat,
animi symphoniam fieri, extremãq; mentis diuinæ peafectionem: quo vno verbo totã de
animorum immortalitate disputationem atque Platonicas & Aristoteleas *entelechias* siuę
endelechias inuestigarunt. Demum nihil est in tota de natura philosophia, quod non Pytha
gorici numerorũ integumentis obduxerint & occultauerint, & in occultandis rebus à na
tura perceptis, reffere nos Dei similitudinẽ dixerũt, in quo est toti⁹ veritatis abditissimũ ar
canũ: Nã sicuti *monas*, hoc est, vnitas suos minimè limites transgreditur, sed certis est distẽta
regionib⁹, semper vnũ perseuerans atq; manẽs: *dyas* verò, hoc est, dualitas principiũ est dif
ferentię, statim à se differens atq; discrepans, duplicatione in multitudinẽ abiens: sic & ser-
mo ab vno primo nõ deriuatus, sed pectore cognoscẽtis interclusus, verè arcanus est atq;
diuinæ vnitatis exemplar refert: cùm verò cõmunicatur, à diuina natura iam recedit, cùm
famæ nomẽ subeat atq; multiplicatione arcani rationẽ, quæ vnitatis est, non degustet. Vn-
de Græcus vates *epea pteroenta* dixit, hoc est, verba altè volãtia, neq; solùm Pythagoreorũ
dogma, sed Aegyptiorum sapientium fuit diuina esse silentio occultãda: quapropter eum *Aegyptii*
Deum, à quo essent rerum omnium primordia & principia, taciturnitate & silentio colen- *siletii Py-*
dum esse cẽsuere: vnde factũ veteribus, vt in Deorũ honoribus linguas contribuerent, *glos-* *thagorei*
sas nanque ait Homerus *d' en pyri ballon*. Athenienses quoque, qui ab Aegyptijs reli- *sectato-*
gionem & sapientiam acceperunt, ignoto Deo sacrificabant, silentio numinis nomen *res.*

reticentes.Lycurgus apud Spartanos præstantissimus legislator, pueros silētio insuescere docebat: atq; Amicleij & Lacones Pythagoricam factionem sunt secuti. Heraclitus philosophus non verbis, sed nutibus & signis frequentiùs præcepta tradebat: extat & Lysidis epistola breuissima ad Hipparchum, qua succenset Damæ, quòd patris præcepta silentio commendata in lucem emiserit, tanquam alienum à paterna religione & viuendi instituto. Plutarchus nobilissimus autor existimat Pythagoricos à piscibus abstinuisse, quos quasi suæ doctrinæ domesticos agnoscerent, propter *echemythian*, hoc est, silentium, quod inter animantium genus piscibus est proprium. Plato & Aristoteles etsi scripserunt, tamen ita posteritati eorum libri mandati sunt, vt ferè non esse mādatos dixerint. Cato orator nihil voluit scriptis committere, sed omnia silentio compressit, ne verbum emitteret, quod se postea pœniteret emisisse. Demum ita silentij præceptio apud maiores valuit, vt numinis insignem haberet rationē, Angerona à Romanis, Harpocrates à Græcis colitur.

Aristoteles præcō ceptas disciplinas, obstetricis officiū agēs, in lucē edidit, diligēterque educauit.

Post Pythagoram verò & Platonem, Aristoteles pr̨stantissimus philosophus, primus cēsuit tanquam à religione Pythagorica non solùm alienus, verùm omni maiorum instituto non addictus: quapropter à Platone *anagnostis*, id est, lector appellatus est, scripta esse cōmuni sermone vulganda, quamuis in his obscuritas affectaretur. Quamobrem ante Aristotelem nullus præcepta artis distinctis voluminibus atq; instituendi methodo est complexus: nam etsi ante Aristotelem, Empedocles, Democritus, Leucippus, Melissus, Parmenides Anaxagoras, Diogenes, Thales, Anaximander, Paro, & alij permulti communi quodam vsu (vt in hominum more versatur) de naturis scripserunt, tamen artificiosa verborū conclusione carminibus naturalem obduxerunt philosophiam: pr̨terea de subtilitate disserendi neq; carminibus aut soluta oratione aliquid posteritati mādarunt. Aristoteles verò philosophiæ parens, atq; methodi princeps, adhibuit artem extrinsecùs ex alio genere, quam nunquam sibi antiqui philosophi assumpserunt, qua disciplinas dissolutas, diuulsasq; conglutinauit, & ratione quadam constrinxit, déq; nulla re fuit in tota sensili natura atq, in disserendi ratione, de qua non copiosissimè disseruerit, veluti de syllogismorum inuentione, de demonstrationis vi & natura, de locorum copia, de principijs rei naturalis, de cælo, de concretorum conditione, de elementorum mistione, de animorum ratione, de plātis, de animaliū diuersitate, de coloribus, de prima philosophia, de moribus, de regno & domo: nihil demum est, de quo non adhibita summa methodo disputauerit, atq; noua instituendi ratione inuenta, quicquid voluit aduersus philosophantium sententias est assecutus. Illudq; in tota Aristotelis institutione pr̨stantissimum esse censeo, quod animosita doctrina informet, vt à sensibilibus rebus, quæ experimento & sensatione cōprehenduntur, ad defæcata & pura consentientibus nobis deducat: vnde fit, vt vulgari vocabulorum nuncupatione & vsitata, quicquid erat à cæteris integumentis vastissimis opertum, nominauerit: quod Pythagoras vnitatem & dualitatem appellauit: quod Plato magnum & paruum & vnitatem, siue alterum & idem, ipse *morphin* & *ylin*, hoc est, formam & materiam: quod Plato animum esse per se mouentem numerum, Aristoteles actum corporis: quod Plato ipsum tale, & verè tale, & semper tale, Aristoteles proprietatem intellectus, & animæ, & primorum corporum: quod numerum triplarem Plato in Timęo positum in triangulo, Aristoteles primam formam formantem: quod Plato in Sophista, qui vnum non dicit, nihil dicit, Arist. qui vnum non intelligit, nihil intelligit, per vocabula à communi sermonis intelligentia, non aliena nuncupauit. Is demum fuit, qui primus iacentes disciplinas artis lumine erexit, atq; mētis tenebras quodammodo illustrauit: tamen neutiquam volumina ab Aristot. emissa ita fuère aperta, vt non sit in illis ingens obscuritas, tam ab ipso (si Themistio credimus Arist. fidelissimo interpreti) consulto affectata, quàm temporum calamitate & barbarorum hominum scelere atq; imperitia parta. Neq; solùm hoc in latinis codicibus, in quibus nihil propè est certum, sed etiam è Græcis fontibus permulta sunt mutata, alia temporum antiquitate obliterata & deprauata. Latinus verò Aristoteles, qui nobis in manibus semper est, mille mendis vndequaq; est conspersus: nam etsi fuere diligentissimi homines, qui munere interpretandi & in vtriusq; linguæ peritia floruere, tamen si Rodolpho Agricolæ credimus, viro de humanioribus disciplinis bene merito, in singulorum verborum colligatione & consecutione mysterium latere putat: quapropter nulla potest esse fidelis Arist. interpretatio, cùm Seuerinus Boetius, qui cæteris

Arist. antiquorum philosophiā nō solum enucleauit, sed eius faciē immutauit, expoliuitq;

Arist. obscuritas interpretū desiderat luculētiorē diligentiā, vt disciplinæ alātur, foueāturq;

cæteris omnibus in hoc genere interpretandi lucem dedit, ab eisdem reprehendatur. Perionius nimis est Ciceronianus, atq; dum Ciceroni incumbit, & à genere dicendi Philosophorum & ab Aristotelica Academia recedit. Quid dicam de Ioanne Argyropylo, de Bessarione, de Batablo, Hermolao Barbaro viro doctissimo? cuius insignem interpretationẽ post Theodori Gazæ versiones veneror & amplector. Quid de Genesio Sepulveda, qui libros de prima philosophia & Republica vertendo, magnum sui ingenij specimen dedit? Quid de Strabæo, Perionij aduersario? Præterquã quòd hi insignes philosophi digni sunt, vt perpetuis cumulentur laudibus, verùm eorum nullus est, in quo non plura desiderẽtur, quàm ipsi assequantur. Multa loca sunt deprauata, alia aduersus veram intelligentiam interpretata: quod si non molestum foret, in medium adducerem aliqua, quæ in vnum congesta, dum in Aristotelem incũberem, habemus. Est nanq; Græca vbertas ita varia, ita multiplex, vt vnum idemq; verbum simili aspiratione, sono, pronuntiatione, accentu prolatũ diuersos significatus patiatur. In qua re non pauca sunt interpretantium peccata: est etiam genus Aristotelis dicendi breue, concinnum, acutum, ad philosophorum disputationes & porticus aptissimum: hæc autem eloquentiæ ratio summam in dicendo acutiem requirit, atq; promptam in verborum consecutione intelligentiam. Illi verò, qui nobis Aristotelem latinum faciunt, dum natiua præstantissimi philosophi sensa inquirunt, à re maximè discedunt, si non in verborum consecutione laborant: hanc autem seruare, dummodo Aristoteles latinus sit, & in communi dicendi latinorum vsu, impossibile est. Exemplum nobis sit locus ille primi Physicorum cap. 7. *miade io logos* à nullo cõmodè interpretatus, dum vnũ autem principium est ratio vertunt: tamen Arist. & formam esse & principium esse muliebri articulo *i* solùm sine nomine expressit, quod latinorum in vsu non est. Quid igitur est faciendum? Omnes è fontibus primis sapientiam Aristoteleam haurient? nequaquã, quãuis in illis purior sit huius sapientiæ riuulus. Sed adsint diligentissimi homines, qui mẽtem Aristotelis aperiant, atq; ex varijs interpretationibus quid verum, quid firmum, & Aristoteli consonum sit, colligãt, atq; certis existimationibus teneros iuuenum animos imbuant. Vnde post Aristotelis atq; Platonis emissa volumina, post Græcorum in hos libros excussa commentaria philosophicis præceptis & obscuritate etiam plena, necessarium existimo fore, vt vnusquisq; suam in hos philosophos sententiam aperiat, atq; quid de vnaquaq; re sentiat, in publicum diuulget, ne silentio inuuli adumbratam sapiẽtiam habeamus: siquidem inde ortum habuit, vt post edita Platonis & Arist. volumina, sine philosophorum commentarijs cœperit incertum vulgus opiniones de cælo, de prima substantia, de animorum immortalitate, de motu, de elementorum potentia, de ortu & interitu concretorum, pro libito fingere, atq; falsas pro certis Aristotelicas sentẽtias amplecti: alij Deũ Aristotelem negare, atq; nihil extra mundum relinquere dixerunt, cùm in eo libro, qui de cælo inscribitur, contrariam aperiat sententiam: alij animum esse mortalem, & lumen esse ignem vel ab igne profectum: alij negasse prouidẽtiam, atq; in voluptuaria perstitisse secta, ausi sunt proferre. Platoni verò non mirandum est si multa imponantur, cùm non ita eius disciplina sit in media hominum disputatione posita: nam ante doctissimi Marsilij Ficini versionem, rarissimi Platonis institutiones degustarunt: nũc verò etsi latinus præ manibus adest, multis tamẽ est inuolucris, opinionibus, dogmatibus inuolutus, ita vt à paucissimis (quanuis vigilijs & diligẽtia poterat effici clarior & illustrari) qua cura decet euoluatur, ex quo illud emanauit, vt diuino viro multa imponantur. Prætermitto illa, quæ in Aristotele sunt, siquidẽ in ambiguo est causa, an imposita, vel affirmata & statuta pro certis à Platone fuerint: verùm Aristotelei, qui conuitijs Platonicos lacessunt, affirmant, quòd magnum & paruum ex parte materiei dixerit esse, quòd priuationem non secreuerit à materia, quòd posuerit materiam increatam & ideæ causam, mundum verò vniuersum creatum, quòd locum materiam dixerit, atq; vacuum materiam corporũ, quòd asseruerit, animo conuenire secundùm seipsum sentire, sicuti intelligere, & vtranq; operationem à principio diuino & corporis experti effluere, & quòd in homine solùm esse animũ rationis cõpotem, neq; aliud, quàm intellectum existimauerit, & quòd potẽtiæ sensiles corpore corrupto remaneant, & quòd mathematicam certitudinem diuinorum fundamentũ affirmauerit esse, quòd posuerit substantias separatas, & quòd quintam substãtiam è medio sustulerit, *apates*, hoc est, à passionibus immunem, sicuti Aristoteli placuit. Quæ omnia & si

Loaysæ priuata prælúdia philosophica.

Locus Aristot. subdifficilis.

Cõmẽtari Aristotelẽ non esse inutile aut vanũ.

dicta sunt à Platone, quod ego nequaquam nunc diffiteor, tamen altiori sunt inuestiganda mente, atq; consideranda. Hoc vnum semper mihi persuasi, nihil esse in tota philosophia certum, nihil verum, quod non ex Platonica Academia in Aristotelis lycæum fluxerit, atq; in Peripateticos omnes se diffuderit: Platonica non sunt sensu, sed cælesti mente gustanda atq; voluenda, diuinoq; ingenio & iudicio tractanda, purgatisq; auribus audienda. Vnde sunt qui putent ex autoribus summæ notæ, Platonis philosophiam cum christiana religione componi posse, atq; eius eximiam eruditionem ad Hebraicam fidem & veritatem accedere: ex quo permulti germanum Mosem dixerunt, sed Græcè loquentem: certum est, ipsum in Aegyptum perrexisse, ibiq; à sapientioribus summa cura & diligentia edoctum fuisse. Hęc obiter à me dicta de Platone sint, vt iuuenes interim admoneam, magna cum reuerentia de Platone, eiúsq; eruditione esse agendum, & quicquid Platonicum inciderit, altiori esse mente reputandum. Verùm in instituendi ratione semper ego primas Aristoteli detuli, tanquam methodi principi, atq; artis differendi inuentori eximio, veluti qui primus disciplinas, silentio Pythagoreorum à proprio domicilio deiectas, in hominũ mẽtes restituerit, ausúsq; fuerit aduersus omnium decreta intra priuatos parietes vniuersam aperire naturam, & in mediam gentium lucẽ præcepta occultissima publicare & edere. Qua permulti, tum Græcorum, tum Latinorum sententia commoti, innumera in Aristotelem commentaria emiserunt, quibus Aristoteleam ambiguitatem in dicendo de medio tollere conantur: alij, qui Platonis & Arist. mentes se degustasse putarunt, inter vtrãq; philosophiam concordiam moliti sunt diuulgare, veluti inter Græcos Simplicius verus Aristotelis expositor, atq; Seuerinus Boetius apud Latinos, idq; pollicitus est: scribit enim Augustinus in Academicis nõ defuisse plures, qui subtilissimis disputationibus idem probare conati sint: Ioannes etiam Grãmaticus cùm dicat, apud eos solùm Platonem ab Arist. dissidere, qui Platonis disciplinam diligenter animo non comprehendant, probandum tamen posteris hoc reliquit: Demum ille nobilis adolescens Ioannes Picus Mirandula totius humanæ naturæ ornamentum, in quo diuitias suas rerum parens natura diffudit, id professus est, verùm immatura morte interceptus, non sine politioris literaturæ & disciplinarum omniũ incommodo, minimè sanè potuit, quod promiserat, præstare. Igitur hi duo philosophi ansam scribendi cæteris dederunt, ita vt iam aduersus Pythagoreorum decretum cautum sit, nequis sua reticeat, sed vulget atq; communicet: quod insigne beneficium esse in hominis natura puto: Nam si disciplinæ in illo primo silentio positæ essent, quis doctus, sapiénsve haberetur? Et si essent illis integumentis & inuolucris, vt in maiorum inuentis legimus, vestitæ, quis posset eas amplecti, consequi, degustare, tenere, docere, ne dicam in vnaquaq; disciplina cõsummatus esse? Quapropter fuere doctissimi homines, qui non solùm diuinum atq; excellens donum esse cẽsuerunt de magnis rebus scripta proferre, verùm de minimis, modicisq; opera ediderunt, vt Isocrates, Lucianus, Fauorinus, Homerus, Virgilius Maro, Seneca, Apuleius, Asclepiades, Diocles, Hesiodus, Musæus, Messala, qui vel de culice, vel asino, vel musca, eximia quadam doctrina agentes, insignem sui ingenij demonstrationem dederunt. Neq; scriptis fiunt homines ignaui atq; à labore alieni, cùm certissimum sit, vna hominis memoria non posse, quæ de rebus sunt disciplinę, cõplecti: quis poterit eorum, quæ dicuntur de Deo, de intelligentijs, de cælis, de elementis, de eorum concretione, de hominis animo, & cæterorum sensilium, de plãtis, de herbis, de curatione, de his, quæ fiunt in supera regione, memoriam habere? Quid dicam de cæteris disciplinis, in quibus infinitus est labor, quanuis cum iucunditate cõiunctus: veluti sunt quæ ad mathematicam certitudinem spectant, quæ ad historiam, quæ ad bene dicendi rationem, quæ ad artis Grammaticæ prima præcepta, vbi de significatione verborum innumera quæruntur? Quid de iuris prudentiæ scientia, ad quam vix multorum hominum memoriæ assequendam sufficiunt? aduersus scribendi maiestatẽ, cui, quicquid de politiori literatura habemus acceptum, referimus. Nullus, si doctrinæ cupidus sit, poterit aliquid trãsuersum dicere: siquidem scriptura tantarum rerum scientiam comparamus, atque hæc vetusta propagat, nihil sinit interire, & omnia sinu suo fouet & amplectitur, tempus cogit nostris manibus succumbere. Quid hoc magnificentius? Quid præstantius? Quid æquè mirandũ? id esse homini datum, in quod nec mortis quidem auida rapacitas ius vllum habet. Quid tot, tantaq; diuina volumina, à quibus aduersus ingeniorum prauitatẽ subsidium petimus? Legimus.

Obseruatio pro Platonis nomine et vsu.

Ioannis Pic. Mirãdulani encomiũ.

Scribendi commoditas.

Legimus in Mosaicis scriptis, proprijs Deum Opt. Max. manibus scripsisse atq; digito in tabulis lapideis naturæ instituta diuulgasse: silẽdum esse intelligo, atq; esse fidelitatam silentio mercedẽ, vt antiquissimũ Græcorum elogium pronunciat, *sigis acindynon geras*, verùm cùm necessitas vrget, loquendum, scribendum, disputandum, communicandum est, cùm nihil à Dijs locutione melius acceperimus. Natos nos esse ad loquẽdum, sunt qui existiment, cùm puer nondum natus vocem emittat, si quando verò scriptis debemus incũbere, atq; ad commentarios animos applicare: præsertim hac nostra tempestate, cùm in illa infelicissima tempora inciderimus, in quibus nõ solùm de naturis rerum falsæ sunt existimationes susceptæ, verùm, quod non sine lachrymis dicendum est, humanus animus imbecillis Christi fidem & religionem, tantorum sanctorum patrum atq; martyrum testimonijs stabilitam, conantur falsis dogmatibus labefactare, atq; charitatis lumen in hominum visceribus accẽsum friuolis atq; proprijs interpretationibus extinguere. Verùm, ne ab instituto digrediamur, si quando necessum fuit de Aristotelica doctrina discutere atq; disputare, hisce nostris temporibus est, præsertim in hac Academia Complutensi literarũ vnico emporio, in qua etsi fuẽre nobilissimi philosophi, nullus tamẽ aliquid, quod Aristoteleam sapiat doctrinam diuulgauit, præterquam doctor theologus Gasparus Villalpandeus doctissimus in omni cognitione vir, qui eloquentia & doctrina bonam Arist. partem illustrauit: verùm in libros de Cælo, de Animo, de Ortu & Interitu, ab Aristotele summa diligentia compositos, nihil in publicum dedit, quorũ interpretationi etsi subseruire dignissimus labor erat, tamen nullus adhuc instituto huius florentissimæ scholæ & vsui satisfecit, in qua vltimo philosophiæ anno hæc volumina iuuenibus interpretantur, atq; ibidem nihil est ab Aristotele excogitatum, nihil à Græcis & Latinis interpretibus dictum, quod non viua præceptoris voce contineatur, disputetur. Quapropter necessum est, illi, qui tanto muneri præest, & illis, qui sitim accensam sapientiæ audiendo extinguere cupiunt, vniuersa ipsius Aristotelis commentaria accurata, manu voluere atq; præ manibus habere. Hæc verò multa sunt, neq; ab omnibus haberi possunt: & si habeantur, nequeunt ab studiosis, angustijs temporis oppressis, volui: in tanta autem librorum & commentariorum varietate, cùm velut nocturnis in tenebris ingenia cæcutirent, Aristoteleæ disciplinæ nobis lumen illuxit, theologus doctor Petrus Martinez, qui in hac nostra Academia ab infantili discendi ætate vsq; ad hanc maturam & insignem doctrinam educatus, postquã publico stipendio philosophiam est professus, atq; discipulorum non ignobilem familiam aluit, à diuina sapientia (quam etiam publicè profitetur) discipulorum & amicorum precibus atq; totius scholæ commodo commotus, studium, industriamq; distraxit: atq; illa, quę postremo philosophiæ anno intra priuatos Gymnasij parietes auditoribus interpretabatur, iterum pressit atq; excussit, & in publicum diuulgauit. Si verò hi commentarij digni sint lectione & laude, testentur illi, qui longissimas super Aristotelem assidua manu expositiones atq; controuersias facilè & solutè voluerunt: nos verò, tanquam in re propria, elingues reddit, illud, quod animo sentimus, altissimo silentio comprimamus, ne magistri amore atq; beneuolentia accensi, aliquid incautum dicamus: tantum de methodo & stylo scribendi aliquid dicam, quæ duæ res si debitè à præceptore præstentur, celerem auditores animo atq; variæ doctrinæ cumulum percipient: nam omnis doctrina atq; diligens disserendi & docendi ratio, stylo & methodo, tanquam firmissimis radicibus, innititur. Verùm hæ duæ erudiendi potissimę partes nõ liberè sine ratione vndequaq; fluunt, sed proprio vniuscuiusq; dicendi genere subiectæ sunt: vnde cùm philosophorum seueri porticus non liberam atq; distẽtam vndequaq; fori dictionem complectantur, neq; flores latissimos & calamistros fucatæ orationis, quibus vulgi plausus atq; popularem acclamationem oratoria facultas, veluti lepida atq; venusta puella, quærit, sed potiùs vt grauis matrona, contracto & breui & temperato genere locutionis vtitur, quibus insignis dignitas atq; amplitudo vnà cum distincta præceptione coniuncta excitatur. Methodus igitur philosophica distinctum tractandi genus postulat, stylus verò concissas sententias non redundantes, in quibus tantum verborum est, quantum necesse est, breues atq; cum magno acumine & grauitate amat. Id verò ita consecutus est doctissimus meus præceptor, vt se id consultò magna cura & diligẽtia inuestigasse videatur: nullum est verbũ, sine cura, sine summo iudicio emissum: verùm neq; id magnopere mirandum, cùm adeò Aristoteleæ lectioni sit summè deditus, vt ex ei' perenni

Petrus Martinez quã mẽte motus ad Cõmẽtarios in Arist. edendos.

Stylus horũ Cõmentariorum.

Methodus ipsorum.

perenni fonte, dum sapientiam haurit, ingenium breuitatis, contractionis, angustiæ cupidũ induerit. Hæc tamen methodo coniuncta distinctam atque compunctam, verùm philosophicam vndequaq; æquabili dictione fluentem eloquentiam conficiunt, quæ auribus sapientum dulcius sonabit, quàm cantus copiosæ orationis volubilitate verborũ planæ, cui neq; res neq; scientia subiectã est vlla: in genere verò doctrinæ, temporum cursum expectemus, cui totius veritatis arcanum commissum est. Siquid verò aduersus hanc expositionem maleuoli inuidia dixerint, autoremq; maledictis lacessiuerint, sciãt, ipsum hoc sibi laudi ducere, cùm inuidos atq; detractores habere, magni cuiusdam ingenij sit, atq; calumniatorum inuidia solùm nihil scribendo vitetur: nullus nanq; magnus honos fuit, qui non dissensionibus atq; contentionibus difficillimus esset partus: Philosophia in Græcia viguit atq; floruit, disputationibus atq; discrepantibus institutis doctissimorum philosophorum agitata: nihil igitur magnum fuit, nihil excellens, atq; à cõmuni hominum cõditione alienum, quod non mille procellis agitetur: non est sapientis neq; viri magni semper secũdis o rebus potiri, aduersus fortunæ aleam, atq; impetum dissentientibus omnibus magnum euadere, atq; præclarum & eximium esse id, dignũ honore & reuerentia puto. Quapropter siqui sunt, qui secus Commentarios hos interpretentur, quàm à præstantissimo homine sunt excussi, intelligant, ipsum de maledictis gaudere, dummodo in publicum errata atq; peccata excogitata proferant: habet ipse discipulos, qui detractori & maleuolo possint sine iactura satisfacere.

Aemuli & susurrones attẽdãt, ipsorũ inuidia Autoris laudẽ consummari.

AD LECTOREM.

Loquutus est in libros de Animo eruditissima præfatio plura Græcè docebat, quæ modò Græcis characteribus deficientibus, non potuimus literis Græcis exprimere: quare compulsi sumus, ne tãtæ præfationis obscuraretur autoritas, perret vtilitas, & doctissimũ virum debito fraudaremus honore, Latinis characteribus, quæ ab illo Græcè essent dicta, proponere, ac Græcum ita & diphthongum ex omicron & iota per Latinum exprimere iota. Vale.

FRANCISCI TVRRINI LATINI sermonis apud Seguntinos professoris carmen heroicum.

HErculeos inter quondam, durosq; labores
Magnus Aristoteles cælesti numine ductus,
Diuine diuinam animam effigiauit, & illam
Delapsam è cælo circumuestiuit amictu
Ambrosio, tantoq; dedit splendore micantem,
Quanto non fulget rubicundo Lucifer ore,
Nec vespertinus radiantibus Hesperus vmbris.
Thesaurum tamen hunc tellure recondidit ima
Effodiendum arte ingenti, magnisq; lacertis,
Et vix humano cuiquam sudore parandum.
Sed iam magnanimo ductore atq; auspice Petro,
Secretos illos calles, abstrusaq; sensa
Cernis Aristotelis nunc explanarier, omnes
Cesserunt tenebræ, potuit nam interprete lingua
Oceanum nobis prorsus conferre bonorum.
Nec dubito, quin si infernis reuocatus ab vmbris
Disciplinarum princeps extaret, & hosce
Tam bene tornatos libros, sensusq; videret
Explicitos, sic esse suos clamaret, & illis
Adiecisse aliquid Petrum, meliusq; notasse
Effectus animæ, nec tam volitasse per altum
Sese iuraret, nec tam scripsisse profundum.
Quin etiam non contentus celeberrime doctor
Hos animæ effectus nobis depingere, & omnes
Abstrusas aperire vias, feliciter illud
Complesti, gemmasq; velut radiante ligasti
Auro, quum nostram hanc animam cælestibus ortã
Principijs aperis, immortalemq; fateris,
Aduersus pecudes quasdam, vilesq; ministros
Corporis, addictos ventri, vitijsq; sepultos.
Hæc mera relligio est, Christoq; innititur ipsi
Autori, fideiq; iacit firmissima primùm
Fundamenta quidem, quæ sunt stabilita per æuum
Concilijs Patrum sanctorum, vt semina praua
Sint auulsa simul, nullisq; repullulet agris

Praua

Praua ſeges, tribuliq; mali dominentur, vt omnes
Hoc ſtandum credant decreto, & tempore nullo
Interituram animam affirment, nec poſſe dierum
Conſumi ſpatijs. Quid quod firmiſsima res eſt,
Certaq; Ariſtotelis doctrina? tota relucet,
Eliciturq; tuis verbis expreſſa figura
Eſſe immortales animas. Proh quanta tuorum
Argumentorum vis eſt, quæ fulmina, quanti
Nerui, quæ ratio, quod pondus, qualia rerum
Culmina, quæ grauitas, quàm maxima gloria ſurgit
Hoſte triumphato? Viue ò clariſsime doctor,
Qui decoras gentem Hiſpanam, genteſq; repoſtas
Admiratrices reddis, laudumq; tuarum,
Cultriceſq; tui, cui iam debere fatentur
Culturam ingenij, & rerum myſteria tanta,
Atq; animas ipſas. Iam maior naſcitur ordo,
Maioreſq; dabis fructus, nam ex vngue leonem
Colligimus, viuoq; tibi largimur honores.

IN LAVDEM AVTORIS CARMEN ALPHONSI Saauedra à Sandoual doctoris Theologi.

LAudabat fabros fortes, rigidosq; Catones:
Laudabat celebres Roma superba viros.
Laudabant multi egregiam Demosthenis artem:
Atque viros doctos Græcia docta suos.
At superas omnes tu dexteritate docendi,
Moribus, & vita, relligione, fide.
Qui cupit antiquam studijs contingere metam:
Te legat, & paruo tempore doctus erit.
Mira tua est virtus Doctor doctissime Petre:
Ingenio flores, consilioq; graui.
Quæ à multis fuerant cæcis immersa tenebris,
Per te iam in lucem sunt reuocata suam.
Te resonant Musæ, palmam formosus Apollo:
Præmia digna tibi, lilia mista rosis.
Relligio, & probitas, mores, sapientia, virtus,
Te Petrum illustrant, præmia magna dabunt.
Socraticos retines sub docto pectore mores:
Aethereas sedes relligiosus amas.
Laurea serta tibi, magni debentur honores,
Debentur meritis candida cuncta tuis.
Laudibus & meritis fulgebit clara Seguntum:
Complutum vincit, te duce nomen habent.
Nec valeo celebrare tuum, nec dicere nomen,
Præceptor veri, gloria, fama, decus.
Infestat liuor clarum virtutis amorem:
Innumeras laudes, præmia digna negat.
Vellicat, & mordet fallax fortuna beatos:
Excitat inuidiam non bene cauta bonis.
Impius, insipiens, mendax tibi si inuidus obstet:
Nil tibi, nam veram vincere præstat opem.

AD

AD LECTOREM EPIGRAMMA eiusdem.

QVos cæleſtis amor, quos grandia numina tãgunt,
Quos animæ cauſam ſolicitare iuuat.
Qui claros latices optas haurire Mineruæ:
Hunc legitó Petri, noćte dieq́; librum.
Edidit eximium tibi dexteritate libellum,
Quo rerum cauſas carpere quiſq; poteſt.
Errores varios, & dogmata falſa repellit;
Interpres veri fidus Ariſtotelis.
Altiloquam repetit fœlix & Apollinis arcem:
Egregium cuius nomen ad aſtra volat.
Inuidus, & mordax dentes deponat acutos:
Inuidiam reprimat, quæ graue vulnus alit.

ALIVD CARMEN EIVSDEM ad lectorem.

SI guſtaſſe cupis dulces de fonte liquores,
Huc ades, & Petri dulcia verba lege.
Perpetuos famæ lector ſi quæris honores,
Non cadat hic liber, noćte dieq́; manu.
Philoſophi taceant, alter iam ſurgit Apollo,
Hunc celebrat muſis ſacra Minerua virum.
Magnanimum Petrum caſtæ genuere ſorores,
Cuius mellifluo manat ab ore melos.
Promiſit dominus dignis præbere coronam,
Perfidus à longè, gens inimica tace.
Ruſticus haud veniat doćtas perrodere partes,
Barbarus, incultus quilibet, eſto procul.

SOLI DEO HONOR & gloria.

IOANNES CASTELLANO AVTORIS DISCIPVLVS ATQVE clientulus de erratis ad lectorem.



VM Autor dominus meus, cãdide lector, vltra quotidianas sacræ Theologiæ prælectiones & ad populum conciones, mole rerum familiariũ oppressus, nimiumq; esset impeditus, atq; exactæ horum Commẽtariorum correctioni minimè vacare valeret, gratia duntaxat hos libros typis committendi & in publicum vulgandi Typographis cum prælo proprijs expensis Compluto adductis, mihi suorum seruorum minimo horum Commentariorum castigationem (sodali meo atq; amantissimo condiscipulo bacchalario Gabrieli Castillo quæstionum, sententiarumq; indice demandato) iniũxit: quam quidem prouinciam, cùm meis humeris longè imparem iudicarem, propria conscientia victus vtiq; recusassem, nisi turpè, pariter & inhumanum esse putarem, tanto viro, nostris temporibus literarum vnico emporio, atq; totius virtutis ornamento, tamq; grauiter improbis occupationibus districto, non fauere, suisq; iussis non acquiescere atq; obtemperare. Conatus quidem sum solerti admodum diligentia, indefessaq; solicitudine id præstare, atq; horum Cõmentariorum elimatæ castigationi meum laborem, curam atq; operã adhibere, vt nil mea incuria in medium mitteretur, quod Autoris sapientissimi maximum, eminensq; nõ redoleret ingeniũ, atq; grauitati, eiusq; autoritati non respõderet. Fecerim, nécne, ignarus sum, tuum esto iudicium: me etenim latet, an in sententiarum incisuris, commatibus atq; colis, clausularumq; punctationibus peccatum sit: hoc verè scio, me inter excudendum quãtam potui præstitisse diligentiam, & quantum humanum ingeniũ potuit assequi curasse, vt vndequaq; hi Commentarij circunspecti, exactéq; correcti atq; illustrati in lucem depromãtur. Et siquid subterfugit ac veluti è manibus excidit, quominus omnia correctissima in medium edita fuerint (nil mirum, cùm hoc etiam oculatioribus contingere soleat) enixè suppleas rogo, téq; per Deum immortalem obtestor, meis vestigijs insistas, qui eos omnes defectus, quos ego noui, propria manu & calamo in exemplaribus omnibus (vt tibi legẽti patebit) emendare curaui: vsqueadeo vt paginas aliquot, quæ mendosiores prodière, iterum cudi prælo conatus sim. Leuiora siquę sint, summis precibus à te efflagito optime lector, vt quamprimùm in tuam mentem venerint, benigno, candidoq; corrigas animo: In alijs nanq; grauioribus & præstantissimis scholijs, quę, nisi Autor & dominus meus tempo ris angustijs premeretur, typis iam essent demandata atq; commissa, tibi diligentiorẽ curam, sedulamq; operam deuoueo atq; polliceor.

Admonere te non desinam amice lector, vt cùm pagina 465. col. 1. legis, *In motu animalis liberam esse facultatem*, spontaneam legas, quando vis motiua animalium spontanea est, in homine enim duntaxat reperitur liber appetitus: nã Autor & dominus meus grauiter tulit, & adeò est syncerae & catholicæ veritatis amator, vt meam incuriam acriùs culpauerit, licet priùs pagina 461. col. 1. exposuerat, liberum pro voluntario & spontaneo vsurpari. Et quando semel cœpi tecum loqui, vellem, vt ipsas nostras marginum annotatiunculas, quasdam esse commentationis summulas intelligas, quas ideo tibi præstitimus, vt cõmentatio ipsa, satis per se lucida, luculentior efficeretur, atq; vt facilè, modicáq; opera, quò singula tendant, valeas inspicere. Quæ igitur tibi Autor & dominus meus tradidit, stylo quidem sunt familiari, non affectato aut peregrino: methodus autem minimè te offendet, quæ nequaquam est perturbata, sed in omnibus, peripateticis documentis accommodata: prolixitas non est interminata, sed ita cum rei difficultate temperatur, vt concisa breuitas sententiarum obscuritatem parere non posset. Curauit igitur à grauioribus quęstionibus, quę ad Theologiam potiùs spectare videntur, abstinere: tamen non potuit ab illis omnino supersedere, quoniam ex ipsius Autoris & domini mei familiarib' colloquijs didici atq; proprijs auribus audiui, eo animo hos Commentarios in lucem edere, vt non solùm in præsidium sint Philosophiæ, verumetiam vt Theologiæ subsidium præstent: qua de causa nõnunquam sensim dilabitur, vt naturã eleuet, diuitias Dei patefaciat, & pelagus diuinæ bonitatis

nitatis aperiat: quoniam Theologiæ omnes scientiæ ancillantur, & veritas reuelata in ipsa veritate naturæ reperitur, quatenus fides rationē naturalē potiùs perficiat, quàm destruat. Neq; animus mihi est horum Commentariorum thesin atq; argumentum celebrare, nec possem si vellem, nec opus est: Ecquis nanq; est, qui ignoret, nullam Philosophiæ partem suauiorē, sublimiorémve esse? vbi summa est totius naturalis Philosophiæ, & veræ Theologiæ potissimum nititur firmamentum? Nam (vt probè nostr) vix vnus aut alter articulus est in summa Theologiæ D. Thomæ, ad quem hæc doctrina de Anima expressè nō sit necessaria: quod Aristoteles, omnium Philosophorum clarissimus princeps, subolfecit, cùm horum librorum initio eam non solùm ad omnem doctrinam, sed latiùs ad omnem veritatem conducere inquit. Quamobrem, officiosissime lector, hos si perlegeris Commentarios, mihi crede, plurimum vtilitatis tibi conferent: nam (vt alia taceam) non distraheris ampliùs infinita & incerta librorū multitudine, quæ dociles euertit, pauperes premit, potiora ingenia si non confundit, retundit tamen. Habes igitur hîc, vnde firmè, solidè, securéq; Theologiæ veritatem, fidei catholicæ satis consonā, addiscere valeas: An tibi parùm feliciter contigisse putas, quòd talem Aristotelis expositorem fueris sortitus, qui vndeunde quæstionem excitat, ibi eius veritatem breuitate & resolutionis claritate explanat? nam cùm Aristoteles vafer aliquādo sit, eiusq; mens anceps & ambigua, atq; ipsius scripta salebris abstrusa, & densissimis tenebris offuscata, ipse Autor & dominus meus, sinuosa cùm sint, plana atq; omnib⁹ comperta facit, vt ei quadret quod ille de S. Thoma dixit, Tolle D. Thomā & Aristoteles mutus erit. Lege & experiere, teipsum testem adiuro: tua nāq; interest lector christiane, vt eo accipias animo, quo efflagitasti: non audias conuitia malè sanorum hominum, qui caninis, inuidisq; dentibus optima quæq; in compitis & circulationibus mordent atq; corrodunt. Noui equidem Autorem intus & in cute hominē certè pectoris minimè angusti, nec contracti animi, qui hos latratus, quod ad autores ipsos attinet, christianè dolet: sua tamen ipsius nihil referre putat, quando scit, hoc inuidis, ambiciosis & arrogantissimis hominibus commune esse, qui hac via nihil aliud faciunt, nec aliud sibi commodum reportant, quàm venenata & virosa sua viscera pādere, & in mediam lucem propriæ conscientiæ atq; acerbitatis suæ virus euomere: sciant tamen, hoc in Autoris laudem & commendationem potiùs cedere, cui in animo duntaxat hic est propositus scopus, vt tibi, publicoq; bono subseruiens, in vinea domini non inueniatur otiosus, Vale & me ama.

PETRI MARTINEZ A BREA COMPLVTENSIS THEOLOGI, atq; Philosophi in libros de Anima Aristotelis commentariorum liber primus.



ARISTOTELES Philosophorum princeps, atq; tradẽdarum artiũ magister, nullibi non docet in edocendis disciplinis, communia quędã esse tradẽda, & anteire debere rerum vniuersalia capita. Deinceps sequi singula, & quę cuiq; rei propria esse videantur: nimirum quòd innata sit nobis vis ab vniuersalioribus, tãquam notioribus, ad particulariora & ignotiora ꝓcedendi, quod procemio physicæ ausculationis Aristoteles nos docuit, atq; illic eius commentator. Primò, quia notiora sũt vniuersalia. Deinde vt demonstratio vniuersalis sit, atq; secundùm quòd ipsum. Mox ne singula sint iterum repetenda, atq; adeò ne interrupto docendi stylo, interpolatoq; dicẽdi filo, idem frequẽtiùs ac sepiùs repetatur. Cùm igitur certa quędam capita ab incertis seorsum reponenda sunt: meritò etiam nos cum Aristotele de anima in communi disputationem suscipimus, quòd sit vnum animatorũ omnium commune principium, priusquã de animatis singulis agam⁹. Idcirco, ne ad hãc ipsam de anima contemplationem ieiuni, atq; illotis (vt aiunt) manibus accedamus, documenta quędam prælibanda sunt, quæ viam futuræ disputationi sternant. Principiò, ne mens nostra vacillet, breuibus, quæ in his libris continentur, ob oculos subijciã: cùm tamen corpora, & affectiones eorum satis sint superioribus libris explicata, trib⁹ his de anima libris instituit, viuẽtis, atq; animæ causas & rationes inquirere, primoque volumine veterum philosophãtium reprobat placita: & quia in abstrusa, & tanta illius temporis ruditate, eos absurdè sensisse mirandum non est, quæ ab eis rectè dici videntur, admittit, quæ secus verò validissimis, & optimis rationibus redarguit. Sequenti autem libro de vegetatione tractat, atq; de sensibus doctè admodum, & explicatiùs, quam alia, quando tertius de mente est, agẽte, passibiliq; eius intellectu, qui nõ tantùm subtilior, sed cæteris est etiam subobscurior. Qui autem deinceps sequuntur libelli, parua naturalia vocati (videlicet de sensu & sensibili, memoria & recordatione, iuuentute, & senectute, somno & vigilia, deq; diuinatione insomniorum) accessio profectò sunt horum librorum: de his nanq; argumentis sub titulo de anima fuerat disputaturus, nisi methodi ratio hæc in partes separare compulisset, quo enim exactior & distinctior doctrinę progressus sit, principium à principiato distinguere oportet.

Methodus peripatetica tenenda.

Argumẽtum horũ librorũ.

QVAESTIO.

An anima sit subiectum horum librorum.

Deinde de horum librorum scopo, hoc est de intentione (quam subiectum attributionis appellãt) quoniam quæstio est, quæ ab omnibus & tractatur, & soluitur, nos breuibus perstringamus oportet, vt his tritis quæstionibus, vel leuiter, & perfunctoriè tactis, abstrusioribus, & vtilioribus locum faciamus: dummodo quod in ea difficultatis est, cursim persoluamus: habet nanq; quęstio ambiguitatem vtrinq;. Videturq; in primis corpus animatum esse subiectũ, siquidem de ipso probantur omnes conclusiones in scientijs: at sic est animati corporis, & non animæ affectiones, & operationes in his libris inuestigari, atq; demõstrari: erit igitur corpus animatum attributionis subiectum: est enim discursus cũ maiore legitim⁹ atq; not⁹, minor verò ex ipso Aristotele patet libro. 1. huius tex. 64. vbi hominem dicit texere, intelligere, misereri, nõ animã: quoniã operationes totius sunt, non partis, ergo minimè rectè liber de anima inscribitur. Confirmatur hæc doctrina ex his, quæ Aristoteles docet lib. 1. Post. ã. c. 1.

Ratio. 1.

Conf.

ad. 5. quib⁹ demõstrat affectiones probari, & demonstrari de subiecto, quare corpus
2. animatũ erit subiectũ. Præsertim cũ anima ipsa.2.lib.huius per corpus ipsum definiatur,est enim actus corporis physici organici,&c. est ergo notius corpus animatũ,quã anima ipsa,ergo etiã erit subiectũ,cùm debeat esse subiectũ in sciẽtia principiũ notissimũ. Opposita tamen sententia multò est probabilior, animã horum librorũ subiectum esse,non ex eo solùm, quòd liber de anima inscribitur,sed etiam quia hic tex. 1. dum exorditur,animæ scientiã cæteris præponendã docet,atq; in exordio libri de sensu & sensibili dicit, *Cùm de anima in se, & de singulis eius potentijs particulatim definitũ iam sit,proximũ iam est, vt de cũctis tam animãtibus,quã hisce,quæ vitã sortitæ sunt,quænã actiones eorũ propriæ sint,& quænam cõmunes, consideremus.* Ecquid enim Aristoteles ad hanc rem illustrandã, vel rogatus clariùs dicere poterat? Cui opinioni astipulatur ratio, & facilis,& aperta:quoniã his libris quid anima & qualis sit,speciatim secundũ seipsam excutere contendit:quæ insuper eius operationes,vt clariùs sequentia ostendent: finis ergo horũ librorum anima est secũdùm se, non animatum corpus. Confirmatur, nam cùm bifariam viuentium potentiæ considerentur,& facultates primò secundùm se,& earum originem:secundò, vt in exercitio,& vsu positæ sunt. Hîc autem non inquiruntur affectiones secundùm vsum, & exercitiũ, qua ratione animati corporis propriæ sunt,sed secundùm originis rationẽ,qua cõsideratione ab anima proficiscũtur. Idcirco anima,quãuis actus corporis definiatur,quẽ exercet in corpore,à se tamen habet,quòd actu sit. Insuper principiũ viuendi,sentiendi,& intelligendi definitur, quæ exerceri nisi in corpore nequeunt,ab ipsa tamẽ anima tanquã horum principio,atq; fõte promanant: quare his tribus libris Aristoteles cõplexus operationes,quæ animæ insunt secũdùm se,& vt ab ipsa deriuãtur. Deinceps verò sequentibus differet de eisdẽ affectionibus,quatenus corpori accõmodantur animato:qua distinctione primum argumentũ facilè diluitur. Secundum verò nihil habet difficultatis:nam anima cõsideratur,vt formalis ratio, & causa animatorũ: quare illa cõsideratione prior erit,atq; notior:in omnibus ergo his libris animatũ corpus est subiectũ,sed libri singuli specialẽ habent rationem:ideo in his tribus speciatim de anima, cuius essentia & affectiones per se considerantur,quarũ ipsa principium est primò,& per se:deinde affectiones de subiecto ostendũtur:sunt enim affectiones ab anima,vt lumen,quod à Sole est,exercitium tamen & vsum habet in aëre: sic affectiones istæ ab anima,exercitatio,& vsus earũ in corpore: & sic in paruis naturalibus,hic autẽ,non tã secundũ vsum corporis,quã secundũ originem,& principiũ,quod ab anima est: ideo anima est subiectũ, de quo ipsæ passiones, affectionesq; demõstrantur:nã corpus animatũ,nõ tam ipsarũ origo est,quàm officina & vsus ipsarũ. Est tamen mihi peculiare argumentũ:nam cũ hęc sciẽtia sit totius Philosophiæ pars,sicut se habet scientia ad scientiã,ita sese habebit subiectũ ad subiectum,cùm tota sciẽtia in subiecto sit,velut in eius fonte inclusa,vt dicitur. 1. Post. c. 7. tex. 20. sed totius Philosophiæ subiectũ est ens naturale,siue mobile,ergo huius partis subiectũ debet sub illo cõtineri,sed anima non cõtinetur sub illo,nõ enim est ens,neq; ens mobile,sed principiũ eius. Quare si subiectũ totius debet de subiectis partiũ prædicari, fit animatũ corpus subiectũ esse, cùm hęc vera sit,animatũ corpus est ens mobile,non ista, anima est ens mobile:idẽ enim dicũt totius,& partis debere esse subiectũ, ergo subiectum in his libris contineri debet sub subiecto totius:præsertim cùm animam esse, probetur, & quid ipsa sit,demonstretur,quod rationem principij, atq; subiecti tollit. Insuper quia philosophi morales de anima agunt,ergo non videtur præsentis cõsiderationis. Omitto alia, quæ futilia sunt argumenta:nam hæc sane in causa fuere,vt quidam mediam quandam opinionem cõminiscerentur,& sibi persuasserint. Crediderũt enim animam,atq; animatum etiam corpus subiectum esse,sed diuersa ratione: nam animatum corpus subiectum dicunt esse,Quod,animã verò subiectũ esse,Quo, non secus ac Aristoteles in vno quoq; genere accidentium duo dicit esse generalissima,alterum concretorum,reliquum autẽ abstractorum. Ita hîc dicunt duplex subiectum,alterũ materiale,alterum verò formale:qua distinctione arbitrantur se in concordiam extremas redegisse opiniones. Cũ tamẽ falsa sit eorum existimatio: siquidem intentio,& finis Aristotelis in his libris (vt ex inductis Aristotelis testimonijs patet) sit agere

Respõsio q anima sit subiectum. *1. ratio* *Confir.* *Notanda distinctio* *Ad argumenta.* *Obiectio.* *Mediç opinionis fundamentũ.* *Pau. Vene. Burle⁹ etiã cũ reliquis nominalib⁹ exploduntur.*

agere de anima secundũ se ipsam, acsi esset à corpore seiuncta, quatenus horũ affectionum principiũ est. Præsens itaq; tractat⁹ de anima in se est, atq; de eius potentijs, quatenus in ipsa tanquã in radice sunt, atq; qua ratione ab anima fluũt. Ideo proposita obiectio nihil cõtra nos colligit, quãdo subiectũ partis necessum est cõtineri sub subiecto totius, non tamen oportet partem esse subiectiuam: sat enim fuerit partem esse integralem: animã enim animata corpora cõstant, atq; animæ præsens cõtemplatio ad exactã entis mobilis cognitionẽ facere videtur, est enim anima principiũ, quo animata cõstãt, non secus ac ens naturale forma, atq; materia cõponitur. Aliud verò, quod obijciebatur, nõ obstat: nil enim prohibet subiectum in aliqua sciẽtia probari, modò nõ sit à priori, aut saltem nõ per principia eiusdẽ sciẽtiæ. Est enim aperta cõtradictio, primũ principium prius habere, quo demonstretur: nil tamẽ vetat per superiorem sciẽtiã probari, qualis est Metaphysica, cui⁹ interest principia omniũ scientiarum examinare, & per diuisionem actus & potentiæ confirmare. Præterea quanuis anima subiectũ sit inhæsionis scientiæ, nil obstat quominus etiã sit attributionis subiectũ. Minus etiam impedit ad Philosophiã moralẽ spectare eius cõtemplationẽ. Hoc sanè euenit, quatenus ex accidenti, virtute aut vitio ipsa anima afficitur: quæ animæ insunt merito eorum principiorum, quæ hic probantur, & sunt animæ veluti cõstitutiua, quando animę natura hic indagatur, facultates etiam, quę naturam sequuntur, explorantur: illic autem nõ cõgenitæ facultates, sed acquisiti habitus & operationes tractãtur. Cui tamẽ visum fuerit oppositã tueri opinionem, quę mihi minimè displicet, mea sentẽtia dicere poterit, corpus animatũ subiectũ esse, cuius principia (corpus videlicet organicũ, atq; animã) trib⁹ his libris cõtemplatur Aristoteles. Reliquis verò libris, qui deinceps sequũtur corpus ipsum animatũ in se, nõ secus ac Aristoteles octo libris de Physica auscultatione de ente mobili consideraturus, priùs primo libro de principijs eius sermonẽ habuit. Secũdo autem volumine de causis disputationem instituebat. Vt iam tertio libro de ipso ente mobili, atq; de motu, ei⁹ prima atq; potissima passione commodè dissereret. Atq; deinceps etiã sequentibus libris de his, quę ens mobile, atq; motũ sequuntur, disputa-

Solutio obiectionis.

Nõnullæ euaßiones vt friuolæ reijciantur.

Mẽs Autoris cõferentis hos libros cũ his quæ de physica auscultatione.

ret. Pari igitur rerũ cõsequentia, si velimus, hos tres de anima libros cũ vocatis paruis naturalibus, veluti vnam scientiã, atq; doctrinæ partem considerare, intentio sanè erit, atq; adeò attributionis subiectum, corpus ipsum animatũ explorare: tamen ratio methodi præcipit ordine executionis ab ipsis principijs incipere. Sicut enim libri illi octo Physicorũ nõ distinguũtur, nisi veluti pars à parte: ita de his censendũ esse existimo: quandoquidẽ de subiecto, atq; de ipsis subiecti princi[illegible]js non nisi vna scientia est. Quare sicut eadem est materia, & obiectũ, idem etiã subiectũ (his enim tribus nominibus ęquipollenter solet ab autoribus nuncupari) vel distinguamus subiectum principalitatis esse animam, vt in Theologia De⁹, & in Metaphysica substantia, subiectũ cõmunitatis esse corpus animatũ, vt in Metaphysica ens, in Theologia ens diuinũ, siue reuelatũ: & quòd nõ oportet subiectũ esse sub subiecto in prędicãdo, nisi in recto, vel obliquo, sat est cõtineri in illo omnia, quæ ad scientiã pertinẽt: & hęc est vna conditio subiecti, ad quã oẽs alię reducũtur, vt deducitur ex. 1. Post. cap. 7. tex. 20. quòd passiones eiusdẽ scientiæ cõmunicant in subiecto, vt in cõmuni radice & causa, quod à priori ostendit Aristoteles. 10. Metaph. à tex. 13. ad. 15. & deducit ex natura contrariorum: scientia enim contrariorũ est. Hæc autem, si media sint, ab extremis fiunt, & cõstant, ad extrema ergo reducũtur, quæ sunt duo. Ista verò sic se habẽt, vt alterũ sit imperfectius, quod obid ad perfectius reducetur, in quo cõtinetur. 2. Met. tex. 4. primũ in vno quoq; genere, causa est cæterorum illius generis, ergo sciẽtia de illo, potissimo & primo erit, vt vnico radicali subiecto, quod cõtinet ꝓprietates subiecti, nõ in esse rei, sed scibilis, talis autẽ est anima. Meritò ergo absolutè possem⁹ dicere ipsam esse subiectũ, & quòd nõ oportet prędicationem fieri in recto, sat est in recto, vel obliquo: nã nec De⁹, qui subiectũ est Theologiæ, prędicatur, nisi in obliquo vel recto. ¶ Vnde fit, hãc de anima sciẽtiam vnã esse, sicut & subiectũ vnũ etiã est, vt patet ex Arist. 1. lib. Post. c. 23. tex. 43. *omnis scientia est vnius generis subiecti*. Dixit vtiq; subiecti: quoniã nõ est vni⁹ generis logici, quod de differẽtib⁹ specie prędicatur: nec physici, quod aptũ est ad plures formas successione quadã hospitãdas. Sed subiecti dixit: quoniã sciẽtia queq; affectiones

Obseruanda doctrina ex distinctione.

Vnitas subiecti egregiè demonstratur.

Sciẽtia de aĩa vna.

ab vno subiecto vna mētis ratione procedē tes, vna etiā formali ratione scibilis cōsiderat: quādoquidem licet alicuius sciētiæ subiectū plura genere, & prædicamento distantia cōplectatur in esse rei: si ea tamē omnia in vnā cognitionem tendāt, subiectū vnum est, nō genere simpliciter, sed in genere scibilis, ratio enim est: quoniā sciētia mot⁹ quidā est, quo mēs in rem ipsam fertur, motus autē à termino speciē sortitur: quoniā est velut forma, & finis motus: quare sicut proprijs formis res naturales distinguuntur, ita res scibiles proprijs finibus separantur. Est enim hęc doctrina, nō tantū sciētię propria, atq; motib⁹, sed habitib⁹, atq; potentijs etiā cōmunis, quibus cōpetit de Aristotelis sententia, tū alibi sæpe, tū etiā. 2. lib. huius cap. 4. tex. 33. vbi omnia hæc per obiectorū rationes formales secernit, quatenus vna ratione cōsiderantur: vnde etiā vnitatem mēdicāt, atq; mutuantur. Dicet quispiā, nō esse scientiā, atq; adeò neq; vnā? nam si animā ponamus subiectū, quę, cū pars sit, in nullo prędicamento ponitur: ergo nō erit hęc sciētia aliquo genere vna. Quę obiectio iā nūc à me soluebatur, cū dicebā, vt sciētia vnius generis subiecti sit, minimè requiri, vt in aliquo prędicamēto ponatur: nā quis ignorat metaphysicā de ente esse tanquā de subiecto, & tamē ens genus nō est, sed trāscendit omne prędicamentū: limitatur, aut (vt veriùs dicā) modificatur per rationem abstractionis ab omni materia secundū esse, & secundū consideratione, vt quod extra omne genus erat trāscendens, vnā rationē subeat, specificā quidem, & specialisimā: vnde Metaphysicę species, & vnitas sumitur. Ecquis etiā ambigit? diuinā Theologiā de Deo esse, re quidem vna, & singulari, qui tamen ob suam immensitatem nullius prędicamēti limitibus cōpræhenditur, & tamen sub ratione reuelationis sic ascendit, vt ex ratione. Quę ipsi⁹ Dei, & vt ex ratione sub Qua, reuelationis sit vnū, quod nō solū Theologiæ vnitatē prę stat, sed etiam vnitatem specificā specialisimā. Pari quoq; ratione de anima censendum existimo, atq; adeò de ipsa fieri posse demōstrationes: demōstrabis enim facilè, animam principiū esse viuendi: quoniā est actus primus corporis organici, potentia vitā habentis. Et sic de reliquis facultatibus dices, quæ, licet corpori animato cōpetant (quod nostra sententia subiectū est) tamen vt ab anima procedunt, atq; oriuntur.

S. Tho. 1. post. c. 23 & 1. p. q. 1. ar. 4. & 7. & ibi Caiet.

Dubium de ordine, librorūq; collocatione.

Quæstio tamen grauis, atq; inter peripatheticos acerrima, sese offerebat disputāda, de ordine horum librorū de anima, quota scilicet pars sint in Philosophia naturali. Auerroi enim cum Alexandro, quibus Niphus subscripsit, hunc librum octauum faciunt: dicūt sanè de animato corpore priùs agendum, quando notius sit ipsa anima, & nil commodè tractare de ea possimus, ante quam de corpore animato agamus: nā quoties de animæ facultatibus disserendū fuerit, mille incommodis, atq; contradictionibus implicabimur, nisi priùs externū istum organorum apparatum contemplati fuerimus. Atq; adeò dicunt, de instrumentis animæ priùs contemplandum, nisi frequentes lapsus optemus, inchoandum esse à sciētia de animalibus, vt promptior, atq; non tantùm expeditior, sed etiā ex prioribus, & notioribus doctrinæ sit progressus. In quam sentētiam inclinat Neothericus quidam statim in fronte librorum de anima: quoniam posteriora ex prioribus illustrari debent, & confirmari, non tamen priora à posterioribus pendere: aliàs animæ cōsideratio separata esset, & Metaphisica potiùs quàm Physica. Meliùs tamē Theophrastus, Auicenas, Themistius quinto, ac sexto loco collocarūt: quod ex professo procemio physico docuisse videtur, cū simpliciora esse priùs tradenda determinat. &. 1. Phys. tex. 69. materiam dicit per formam cognoscendam, animæ enim rationes priores sunt, & vniuersaliores, quàm corporis. Ad hæc, quoniā animæ notio plus iuuare videtur corporis notitiam, quàm ècōtra, eo quòd act⁹ potentia prior sit, nō potētia prior actu (vt Neothericus ille) ratione, tēpore, atq; natura. 9. Met. tex. 13. nimirùm quòd scientia de principio prior sit, quàm de principiato: est enim anima causa corpori nō viuendi modo, sed essendi. Obidq; Aristoteles, lib. 1. de partibus animaliū. c. 1. expresso sermone dixit, atq; rationibus comprobauit, cōmunia esse prę ponenda, sicut & sunt ea omnia, quæ, ad animæ rationem spectant: quando animata omnia communione animæ, eiusque facultatibus cōueniant. Istud verò priùs est expediendum, vt legitima methodo ex animę cognitione animata faciliùs deprehēdamus. Cæterùm vt oppositæ sentētiæ obiecta omnia

nia facilè diluamus, perpendere oportet rationē methodi, quā libris de Physica auscultatione diligentissimè Aristoteles obseruauit, qui cùm iam docuisset statim, sub eorū librorū initia, ab vniuersalioribus, quæ nobis sunt notiora, procedendū, atq; adeò à toto ad partes progrediendū: tamen ipsæ partes prius videtur explorare, principia scilicet, atq; rerū naturalium causas: quoniā doctrinæ ordo exposcit, vnumquodq; per sua principia, atq; causas cognoscere. Itaq; à partibus procedit Aristoteles, sed inter partes ab vniuersaliorib⁹ inchoat: quoniā id, quod vniuersalius est, rationē cōtinet, & totius, & notioris. Quare nō est ab ente mobili exorditus Aristoteles, quoniā scientia non esset à causis: meritò igitur ab entis mobilis principijs initiū sumpsit: quoniā nobis, atq; naturæ etiam innata est via, à communioribus procedēdi, quales sunt partes generalissima ratione cōsideratæ. Itaq; à partibus incipit, sed inter partes ab vniuersalioribus: quoniā vniuersalia notiora sunt, & quādam totius imaginem præ se ferre videtur. Igitur ex his satisfactū est aduersariorū argumentis: eundem enim Aristoteles in his libris seruat ordinem, quem in auscultatorijs. Quare licet animata notiora sint notitia quadam adumbrata, atq; imperfecta, quā confusam vocāt (cùm hæc ad sciētiam, quæ per causas habetur, parū cōferat) cognitione tamen exacta, atq; perfecta, & quę sciētię propria est, principia causæ, atq; partes simpliciter sunt notiores. Ideo ab his priùs inchoandum, fieri enim minimè potest, vt sine animæ præuia cognitione, animata ipsa depræhēdamus: sicut, vt ens mobile exactè cognosceremus, naturę atq; doctrinę ordo Aristotelē cōpulit, ei⁹ principia, atq; causas priùs explorare: ergo de anima, priusquam de animatis, agēdum, quę est animatorū prima, & potissima pars, quæ illis esse, speciem, & operationem confert. Iste ergo est tradendarum artiū legitimus processus, quē Aristoteles religiosissimè semper obseruauit, nec minima ex parte lęsit. Numerū enim ex vnitatibus cognoscimus, lineā ex pūctis, ens mobile ex suis partibus, atq; principijs, & vnūquodq; scire per partes eius principia, atq; causas oportet. Atq; adeò hi libri de anima reliquis de partibus, & officijs animaliū meritò anteferuntur. Non abs re igitur generatim priùs Aristoteles de anima docuit, & de potētijs, atq; operationibus, obiectis etiā ipsis traditiones quasdā, atq; regulas vniuersales tradit, & reliqua specialiora, & particulariora, quę sine his assequi nō poterant⁹: in reliquos, q sequūtur, reponit libros. Quare siue quinto, siue sexto, siue septimo loco hanc de anima sciētiā inter Philosophię partes reponas, nil moror dūmodò animæ cōtemplatio ante ipsa animata tradatur, quæ ex animæ natura sūt explicanda, & demōstranda: ex causis enim proprijs, & per se omnis debet esse scientia.

An scientia de anima sit philosophiæ naturalis pars.

Sed vt omnē aduersariorū falsam existimationem reuellamus, videātq; aīæ nrǣ præsentem contemplationem, à rerū naturaliū cōsideratione, minimè relegandā esse, quod ex dictis est iam manifestū, & his etiā quæ lib. 2. Physi. tex. 70. & 71. vbi terminos, & limites naturalis Philosophiæ describit Aristoteles: eātenus Physicum cognoscere speciē, & quod quid est, quatenus in seipsis motum habēt, aut principium sui motus. Itaq; formæ, physicæ sunt cōsiderationis, quatenus motui, & trāsmutationibus cōiunguntur. Obidq; Physicus à formis prorsus materialibus, & materiæ deditissimis exorsus in animā desinit, quæ suapte natura materię cōditionē superat. Spectat enim ad physicū res naturales, & quoad esse, & quoad fieri cōtemplari: fieri enim habet in materia, & pars ei⁹, quod mouetur, atq; mot⁹ est principiū. Vnitur enim anima corpori, nō modò secundùm operationē, sed etiā secundū esse materiæ cōiungitur: nā ad eundē artificem spectat ens naturale, quod mouetur, cōtemplari, & ipsius motus principiū. Quibus argumentis reuincentur, Simplicius, Themistius cū Philopono, qui hanc scientiā inter partes Philosophiæ minimè numerant, & ꝙ magis demiror, inter Mathematicas cōnumerāt, idest abstractas: secus quid velint intelligere, plenè non assequor. Aut animę cōsideratio negotiū mediū sit inter physicā & Metaphysicā cōtēplationē: qua ratione Gręci oēs expositores mediā scientiā esse dicunt. Est tamen pro eis vnū difficile argumentum, ex Aristotelis testimonio lib. 1. de partib. animal. c. 1. prope finem, vbi Aristoteles ex professo quęstionē hāc eandem in proprijs terminis mouet, dū dicit, *Vtrùm de aīa omni docere naturalis scientiæ intersit, an de aliqua vna.* Determinat tamen, nō oportere Physi-

Animæ rationalis cōsideratio naturalis.

Obiectionis solutio.

Physicum de omni anima differere: quandoquidem non omnis anima natura est, sed aliqua eius pars vna, aut etiam plures. Tamen re perspecta locus Aristoteleus illis minime fauet, quinimo nostram confirmat sententiam, dum eandem propositam quæstionem nobiscum soluit dicens: Physicum non agere de anima omni, alioqui de vniuersis formis, etiam separatis determinaret (quoniam, vt dicitur. 6. meta. tex. 2. sub vna ratione formali vnius abstractionis cōsiderarentur, ideò nulla alia re maneret sciētiæ ratio) sed de his agit formis, quę principiū sunt mot⁹, cuiusmodi cū sint omnes animæ, etiā rationalis; de qua est controuersia, sciētia ergo hęc de anima naturalis erit. Nō enim aliter Physicus formam considerat, quàm in accommodato subiecto, & in ordine ad proprium susceptibile. Actus enim in proprio est subiecto, tamen est actus simpliciter, & absolutè prior, quàm potentia: nam actus vehit, continetq; potentiam: quia potentia cōtinetur, & est indefinita. Quod expressè hoc libro de anima. 1. tex. 15. his verbis determinat. *Idcirco naturalis est de anima, vel omni, vel tali considerare:* quoniam etsi absolutè nostra anima ad physicum negotium non spectet, benè tamen quatenus huiusmodi, idest vt est vitæ principiū, atq; motus. Præterea locus iste Aristotelis, atq; proposita obiectio minimè negotium ingerent, si id, quod ad calcem librorū de generatione diximus, intelligatur. Quod clarius etiam in sequentibus interpręta bimur, animę videlicet statum duplicem esse, alterum cōiunctum, alterū verò separatū, & vterq; ei est naturalis: nam cùm medium sit fortita naturam, sicut medium, vtrumq;, suapte natura participat extremū. Qua ratione enim corpori copulatur, physicę est speculationis, qua verò corpore deposito, eidē superesse incipit, metaphysici negotij est: nimirū ꝙ anima sit vinculum vtriusq; ordinis, tam intellectualis, quàm sensibilis, & secūdùm prædicata separata, quæ sine phantasmate cōpetunt, metaphysici negotij est. 12. met. tex. 17. secundum prædicata, quæ ei cōpetunt, in ordine ad phantasmata, physicę est speculationis: habet ergo anima principia, quæ eam in vtroq; ordine cōstituunt, diuersa tamē ratione formali. Quare anima eadē rationalis quiditatiuè sumpta, vtraq; prędicata admittit, etiā vt intellectiua: quia ei⁹ est intelligere in corpore per conuersionem ad phantasmata, & separata per conuersionem ad superiora: quòd ex sequētibus, maximè in. 3. lib. planiùs efficietur, licet naturalissimum sit humanę animę per ordinē ad phātasma intelligere. 1. p. q. 89. ar. 3. ad. 4. secūdùm quid à Metaphysico cōsideratur. Rectè itaq; arguebat Aristoteles, si de omni anima esset naturalis cōtēplatio, atq; omnino, quatenus etiā separata est, nulla forma esset physicæ cōsiderationi adimenda, atq; subtrahenda: sed tantùm, vt dicit illo loco Aristoteles, animæ naturalis est scientia, vt natura est, nō autem, vt separata forma, qui locus insignis est ad animæ immortalitatē, ex Aristotelis sententia probādam. Nā si naturalis cōsiderat de intellectu, non tamē ea ratione qua separatur, sed dūtaxat qua ratione materię colligatur. Ob id. S. Tho. 1. p. q. 76. ar. 1. ad. 1. & q. 118. ar. 2. ad. 4. & Cai. in vtroq; loco dicūt, quòd animæ rationalis vnio ad corpus sit naturalis, insuper ꝙ sit terminus naturalis generationis, quoad infusionē, & vnionē: maximè quia à Deo nūquam fit, nisi vnita corpori. Inde ergo absolutè sciētia naturalis est de anima rationali, vt. 2. Physi. tex. 26. apertiùs dicit, quòd est finis naturę, & cōsiderationis naturalis, vt in materia, licet vt separabilis sit, quodātenus ad primi Philosophi cōsiderationē spectet, Quā ob causam. 3. lib. de anima. cap. 7. intellectū, & appetitum principiū motus ponit. Cū ergo anima sit natura, quæ est principiū motus, & quietis, physicæ erit speculationis, quod etiā. 6. Meta. tex. 2. repetit, physica esse ea, quæ sunt principia motus, & quietis. Vtriq; ergo formę assimilatur rationalis, & cōiunctę, & abstractę: quod dubitationē, & ambiguitatē in sermonibus Aristotelis, & apud interpretes varias introduxit sentētias. Sic autem cōciliat Theophrastus, qui fuit non tantùm discipulus Aristotelis, sed eius auditor. Vtraq; ergo scientia animam rationalem quoad quid est in suo genere, & diuersa ratione formali tractat, & non solùm, quoad an est Physicū, & quid est Metaphysicus, vt quidam somniarunt: ita Caietanus hîc. Itaq; licet simpliciter sit physicæ considerationis, secundum quid ad metaphysicas pertinet, quando absolutè intelligit per colligationem ad materiā, & cōiūctionem ad phantasma: vnde materiam concernit. At, vt intellectiua est, abstrahit à materia, & metaphysicę est speculationis. Titulus ergo est Aristotelis de anima, liber primus:

Obseruāda distinctio, & resolutio.

Anima immortalis deducitur in quæst. de immortalit. in fine horum librorum in calce loci. 2.

primus:fuisse enim horum librorum autorem Aristotelem,non est tantæ vtilitatis argumentum,vt in eo enodando placeat tempus(cuius ego sum parcissimus)superuacaneè cōsumere:neq; est qui dubitet, Aristotelem philosophorū principem, atq; Græcorum etiam sapiētissimum esse: quanuis non me latet Ciceronem non Platonē modò, sed alios præferre. Qua de re consultò disputare nolo,quod sit argumentum odij plenum, nec si vellem, possem: est enim eruditionis, & variæ lectionis (quæ in me maximè desiderantur) indiguum. Sed his omnibus prętermissis vnum vellem omnibus esse persuasum, acerrimum Aristotelis ingenium in tradendis disciplinis sequēdum, atq; adeò eius libros præ cæteris legēdos:sanè quanuis de industria videatur, nonnūquam obscuritatem affectasse, elegantissimam tamen obseruat methodum in diuidendis,atque distribuendis scientijs, ordinem appositissimum habet simul enim cum rei inuētione,compositionem cum resolutione coniungit.Doctrina etiam minimè est redūdans,quęstiones insuper superuacaneas fugit,atq; in propria sentētia cōfirmanda singularis eius est cum acrimonia dexteritas: in defendis autem proprijs admiranda constantia.Nulla pręterea est in eius libris pugnantia,quę à viro mediocriter erudito,atq; in peripathetica disciplina vel leuiter exercitato facilè non enodetur. Quare quod omnium maximū est in summa breuitate,non paruam omnibus scientijs intulit lucem.Quid igitur mirādum est, si propter has singulares eius dotes, quòd scholæ,omnesq; sapientissimi, antesignanum scientiarum ducem ipsum sequantur? Si quando tamen hæc omnia diligētissimè pręstitit,in his maxime libris,qui de anima sunt,vbi argumētum omnium est inter naturales disciplinas grauissimum: methodus,vt in ipsis commentarijs adnotauimus, tanto philosopho, atq; argumento digna. Necessitas autem non modica, vt nostram animam depręhendamus. Est enim huius scientiæ scopus animæ notionem explorare, vt animata ipsa cognoscere possimus. Sed valeant ista,alijsq; plurimis omissis ad Aristotelem enarrandum properemus. Nemo enim non videt nunquam magis Aristotelem vim sui ingenij exeruisse, nec rerum,& verborum maiorem vbertatem, & sublimitatem ostendisse.

Arist. ingenij & bonū libro rum scopus atque commendatio.

CAPVT PRIMVM procemij.

Cum omnem scientiā rem esse bonam arbitremur,ac honorabilem, & aliam aliam magis ex eo tamen esse putemus, quia vel exactior est,vel rerum est earū,quæ magis præstabiles,magisq; sunt admirabiles:scientiam animę nimirum ob hæc vtraq; non iniuria ponendam in primis esse censemus. *Tex. 1.*

Aristoteles de anima dissertarus exordium instar Rhetorum proponit,atq; proprio dicendi genere mutato oratoriè rem physicam tractat, quòd horum librorū doctrina maxima sit,atq; à nullo ante ipsum pro dignitate excussa.Quare nil mirūm videri debet,si extollat, atque debitis laudibus eius contemplationem commendet. Et quod mihi etiam fit vero simile,quasi necessitate compulsus,hoc Aristoteles facere videtur:quoniam de diuinis loqui tunc impunè minimè licebat,præsertim ante Platonis tēpora.Idcirco præsenti procemij exordio attentionem,atq; beneuolentiam simul,& docilitatem eorum venari intendit quibus gentes ad arcana,& diuina contemplāda inflāmarentur:differit itaq; de operis propositi pręstantia,vtilitate,& difficultate. Tria enim sunt hæc, quæ eloquentiæ præceptores in exordio præstanda esse docuere.Si enim magna,præstantia,atq; vtilia proposueris,attentè,& amicè audieris.Quare beneuolentiam huius scientiæ proposita dignitate captat,quoniā inquit. *Omnis scientia bona, eximiaq; esse videtur, aut euidentia, certitudineq; demonstrandi, aut subiectæ rei præstantia:* quod Themistius cum commentatore exēplo in Geometria,& Astronomia proposito animaduerterunt, quando Geometria, quòd à motu abstrahatur, certitudine præstat. Astronomia verò,quæ de astrorum cursu est, si certitudine vincatur,nobilitate tamen subiecti anteponitur merito eius naturæ, quam versat,atq; tractat,cæli scilicet,quod corporum præstantissi-

Iste textus quod attinet ad præstātiā huius sciētiæ exactius, & breuius, & ad literā accōmodatius explicatur infrà quæstio. de immortalit. ani. loco. 1.

tissimum, vt lib. de cælo. 1. diximus. Vtrūq; tamen præsens hæc animæ contemplatio cōprehendit, cùm cæteris naturalibus scientijs, non tantùm rei subiectæ nobilitate, sed demonstrandi certitudine præstet. Quod facilius vt expediamus, & clarius dignitatem huius scientiæ ostensurus Aristoteles duo ponit postulata. Primū est, scientiam omnē bonum quoddam honorabile esse. Secundum, vnam scientiam altera nobiliorem certitudine demonstrandi, aut subiecti nobilitate, & præstantia. Ex quibus propositū infert Aristoteles, dum docet, vtroq; animæ scientiam præstare. Meritò igitur sunt postulata à nobis priùs declaranda: tametsi primum vt interpretemur, nō oporteat (vt quidam faciunt) vniuersam Philosophiam moralē adducere, sed breuibus res est aperienda. Loquitur Aristoteles de intellectus notione, nō sensus. Illa enim honore digna est, quanuis non omnis, quæ ad intellectum spectat, honorem mereatur, sed quæ est rerum altissimarū & difficilimarum, atq; etiā vtilissimarum: veneficos nanq; & præstigiatores vituperamus: non enim omne bonū laudabile honorabile est, sed illud quod eximiam quādam habet boni præstātiam, atq; excelentiam singularē, vt virtutes, quę honore dignæ sunt: similiter & sciētię quas 6. Ethi. lib. cap. 3. Aristoteles inter virtutes mentis collocat. Est sanè honor reuerentiæ exhibitio in virtutis testimonium, & signū præstantiæ, & excellentię: laus autem quædam est virtutum commēdatio. Erit igitur honor propter se ex propria excellentia finis, laus autem propter aliud, ad quod relata dicitur. Quare quædam sunt citra omnē controuersiam honore digna, vt Deus, virtutes, diuinaq; omnia, cuius generis speculatiuę scientiæ etiam cēsendæ sunt. Secus autem de practicis scientijs, quæ, quia alterius gratia quæruntur, laude dignæ sunt: quod non tantùm ratio ipsa demonstrat, verùm & consuetudo obseruat, cùm eximios laudemus artifices, viros tamen probatos, peritosq; præceptores honoremus. (Nam diuites maximè pessimos ob bonum dumtaxat vtile honorare absurdum, & parùm honestum videtur). Speculatiuæ igitur scientiæ, quæ propter se feruntur honorabiles, practicę autem, quæ alterius gratia addiscūtur, laudabiles videntur. Vnde practicus intellectus, qui ab illa illustri contemplationis celsitudine quasi degenerare videtur, laudatur, cùm tamen speculatiuus in maximo honore habeatur. Nec te moueat, quòd virtutes quandoq; laudentur, & solùm diuina illa, quæ præstantissima sunt, honorentur: quia etsi plęrunq; nomina ista confundantur, sat est retineamus propriè ita loquutum fuisse Philosophum, vt dissensiones componamus, & doctrinam constet esse honorabilē, vt quę faciat hominē homini præstare. Nec volo practicis sciētijs vulgarem suum detrahere honorem, sed cupio singularem excellentiam speculatiuas sibi vendicatū ire. Est enim speculatio finis, operatio verò quasi mediū propter aliud. Neq; obstat, quòd in hac nostra trāslatione scientia appellatur. In antiqua verò historia, nam præterquā quòd idem est cum historia, quę altera sua significatione quancunq; interpretationem, & expositionem sonet. Aristoteles nobis significat præsentem contēplationē, quòd demonstratorio modo procedat, scientiæ nomen mereri: historiæ autem, quoniam animæ enarratio, ficta non est commentatio, vt aniles solent esse fabulæ, aut poëtarum figmēta. Sed veræ rei vera narratio: historia quidē maximè est amica veritatis. Insuper Aristoteles excusat se ab exactissima de anima tractatione, & notione: siquidem instar historici non omnia tradat, sed quæ ad memoriam gestorum magis necessaria esse videantur.

Postulata duo.

Honoris atq; laudis discrimen.

Notio de anima & scientia & historia dicitur.

QVAESTIO.

An scientia de anima reliquis certior sit.

De altero postulato maius dubium est, quòd certitudine demōstrandi nō superet. Nam in re difficilima quæ potest esse certitudo, quæ constantiam, & certitudinem Matematicarū disciplinarum vincat? quas 6. lib. Metaphysicorū tex. 2. primo certitudinis gradu connumerauit. *Argu.* 1.
Adde, quòd hæc scientia ab effectis, illę verò à causis, & primis rerum exordijs explorantur. 2.
Rursum nobilitate subiecti non præstat, cū illæ, quæ de animato corpore tractant, pręstent magis: sunt enim de toto, quod est sua parte perfectius. 3.
Præterea libri, qui de Cęlo sunt, præstarent, cùm cælum his omnibus inferioribus perfectius esse videatur. 4.
Ad hæc Metaphysica omniū esset vilissima, quòd 5.
de

de ente consideret, quod est omnium imperfectissimũ. Quas ob causas plęriq; (ob commẽtatoris, atq; Philoponi opinionem, qui Mathematicas disciplinas certitudine vincere asseruerunt) de modo certitudinis dubitant, cùm tamen horum commentatio à veritate aliena sit. Nam, vt sæpe soleo admonere, testimonia omnia iuxta literæ contextum ex instituto dicentis in proposito negocio, atq; ex argumento quod versatur, interpręta nda sunt. Quare licet verba latiùs patere videantur, quàm ad scientias naturales, literę tamen scopus, & consonãtia contexturæ, lociq; huius argumentum, id minimè admittunt. Non igitur hanc animæ contemplationem cum Mathematicis, aut Metaphysicis in prima Philosophia, sed cum reliquis naturalibus scientijs contulit propria, & sui generis debet esse comparatio, vt. 7. Physi. tex. 21. Similiter nõ ex alienis, sed ex proprijs expẽdenda est cum Physicis disciplinis, inter quas duplici nomine commendandam scientiam de anima ostendit: tum, quòd dignissimo inter naturales disciplinas gaudeat obiecto, anima scilicet, aut corpore animato, quæ sunt in rerum naturalium fine, & quasi fastigio: tum etiam, quòd potissima prædita sit certitudine, cùm nihil sit homini certius, quã animã habere, quã in se quotidiana, atq; intranea experientia experitur, maximè quoad quæstionem an est, vt dicit hic sanct. Tho. Quamobrem rectè cum primis ponendam esse dixit, quod absq; vlla vicinitatis restrictione primas sit sortita partes. Idcirco nil refert Mathematicas disciplinas certiores simpliciter esse, quia sũt abstractiores, vt. 6. Met. tex. 2. dicitur. Cũ tamen hęc sciẽtia nõ solùm secundũ se, sed quoad nos etiam debitam habeat certitudinem, vel quia quoad nos processu, qui ab effectu sumitur, certiori procedat, vel melius, quòd non solum sit certitudo quoad nos, sed quoad naturam & simpliciter: quia si res rebus conferamus, vt modò asserebatur, anima numeris, figuris, multò notior est, atq; certior: cuius operationes intrinsecum habent certitudinis experimentum: cùm tamen Mathematicæ disciplinæ extra nos sint. Itaq; non est reliquis disciplinis certior, quòd talis sit secũdum se: quoniã Mathematicæ de re sunt abstracta, de abstractiori tamen inter scientias de natura est animæ contemplatio, & certior multò, non tãtùm (vt Caiasserit) quòd sit de re formalissima, & quę, vt. 2. Physi. tex. 26. dicitur, terminus est naturalis considerationis, atq; finis omnium, quæ de natura sunt, verùm etiam quòd inter res ipsas naturalibus disciplinis subiectas anima minus est materiæ coniuncta, & alligata, atq; adeò separata magis: pręterquàm quòd certitudo cuiusq; scientiæ ex inmaterialitate, & abstractione pendet. Et cùm immaterialitas animæ sit in esse naturali, sciẽtiarum autem Mathematicarum in esse cognito, nõ absonè cum Magno illo Alberto, atq; Themistio asserere possem, Mathematicis etiam hanc partem esse certiorem, ob hanc, quam nos attulimus causam, non tamen vt ipsi dicunt: quoniam in hac parte de lumine intellectus agentis disceptetur, quod est secundum se certissimũ. Quare difficultas præsentis speculationis certitudinem non tollit, siquidem in Mathematicis sua est difficultas: nam hæc difficultas ex rei subiectæ natura non nascitur, vt in Dialectica, vbi omnia intellectu difficillima sunt vitio eius rei quæ scitur: cùm ens rationis ægerrimè & debiliter admodum intellectum moueat. Oritur tamẽ ex parte nostri imbecillis ingenij, quod ad manifestissima naturâ, sicut oculus Vespertilionis, atq; Noctuę ad lumen Solis sese habet. Est igitur certior secundum se, quanuis difficultas ex parte nostri intellectus magna sit. Vnde positæ obiectiones ex his diluentur facilè: nã Prima de certitudine Mathematicarum disciplinarum soluitur, vel quòd Aristoteles cum illis hanc partem nõ conferebat, vt prima habet conclusio, vel quòd non simpliciter loquebatur, sed secũdum quid secundum aliquam partem, non omnino & absolutè conferendo, vt modò reliquis duabus assertionibus dicebamus. Consentaneum enim est, tota scientia cum tota, & pars cum parte conferatur. Quare hæc Physica cum Metaphysica non comparabitur, quæ abstractior est, & immaterialior, & simpliciter prima, atq; diuina. Si autem Mathematicę exactiori demonstrãdi genere præstent, imperfectione subiecti sunt inferiores multò: maximè quoniam & anima habet suam immaterialitatẽ, ratione cuius cum Metaphysicis contendit, & suã certitudinem, qua cum Mathematicis collata excellere etiam potest. Aliud autem, quod additur verum non est, hanc partem ab effectibus semper procedere, cum pro-

Documẽtum.

1. conclu. doctrina de anima inter naturales & Physicas est nobilissima.

2. conclu. hæc de anima sciẽtia etsi simpliciter & absolutè non sit certior Mathematicis, est tamen suo in genere certior.

3. conclu. Sciẽtia de anima certior, vnde & immaterialior, & abstractior est.

Ad primum.

Attende.

Ad. 2.

cedendi modus demõstratorius sit. Nec obstat Philosophiæ naturalis principia sensu, & experimento comprobari. Hoc enim potiùs sciētię firmitatem, & certitudinem, quā diximus, iuuat. Præsertim cùm nobis intrinsicæ sint operationes vitales animæ. Cętera verò argumenta, quę dignitatē ab hac sciētia remouere contendebant, nil cogunt. Nā quanuis animatum corpus anima sit perfectius, quia totum est, tamen præstantior censetur anima, quia immaterialior est, & quia fons, & origo earum omnium operationum, quas corpori communicat, vsque adeò vt esse corpori donet. Præterea quia actus est corporis, & corpus eius materia, quod, quicquid habet perfectionis, ab anima mendicat, fit vt anima nobilissima sit, & præstantissima secundum Physicam cōsiderationem, qua secundum actus, & potētiæ rationem considerantur. Verùm argumenti huius, quod vires aliquas habere videtur, vim infringit nostra illa sentētia, qua asseruimus corpus animatum esse subiectū: nisi in fauorem horū addere velimus, partes præstantiores nonnūquam habere passiones ipso toto. Voluntas enim, & intellectus animæ sunt, non corporis affectiones. Itaq; rectè Caietanus animam, & corpus hîc considerari dicit, & comparari, vt corpus animatum (quod in sequentibus libris tractatur) ab anima (quæ est secundum se hîc consideratur) distinguitur. Anima non solū actus est, sed etiam ipsis animatis viuendi principium. Id autem, quod de cælo dicebamus, nil contra nos concludit: siquidē lib. 2. de Cęlo, cap. 2. docuimus non esse animatum, neq; Cælum anima aliqua secundum esse muniri, sed secundum operationem, de quo latiùs infrà lib. 3. cap. 9. Quare anima, & animatum corpus sunt præstantiora Cælo, atq; adeò, etsi illis libris actum est de vniuerso, atque vniuersis eius partibus, cùm scientiæ per rationes formales obiecti distinguantur, quanuis Cælum animatum sit, de eo nō, vt animatum est, eo loco tractabatur, sed qua ratione certum locum, atq; situm in vniuerso sortitur: quæ ratio inferior est, atq; ignobilior ratione formali huius sciētiæ. Quod enim vna ratione præstat, alia ratione inferius esse potest, Cęlum inanime est, ideo ignobilius: at ratione formæ pręstat, quatenus pręstantiùs sibi subijcit materiam, à qua omnem abijcit priuationem, vnde Cælum incorruptibile est, &

Ad. 3.

Anima quatenus est præstātior corpore anima to nō vt includit animam sed vt cōtra animā distinguitur vt hic Caieta nus.

Ad. 4.

perennis motus, & causa vniuersalis, vt S. Tho. 1. p. q. 70. ar. 3. ad. 2. Aliud autem argumentum de prima Philosophia soluitur ex distinctione ipsius esse, quod considerat Methaphysicus, aut vt actus est, atq; perfectio, quod est omnium formale, & ita perfectiorem habet rationē, quàm res quæ per ipsum perficiuntur: at verò si esse consideretur, quatenus rebus omnibus supponitur, à quo incipit esse motus, vt ab imperfecto, sic sanè à motu, sensu, & vita, perficitur. Quare cum à primo Philosopho consideretur esse, secundum quod est principium formale omnium & secundum speciem, vt lib. 1. Phys. tex. vltimo dicitur, fit, Methaphysicam contemplationē multò esse perfectiorem: cōsiderātur enim hîc esse, viuere, & intelligere, & inuestigantur quasi materialiter, illic autem formaliter. Præsertim cū de substātijs separatis eo loco. 12. Meth. agatur, quæ anima sunt perfectiores. Sicut enim liber octauus Physicorū nobilior non est sciētia de anima, quoniam agitur de primo motore non secundum substantiam. Id enim relinquitur primo Philosopho, sed secundū motū, hîc autem de anima secūdū substantiam, atq; secūdùm esse mentio fit. Est igitur differentia secundum formales rationes: nam quanuis primus motor perfectior, & nobilior anima sit natura sua, atq; substantia, non tamen vt motor est. Esse enim principium vitæ nobilius est principio motus: sicut viuificare nobilius est, quā mouere.

Ad. 5. quatenus esse et perfectū sit & imperfectum.

Sciētia de primo motore in. 8. Phys. inferior sciētia de anima.

Sed dices. 8. lib. Phys. prima causa inuestigatur, non tantùm vt motrix est, verùm vt impartibilis, immaterialis, & intēsiuè infinita, quæ sunt coditiones nobiliores, quā actuare, animare, & cæterę aliç proprietates, quæ de anima hîc cōsiderantur. Dicendum quòd licet conditiones illæ de primo motore. 8. Physi. demonstratæ re ipsa sint præstantiores, formaliter tamen intelligere, & quid sit intellectiuum, multis nominibus præstant. Itaq; doctrina de anima est nobilior, nō præcisè, quia viuificare sit nobilius, quā mouere, cùm mouere ad causalitatem effectiuā, viuificare ad formalem, quæ imperfectior est, pertineat: sed quia conditiones, quæ de anima tractantur, vt intelligere & intellectiuum esse, nobiliores sunt: vnde infinitas virtutis motiuæ est modus ipsius, qui non variat eius rationem formalem, vt pręualere possit contra vim intelligēdi, quę abso-

Diluitur tacita obiectio.

Redargui tur optimè nostra prima cõclusio. absolutè prçstat,sic Caietanus hic. At dicet quispiam,si verum est,quod diximus, præsentem speculationem inter naturales disciplinas dignissimam censeri debere, atq; adeò etiam certissimam,non tantùm libris de Physica auscultatione dignior cẽseri deberet,sed etiam certior:at sic est illam certiorem multò esse: tum quia vniuersalior, & prior:tum etiam quia abstractior : posita igitur de certitudine cõclusio, adhuc inter naturales disciplinas intellecta,difficultatem habet. Quæ diluetur,si intelligamus

Solutio. illam de ente naturali consideratione,quia vniuersalior,& abstractior, scientia de anima esse certiorem, vinci tamẽ ab ista experimenti certitudine mox dignitate obiecti. Ob idq; certiores habet naturales demonstrationes, quarum proprium est,non tantùm à ratione,sed à sensus etiam experimẽto pendere:vnde principium sumunt, atq; iuuantur. Petuntur enim naturales demonstrationes ex principijs,quæ sensu maximè confirmantur. Præterea nil obstat, vt plęraq;,quæ sunt pręcedentium conclusiones, sequentium sint principia,& ita hæc scientia asseratur exactior reliquis sequentibus partibus,quæ sunt de animalibus:quia anima est illorum omnium præstantissimum principium : principiorum autem cognitio semper est exactior, & certior cognitione conclusionis. De hac antẽ certitudine, Aristoteles loqui videtur. Quo fit,non nil differre inter scientię huius certitudinem,atq;

Corro. de certitudine & præstantia huius scientiæ. subiecti dignitatem:quoniam,vt refert Aristoteles lib. 1.de partib.animal.cap.5.de nobilissimis,& altissimis parum scire, præstabiliùs est,& conducibiliùs, quàm multum de infimis,& ignobilibus:nam cùm ab humana cognitione præstantiora magis distẽt, eximiæ cuiusdam voluptatis est,illa(tamet si leuiter)cognoscere. Cuius ratio est: quoniam præstantiùs intelligibile magnificentiùs intellectum perficit,atq;(vt.3.huius dicemus)inde sumitur ipsius intellectus act⁹, & species,quæ natura sua dignitatẽ obiecti redolet. Hæc igitur præstãtia,quoniam essentialis,certitudine maior esse videtur. At

Tollitur in Arist. collisio. opponesfecum Aristotelem pugnare, qui cùm lib. 1.de partib.animal.circa finem,nil non mirandum naturam produxisse, doceat:maximam tamen & mirabiliorẽ multò in minimis esse asserit,atq; adeò naturalis scientia sub materia viliori præstantior erit,cùm artificis ingenium magis commẽdabile nobis proponat. Dicendum secus de natura,& speculatiuis scientijs ab vna parte,ac de arte,& scientijs practicis ex altera. Natura sanè,naturalia cùm facit,non ita iuuatur, ac ars ab ipsa artificialium materia. Quare miramur magis, artificem,humanã effigiem ex luto,quàm ex auro componentem:nam(vt dicit Themistius)ipsa materię dignitas artis vigorem,atq; energiam obũbrat. Idcirco vulgares artis ignari materiã mirantur. Cæterùm sapientes artis potiùs quàm materiæ præstantiam speculãtur. Ad hęc,materia ex quo vilior,& minor,magis est inepta,atq; artificij minus capax:ob idque ipsum artificem minus iuuare, & magis commendare videtur: quoniam difficiliùs artis imprçssionem recipit. Secus autẽ de scientijs speculatiuis, quæ sicut natura ipsa in minimis maximæ sunt, & in omnibus solertissimæ, potissimum tamen circa altissima illa,& excellentissima,quæ nobilissimam,& honorabilissimam contemplationem habere videntur.

Videtur autem,& ad veritatẽ omnẽ,ipsius animæ cognitio vehementer cõferre,& maximè ad ipsius naturæ sciẽtiam. Est enim anima quasi principium omniũ animalium. *Tex.2.*

Beneuolẽtia quęritur auditorum. Secunda est assertio ;qua Aristoteles ab huius scientiæ vtilitate auditorum captat beneuolentiam : nam breuissimis commoda,& emolumenta omnia, quæ disciplinis vniuersis hæc scientia infert, comprehẽdit: & non modò ad scientias cõferre affirmat, verùm latiori vocabulo ad veritatem omnem cõducere dixit. Sic enim copiosiùs nostram extorquet beneuolentiam,& nos ad huius scientiæ studium propositis commodis inflammare,& exhortari videtur, cùm ad omnem veritatem, tam actiuam,quàm contemplatiuam secundum Simplicium cõtra Auerroem,conducat. Vera enim animę cognitio ad legitimam rerum omnium notitiã confert. Incredibile enim in hanc rem, & suprà quam dici possit,habet momentũ. Ab ea Dialecticus suas illas intellectus operationes mutuatur(simplicem dico appræhensionem,compositionem,& diuisionem, atq;

Latè patet vtilitas huius scientiæ per inductionem.

atq; ratiocinationem) quibus suas fingit, atq; fabricat intentiones. Disciplinas insutas per naturales iuuat: nam licet à superioribus libris quasi subalternata scientia pendeat, tamen illi omnes ab animę cõtemplatione cõfirmantur, atq; posteriores omnes de animatis libros(quæ suauissima est rerũ naturaliũ portio)quam maximè iuuat, est enim ipsorum formale principium, scientia autem, & cognitio omnis ex principijs est. Itaq; superiores per hãc animæ speculationem exornantur plurimũ, posteriores verò explorare non poterimus, si animæ natura ignoretur, quæ fons est, & omnis motus initium, omne enim quod mouetur, ad vnum principiũ reducitur per se mouens.

Granatēsis refellitur.

Malè igitur Granatensis asseruit posterioribus de natura libris, non prioribus cõferre. Cùm tamen opositum ex his, quæ diximus, appareat; & hoc loco apertissimis verbis insinuet Aristoteles, dum præsenti textu dicit, *Est enim omnium principium animalium*. Dicamus & nos, & omnium naturalium, cùm ab anima cuncta moueantur, & nisi animæ naturã exactè, diligenterq; cognouerimus, de reliquis firma, atq; certa fides minimè cõparabitur. Verùm est, quòd prior vtilitas generalis est ad præcedentes libros, ad reliquos verò posterior vtilitas magis intima, & peculiaris.

Rursum Philosophiam morũ iuuat quãdo inter reliquas animæ potentias de eius intellectu, atq; voluntate hìc disseritur, in quibus, vel virtutes collocantur, vel humana consistit fœlicitas: quæ omnia decorare, & animam ipsam honestare videntur. Demùm quoniam propriæ vitæ ratio, atq; institutio ex nostra cognitione(iuxta Appollinis oraculum, nosce teipsum) pendet. Metaphysicæ insuper confert: nam ad substantias separatas explorandas à nostræ animæ cognitione quasi primò facto gradu exordiri nos oportet. Quid plura? cùm omnes scientias exposito lumine intellectus agentis illustret: quia vniuersalia eo lumine adhibito declarantur, & relucent. Omnis enim scientia de vniuersalibus est, ergo disputatio de intellectu agente nõ solùm scientias omnes illustrat, sed illustriorem facit omnem de rebus cognitionem, atq; Rhetoricæ affectus, in quibus cõmouendis illa maximè versatur, exponit: Grammaticæ etiã cõceptus declarat, quorum voces, atq; scripturas, lib. 1. Perih. signa esse docuit. Itaq; trifariam omnibus scientijs conferre videtur, vel quia anima nobilissima est inter naturas, vel ex eo quòd pluribus scientijs plura etiam principia dat. (Moralis ab hac suscipit vltimum finem. Diuinus substãtiam subiecti sui, quando de abstracta intelligentia nõnihil dicitur) Postremò cõmune est omniũ scientiarũ emolumentũ, quoniã ex ea acquiritur, & cõfirmatur principiorũ notitia. Moralis ergo ab hac parte, animę susci pit immortalitatẽ. Medicus non tãtùm corpus quoad eius affectiones, iuuentutem, senectutem, somniũ, vigiliam tractat, sed etiã animæ mores atq; morbos, quæ corporis temperaturam nonnunquam sequi videntur. Rhetor affectus, Grammaticus significationes addiscit, ergo magnas omnibus scientijs confert vtilitates, ob quas promptiores, & alacriores ad hoc animę studium inflammemur.

Sũma.

Diluitur obiectio.

Sed dices? Dialectica omniũ sciẽtiarum methodus est, vtilior igitur erit, & ob id lib. 2. Met. tex. vltimo, ante omnẽ disciplinam tradendam esse docet. Dicendum vtiliorem esse quoad modum procedendi, generali, & præambula vtilitate: at verò animæ contemplatio, quoad rem ipsam in particulari consideratam præferendam esse: non poterunt igitur propriè cõparari: ergo licet illis egeat, vt principijs, ex quibus deriuatur, & addiscitur, tamen ab hac scientia reliquæ ex posita ratione muniuntur, media enim forma est anima nostra inter supremas, & infimas, quare medium quoq; erit ad materiales, & immateriales manifestandas, & expendendas.

Tex. 3.

Atq; perspicere, cognoscereq; naturam eius, & substantiã quærimus. deinde ea, quę circa ipsam accidunt, quorum quædam affectus ipsius esse proprij, quædam animalibus etiã per ipsam inesse, competereq; videntur.

Docilitas

Aristoteles beneuolentiam auditorum, ex commoditate, & vtilitate, præstantiaque huius scientiæ adeptus: iam docilitatem ex ordine, atq; methodo, qua sunt omnia dilucidè, & aptè tractanda, ab eisdem extorquere contendit, cùm accuratissimo docen-

docendi compendio ipsius animæ naturam exploraturus sit. Primùm quidnam animæ substantia sit, accidentia eius deinceps consideranda. In duo ergo distribuit quę de animæ affectionibus sunt tractanda. Vnum, quod est animę proprium, vt intellectus, & intelligentia. Alterum, quòd non tantùm animæ, sed etiam corpori conuenit. Hoc sanè est omnis scientiæ proprium, constituere quod quid est rei subiectæ: mox ex ea affectiones demonstratione concludere. At intelligere affectio est, quæ sola commertio corporis nō exercetur: nam quod. 3. lib. de anima tex. 31. dicitur, intelligere non est sine phantasmate, non colligit intellectionem per se non esse animæ propriam: quandoquidem operari sequitur esse. Cùm igitur anima separabilis sit, ergo & operari animæ suaptè naturâ absq; indigentia corporei organi fiet. Quare ne in Aristotele aliqua sit repugnantia, atq; contraditio, quòd libro hoc de anima. 1. tex. 64. operationes dicit esse toti⁹, nō partis: intelligamus oportet esse quidem intelligere ab anima, vt origine atq; subiecto, quanuis totius sit, vt supposito, Quod, maximè, quòd intellectiones sunt animæ propriæ, vtpotequæ nullo instrumento corporeo intelligat, atq; adeò in sola anima, vt subiecto excipiuntur. Cùm tamen sensiones omnes in corporis organis (oculo scilicet, auditu, &c.) collocentur, & perficiatur. Intelligere autem sumpta occasione à sensu in intellectu collocatur, & perficitur, non autem organô corporeo. Quo circa locus iste adnotādus est, vbi Aristoteles animam nostram immortalem iudicat, profectò si affectuum quidā sunt animi proprij, qui corpori non sunt communes, ergo esse animæ separatum erit: mutua nanq; proportione, & habitudine esse, & operari sibi inuicem respondent. Quā sententiam cùm multi negent, locū hunc Aristoteleum perplexū, & inacessibilem reddiderunt. Itaq; de substantia animæ priùs, mox est de operationibus consideraturus, quæ cùm animæ gratia tradantur, anima prius intentione intēditur, quare ordo propositus cum methodo, quam versat, non pugnat.

Collisio in Aristotele tollitur.

Anima immortalis.

Tex. 4.

Verùm enim omni ex parte, atq; omnino difficillimum est, fidem aliquam de ipsa tandem accipere. Nam cùm hęc quęstio cōmunis sit etiam cum alijs rebus compluribus, de substantia dico, & quid est, vnus cuipiam fortasse modus, vna via quædam esse videtur, qua cognoscere quid nam sit vnaquæq; possumus rerum, quarum substantiam percipere volumus, perinde atque modus vnus est hisce, quo proprij rerum demonstrantur affectus. Quapropter quærendum est, quæ nam sit illa via, quis ille modus vnus, quo rerū substantiæ percipi possint.

Hactenus beneuolentiam, & docilitatem aucupatus est Aristoteles: nunc verò maxima huius scientiæ proposita difficultate, attentionem venari intendit: propositis enim difficillimis, & scitu dignissimis de anima quæstionibus, mentem in admiratio nem (quæ ipsius quædam est agonia) rapit. Vbi stupore prodigij hinc, illinc verò desiderio occultam causam inueniēdi tenetur, ergo hac via appositissimè attentio captatur, vt huius scientiæ studiosos satis per se incitatos inflammet, diligentemq; curam, & solicitudinem exposcit, vt socordiores, atq; somnolentiores deterreat. Arduū sanè est præsens negotium multi laboris, atq; diligentiæ indiguum, non tantùm vt scientiā perfectam comparemus, sed etiam vt aliquam fidem, idest exiguam, & leuem notitiam: vel fidem dixit, quoniam de anima intellectiua, nō admodum claram, sed obscuram nimis posteris doctrinam reliquit, non erat suo tempore omnino certa, & explorata de anima cognitio. Aristoteles in vniuersis suis operibus perpetuò hanc methodum obseruat, vt quæ in vnoquoq; opere sunt agenda, in primo capite, aut libro proponat, quod deinde in eo negotio tractando per singulas partes prosequatur. Sic enim libris Topi. primo statim capite negotij propositum ostendit, deinde finem, tum principia tam formalia, quā materialia syllogismi ex probabilibus consti-

Attētio.

Methodus peripatetica

constituti,& multa alia,quæ ibi in commune dicta,deinceps explicat,atq; per singulas partes, sequentibus libris latiùs ad vnguem prosequitur. Libris etiam Eth. à propositione eorum,quæ tractandæ sunt,exorditur,atq; insulsas antiquorum de fœlicitate hominis opiniones reijcit,vt sequẽtibus libris,instar agentis naturalis,quasi iam materia præparata,propriam inducat sententiam:quod semper Aristotelem in vniuersis suis operibus obseruasse discurrenti per singulos libros perspicuum erit. Quã etiam methodi rationem præsenti loco commendat, cùm à propositione tractandi negotij exorsus,difficillimas de anima quæstiones, de quibus toto hoc opere futura est disputio,in medium producat. Quod non tantũ eo consilio factum est, vt attentionem nostram captet,verùm vt totius huius operis propositionem tãquam huius disciplinę finem ante oculos obijciat: quam deinceps expulsis veterum philosophorum erroribus ex proprijs confirmet. Doctrinæ igitur ordine à propositione negotij,& difficillimis de anima quæstionib⁹ exorditur. Quarum prima,& in omnibus cõmunis de substãtia ipsius rei,quæ tractatur,est,quidnam ipsa anima sit. Non enim facilè est,animę finitionem inuestigare, *compluribus non omnibus* inquit Philoponus:quoniam non est omnium quiditatiua definitio,vt generum & indiuiduorum : voluit enim Aristoteles verbi moderatione quęstionẽ fugere. Deinde post primam difficultatem ex animę definitione,alterã ex modo inuestigandi etiã proponit,quæ est circa modum procedendi,an vna sit methodus definiendi substantiam:similiter & affectus , sicut vna est demonstrandi ratio,qua affectiones proprias per ipsam definitionem ostẽdimus,vbi digladiantur plęriq; , quare Aristoteles per demonstrationem definitionem intelligat. Qua de re certandum non est,cùm Aristoteles præsenti loco tantùm addubitet,nihil asserat. Interim tamẽ admirationem omnẽ deponẽt,si Aristotelem legant. 1.Post.c.7. tex. 22. vbi ex professo docet definitionẽ, & demonstrationem idem esse. Est enim demonstratio extensa & dilatata definitio: definitio autem virtute quadam contracta demonstratio , positione enim sola differunt:quoniam definitio aut demonstratio est,aut demonstrationis principium virtute ipsam demonstrationem continens. Obidq; neutra corruptibilium est,atq; adeò inquit Aristoteles inquirendus esset modus ille indagandæ substantiæ,atq; definitionis quisnam ille sit. Idcirco præsenti textu tractanda esset à nobis quæstio illa , an quod quid est,demonstrari possit,quæ quanuis pulchra & necessaria nimis videatur ,non nihil tamen à re præsenti diuagari videremur. Præterquã quòd lib. 2. Post. ab Arist. dilucidè excussa est. Auerroes enim Hypocrati hoc loco ascribit definitionem monstrari posse:quod quã sit falsum,clariùs est, quàm vt aliqua demõstratione egeat:nam si est demonstrationis principium,quomodo,rogo,erit finis?si causa , qui fieri potest, vt sit effectus? atq; si definitio de definito demonstratur,ergo non erit propositio immediata ea,vbi definitio de definito prædicatur:mediaret enim aliquid,cùm omnis demõstratio sit per aliquod medium,quod prędicatum coniungat subiecto. Absonum tamen est inter rem definitam,& suammet essentiam,quæ sola ratione differunt, medium aliquod excogitare. Prætereo Aristotelis testimonia , quæ frequentia sunt. Ad manum sanè est totus ille secundus liber de Posteriori Analisi, cùm inter grauissimos viros de dogmate aliquo disceptatur, rationibus,non autoritatibus certandũ sit. Itaq; si definitio principium est demõstrationis,non poterit eiusdem effectus,atq; cõclusio esse,nisi fortè Hypocratis sentẽtiam moderari velimus,vt vna definitio per alteram diuerso genere causæ demonstretur. Nam cùm ex. 2. lib. Phys. tex. 30. causæ sibi inuicem sint causæ,per finalẽ efficiens demonstrabitur , atq; per formalem materialis. Quod Aristoteles documẽto,lib. 2. Post. cap. 8. tradit, sed exẽplo lib. 1. Post. cap. 2. in duabus demõstrationis finitionibus docet:quod inferiùs lib. 2. de anima cap. 2. de duabus animæ finitionibus,apertum faciemus. Nam quod Plato non modò dialogo de regno,verũ in sophista definitiones diuisione explorãdas docet,Philosophicum non est, licet definitio , absque diuisione comparari nequeat , quando partitione à re definienda,quæ ipsius non sunt, separantur , & quæ propria sunt admouentur. Nemo sanè latentem rei naturam finire poterit,nisi eam priùs ab alienis secreuerit:tamen diuisio,vt. 2. lib. Post. cap. 4. et. 5. tradidit Aristoteles,non est consequentia necessaria,cùm aliquid peti,aut gratis admitti à respon-

1. difficultas de distinctione essẽtiæ ab affectionibus

2. de methodo inuestigãdi.

Definitio & demõstratio idẽ

Definitio an demõstretur.

Plato.

Diuisio an conueniat & colligat definitionem.

respondente oporteat. Cùm tamē ea sit demonstrationis vis, atq; natura, vt cogat, & velit nolit respondens cōuincat: quare qui diuisione ignota expromere instituit, principium petit. Principij autem petitio scientiam (quæ non ab extraneis, sed à proprijs procedere debet) tollit, atq; subuertit: quoniam diuisio ex his, quæ respondenti videntur, principium sumit, quando alterum diuisionis membrum, nisi detur ab aduersario, probandum superest. Nihil tamen prohibet dicamus vtilem esse diuisionē ad rerum differentias inuestigandas, atq; ad inquirendum in definitione genus, vtilissimā non tamen sufficientem, siquidem compositionem adhibere oportet, est enim diuisionis finis ipsa compositio. Quamobrem cōpositio, atq; diuisio via sunt ad definiendum apta. Sed Aristoteles compositionem diuisioni præfert, atq; vt intimam magis admittit, quamuis reliquam non prorsus reijciat, Hypocrati demonstratio, Platoni diuisio, Aristoteli autem compositio placet pro methodo inuestigandæ definitionis.

Epilogus

Tex. 5. Quòd si nō vnus quidam, atq; cōmunis sit ille modus, lōgè difficilior ipsa pertractatio fit: oportebit enim de vnaquaq; rerū accipere, quis ad vnam quanq; modus accommodabitur. Si verò pateat illud demonstrationem, vel diuisionem, vel etiam quendam alium modum esse, complures insuper difficultates, erroresquè emergūt in ijs exquirēdis, è quibus vnius cuiusq; conficiēda est definitio: aliarum nanq; rerum alia principia sunt, vt numerorum, superficierumq́;.

3. Si una, vel plures methodi. Augetur proposita difficultas, si non vna sit communis methodus omniū: nam cùm tria sint capita de anima tractanda, Primū de substantia, Secundū de differentijs, Tertium de accidentibus, tam proprijs, quàm communibus: si diuersarum rerum diuersa sunt principia, diuersæ ergo erunt methodi: quę ambiguitas ex eo iusta videri potest & debet, quòd demōstratio à definitione sola positione differat. Videtur, vt sicut est vna accidentis de substantia demōstratio, quòd sit etiam vna eademq; definitio.

Primùm autem fortasse necessarium est diuidere, atq; accipere in quonam generum collocetur, quidq; sit anima: vtrum sit substātia, an in qualitate, vel in quātitate, vel in alio quodam prædicamentorum genere collocetur. Deinde peruestigandum est, vtrū eorum subeat rationem, quæ potentia sunt, an potiùs quidam sit actus: non enim parùm interesse videtur. *Tex. 6.*

4. difficultas de definitionis genere, et differentia. Completis dubitationibus, quæ ad animæ substantiam spectare videbantur, conuertit sermonē Aristoteles ad ea dubia cōsideranda, quæ ad definitionis assumptionem exiguūtur. Et primū de genere, vtrùm sit substātia (vt Pythagoras asserūit) an quālitas, idest temperatura, vt quidam asserebant: an quantitas, vt numerus, & concentus seipsum mouens, quod placuit Platoni. Et ita alijs aliter visum, vt in tanta opinionū turba difficile sit de proprio genere animæ certum quid cēsere. Atq; deinceps subdubitare oporteret ad peruestigandam animæ differentiam, si substantia est, an actu, an potentia, idest materia, aut forma cum Simplicio, spiritualisne, an corporea cum Philopono. Hæc enim isti per actum, & potentiam intelligunt, ergo cūm actus, & potentia seipsis diuersa sint, de toto definibili Aristoteles agere videtur: quare ob rationē peruestigandi definitionē animæ, concluditur huius doctrinæ difficultas.

Considerandum est prætereà, si partibilis sit necne, & vtrum eiusdem sit anima speciei omnis, necne. Etsi non sit eiusdē speciei, vtrum specie tantùm, an etiā genere *Tex. 7.*

nere differat: nunc enim ij, qui di cunt, atq; quærunt de anima: de humana tãtùm quęrere, perscrutariq; videntur.

5. difficultas de animæ multitudine. Quinta difficultas, qua obscurior redditur hæc disciplina, est, an anima vna sit, an plures: nam Plato (vt referũt Galenus lib. cui titulum fecit de animæ morbis, qui corporis temperaturã sequuntur, & lib. de placitis Hippocratis, & Platonis, & Cicero lib. Tusculanarum quæstionum. t.) triplicẽ fecit, intellectiuam scilicet in cerebro præsidẽtem, vt optima anima, optimum locum, atq; sedem esset sortita: sensitiuam autem in corde residentem, cùm illud hominis mẽbrum animalis appetitus fons sit, & origo: tãdem vegetatiuã in iecore collocat, quòd sit augmentationis radix, & nutritionis origo. Quod dogma, si de animæ facultatibus intelligatur, nil aut parùm saltem absurdi habet: illis quidẽ partibus hæ animæ suas egerunt facultates, atq; vires manifestant: quoniam plures in eodem composito formas esse secundùm substantiam diuersas, in libris de generatione reffellimus: qua de re posteà apud Aristotelem lib. hoc. t. tex. 90. & lib. 2. cap. 2. amplius elucidabimus, atq; hic textus de toto potentiali dubitare videtur.

6. difficultas de animarũ vnitate specifica. Sexta difficultas ab Aristotele proponitur, an omnis anima eiusdem sit speciei, an diuersæ: itaq; si plures sint, similesnè, an dissimiles ponãtur. Placuit enim antiquorum plerisq; animatorum animas specie eadem conuenire, sola differentia posita, quòd earum esse magis, aut minus materiæ deditũ esset.

7. de differentia numerica animarũ. Septimam adiungit difficultatem, si differẽtes sint, an numero tãtùm, an specie tãtùm discrepent: vbi obiter Philosophus antiquam de anima determinationem velut inutilem reprehendit, quòd omnem de anima sermonem ad nostram rationalem, cæteris neglectis, retulerit: cùm tamen philosophia naturæ de omnibus sit, atq; adhuc magis ei incumbat de cæteris, quàm de nostra rationali differere, vt suprà disputauimus. De his partibus inquirit, an sit anima partibilis secundùm speciem, secundùm numerum, etiam secundùm potẽtias, & facultates, an potiùs impartibilis.

At cauendum est ne nos prætereat, vtrum vna sit eius ratio, vt animalis, an vniuscuiusq; sit alia ratio, vt equi, canis, hominis, Dei. Animal autem vniuersale, aut nihil est, aut posteriùs est, & quicquid itidem aliud cõmuniter prædicatur. Tex. 8.

8. difficultas de vnitate definitionis. Optimam videtur Aristoteles accumulare dubitationem de vnitate definitionis. Et ne superuacaneus textus videatur, siquidem textu. 6. de toto definibili addubitatum est: præsentẽ verò textum propter Platonẽ, atq; Pythagoram inducit. Plato enim, qui vniuersalia separata posuit, definitionẽ vniuersalium, quæ à singularibus separantur, esse dixit, Pythagoras verò ipsa dumtaxat singularia definiebat. Idcirco opportunè quæritur, an inquirenda sit definitio, qualis ad animam pertineat, an qualis ad hominem, an qualis ad singularia ipsa indiuidua: proptereà quòd istis omnibus quæstionibus iam decisis, ambigendũ adhuc videbitur, an tanta esset animarum generica differentia, quę non patiatur animas in aliquo vno definibili conuenire, sed oporteat singularum animarum definitiones inuestigare: ob id cauendum, & formidandum dixit Aristoteles: nam licet vna sit definitionis ratio, vt tex. 6. dubitabatur. Aduertendum adhuc est, quòd huic quæstioni alia instat, an anima in communi vniuocã analogãuè, aut potiùs æquiuocam sortiatur rationem. Exemplum proponit Aristoteles, *Vtrũ vna sit animalis ratio, an singularum animarum alia, & alia, vt equi, canis, hominis, Dei*, vbi Deus hîc non prima causa, vt perperam plęriq; existimant, sed cæleste ipsum corpus intelligitur, non perinde ac Porphyrius cap. de differentia, sed vt Aristoteles. 2. lib. de cælo cap. 3. tex. 17. Dei autẽ, inquit, operatio immortalitas, & vita sempiterna. Itaq; ambiguitas est, si vna est definitio, an sit vna, vt generis, in quo latent æquiuocationes. 7. Phys. tex. 31. aut vna, vt speciei, quæ ęqualitatem habet, & vnitatem. Rationem subdit contra Platonicos, nam animal, inquit, & quodcumq; vniuersale, aut nihil est, secundùm esse in rerum natura, aut posteriùs secundùm esse in intellectu, quo loco de ideis

¶ Litera contextus apertur.

ideis pleriq; propter Platonē, alij verò de vniuersalibus propter nostrates disserunt, quæ non possunt in præsentem locum nisi inuita Minerua induci:idcirco consultò ab his supersedeo:quoniam omnia sunt opportunis locis tractanda. De definitione est sermo,& dicit,definitio rei vniuersalis, qualis est animalis,nullū momētum habere videtur ad cuiusq; rei propriam naturam explicandam in proprio esse,& specie : aut si iuuat,id quidē faciet,vt posterior ipsis formis , de quibus dicitur. Patet ex contextu isto,& ex eis,quæ infrà dicuntur.2.lib. c.3. vbi docet ridiculum esse,definitionem vnā quærere , quæ non sit animæ propria, in quauis specie. Rogo, quonam modo possibile erit, vnam esse generis definitionem generalem,& communem multis,ex quorum intelligentia & cognitionē nõ sit collecta? quare quicquid in commune prædicatur (vt subdit Aristoteles hîc) posterius est,atque posteriùs intelligitur. Etenim ad hanc expositionem,Philoponi interpretatio alludit , quam iam nunc paucis exposuimus: & fauet Auerroes dicens , intellectum facere vniuersalitatem in rebus. Idcirco Aristoteles non dixit, animal posterius est,sed aduertenter,animal vniuersale: nam animal , & superiora omnia ordine generationis priora sunt ipsis singularibus, id est , speciebus , quas per singularia Aristoteles intellexit, vt procemio Physi. in disciplinis ab vniuersalibus ad singularia procedendum,& iuxta Platonicum decretum,in specialissimis sistendum:ordine tamen perfectionis ipsa singularia,id est, species , quæ minùs communes sunt, priores sunt:ordine nanq; intentionis natura semper ad perfectionē pro viribus aspirat. Qua distinctione eliditur apparens quædā contradictio huius loci ad. 12.Met.tex.17. vbi de sententia Alexandri, Aristoteles vniuersalia priora facit: idem enim Alexander lib. 1.naturalium quæstionum quæstione. 11. soluit, vniuersale scilicet secundùm esse intellectum dialectica contemplatione , quæ est de secundò intellectis , cùm significet qualitatem quandam mentis rei accidentem , posterius est suo illo fundamento : etenim non significat naturam aliquam sub ea ratione extra animam subsistentem : sic enim nihil est, quia habet esse diminutum , & obiectiuum in intellectu : tamen secundùm esse essentiæ

Vniuersalia quomodo priora, & etiam posteriora singularibus,vt collisio in Aristotele pellatur.

priora sunt generationis ordine : quamuis in eodem quoad esse existentiæ sint priora : quod Aristoteles lib. prædicamentorum cap. de substantia declarat, *Corruptis* (inquit) *primis substantijs , impossibile aliquid aliorum remanere*: vniuersalia ergo metaphysicè considerata in genere causæ formalis priora sunt: non enim conuertitur subsistendi consequentia : singularia verò posteriùs physicè,in genere causæ materialis intellecta, illud secundùm essentiam, hoc secundùm existentiam , & via generationis. Dubium itaq; est,si omni animę conueniat definitio vna, vniuoca an analoga ratione?

Sūma resolutionis, quæ constant quæ in hoc textu enarrata sunt.

Præterea si non plures sint animæ , sed partes, vtrum animam totam , an partes quærere priùs oporteat. Difficile autem est idquoq; determinare,quęnā, inquam ,partes à quibus diuersæ sint. *Tex.9.*

Nonam ponit difficultatem, videlicet difficile esse de ordine tradendi animarum notionem determinare. Nam cùm animæ partes plures sint, non solùm subiectiuæ , verùm etiam facultates , inchoandum videtur ab essentia : quoniam sicut res se habent ad esse. 1. Met. tex. 4. ita ad cognosci. A principijs igitur essendi inchoandū: siquidem vt. 2. Met. tex. 4. dicitur , principia essendi eadem sunt , & cognoscendi: atque adeò de anima in communi , deinde de vegetatiua ; mox de sensitiuā , demum de intellectiua foret disserendum. At doctrinæ ordo pugnat,cùm ab obiectis,deinde ab actibus , mox de potentijs , tandem de essentia considerandum sit , vt semper à nobis notioribus doctrina tradatur: nam Physica disciplina , cùm coniuncta sit materiæ , & motui , à sensibilibus & his , quæ sensibus explorata sunt , magis incipit : quo à mathematicis distat , in quibus principia non modò naturæ , sed & nobis sunt notiora. Et ita Aristotelis loca interpretanda , atque sibi reconcilianda, vt non semper quod prius est,sed quod facilius,tanquam notius deprehendi potest: quoties igitur dissentiunt naturę & doctri-

9.difficultas de ordine tractandi, si priùs de toto, quā de partibus.

Obscurus documētū ad collisionem Arist.tollendam.

næ ordo, prudentiæ est, doctrinæ methodum sequi. Quid? quòd obiecta, quæ nobis sunt notiora, vt color, atq; sonus, &c. etiam secundùm naturam sunt priora, quia causæ: semper enim debent præcedere ea, quorum cognitiones nos præoccupant, & præueniunt. His decimam adiungit difficultatem de animæ partibus: sunt enim qui sensum ab intellectu non separant, sed mẽtem potiùs cum sensu confundunt. Quod dubium non tantùm de animæ partibus potentialibus, verùm de subiectiuis intelligi poterit, an in eodem plures sint animę? non secus ac in equo Troiano plures erant homines.

10. difficultas de potentiarũ distinctione.

Tex. 10.

Et vtrum ipsas partes, an ipsarum partiũ operationes priùs quærere, perscrutariq; oporteat: ceu intelligere, an intellectiuũ? & sentire, an sensitiuum? & eodẽ modo de cæteris. Quòd si operationes sint exquirendæ priùs, rursus profectò quispiam dubitabit, si opposita priùs sint inquirẽda, vt sensibile priùs, quàm sensitiuum, & intelligibile, quã intellectiuum.

11. difficultas si à potentiis, an ab operationib' exordiendum.

Vndecimam difficultatem aggregat Aristoteles, an operationes priùs potentijs inuestigandæ sint? similiter, an de obiectis agẽdũ, priusquã de actib'? Habet enim vtrunq; dubitandi occasionem, maximè secundum, cùm relatiuè opposita sint simul, vt sensibile, & potentia sensitiua: ex alia parte intelligibile, & sensibile potẽtias ipsas antecedere videtur. Obiter tamẽ aduerte, inter sensibile & intelligibile hoc esse discrimmnis, quòd sensibile priùs est quoad nos, intelligibile verò quoad naturam. Idcirco in secundo lib. de anima priùs de sensibili, quàm de sensorio determinatur, tanquam de notiori, sed. 3. lib. de intellectu priusquam de intelligibili. Neq; obstat, quòd intellectus, & intelligibile relatiua sint, propterea quòd sunt secundùm mensuræ rationem, & relationem nõ mutuam:

Nota.

ob id simpliciter vnum non est de cõceptu quiddıtatiuo alterius.

Tex. 11.

Non solùm autem ipsius quid est cognitio, conferre videtur ad perspiciendas eorum causas accidentium, quæ per se substantijs insunt: vt in Mathematicis confert, quid est rectum, & quid curuum, vel quid linea, quid superficies, ad cognoscẽdum quòd rectis anguli triãguli sunt ęquales: nam ipsum quid est, omnis est principium demonstrationis, sed ęconuersò etiam accidentia magnam afferunt opem ad illud percipiendum. Nam cùm per imaginationem de accidentibus, aut omnibus, aut pluribus reddere possumus: tum aliquid etiam de substantia dicere poterimus optimè. Quare patet, eas omnes definitiones differendi modo, vaneque dictas, & assignatas esse: quibus non fit, vt accidentia percipiantur, aut de ipsis coniectura facilis habeatur.

Vt duodecimam, eámq; valde arduam difficultatem ponat, videlicet an sit animæ propria aliqua operatio (vt sequenti textu elucidabitur) ne quis tanta rei difficultate animo despondeat, huius tractationis multa ponit vtilia, quibus excitetur auditor ad superandam difficultatem. Maximum enim est cuiusq; scientiæ momentum, in ratione percipiendi substantiam rei ex accidentibus: & quanuis accidentia ex vna parte ad quodquid est cognoscendum conferre videantur: ex altera autem experimur Mathematicos priùs quodquid est, & rei substantiam tractare. E diuerso tamen Physici ex accidẽtibus (quæ magnam opem adferunt ad depræhendendum quodquid est) rei substãtiam, atq;

Omnia accidẽtia cognitionẽ substãtię iuuant.

atque rerum naturas rimantur: quod non modò accidentia propria (quæ substantiæ sunt viciniora) id præstant, sed & communia (licet à longinquo conniuendo) ipsam substantiæ notionem iuuant, atq; attingũt: commune nanq; omni accidenti est, in substantia tanquam in subiecto esse, à quo re separari per naturam nequit: unde enim ex accidentium notione animus noster accõmodatè præparatur ad rerum essentias indagandas. Ex affectibus ergo colligitur rei definitio: quia ipsorum notio accommodatissimũ medium est, vt manuducamur in essentiæ notionem: quare etsi primo intuitu, atq; impetu, intellectus in substantiam non nudam, sed accidentibus vestitam, feratur, inde tamẽ mens (cuius proprium est vnum ab altero separare) priuatas, atq; proprias fingit notiones, elicitq; substãtiç esse, quod maximè substat, quodq; in subiecto nullo est, & magnum sibi facit adiumẽtum ad explorandam essentiam. Ad has igitur communes notiones communia accidentia plurimùm licet iuuent, ad proprias tamen multò certiùs, & patentiùs propriç affectiones viam aperiunt, & demonstrant. Oritur sanè nostra cognitio à sensibus, & per consequens ab accidentibus, non quòd indicent, & faciant quodquid est esse rei (vt dicitur. 1. Top. cap. 4.) sed quòd promoueant, atque iuuent. Proprium enim est, effectus in causæ cognitionem perducere: atque adeo nostra mens simplicem substantiç notitiam ex collatione accidentium deducit, quanuis scientificam non semper. Plerunq; tamen nihil vetat, vt ex qualitatibus primis Philosophus elementa, Physicus ex motu primas substantias, ex transmutatione materiam primã, Medicus morborũ naturas, & herbarũ vires colligat. Vnde fit, mathematicas disciplinas à physica methodo (si rem percalluerimus) non multùm distare: nam si Mathematicus definitiones, & quodquid est ipsarum rerum priùs speculatur, hujus rei causa est, quia subiecta natura, quam versat, magnitudo est, quæ cùm quanta sit, & plurimis accidentibus affecta, imaginatione, & reliquis sensibus facilè deprehenditur, vt quid rectum, cuius medium non exijt ab extremis, curuum contrà. At Physicus entia naturalia contemplatur, quæ per se sensibus non offeruntur, sed accidentibus inclusa, & priùs

cognoscenda, vt ex eorum cognitione substantiæ notio inuestigetur. Neque obstat, quòd substantia per se magis est, quàm accidens; intelligibilis, cùm quoad nos accidens familiarius sese offerat: vnde humana mens corporis ergastulo immersa, ad intelligibilia gradum facere videtur. Notio enim illa prima, quæ per se est accidentis, per accidens est substantiæ; cuius propriam cognitionem iuuat, atque subministrat, quando confusa illa notio substantiæ sub inuolucris accidentium offertur. Nec in cognitione circulus est, nec recurrit in orbem demonstratio, vt dicitur. 1. Post. cap. 3. quia esset genus demonstrandi ridiculum, cùm non sit ordo iste cognitionum ab eodem ad idem secũdùm idem, siue quòd id fit in diuerso genere causæ; aut quia vnum est à priori, alterum verò à posteriori: ex accidenti enim causam inuestigamus, perinde ac ex effectu causam à posteriori: à priori tamen per substãtiam, & quodquid est passionem ipsam deprehendere debemus: remotione imperfectionis, atque dignitatis attributione, per rationem causæ ex accidentibus substantiam deprehendere solemus: perinde atq; Pau. ad Rom. 1. inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspici, dicit. Mutuis enim auxilijs rei essentia, & accidentia, maximè quæ propria sunt & per se, & suis causis adæquata se iuuant; licet diuerso demonstrationis genere: quare non modò propria accidentia, sed suo etiam gradu communia ad cognoscendam substantiam opem ferunt. Profectò sicuti ad formam venturam, quibusdam inductis accidentibus, materia pręparatur: ita mens, præuijs accidentium notionibus, ad notitiam substantiæ prouehitur, atq; promouetur. Idemq; eandem ducit rem Aristotelem non dixisse totum conferre, sed magnam (inquit) partem cùm præparet, atq; viam muniat. Haudquaquam igitur est Physico accidentium ratio: quo sit, ut dicit eis vanæ sunt dialecticæ finitiones, minimeq; absolutę, atq; perfectę, quod mox declarabo. Vanũ enim est, inutile, atq; inane, quod finem, in quem sua pte natura destinatur, nõ assequitur. Cùm igitur definitio demonstratio sit, aut demonstrationis initium, atq; ad ostendendas de subiecto passiones inuenta, si hunc finem non attingat, & assequatur, nil mirum, quòd dialecticæ

In cognitione substantię et accidẽtis nõ est circulus.

Definitio vnde dicatur vana inf. tex. 15.

& vanæ definitiones appellentur. Dialecticas vocat, non quòd damnet proprias, & legitimas Dialecticorum finitiones, sed quia plurimæ sunt, & apud Dialecticos ex probabilibus, & quæ opinione constant collectæ. Vocat vanas: quia inanes & inutiles ad consequendum finē, cuius gratia sunt. Nunquam enim aliquid propriè de substantia dicemus, nisi prius de accidentibus omnibus, aut pluribus pronuntiare possimus, quod est necessariū, vt probabilitatem dialecticæ definitionis, eiusq; vanitatem fugiamus.

Tex. 12. Est etiam de affectibus animæ dubitatio, vtrum omnes communes sint cum eo, quod habet animam, an sit & ipsius animæ proprius aliquis? hoc enim ipsum accipere quidem necessarium est, non tamen accipi facilè potest. Atque plurimi sunt, quorum sine corpore nullum aut agere, aut pati videtur, vt irasci, confidere, cupere, omnino sentire: maximè autem ipsum intelligere proprio simile est. Quòd si hoc etiam imaginatio sit quædam, aut sine imaginatione nō sit: nec istud esse sine corpore potest.

Ad. 12. difficultatem reddi tur. Iam ad duodecimam omnium difficillimam descendit difficultatem, quæ omniū acerrima est, & non parum controuersa, an sint aliquæ operationes animæ propriæ, id est, solius animæ sine corporis consortio, an potiùs cōmunes sint omnes, & quæ corporis commercio exerceantur, veluti sentire, gaudere, irasci, & id genus cæteri affectus, qui nobis non accidunt, nisi corpore ipso perturbato: tamen intelligere, propria animæ solius operatio esse videtur. Probat Aristoteles: nam si intelligere soli animæ proprium non est, sed corpus in societatem huius muneris vocat, contingere non poterit, vt rationalis nostra anima seorsum à corpore separata habeatur, alioquin otiosum aliquid natura creasset, quod defendi non potest, vt iam sequenti textu dicam. Sed dices, his omnibus non obstantibus, difficiliorem multò esse scientiam de materia prima. 1. lib. Phys. vtpote quæ maximè elongetur ab actu? Respondetur, quòd ex parte sui cōcedendum est, non tamen ex parte nostra, cùm ratione transmutationis magis cadat sub sensum, quàm anima intellectiua, cuius operationes penitus à sensibus sunt abstrusæ: vnde difficilior est cæteris partib⁹ naturalibus, nō Metaphysica, quæ difficilior est: quia de intelligentia, quæ magis à sensu, quàm anima intellectiua, & eius operatio elongatur.

Si igitur operationum animæ, vel affectuū aliquis proprius sit ipsius, fieri potest, vt ipsa anima separetur. Sin verò nullus sit eius proprius, non separabilis est, sed est de ipsa, perinde atq; de recto, cui multa quidem, vt rectum est, competunt, veluti puncto pilam æneam tangere, non tamen ipsum vnquam separatum tanget: est enim inseparabile, quippe cùm semper aliquo cum corpore sit. *Tex. 13.*

Appēdicem textum subiūgit, vt nodum difficultatis cōniueret, in trita ea quæstione, atq; apud Peripateticos, & Ethnicos Philosophos difficili, sitne rationalis nostra anima immortalis? quæstionis nodū & punctum tetigit, cùm dicit, si nulla eius est operatio propria, sed omnis cōmunis cum corpore, non est separabilis: quoniam separata otio torperet, quorum nullum tale natura fecit; vnūquodq; enim propter suam operationem fecit. 2. Cæli. tex. 17. quòd si propriam habet operationem, quæ nec sit phātasia, atq; sine phantasia contingat, separabilis profectò erit, atq; immortalis. Exēplo rem propositam patefecit: lineæ enim dum est in corpore multa secundū rem accidūt, *De immortalitate animæ radix, vt quæst. de immortalit. loc. 2.*

quæ

quæ separatę lineę minimè contingunt:tãgit enim exactè sphęricũ perfectè planum in pũcto:sed fictus est iste tactus, & imaginarius secundùm intellectum,& rationem: quia separata linea nulla est, sed omnis linea in subiecto aliquo corpore est. *Egidii lapsus.* Vnde perperã omnes,vnus Egidius reprehendit, quòd de animæ immortalitate hunc locum interpretentur:quãdoquidem Aristoteles, licet de animę immortalitate nihil pręsenti loco definiat,nodum tamen illius difficultatis demonstrat.Certè quemadmodum dicitur sphęram planum in puncto tangere, non quòd planities,aut linea seorsum consistere posset:sed quia secundùm quòd talia sunt,huiusmodi affectus contingit, vbi contingens,non pro cõtingenti(vt Themistius) sed pro necessario vsurpat Aristoteles,vt.1.lib.Priorũ.c.3 &.3. Phys.tex. 32. *Themistius.* atq; alibi sępe cõtingere(inquit)ab esse nõ differre. *Expositio textus* Quocirca licet in præsenti Aristoteles nil definiat,certum tamẽ principium ad quæstionis enodationem proponit,& reciprocam esse illationem,ab operatione ad esse:nam si operatio potentiã sequitur,potentia naturam imitatur,fiet,vt substantia, cuius operatio non separatur, immersa sit materiæ, cuius verò operatio separata est, continget etiam, & substantiam ipsam separari:cuius rei consecutionẽ exponit amplius Aristoteles infrà hoc lib. tex. 50. & 66.quare latẽtem animæ naturam insinuat Aristoteles,quam in posterum interpretandam reijcit.Duæ sunt in virtute illationes. Prior,operatio,quæ est propria animæ sine cõmunione corporis,separari potest à corre,aliàs vana esset,si nunquã eam sine corpore perfiteret.Posterior,si operatio communis est animæ cum corpore,sine corpore esse nõ potest:quare nec separari. Vnde sola mens extrinsecus accedit, cuius actio, nempe intelligentia non communicat cum corpore,sed est propria,& separabilis,anima ergo separabilis est:nam sicut ex vitalibus operationibus viuentem,ex rationalibus rationalem,sic ex separabilibus separabilem colligemus. *Caietanus* Quocirca Caietanus hoc loco sophisticas quasdam cauillationes explodit,dicẽs,Aristotelem ratiocinationem conditionalem proposuisse,tamen nonarguens, aut à positione antecedentis, aut à destructione consequentis : sed duntaxat vult fundamentum ostendere.per quod explorare debem⁹,separabilis sit anima,necne.Atq; adeo regulæ,quã 3. lib. Poster. tex. posuerat,innixus(*si affirmatio, affirmationis, negatio negationis causa est*) dicit, quòd animam propriam habere operationem,causa est,vt separari contingat:non habere verò, vt separabilis non sit, sed corruptibilis atq; mortalis : sed de his latiùs lib. 3. huius ad calcẽ in.q.de immort.loco. Sed interim admoneamus lectorem,vt aduertat, ex his difficilem esse doctrinam de anima, tamen vtilem,valdéq; necessariam,vt percipiamus distinctè, quæ sint propria animæ,quæ autem ipsi cum corpore communia, & quòd grauissimæ illius quæstionis de immortalitate animæ nostræ,eiúsq; separatione firmamẽta sumemus ex hac doctrina de affectibus proprijs, inde diligenter expendenda, & examinanda : nam si propria est animæ operatio, separari potest, ergo est sine obiecto corporeo:quare immaterialis erit anima,sicut est operatio, cuius anima est principium,quod exactiùs definiri non potest, vsq; ad enarrationem tertij libri, & sequenti etiam textu pauca tangemus. Vide quæ. 3. lib. tex. 20. dicuntur.

Tx.14. Videntur autem & omnes affectus animæ cum corpore esse, Ira, Mansuetudo, Timor, Misericordia,Confidentia,Gaudium, Odium denique, atque amor : nam vnà cum his ipsum corpus aliquid patitur. Quod quidem ita esse ex eo patet. Interdum enim non irascuntur, neq; timent, etiam si se vehementes ipsis, manifestevè causæ offerant, interdum à paruis quibusdam mouentur, atq; exiguis, si feruet,concitaturq; corpus, & perinde se habet, atque cùm afficitur ira. Hoc magis ex eo patet, quia nonnulli nulla re penitus accidente, quæ quidem possit terrere, nulloq; imminente periculo, vt ij qui me-

metuunt, perturbantur, ac afficiuntur timore.

Præsens textus ad eundem sermonem pertinere videtur, cùm in eo Aristoteles probet passiones omnes, animæ cum corpore esse communes: quoniam animæ mores (iuxta Galenum lib. de hac re, & lib. de Symptomatum causis cap. 10. & lib. 1. de Temperamentis, Aristoteles. 2. de generatione animal. cap. 2.) corporis temperaturam sequi videntur: quod hic Aristoteles signo manifestat, cùm dolere, lætari, irasci, mitescere, & id genus alia plurima, anima sine vi, ope, atq; corporis communione perpeti non valeat, vtpote per quod secretissimæ etiam animæ cogitationes & affectus prodantur. Argumento enim est haud minimo, huiusmodi omnes affectiones animæ, cum corpore esse communes, quòd cum magnæ plerumq; metuendi, aut irascendi incidant causæ, nullo tamen metu tentamur, aut iracundia commouemur, cùm interim leuiter irritati, grauiter scandescamus: videntur ergo omnia oriri ex varia corporũ mistione, atq; pro eius temperaturæ modo remissiùs, aut intensiùs fieri. Vnde etiam miram ingeniorum diuersitatẽ miramur: quoniam corporis temperaturam sequuntur, vt. 2. huius tex. 94. *molles carne aptos & mente esse ingeniosos.* Et si iuxta Aristotelis methodum, & huius proœmij propositum sit difficultates inducere, vt lectorum attentio aucupetur: atq; adeò ob id sat fuerit, quæstiones, quæ præsens argumentum difficile reddunt, accumulare: tamen non erit abs re (licet ista omnia postea exactè sint soluenda) positis principijs, aliquid lucis ad quæstionem expendendam inferre, saltem quantùm præsens locus suo iure exposcere videatur. Proprium enim animæ opus (nam per oppositum commune intelligetur) quod à sola anima sine cõmercio corporis elicitur, trifariàm dicitur. Primò per exclusionẽ corporis, vt organi. Deinde per exclusionẽ corporis, vt obiecti. Tandem per exclusionem corporis primò operantis, & operationem elicientis, atq; isti modi sic inter se conferuntur, vt secundus modus, in quo à propria animæ operatione corpus secluditur, vt obiectum, manifestè inferre, atque supponere videatur propriũ primo modo, in quo secluditur corpus, vt organum: huius autem ratio aperta est ex eo, quòd si animæ operatio libera est ab omni corporeo, & materiali ex parte obiecti (quoniam naturam, & essentiam animæ ipsum obiectum indicat) ita vt nihil sit materiæ ex parte obiecti, neq; erit profectò ex parte ipsius organi, quod ad obiectum natura sua destinetur, & accommodetur. Impossibile sanè est, materialis organi operationem ad nullum prorsus corporeum terminari.

Attende, & Aristotelis, et Autoris mentem.

Tripliciter dicitur animæ opus proprium.

Primus tamen modus, iuxta commentatorem, & Albertum, secundum non infert: quia quidditas rei materialis obiectũ est nostri intellectus: quanuis mea sententia cum sancto Tho. re vera colligat: nam si organum excluditur, animæ immaterialitas, atq; incorruptibilitas colligetur: & idcirco intelligimus propriam aliquam habere operationem, omne corporeum obiectum in statu saltem separationis, excludentem. Cæterùm, quadam inducta distinctione, Caietanus rem hâc definire statuit, vt secundus modus primum inferat, non solùm quoad operationem, sed etiam quoad operantem. Profectò si animæ operatio ex parte obiecti ab omni corporeo libera est, forma ipsa, quæ principiũ est operationis, immaterialis adeò erit, vt suum opus absq; corporeo organo explicet: primus autem non tantam videtur cum secundo connexionem habere, vt ipsum necessariò colligat: non enim necessariò colligitur, quòd si operatio animæ à corporeo organo immunis est, sit etiam ab obiecto corporeo libera, vt intellectio nostra pro hoc statu docet. Quoniam medium non tãtam habet connexionem, vt finem necessariò inferat, quantam habet finis, vt mediũ colligat: quia fini media ipsa attemperantur, quorum finis ratio est, atq; principium. Verùm quoad operantem aliter dicẽdũ videtur: quia licet non omnis nostra cognitio ab organo corporeo liberetur, tamen si operãs operationem aliquam habet, quam non per corporeum organũ exercet, poterit sanè operationẽ absq; corporeo obiecto habere, quocunq; statu id contingat. Mihi tamẽ expositio hæc plus nimio subtilis videtur: nam obiectum (tanquam finis) organi dispositionem (quæ se habet vt mediũ) sibi vendicare videtur: organũ autem (quoniam medium est) obiecto proportione sua

Albert, et Auerroes.

Caie. de Vio.

Autor Caietanũ refutat.

ne sua respondet. Quare vtraq; connexio, & dependentia necessariam connexionem habere videtur, vt si operatio organicè elicitur, idest, in aliqua corporis parte, quę illa operatione informatur, vt est visio in oculo, necessariò coniungitur corpori obiectiuè. Et vice versa, si communis est obiectiuè: quia non potest exerceri absq; corporeo obiecto, vt de intellectione nostra creditur, animam in corpore esse est necesse, saltem vt ministrante, vt videas, quòd exclusione solius organi, vt ipse Caietanus fatetur, nō potest inferri animæ separabilitas: quia staret, quòd dependeat à phantasia obiectiuè. De tertio membro modò curandum non est: quamuis Aristoteles inferiùs tex. 64. asserere videatur, animam intelligere, & hominem etiam: sed animam vt principium, Quo, hominem verò vt principium, Quod, sed de his suo loco posteà. Meritò igitur Aristoteles argumentabatur, si intelligere (quod animæ opus maximè proprium esse videtur) est phantasia, aut non sine phātasia, intelligere non erit opus animę proprium. Vnde duo intelligemus. Vnum, cōtra Caietanum, ex corporeo organo Aristotelem colligere corporeum obiectum. Alterum est, Aristotelem terminos, quos proposuit, proprium scilicet, & commune declarasse, vt insinuaret non leuem quæstionem tangere, atq; demonstrare principium, vnde pendet, atq; exploranda est animę separabilitas: idcirco quæstionis terminos ex posuit. Profectò si intelligere phantasia esset, cùm ipsa organum corporeum sit, intelligere sine corpore non contingeret, atq; adeò anima separabilis non esset: si autem phantasia non sit, sed non absq; phantasia intelligamus, intellectus non separaretur, aut à corporis ministerio absolutus, otiosus esset: quod natura, quæ vnumquodque propter suam operationem finxit, abhorret. Nec refert, siue ex opposito consequētis oppositum antecedentis inferat, siue ex antecedenti consequens: quoniam alterutro modo arguat, tenet in conuertibilibus, secus non. Quare si animæ operatio, & intellectio ipsa absq; corporeo organo contingit, ipsa anima tāquàm immaterialis separabilis erit: nam si operatio, quæ optima est essentiæ interpres atq; index, commertium, atq; connexionem non habet cum corpore, ipsa anima, quæ in operando à corpore non pendet, profectò nec in essendo pendebit: nam obligationem quandam ad materialia, quam ex vnione cum corpore contrahit, hominis dissolutione, & animæ separatione natura tollit. Ergo cùm iudicium de animę concretione, siue abstractione ex operatione ipsa sumendum sit (quoniam operatio, iuxta Commentatorem. 12. Met. tex. 14. fecit cognoscere formam) non abs re, pro grauissimę illius quæstionis enodatione, pauca hæc notauimus, vt semel expendas, vnde anima à corpore separabilis & immortalis iudicetur, nēpe ex propria operatione, aliàs impossibile esset animæ immortalitatem inferre, si eius operatio cum corpore, siue vt organo, siue vt obiecto necessariò colligaretur.

Obseruat. (margin, beside "Vnum, cōtra Caietanum")

Epilogus pro animæ separatione. (margin, beside "Profectò si intelligere phantasia esset")

Quæ si ita sint, patet affectus, rationes esse materiales: quare & definitiones ipsorum sunt tales. Irasci nanq; motus quidam talis est corporis, aut partis, aut potentiæ, ab hoc huius gratia. Idcirco naturalis est de anima, vel omni, vel tali considerare. *Tex. 15.*

Ex his, quæ diximus, infert Aristoteles causam, propter quam harum passionum definitiones per subiectum dentur: quoniam scilicet rationes sunt materiales, quæ in vsu & exercitio materiæ complentur. Ira enim motus quidam, aut feruor sanguinis est circa cor, qui non antè cessat, quàm vltionis appetitus sedetur. Vnde infert, formarum finitiones citra materiam vanas esse: siquidem formæ ipsæ materiales sunt, quæ sine materia solidum, atq; firmum esse habere non poterunt. Vnde subiufert appendicem conclusionem, ad Physicum spectare de omni anima determinare, aut huiusmodi & tali anima considerare: idest, simpliciter anima ad considerationem naturalem referenda est, vel secundùm eam rationem, qua corpori vt forma vnitur. Idcirco eius definitio, si materia vacaret, manca esset atque vana, vt tex. 11. dicebat Aristoteles de dialecticis finitionibus, quæ disserendi modo adserūtur, vaneq; dicūtur, cùm accidētia nō includāt, nec materiā respiciāt. Dices, cur dialecticæ finitiones

Quæ definitiones vanæ appellentur ab Arist. (margin)

 manes,

inanes, atq; vanæ dicantur? quod hic, & tex. 11. etiam dicit Aristoteles, cùm Dialecticus res, quas definit per materiam & formam, tractet. Præterea. 4 Met. tex. 5. Metaphysicus, & Dialecticus artifices sunt communes: alter enim ens naturæ, alter autem ens rationis contemplatur, sed vterq; per quatuor causarum genera definit: ergo falsum videtur, quod Aristoteles dicit. Exemplo antecedens mõstratur, cùm. 1. lib. Post. cap. 2. demõstrationem per finem definiat, syllogismum facientem scire, per materiam etiam, ex primis, veris, immediatis, notioribus, &c. per materiam, formam, atq; finem 1. lib. Priorum cap. 1. syllogismum in hunc modum definit: Est ratio, in qua quibusdã positis, necesse est aliud accidere, eò quòd hæc sunt: meritò igitur ambigitur, quid Aristoteles hoc discrimine, inter Physicũ, & Dialecticum, reperto intendat. Albertus opinatur, Logicum per rationem abstractã, atque communem definire: quam ob causam vanas eius appellari definitiones. Verùm non intelligo, qua de causa dialecticæ finitiones, quæ per genus, & differẽtiam assignantur, ea sola ratione, quòd communes sint, & abstractæ, vanæ & inanes appellentur: nam si genus, & differentia, quibus cõstant dialecticæ finitiones, essentiam rei definitæ cõplent, atq; integrè perficiunt, quomodo vanæ, & quasi imperfectę appellabũtur? Præsertim, si illius definitionis genus proximum sit, & immediatum, quod prædicata omnia superiora in se actu cõtineat, atq; etiam differentia vltima sit, atq; propria, non igitur satis erit, per rationem abstractã huiusmodi definitiones tradi, vt eas vanas appellemus. Ob id vanum est aliorũ commentum dicentium vanas esse: quia nõ dantur per materiam, sed per formam, quæ totam quiditatem dicit: censent enim materiam partem non esse quiditatis. Ii enim, duo peccant peccata, Vnum, quòd pręsenti proposito non quadrat: siquidem si forma tota quiditas est, veriùs per solam formam, quàm per formam cum materia definiretur: non enim ad quiditatem materia ipsa pertinet. Alterum est, quòd doctrina in se etiam falsa est: superiùs enim lib. 1. de gener. cap. 3. determinatum à nobis est, materiam, de Aristotelis sententia, partem esse quiditatis. Dicendum igitur cum Græcis ex positoribus. Primò, cũ Philopono, dialecticas finitiones vanas, quia per formã: physicas verò legitimas, quia in eis formę iũgitur materia, hoc est, quod dialecticæ definitiones per formã dantur, quę subiectũ est vniuersalitatis & cõmunitatis, vt est in ratione: physicæ autem per formã, vt est in re operationum causa, atq; principium. Hæc autẽ videtur esse Aristotelis intentio, vt ipse sese tex. 11. explicat, definitiones differẽdi modo assignatas, vanas esse, vtpote per quas accidentia non percipiantur, vt de ipsis facilis cõiectura habeatur: vanas ergo eas appellat, quoniam per ipsas accidentia, quæ opem ferunt ad cognoscendum quod quid est, percipere, atq; diiudicare non valemus, idest, non possunt esse medium, quod demõstrationem compleat, atq; perficiat, cùm ad exactam rei cognitionem accidẽtia etiã ipsa sunt exploranda: at Physicus formam assumit, quæ est operationum causa, & vt ad operationẽ ipsam extenditur. Itaq; quãuis forma causa sit alicuius effectus, à Dialectico non assumitur vt causa: quoniã consideratur, vt est in ratione, subiectũ quoddam communitatis, & vniuersalitatis: Physicus autem per formam, vt est in ipsa materia, vt. 2. Phys. tex. 26. & tex. 92. Aristoteles insinuat: nam, vt ad calcem secũdi de generatione docuimus, tria in quacũq; actione concurrunt, materia primò, deinde forma, postremò efficiens, quæ omnia Physicus in sua finitione admittit, vt tex. hoc præsenti Aristoteles dicere videtur: pendent enim omnia ex causa finali, cui cęterę omnes accommodantur. Dialecticus autem formam sine agente contemplari videtur. Mathematicus non cõsiderat causam, propter quam est in materia: abstrahit enim, cũ circa immobile versetur. 2. Phys. tex. 71. & 3. Meta. tex. 3. rationem reddit: quia in mathematicis nil melius, aut deterius, nec ponitur, nec tollitur ratio boni: siquidem, vt considerantur, non solùm non existunt, sed nec ordinẽ habent ad existentiã tali modo abstractionis, qui est confictus, & nõ realis, qualis est Metaphysici abstractio, qua entia actu abstracta considerantur: Mathematica verò nec sunt entia in actu, vt abstracta, nec vt sic, nata sunt esse in actu: dixi latiùs. 1. p. q. 5. ar. 3. circa. 4. vbi etiã Caietanus. Similis est differentia inter Dialecticũ, & Mathematicum, qui etiam licet per causam formalem definiat, formam, quæ est in materia, considerat, sed non secundùm esse, quod habet in materia, sed vt est passionum causa in

Albert⁹. Modus alter dicẽdi reijcitur. Solutio. Obserua.

Themistius idem breuius et clarius. sa in tali esse, consideratione, atq; abstractione. Idem Themistius, quanuis alijs verbis ex Arist. 4. Met. tex. 5. dicere videtur, Dialecticus (inquit) rationalis est Artifex, Physicus realis: ideò Physicus res definit, qua ratione rerum formæ subsistere possunt. Dialecticus autem, easdem rerum formas contemplatus, secundùm rationem, & esse exile, quod habent in ratione, quo re ipsa subsistere nequeunt, definit. Itaq; physicæ definitiones formam assumunt secundùm esse, quod habēt in materia, atq; adeò vt ordinē ad efficiens dicunt, quatenus materiam ipsam mouet, atq; ad formam transmutat, alicuius finis gratia definit: quoniam Physicus per omne genus causæ demonstrat, vt Aristoteles. 2. Phys. cap. 7. determinat. *Auerroes* Quocirca Auerroes rectè dixit, Physicum per omne genus causæ definire: quoniam cùm materiam ipsam respiciat, omnes causas contemplabitur necessariò: omnes enim causas materia ipsa exposcere videtur. Formam in primis, sine qua non subsistet, efficiens quoq;, à quo trāsmutatur: formam insuper habet, atq; finem, quoniam finis transmutationis terminus est, & vnum reipsa cum forma, licet ratione sit diuersum, vt. 2. Phys. tex. 70. Aristoteles docet: Physicus ergo completè atq; integrè definit, vt potequi exactè per omne genus causæ, vnde res ipsæ pendent, rerum naturas perfectè exponit. Dialecticus autem incōpletè, & diminutè: quia per formam, aut finem abstractè & cōmuniter, atq; adeò imperfectè definiet: nam materiæ oblitus, & quasi eam negligens, non poterit per omne genus causæ definire. *Sūma resolutionis Autoris.* Quare tota differentia est inter Physicum, & Dialecticum, quā inferiùs tex. 17. Aristoteles ponit, naturalē scilicet Philosophum materiam in suis definitionibus admittere, quam omittit Dialecticus. Idcirco per cōmune definiens Dialecticus, ex communibusq; procedens, vanas atq; inanes definitiones adfert. Vanum enim, & inutile est, quod finem non assequitur suum, atq; integrè naturas rerū suis omnibus quasi terminis nō claudit.

Notandū pro argumentorum solutione. Aduertendum (vt positam dubitandi rationem, principio huius quæstionis tactam, soluamus) Dialecticum non inutiliter pror sus definire, ad proprias passiones demonstrandas: nam in propria domo, atq; materia benè colligit veritatem, falsitatē, contingentiam, necessitatem, & id genus nonnullas alias passiones, quæ ex ratione pendere videntur. Sed quia hæc in alijs disciplinis non præstat ex proprijs, sed quasi ex communibus colligens: ideo intētionales dumtaxat differentias, atq; passiones ostendit. Cùm tamen Mathematicus, etsi à materia abstractus & absolutus, reales quasdam facultates rimetur, causam tamē, propter quā res est, ostendit, quod generales Dialectici definitiones per se non faciunt. Cæterùm non ex eo censere debemus dialecticas definitiones sophysticas, vt turbatus Paulus hoc loco dicit, sed vanæ sunt: quia eas habenti exactam & propriam notionem non cōciliant, & in alijs realibus disciplinis sciētiam minimè comparant. *P. Venetus reprehenditur.* Exēplum sit horum omnium, quæ diximus, Dialecticus appetentem vindictæ iracūdum definit, quod tamen non cōtingit, nisi sanguineus sit atq; biliosus, vt sanguis circa cor inflammetur: neq; adhuc biliosus omnis vindictam appetit, si virtutis exercitio sedatæ, vel saltem compositæ fuerint corporis passiones. *Nota exēplum.* Dialecticus igitur vanè, & inutiliter demōstrat, in hunc modum colligens, omnis appetens vindictæ est iracundus, biliosus vindictę est appetens, ergo iracundus: siquidem ex his, quæ nūc dicebamus, nec assumptæ propositiones semper verę sint, neq; id colligitur. Naturalis exactiùs ex definiti causis sic colligit, ira est vltionis ex illata iniuria appetitio cū feruore sanguinis in corde, vbi causę definiti exponūtur, &c. Quare Dialecticus, & Naturalis, licet vterq; in suis definitionibus formam admittat, diuerso tamē modo: nam Dialecticus absolutè, & cum præcisione à materia, quo modo causa non est: Naturalis autem, vt est in materia, formam ipsam considerat, qua ratione, passionum atq; operationum causa est.

Notandū 2. bifariā Dialecticum definire. Aduertendum secundò, bifariam finitionem aliquam Dialecticam vocari, Primò, quia per terminos dialecticos, quos vocant secundæ intentionis, datur, vt cùm nomen, verbum, propositio, syllogismus definiuntur. Secundò, quia modo dialectico, hoc est abstractè & in communi traduntur, vt sunt illę, quas iam nunc adferebamus, vbi iracūdus definiebatur vindictæ appetens. Primò igitur modo Logica, quam docentem vocant, nomina secundæ intentionis pro formali definit, qua ratione integras adducit definitiones sufficientes, vt passiones proprię de proprijs subiectis cōcludātur: quare

de his definitionibus, atque definiendi genere Aristoteles non intelligitur.

Secundo autem modo Logicæ pars, quę vtens nuncupatur, definit: Logica enim, vt alijs disciplinis veluti earum organū applicatur, per genus, & differentiā absolute definit, non ponendo per se causam aliquam ipsius operationis, atq; passionis. Quo definiēdi genere Aristoteles præsenti loco pronuntiat, Logicum vanè, & inutiliter definire: quoniā huiusmodi omnes finitiones cōmunes sunt, & non propriæ: at in scientijs, ex proprijs, & nō cōmunibus est procedendū, vt Aristoteles lib. 1. Post. à cap. 4. ad. 9. vsq; ostendit: Naturalis autem, non per communes, sed per proprias rerū rationes, quæ verè in essendo operationum causa sint: sed Mathematicus proprijs, & per se causis in cognoscendo vtitur.

Tex. 16. Diuerso autem modo Naturalis, & differēdi artifex, vnūquodque ipsorum definiet. Nam aliter iram appetitionem esse dicet doloris vicissim aduersario inferendi, aut aliquid tale: alter sanguinis, aut caloris eius, qui circa cor est, feruorē, ebullitionē mve: atq; alter materiem, alter formā hoc pacto reddit, & rationē. Hæc enim est ratio rei, quam necesse est si fuerit, in tali materia esse: sic enim & domus assignari definitio solet. Nam quidam talem eius rationem assignat, esse dicens tegmentum, quod quidam prohibere, propulsareq; potest incommoditates eas, quæ tum à ventis, tum ab imbribus, tum etiam ab æstu fieri, euenireq; solent. Quidā dicit lapides esse, lateres, atq; ligna. At alius formam in hisce ponit, horū dicendo gratia. Quis igitur istorum est Naturalis? is ne qui materiam assignat, & rationem ignorat? an is, qui solam rationem reddit, & materiam ipsam omittit? an is potiùs, qui vtranq; complectitur? At illorū vterq; quis est?

Ex superioris textus expositione præsens satis liquet: siquidem in eo dumtaxat traduntur eorum, quæ diximus, exempla, quibus ostenditur, quid intersit inter naturalem, atq; differendi artificem, in iræ, atq; domus finitionibus construendis, in quibus Dialecticus, cùm in communi absolutè definiat, materiæ obliuisci videtur: quam minimè prætereit Physicus: quinimo, vt formam definiat in materia subsistentem, materiam necessariò considerat. Hæc autem ex his, quæ proximo tex. diximus, patent. Exempla autem, quia in textu satis sunt perspicua, superuacaneè repeterentur: ideò pergendum.

At enim cōstat neminem esse, qui circa materiæ versetur affectus non separabiles, & vt non separabiles sunt, præter ipsum Philosophum naturalē. Etenim Naturalis circa omnia ea versatur, quæ talis corporis, talisq; materiei sunt operationes, atq; affectus: circa autem ea, quæ talia nō sunt, non Naturalis, sed alius solet versari. Atq; de nōnullis quidem considerat, si fortè fuerit artifex, faber inquam, vel medicus. De his autē, quæ separabilia quidem non sunt, attamen non vt affectus corporis talis, sed abstractione sumuntur, Mathematicus. At ea, quę sunt separata, & vt talia sunt, ipse priùs Philosophus contemplatur. Tex. 17.

Postremis verbis præcedentis textus dubitationem quandā insinuauit Aristoteles, dum

dum dicit *at illorum vterq; quis eſt?* videlicet quiſnam eſſet, qui formam conſideraret? quis etiam, qui materiam? quis inſuper artifex ſit, qui vtranq; contempletur? videbatur enim Ariſtoteles innuere ex dictis ſolutã eſſe dubitationem: ſed eam amplius explicat, dum exactius inter Phyſicum, & reliquos artifices diſcrimen ſtatuit, eo animo, vt ex hac digreſsione intelligamus, definitionem animæ, de qua ſuſcipitur diſputatio, debere tradi phyſice per formã in materia propria, & ſubiecto: quia hæc ſcientia eſt de tali anima, id eſt, in proprio ſubiecto: cùm artifices omnes, atq; Philoſophiæ partes ſecũdùm definitiones, definiendiq; modos ſumantur, quæ eſt definitionum, erit etiam & ipſorum artificum differentia: dictum enim non ſemel eſt, definitionem virtute quadam ipſam eſſe demonſtrationem. Quamobrem, cùm Phyſicus formas in materia conſideret, non has, aut illas, ſed vniuerſas materiæ affectiones tractet, non ſolùm eas, quarum natura principium eſt, verùm eas etiam formas verſat, quarũ ars ipſa principium eſſe videtur. Qua vna ratione, à Nauta, Medico, & Chirurgo, & huiuſcemodi alijs artificibus Phyſicus ſeiungitur: quoniam hi omnes priuatas materiæ affectiones duntaxat conſiderant: cùm tamen Phyſicus vniuerſas materiæ paſsiones, tanquam proprias ſpeculari videatur: cæteri etiam, non modò de quibuſdam duntaxat negotiantur, ſed adhuc ab illa ſpeculatione degenerãtes, in praxim, & operationem deſcendunt: diſtinguuntur igitur remotione, id eſt, ſolitaria determinatarum affectionum conſideratione, qua ij ad ſingularia deſcendunt, atq; practice magis, quàm ſpeculatiuè occupantur. Nam circa corporis mobilis affectiones vniuerſas, Phyſicus tractat: circa autem ea, quæ talia non ſunt, Mathematicus, qui de mobilibus abſtracte, & immobiliter conſiderat. Primus autem Philoſophus de ſimpliciter immobili tractat: quæ etiam lib. 2. Phy. tex. 71. &. 6. Met. tex. 1. &. 2. dixerat, vt diſtinguas ſciẽtias, & artes quinq;, Phyſici, Artificis particularis, vt Medici, Dialectici, Mathematici, & Philoſophi, & tres modos definiendi, ex materia, & forma Phyſicus: ex forma Dialecticus: ex materia, & forma in cognoſcendo Mathematicus: ex ſola materia nullus artifex definit.

Quò Ariſtotelis mens tẽdat.

Elegãs dictorũ ſũma.

Sed eò redeundum eſt, vnde noſtra defluxit oratio. Dicebamus autem affectus animæ eſſe inſeparabiles ab animalium naturali materia, vt tales ſunt: & non vt ſeparatur linea, ſuperficiesq;, ſic iram, & metum à ſubiecta ſibi materia ſeparari. *Tex. 18.*

Epilogus eſt capitis, & quaſi præparatio quædam ad continuandum inceptum de anima ſermonem: litera enim plana eſt. Idcirco poſtquam conſtat animæ doctrinam inter Phyſicas præſtãtiſsimam eſſe, exactã, & difficilem, ſed maximè vtilem (quę tunc omnibus erit numeris abſoluta, cùm de eſſentia, potẽtijs, affectibúsq; communibus, & proprijs diſputauerit, affectus ſingulos quoſq; propriæ materiæ accommodando) ratio poſtulat, vt pro tyronibus, & ijs, qui rigoroſum licẽtiarum gradum ſubeunt, de more noſtro capitis ſummam ſubijciamus, qua & Ariſtotelem in compendium redactum exhibeamus, & adoleſcentium crucem tolerabiliorem relinquamus.

Qua occaſione Autor poſt textus expoſitionẽ capitum ſummã ſubijciat.

CAPITIS SVMMA.

In hoc artificioſiſsimo procemio Ariſtoteles tribus concluſionibus, quaſi per proprios Rhetorum locos, beneuolentiam ex dignitate atq; commoditate, docilitatem ex methodo, ex difficultate autem lectorũ attentionem captat. Pro attentione autem exactiùs aucupanda, duodecim poſteriùs ſoluendas dubitationes inducit: ad duodecimam verò principium, vnde animæ ſeparabilitas pendet, conniuere videtur. Ex quibus tandem tria infert corolaria, atq; Phyſici à reliquis diſciplinarum artificibus differentiam vnam.

1. cõ. qua beneuolẽtia ex dignitate, atque ſcientię præſtãtia captatur.

Cùm ſcientia omnis honeſta atq; honorabilis ſit, & vna alia magis, vel methodi certitudine, aut ſubiecti præſtantia, præſens animæ contemplatio ob vtrumq; ante omnes ponenda eſt: ad veritatem enim omnem conferre videtur: quoniam anima animalium omnium principium eſt.

2. cõ. qua docilitas ex methodo extorquetur.

Naturam autem eius non abſq; ordine tractabimus: nam primò naturam eius, accidentia deinceps explorabimus, & quæ affectiones animæ pro-

3. cõ. quã attẽtio ex 12. difficultatib' petitur. — *propriæ, quæ verò communes sint.* ¶ *Difficillimum verò est de ipsa exactam fidem habere: nam communis quæstio est, an sit vna quædam via definitiones inuestigandi, an plures, & quæ illæ sint.*
Prima. — ¶ *An scilicet per diuisionem, demonstrationem ve inuestigãda sit animæ finitio.*
Secunda. — ¶ *Deinde genus animæ quærendum, in substantia scilicet, an quantitate, qualitate, aut alio quouis prædicamento collocetur.*
Tertia. — ¶ *Rursum non parum interest, potentia sit, an actus intelligere.*
Quarta. — ¶ *Atq; partibilis sit, an impartibilis.*
Quinta. — ¶ *Similiter, an omnis anima eiusdem sit speciei, ambigitur.*
Sexta. — ¶ *Præterea genere, an dumtaxat specie differant.*
Septima. — ¶ *Nec prætereundum, vtrum vna sit animæ ratio, an singularum animarum singulæ: cùm quod vniuersale est, nil sit, aut posterius sit.*
Octaua. — ¶ *Insuper si in eodem vna sola anima sit, vtrum ipsam priùs, an partes perscrutari debeamus.*
Nona. — ¶ *Difficilè etiam determinabitur, an partes diuersæ sint.*
Decima. — ¶ *Et vtrum priùs à potentiis, quàm ab operationibus inchoandum.*
Vndecima. — ¶ *Et vtrum priùs de obiectis, quàm de actibus, ipsum enim quod quid est demonstrationis videtur principium: è diuerso accidentia magnam adferunt opem ad illud percipiendum. Ob idq; dialecticæ finitiones, quibus accidentia haud percipiuntur, vanæ & inutiles censentur.*

Duodecima. — ¶ *Postremò non leuis est dubitatio, an animæ passiones propriæ sint solius animæ, an corpori etiam communes.*
Principiũ — ¶ *Opus autem est, id perscrutemur: maximè autem propria operatio ipsum intelligere videtur: nam si operationum animæ aliqua propria est, ipsam separari continget, sed si imaginatio sit, aut non sine imaginatione, sine corpore esse non poterit.*
Corolariũ primum. — ¶ *Quare patet affectuum rationes in materia esse.*
Corolarium. 2. — ¶ *Palam etiam est, finitiones subiectum, efficiens, atq; finem exprimere debere.*
Corolarium. 3. — ¶ *Idcirco perspicuum est, naturalis Philosophi interesse de anima, vel omni, vel tali considerare.*
Differentia. — ¶ *Differant autem Naturalis, atq; differendi artifex, quoniam ille formam cum materia cõtemplatur, & qui circa materiæ versantur affectus. Etenim Naturalis circa omnia ea versatur, quæ corporis mobilis affectiones sunt. At operarii artifices (faber inquam, vel Medicus) de nonnullis in particulari considerant. Dialecticus tamen formam citra materiam cõtemplatur. Atq; Mathematicus de mobilibus abstractione consideret. Primus autem Philosophus de separatis, & incorruptibilibus, vt talia sunt, contemplatur. Sed ad animæ tractationẽ, vnde nostra defluxit oratio, reddeundum est.*

Ad hunc locum cùm accessi, mecum ipse addubitare cœpi, num primi huius libri portionem residuam (quæ antiquorum de anima est narratio) meis commentarijs illustrarem: quoniam licet libris de cælo, atq; de generatione nunquã animo insedit fine antiquorum libris contra inauditam partẽ sententiam ferre: hìc tamen, tum ob materiæ dignitatem atq; præstantiã, aliásq; plurimas cõmoditates, tum etiam quia Arist. inter antiquorum recitandas, & refutandas sententias nonnunquam propriam ipse intermisceat: animo hæreo meo, dum cõtemplor, nullam esse Arist. commentationem illustriorem, in qua ipse magis ingenij sui vim, & sublimitatem ostenderit, siue copiam, & rerum varietatẽ quæras, siue quæstionum multitudinem mediteris, siue pulcherrimæ doctrinæ suauitatem, & subtilissimam vbertatem animo tuo verses: cæterùm vincit ingẽs desiderium, quo te prosequor studiose lector, atq; cupio tibi pro virili mea compendiariam viam tradere. Ne igitur longiùs sermo protraheretur, vnde tædio essem lectori, & cõpellerer à grauioribus quæstionibus abstinere, supersedere placuit, atq; ab obsoletis sentẽtijs manum paulisper suspẽdere, vt vacet ea dicere, quę doctissima & fœlicissima nostra ætas quotidie versat, atq; cupit. Quapropter cõmodiùs putaui, ab ipso lare (vt dicitur) atq; à familiaribus & domesticis exordiri, à quibus optimè quiq; magistratus in sua moderãda republica initiũ faciunt, & nos quoq; in disciplinis tradendis primitias doctrinæ, veritati potiùs, quàm antiquorũ erratis immolare debemus. Nam etsi rectũ & exactũ fuerit Arist. iudicium, qui naturæ ordinem sequutus (quæ ad formam inducendã priùs materiam præparat, atq; certis dispositionibus afficit, quibus expulso contrario firmũ sit domicilium & formæ habitaculum) vt sit huic doctrinæ commodus locus, atq; ad eam suscipiẽdam intellectus præpararetur, primùm euellat errores, & funditùs eradicet falsas de anima existimationes. Mihi tamen visum est, surdo nõ maledicere, atq; absentibus, & non audientibus non derogare: esset enim cum laruis luctari, si antiquitatẽ, quam nec de nomine, nedum de facie cognoscimus, quorumq; placita, & scripta ad nostras manus minimè peruenerũt, maledictis insectaremur. Compescendum nobis fore existimaui, sat illis adlatrauit Arist. vt viam præmonstraret ad futuram de anima notionem, antiquorum impedimenta

Cõsiliũ Autoris, quod initio 3. lib. de anim. repetit.

Leuit. 19.

menta longius proiecit, in quibus si nos immoraremur, similes videremur catellis, qui lapides iactos mordent, ipsos autē, qui iecerunt, minimè attingunt. Pugnatum iam est ab Arist. contra illos, non est cur semel iugulatos iterum iugulemus, & mortuos ab Orco reuocemus, & exsepeliamus: esset enim actum agere, si antiquorum sentētias à nemine non damnatas de proposito impugnaremus, aut si disputationem nostram pede fixo aduersus sententias omnium suffragijs reiectas, institueremus: non secus ac qui rem vituperaret ab omnibus satis per se detestatam: præsertim cùm nos lateat, quid dixerint, quidve senserint, aut quomodo explicuerint. Quare contentus debes esse lector charissime, harum opinionū recitatione, & impugnatione per Arist. facta, quæ nos pro nostra virili marginalibus annotatiunculis iuuimus, & illustrauimus, quibus & tibi & mihi consulo, dum distinctè admoneo eorum, quæ annotatu digna sunt: vtinam hoc compēdium nullum dispēdium adferat: polliceor enim tibi, quicquid est in his philosophicum, atq; scitu dignum, in reliquis libris aptè, & accōmodatè tradituram. Patere ergo bono animo, vt mente Aristotelis proposita circa antiquitatem, veritatem huius doctrinæ aperiamus.

CAPVT SECVNDVM.

ARGVMENTVM SECVNDI CAPITIS.

Hoc secundo capite Arist. aliquot antiquorum de anima refert opiniones. Quæ enarratio ad quærendum, & ad inueniendum conducit, teste Simplicio: solutiones enim dubiorum veritatis sunt inuentio & confirmatio. 1. cæl. tex. 101. &. 2. cæl. tex. 34. &. 3. Metaph. tex. 2. &. 3. Metaph. tex. 1. &. 7. eth. cap. 14.

Tex. 19. Cōuenit omnibus hoc, quòd animatū ab inanimato duobus differt, sensu scilicet, & motu.

Verumenimuero necesse est considerantes de anima, & de his dubitantes, ac ambigentes quæ nos oportet procedentes inuenire, atq; percipere, in medium eorum antiquorum afferamus opiniones, qui de anima tractarunt aliquid, atq; dixerunt, vt ea quidem accipiamus, quæ benè sunt dicta: ab his autem caueamus, quæ non benè, recteq; dicta fuere. Initium autem inquisitionis hoc erit profectò congruum, si priùs posuerimus ea, quæ maximè videntur animæ competere suapte natura. Animatum itaq; duobus his ab inanimato maximè differre videtur, motu, ac sensu. A maioribus etiam nostris hæc duo ferè de anima accepimus.

Tex. 20. Ex parte motus tres sūt opiniones. 1. Democriti atq; Leucippi.

Inquiunt enim nonnulli animam id esse, quod maximè, primóq; mouet, atq; existimantes fieri non posse, vt id aliud quicquam moueat, quod non moueatur, animam vnū quid eorum esse putarunt, quæ motu cientur. Quocirca Democritus ignem, atq; calorem ipsam censuit esse: nā cùm sint infinitæ figuræ, ac indiuidua corpora, rotunda dicit ignē, & animā esse. Hæc indiuidua corpora, similia corpusculis, sit esse, quæ in aëre ferri videntur, in ipsis inquam radijs, qui per fenestram ingrediuntur, & rerum elementa generandarum, seminaq; totius esse naturæ dixit. Eadem & Leucippus ille censebat. Horum igitur corporum ea, quæ sunt rotunda, ignem, ac animam asserunt esse, propterea quòd maximè omnium figuræ tales totum corpus ingredi, penetrareq; possunt, atq; cætera mouere, cùm moueantur & ipsa: arbitrantur enim animam id esse, quod motum animalibus præbet.

Animā motu discernētibus, cōuenit, animā mouētem & motā facere.

Per corpuscula in aëre mota intelligit decisiones, aut ramenta, siue atomos maximè mobiles.

Tex. 21.

Quapropter & respirationem, viuendi rationem, atque causam esse putant: nam eo, quod continet, contrahente corpora, comprimenteve, ac extrudente figuras eas, quæ præbent animalibus motum, quia nec ipsæ vnquam quiescunt, succursum, auxiliumq; respiratione fieri dicunt, ingredientibus aliis figuris similibus, quæ quidem ingredi prohibent ipsas, quæ animalibus insunt, id repellendo quod contrahit, atq; premit & eousq; viuere animalia, quousq; id facere possunt.

Tex. 22.

2. opinio ex parte mot', quæ attribuitur Pythagoræ, quā Aug. lib. 8. de ciuit. cap. 2. Archelao Magistro Socratis ascribit.

In hoc ij oēs decipiebātur.

Hoc est, summa sit aëris trāquilitas.

Videtur autem & id, quod à nonnullis Pythagoricis dicitur, eandem habere sententiam. Quidam enim ipsos esse ea corpuscula, quæ agitantur in aëre, quidam id, quod illa mouet, ac agitat, animam esse dixerunt, propterea quòd continuè moueri videntur, etiam si nullus ventus penitus afflet. Eòdem feruntur & ii, qui dicunt animam id esse, quod seipsum agitat motu. Etenim omnes ii motum videntur putasse maximè proprium esse animæ, & alia quidem vniuersa per animam, hanc autem à seipsa moueri: quia nihil videbant mouere, quod non moueatur & ipsum.

Tex. 23.

3. opinio Anaxagoræ veritati propinquior.

Democritus differt ab Anaxagora.

Similiter & Anaxagoras id, quod mouet, animam esse dicit: & siquis alius censuit vniuersum, mentem mouisse: non tamen perinde penitus, atque Democritus. Is enim animam, & intellectum simpliciter idem esse putauit: etenim id, quod videtur, verum esse dicebat. Quocirca rectè dixisse inquit Homerum, Hectora iacere alia sapientem. Non igitur vt potentia quadam circa veritatem, vtitur mente, ac intellectu; sed idem esse animam dicit & intellectum.

Tex. 24.

Notanda verba.

Anaxagoras autem minus de ipsis explanat: multis enim in locis boni, rectiq; mentem causam esse dicit: alibi autem animam, ipsam mentem esse asserit: nam animalibus vniuersis, tam paruis, quàm magnis, tam præstabilibus, quàm minus etiam præstabilibus mentem inesse dicit. At ea mens tamen, & intellectus, cui prudentia tribuitur, non vniuersis similiter animalibus, quin etiam neq; cunctis hominibus inesse videtur.

Tex. 25.

Nūc statuit opiniones discernentium animam per sensum, quibus omnibus conuenit, cognitionem fieri per assimilationem: eius tamē modum non penetrarunt.

4. opinio Empedoclis

Omnes igitur ii, qui ad animatis respex erunt motum, maximè motiuum, animā esse putarunt. At qui cognitionem animaduerterunt ipsius, ac sensum, quibus res cognoscit, & sentit, ii dicunt animam ipsam principia rerum esse. At qui plura principia faciunt, hæc ipsa: qui verò vnum, illud ipsum animam esse censent. Empedocles enim ex elementis quidem vniuersis ipsam constare censet, tamen & vnumquodq; istorum animam esse putat. Dicit enim, Terrā nam terra, lympha cognoscimus vndā, Aetheráq; æthere, sanè ignis dignoscitur igne: Sic & amor amor, ac tristi discordia lite.

Tex. 26.

5. opinio Platonis, cuius sententia, simile cognoscitur simili.

Eodem & Plato modo, animam in Timæo ex elementis constare censet. Simili nanq; eius quoq; sententia, cognoscitur simile: & res ipsæ ex principiis sunt. Similiter determinatum est ab eodem, & in hisce, quæ de Philosophia dicuntur, animal quidem ipsum ex ipsius vnius idea, forma ve, & ex longitudine prima, & latitudine, profunditate ve constare: cætera verò simili modo.

Tex. 27.

Nota quatuor principia diiudicandi.

Insuper & alio pacto, intellectum quidem esse vnum ipsum, ipsa verò duo, scientiam: est enim ipsa tantum ad vnum procesio. Superficiei prætereà numerū, opinionem, solidi sensum: nam numeri quidem formæ ipsæ, & principia dicebantur: sunt autem ex elementis. Res verò partim intellectu, partim scientia, partim opinione, partim sensu diiudicantur, ac discernuntur: atq; hi numeri formæ sunt rerum.

Tex. 28.

Septem, quæ sequuntur, opiniones sumuntur ex parte vtriusq;, sensus scilicet, & motus.

In principiorum positione, antiquorum dissensio.

6. opinio quod sit numer' seipsum mouens.

Cùm autem anima motiuum, & cognitiuum sit, quidam vtrunque complexi sunt, atque animam numerum esse seipsum mouentem asseruerunt: omnes tamen de principiis quæ, & quot sunt, inter sese dissentire videntur, atque maximè quidem, ii qui corporea putant esse, ab hisce dissentiunt, qui incorporea ponunt, minus autem ab iis, qui composuerunt, & ex vtrisq; principia rerum assignauerunt. Dissentiunt etiam & de multitudine eorundem, quidam enim vnum, quidā plura principia dicunt esse.

Tex. 29.

Ignis subtilior inter elemēta.

Atque vt de principiis senserunt, sic de anima etiam determinarunt, non enim abest à ratione in primorum natura mouendi causam collocare. Quapropter ignis quibusdam esse videtur: is enim subtilissimarum est partiū & longè magis, quā elementa cætera, incorporeus: mouetur insuper, & cætera primò mouet.

Tex. 30.

Democritus.

Figuræ rotundę excellentia.

Democritus autem & subtilius dixit, cùm assignauit cur est istorum vtrūq;: dixit enim animam quidem mentemq; idem esse, hoc autem ex ipsis primis atque indiuisibilibus corporibus esse, atque ob partium quidem subtilitatem, mouere, ob figuram verò, moueri: figurarum autem omnium mobilissimam, figuram

figuram rotundam aſſerit, talemq́; eſſe intellectum, & ignem.

Tex. 31.

Anaxagoras notanda de anima dicit.

At Anaxagoras videtur quidem aliud animam, aliud intellectum, mētémve dicere, quemadmodum & anteà diximus: vtitur tamen vtriſq́;, perinde atque vna natura. Verùm mentē principium maximè omnium ponit: ſolam nanq́; rerum omnium ipſam, ſimplicem, & nō miſtam, & purā eſſe, ſyncerámq́; dixit. Atque eidē principio hæc vtraq́; tribuit, cognitionem, inquam, et motum, dicens vniuerſum mentem mouiſſe.

Tex. 32.

7. opinio Thaletis, anima eſt id, quod mouet, vt magnes ferrum.

8. opinio Diogenis, quòd ſit aër.

Thales etiam videtur ex hiſce, quæ tradita memoriæ ſunt, motiuum quiddam animam ipſam eſſe putaſſe: ſiquidem dixit magnetem habere animam, quia mouet, trahitq́; ferrum. Diogenes autem ſicut & alii quidam, aërem ipſam cenſuit eſſe, hunc ſubtiliſsimæ ſubſtantiæ, rerumq́; principium eſſe putans. Idcirco cognoſcere, atque mouere, animam dixit: hoc quidem cognoſcere, quo primum eſt, ex hoc ipſo cætera conſtant: hoc autē eſſe motiuum, quo ſubtiliſsimum eſt. Heraclitus quoque principium ait animam eſſe: quippe cùm exhalationem eſſe, ex qua cætera dicit conſtare, & maximè incorporeum eſſe, & ſemper fluere dicat: atq́; id quod mouetur, eo, quod motu cietur, cognoſci conſtat. Moueri autem res vniuerſas; & ipſe, & alii complures arbitrabantur. Simili modo & Alcmæon de anima putaſſe videtur. Dicit enim ipſam immortalem eſſe, ex eo, quia ſimilis ipſis immortalibus eſt: quod quidem ideo dixit ipſi competere, quia ſemper mouetur: mouentur enim & res omnes diuinæ cōtinuè ſemper: Luna, inquam, Sol, Stellæ, totumq́; Cælū. Quidā, & magis importuni, animam aquam eſſe dixerunt, vt Hippon, qui quidem ad hanc ſententiam ratione ſeminis videtur eſſe compulſus, quia omnium ſemen humidum eſt: etenim redarguit eos, qui ſanguinem animam aſſerunt, quia ſemen ſanguis nō eſt, hoc autem primam animam eſſe dicit. Sūt & qui ſanguinem ipſam eſſe dixerūt, vt Crytias, ſentire ipſum maximè proprium animæ eſſe putantes: quod quidem competere propter naturam ſanguinis, crediderunt. Ita omnia elemēta, præter terram, iudicem habuerūt: hanc autem nemo tribuit animæ, niſi quis ipſam dixerit ex omnibus elemētis conſtare, aut omnia eſſe.

9. opinio Heracliti, quòd ſit exhalatio, vt mediet inter aërem, & aquā.

10. opinio Alcmæonis, quòd anima ſit immortalis, & diuina.

11. opinio Hipponis, quòd anima ſit aqua.

12. opinio Crytię, quòd anima ſit ſanguis.

Nullus Philoſophus poſuit terram animę principiū, pręterquā Heſiodus, vt. 4. Phyſ. tex. 6. & 1. Metaph. c. 4. ſed huius patrocinium pro terra paruę eſt autoritatis, quia antecesſit tēpora Philoſophorū, & magis fuit Poëta, quàm Philoſophus, quē Rhetorem aut Cauſidicum & Legiſtam rectè appellares.

Tex. 33.

Epilogus eſt omniū opinionū, quas in aciē redigit Ariſt, & ad tria reuocat, quę neceſſariò ad rationē principij cōcurrunt. 1. quòd ſit ſimplex, vt aīa ſit quid ſubtiliſsimū. 2. ꝙ cognitiuū, vnde aīa ex ſimilib⁹. 3. ꝙ ſit motiuū. Ideo aīa principiū erat motus, & cognitionis, ob idq́; incorporale.

Vt igitur in ſummam omnia redigamus, tribus his omnes animam, motu, ſenſu, incorporeóq́; definiunt: quorum vnumquodq́; reducitur ad principia rerum, vt patuit. Quapropter & ii, qui cognitione definiunt animam: aut elementum, aut ex elementis faciunt ipſam, ſimiliter omnes præter vnum, dicentes, Inquiunt enim, ſimile ſimili cognoſci: atq́; cùm vniuerſa cognoſcat, ac percipiat

piat anima,ex vniuersis rerum principiis ipsam constare dicunt.

Tex. 34. *Quibus igitur placuit vnam causam, vnumq; elementum ponere rerum: ii animam etiam vnum, velut ignem, aut aërem esse ponunt. Qui verò plura rebus principia tribuunt, ii plura quoque dicunt animam esse. Solus autem Anaxagoras mentem passione vacare dicit, & nihil prorsus cum cæteris habere commune. Verùm cùm talis sit, quonam pacto cognoscat, & quam ob causam, neq; ille dixit, neq; ex dictis perspici potest.*

Anaxagoræ hanc sententiam laudat. 8 phis. tex. 37.

Tex. 35. *At verò qui contrarietates in principiis faciunt, ii conficiunt animam etiam ex contrariis: qui verò tantùm alterum ponunt contrariorum, calidum, inquam, aut frigidum, aut aliquid aliud huiuscemodi, ii similiter & animam vnum istorum asserunt esse. Quapropter & nomina ipsa sequuntur: nam ii, qui calidum esse dicunt, inde inquiunt ipsum viuere ductum, nominatumq; fuisse: & ii rursus, qui frigidum esse censent, animam inde nuncupatam ob respirationem, & refrigerationem asserunt esse. Hæc igitur sunt, quæ de anima tradita sunt à Maioribus nostris, & hæ sunt causæ, ob quas illi talia de ipsa dixerunt.*

CAPVT TERTIVM.

ARGVMENTVM tertij capitis.

Hîc disputat contra iam positas opiniones, atq; ostendit Arist. animã neq; ignem esse, neq; seipsam mouere; septẽ rationibus. Et probat contra Platonem animam non esse magnitudinem, neq; ex magnitudinibus cõstare, octo rationibus. In quibus rationibus cautè aduertendũ, non omnes esse efficaces: quoniam non procedunt absolutè ex veris, sed ex hypothesi, & datis ad hominem, vt dicitur: eum enim, qui ex falsis procedit, sat est ex concessis reuincere.

Tex. 36. *Considerandum est autem primùm de motu. Nam fortasse non solùm falsum est, substantiam animæ talem esse, qualem ii dicunt, qui id animam asserunt esse, quod seipsum mouet, aut mouere potest: sed etiam vnum id esse quoddam videtur eorum, quæ nequeunt esse, motum, inquam, ipsi inesse, atque competere. Non necessarium igitur esse, id omne moueri, quod mouet, olim iam diximus, & probauimus.*

Primùm omnium vniuersale antiquorũ fundamentum extirpat, scilicet, quòd si aliquid mouet, illud mouetur. Prima ratio.

Tex. 37. 2. ratio. *Cùm autem omne, quod motu cietur, dupliciter moueatur, aut enim per aliud, aut per se mouetur: per aliud autem id omne moueri dicimus, quod est in eo, quod motu cietur, vt nauigantes: hi nanq; non perinde atq; nauis mouentur: hæc enim per se mouetur, illi motu cientur, quia sunt in eo, quod motu cietur: quod quidem ita esse, patet in partibus: motus enim proprius pedum est ambulatio, qua mouentur & homines: tunc autem hisce motus non inest, vt patet in nauigantibus. Cùm igitur id, quod mouetur (vt diximus) bifariàm dicatur moueri, consideremus nũc oportet de anima, si per se moueatur, motusq; particeps sit.*

Moueri bifariã per se & per aliud, per aliud autem quodã ad per se reducitur, quodam autem simpliciter est per accidens, & ab extrinseco.

Tex. 38. *Cùm igitur quatuor sint motus, latio, alteratio, accretio, atque decretio, aut istorum vno, aut pluribus, aut omnibus, vt patet, mouebitur. Quod si non per accidens moueatur, natura sanè motus inerit ipsi: at si hoc sit, locus etiam eidem identidem competet: omnes enim iam dicti motus in loco sunt.*

Quatuor motus species.

Tex. 39. *Quòd si substantia sit animæ seipsam motu ciere, non per accidens inerit ipsi motus, vt inest albedini, aut tricubito, mouentur enim & ipsa, verùm per accidens: quippe cùm corpus id moueatur, cui res tales insunt. Quapropter & locus nullus ipsorum est. At erit animæ sine cõtrouersia locus, si natura motus particeps*

ticeps est. Præterea si natura motu cietur, vi quoq; moueri potest: & si vi mouetur, & natura moueri potest. Eodem modo de quiete quoq; dicere possumus: in hoc enim natura res quiescere solet, in quod suapte natura mouetur. In hoc pari modo vi planè quiescit, in quod vi pulsa mouetur. Atqui motus erunt animæ violenti, quietes vè? neque si fingere volumus, assignare facilè possumus.

3.ratio, quæ vel intelligenda de motu elementi, non de motu cæli, vel meliùs ex datis ab antiquis, de qua lib. 2. de cæl. latius.

Tex.40. *At verò si sursum mouebitur, ignis: si deorsum, terra: hisce nanq; corporibus hi motus competunt. Eadem est & de medijs corporibus ratio.*

4.ratio.

Tex.41. *Præterea cùm videatur anima corpus mouere, rationi consentaneum est, iis motibus ipsum mouere, quibus & ipsa mouetur. Quòd si id sit, conuertendo verè quoq; dicere possumus, eo ipsam motu cieri, quo mouetur & corpus: at latione corpus mouetur. Quare mutabitur & anima perinde atq; corpus, & aut tota, aut partibus locum mutabit. Quod si id fieri potest, fieri quoq; potest vt egressa, rursus corpus ingrediatur: ex quo fiet, vt animalium ea, quæ mortem obierunt, resurgant.*

5.ratio.

De resurrectione notandum, quia secundùm ipsum Arist. nō est per naturam possibilis. Idē insinuat. 2. de gener. cap. vltimo.

Tex.42. *At enim motu per accidens ab alio quoq; mouebitur: animal enim vi pelli potest. Non autem oportet cuius in substantia inest, à seipso moueri, id ab alio motu cieri, nisi per accidens: quemadmodum neq; quod per se, vel propter se bonum est, id per aliud oportet, aut gratia cuiuspiam esse.*

6.ratio.

Per se bonum non est ratio alterius.

Tex.43. *Animam autem, si mouetur, à sensibilibus maximè quispiam dicet moueri. At verò si mouet seipsam anima, & ipsa quoq; mouetur. Quare cùm omnis motus, exitus, atque remotio sit eius, quod motu cietur ea ratione, qua motum subit, anima nimirum ex substantia dimouetur, & exit, nisi seipsam per accidens moueat. At motus, vt inquiunt, substantiæ est ipsius per se.*

Motus ipsius substantię est per se.

Tex.44. Democritus. *Quidam autem asserunt, animam id corpus, in quo est, eodem mouere modo, quo & ipsa mouetur, vt Democritus, qui quidem perinde, atque Philippus Comicus dicit. Ille nanq; Dædalum ait ligneam Venerem confecisse, quæ motu mouebatur argenti viui, quod in illa infudit. Et Democritus pari modo pilas indiuisibiles secum trahere corpus totum, atque mouere dicit, ex eo quia nunquam ipsæ quiescunt suapte natura; desinuntq; moueri. Nos autem ipsum interrogabimus, si quietem etiam idipsum faciat vnquam. At quonam pacto quietem faciet, dificile est dictu, vel potiùs dici non potest. Omnino autem anima non sic mouere videtur animal, vt inquiunt ipsi, sed electione quadam, intellectione vè.*

Iam specialibus arguit, non cōmunibus rationibus, vt hactenus.

7.ratio.

Anima mouetur electione, & intellectione, nō necessitate naturali.

Tex.45. *Eodem autem modo Timæus etiam animam corpus mouere dicit. Mouere enim ipsam ex eo censet, atque asserit corpus, quia mouetur: propterea quòd ad ipsum connexa est. Ipse enim dicit ex elementis eam constitutam, numerisq; distinctam sonoris, vt insitum sonoritatis, atque concentus habeat sensum: & in vniuersum feratur consonis lationibus, rectitudinem coëgit, atque flexit in circulum, & cùm vnum in duos diuisisset circulos duobus in punctis coniunctos, rursum vnum in septem orbes diuisit: quoniam lationes ipsius cæli, motiones sunt animæ, quibus ipsa mouetur.*

Repetit opinionē Platonis, qui Democrito non erat concors in modo suæ cōstitutionis, & idētitatis.

Hęc Plato, quasi cæli motus essent animæ motus, & ecōuersò, cū tamē in cæli motibus sit idētitas respectu primi mobilis, & nō fit cōuersio, in anima autem quandoq; fit, licet contra naturam, vt lib. 3. de anim. tex. 57.

Tex.46. Aīa non est magnitudo cōtra Platonem. *Primùm igitur non rectè dicitur, animam magnitudinem esse: nam animam vniuersi talem ipse vult esse, qualis est ea, quæ mens, & intellectus vocatur, non qualis est sensitiua, nec qualis est ea, quæ est principium cupiendi: quippe cùm harum motus non sit, vt patet, conuersio.*

Nota pro aīę immortalitate, & in. q. ꝓpria ad calcē horum librorū, loco. 3.

Tex.47. Prima ratio cōtra Platonē. *Intellectus autē vnus est, & cōtinuus perinde, ac intellectio. Intellectio verò est ipsius intellectus conceptio. Sed hi nimirū vnum hoc sunt, quòd alius deinceps post aliū est, vti numerus, sed non vti magnitudo. Quocirca nec intellectus hoc pacto cōtinuus est, sed aut partib⁹ penitus vacat, aut nō est, vt magnitudo cōtinuus. Atq; si magnitudo sit, quonam pacto quacūq; suarum intel-*

Dū cōtra Platonē arguit Arist. nō semp rē, aut sensus, sed plerūq; verba insectatur, docēs pessima docēdi methodo vsū fuisse: quia tropicè loquebatur, cui⁹ meminit. 2. post. tex. 22. c. 15.

2.ratio,qua insinuat Arist.animā esse indiuisibilem,sicut ipsum intelligibile,quod est quidditas,quę in quolibet indiuiduo tota est.3.de anima.c.3.

liget partiū,siue illæ sint magnitudines,siue etiā puncta,si hæc quoq; partes appellare oporteat? Nā si puncto,puncta verò sunt infinita,nunquam pertrāsibit,vt patet. Sin magnitudine,sæpius,vel infinities idem intelliget. At videtur & semel intelligere posse. Quòd si sat est quauis partium tāgere,quid oportet,aut orbe versari,aut omnino magnitudinē ipsum habere? Quod si necessum est ipsum intelligere toto tangentē circulo,quis est ipsarum partium tactus?

Tex.48.

3.ratio,qua sat occultè Arist.tenet animā esse impartibilē,& secundū se indiuisibilem:pro hoc & pręcedēti textu lege.3.de anima cap.3.

4.ratio,qua ad metam contradictionis reducit, & discrimen inter speculatiuas,& practicas intellectiones cōstituit.

Differentia inter definitionem,& demonstrationem.

Intellige re nō est circulatio: quia circulus nō habet actu finē nec prīcipium, 8. phys. tex.79.

Præterea quonā pacto vel impartibili partibile,vel impartibile partibili ipse intelliget? necesse est autem intellectum esse circulum hūc: intellectus nanq; motus intellectio est,circuli verò conuersio. Si igitur intellectio conuersio est,& circulus is intellectus erit profectò,cuius talis conuersio intellectio est. Aliquid præterea semper intelliget. Oportet enim ipsum,aliquid intelligere semper:quippe cum conuersio sit perennis,atque perpetua. At constat intellectionum rerum earum, quæ cadunt sub actionem,terminos esse,ac fines:omnes enim alicuius sunt gratia. Contemplatiuæ quoq; rationibus identidem terminantur. Et rationum aliam definitionem,aliam demonstrationem esse patet. Demōstrationes autem & ex principio sunt,& finem habent quodammodo ratiocinationem,aut conclusionem. Quòd si non terminātur,at saltem non ad principium redeunt,sed medium,extremúmq; semper sumētes rectà proficiscuntur. At conuersio rursus, vt patet,ad principium redit, atq; reflectitur. Definitiones etiam finitæ sunt omnes,ac terminatæ. Præterea si sæpius eadem conuersio fiat,idem sæpius intelligere oportebit. Præterea intellectio quieti magis,& statui , quàm motui ,similis esse videtur:eodem modo & ipsa etiam ratiocinatio.

5.ratio.

6.ratio,cui cōsonat,quod.7.phys.tex.20.quia quieta est,residétq; aia,sciens fit & prudēs,quod enim quiescit,non fluctuat.

Tex.49.

7.ratio vim sumit ex his,quę.1.&.10.eth.de beatitudine dicit,ꝙ in operatione intellect' sita sit,ex qua mira voluptas capitur,cui dolor, & miseria dānatorum opponitur.

Nota ꝑ aīæ immortalitate,quia meli' est intellectui non esse cum corpore, vide. q. de immortalitate loco.3.

Atqui neq; beatū id est,quod nō est facile,sed violentum , vt patet. Quòd si motus nō sit ipsius substantia præter naturam sanè mouebitur. Laboriosum est etiam cōiunctū esse cū corpore,neq; absolui ab eo posse, & insuper maximopere fugiendū:quippe cùm melius sit intellectui nō esse cū corpore,quemadmodū & dici solet,& cōplures planè cōsentiūt.

Tex.50.

8.ratio.

Loquitur contra Platonem de anima vniuersi.

Ad librum.2.de cæl.cap.1.se remittit.

Causa præterea,qua cælum conuertitur,non videtur ex dictis illis emergere. Neque enim animæ substantia causa est conuersionis, sed per accidens hoc modo mouetur. Neque etiam corpus, sed anima corpori potius causa est motionis. At verò neque dicitur ita melius esse,& tamen oportebat ideo, Deum animam orbe versari facere, quia meliùs est ipsi moueri,quàm stare,& hoc pacto moueri,quàm alio modo. Verùm enim cùm huiuscemodi consideratio magis aliis accōmodetur sermonibus,ea nunc omittamus.

Tex.51.

Iam non peculiariter contra Platonē, sed contra vniuersos antiquos ostendit,diminutè de anima determinasse.

Illud autem absurdum euenire videtur tam huic sententiæ , quàm etiam compluribus aliis, quæ dicuntur de anima. Etenim coniungunt quidem animā cum corpore,ponūtq; ipsam in eo:& tamen nihil prorsus determinant,quam ob causam , & quomodo sese habente corpore: quod tamen necessarium esse videtur.

Tex.52.

Nam ob propinquitatem hoc quidem agit,illud patitur:& hoc rursus mouetur,illud autem mouet: quorum nihil sanè quibusuis inter sese competit.

Tex.53.

Aristoteli, anima format sibi corpus idoneum,non ingreditur,aut assumit præparatum,quo notatur Pythagorę opinio.

At illi dicere quidem , quale quid esse ipsa anima enituntur, de susceptiuo verò corpore nihil penitus dicunt,atque determinant , perinde quasi fieri possit, vt quæuis anima sine vllo discrimine quoduis corpus ingrediatur, vt Pythagoricorū fabulæ dicunt. Animantis enim cuiusq; propriam speciem habere, formámq; videtur. Perinde igitur dicunt,atque si quispiam artem fabrilem fistulas ingredi dicat. Etenim ars quidem instrumentis,anima verò corpore vtatur,oportet.

-Hæc in Græco desunt.

- Videtur enim vnumquodque propriam habere speciem,& formā.

Caput

CAPVT QVARTVM.

ARGVMENTVM IDEM EST, quod præcedentis capitis, scilicet reliquas opiniones refutare.

Tex.54. *Est autem & alia quædam opinio de anima tradita, probabilis quidem compluribus, & nulla earum inferior, quæ de ipsa dicuntur, reprobata tamen & hisce rationibus, quæ in communibus sermonibus fiunt. Animam enim harmoniam quandam inquiunt esse: harmoniam namq; temperationem esse, compositionemq; contrariorum dicunt: & corpus ex contrariis compositum esse.*

13. opinio, quam eisdē rationibus refutat, quibus sextam opinionē refellerat. Primò enim, quòd non sit harmonia, quatuor rationib⁹. Secūdò, quòd non sit numerus, octo, de quo Plato in Phędone.

Tex.55. *Verùm enim harmonia quidem ratio quædam eorum est, quæ sunt permista, vel etiam cōpositio. Anima autem neutrum istorum esse potest, vt patet: Præterea harmoniæ non est mouere: animæ autē id omnes maximè tribuunt.*

1. ratio, ꝙ anima non est harmonia naturalis, quæ est temperamētum, quoniam anima substantia est, temperamentum verò accidens.

Tex.56. *Accommodatiùs autem harmonia de sanitate, atq; omnino de virtutibus corporis, quàm de anima dici potest: atq; manifestissimum id erit profectò, si quispiam operationes, atq; effectus animæ in aliquam harmoniam reducere conatur: accommodare namq; perdifficile est.*

2. ratio.

3. ratio, quia harmonia dicitur de quibusdam, quę sunt accidētia animę. Vide. 4. phys. tex. 31.

Tex.57. *Præterea, in duo respicientes harmoniam dicere consueuimus: & propriissimè quidem earum magnitudinum cōpositionem, quæ motum habent, positionemvè, cùm adeo sunt coniunctæ, vt nihil eiusdem generis inter sese suscipere possint: hinc autem & rerum rationē mistarum. At neutro profectò modo consentaneam est rationi, harmoniam animā appellare. Neq; partium corporis compositio facilis est admodum inquisitionis: complures nāq; compositiones sunt, vt patet, & variæ partium. Cuius igitur, aut quonam pacto intellectum, aut etiam sensitiuum, aut appetitiuum, compositionem esse putare oportet?*

Quia anima virtus est substātialis incorporea.

4. ratio.

idest, cōcorditer ordinatę: nō est ergo harmonia, id est, elegātia ex debita partium conuenientia proueniens.

Compositio partiū corporis multùm est examinabilis, quia valde manifesta.

Tex.58. *Similiter absurdum est sanè, mistionis quoq; rationem animā esse putare. Non enim elementorū mistio rationē habet eandē in carne, & osse, cæterisq; corporis partibus. Fiet igitur, vt complures habeat animas, per totumq; corpus, si partes quidem vniuersi corporis ex elemētis constent permistis: ratio verò mistionis harmonia sit, vt inquiunt, animaq;.*

Nota, quòd non est eadem ratio carnis & ossis.

Vide S. Tho. 1. p. q. 76. art. 3. & 4. de vnitate formarum.

Tex.59. *Id etiā quispiā & ab Empedocle non iniuria petet, vnāquanq; nāq; partium aliqua ratione dicit esse cōfectam. Vtrū igitur ipsa ratio sit anima, an potiùs sit aliquid aliud anima, & ipsis membris adueniat? Præterea vtrū cuiusuis mistionis sine vllo discrimine causa sit ipsa cōcordia, an eius quæ ratione conficitur? Et hæc vtrum sit ipsa anima, an aliquid diuersum à ratione? Hæc igitur tales dubitationes habere vidētur.*

Empedoclem tribus interrogationibus vrget.

Tex.60. *Verùm si anima diuersum à mistione sit, vti diximus, cur vnà cùm ratione carnis, & cæterarum etiam animalis partium tollitur? Insuper si non vnaquæq; partium animam habeat, si non sit anima ratio mistionis, quid est, quo decedente, corrumpitur anima.*

Non sequitur, hoc posito, aut sublato, illud ponitur, aut aufertur, ergo sunt idē: quia sic se habēt calor, & ignis, quę sunt diuersa, sicut & harmonia, & aīa.

Tex.61. *Ex his igitur, quæ dicta sunt, patet animā nec harmoniam esse posse, nec orbe versari: per accidens tamen (vt diximus) moueri potest, & seipsam mouere: mouetur namq; corpus, in quo est: mouetur autem, vt patet, ab anima. Alio verò modo fieri nequit, vt ipsa moueatur motu ad locum accommodato.*

Anima per se non mouetur, & licet per accidens moueatur, non tamē circulariter.

Tex.62. *At enim rectiùs de hac ipsa quispiam ad talia respiciens dubitabit, putabitq; ipsam moueri. Dolere namq; dicimus animam, gaudere, confidere, timere, insuper irasci, sentire, ratiocinari, quæ quidem omnia motus esse videntur. Quapropter ipsam quispiam existimabit moueri.*

Antiquorū est obiectio probans animam moueri per se, non ex eo, quòd moueat corpus, sed ex proprijs animę functionibus.

Tex.63.

Soluit obiectionē secundùm propriam sententiā, quod alibi sæpe refutatis antiquis, in Physica, & Metaphysica obseruat, vt. 3. phys. c. 4. de infinito quæstionem determinat. 1. de cælo. c. 5. itaq; hæc est prima responsio, quòd functio animæ nō est necessariò absq; corpore.

Verùm id non necessarium est: nam etsi quàm maximè dolere, vel gaudere, vel ratiocinari motus sunt, vel potiùs moueri, tamen ipsum moueri, ab anima est. Irasci nāq;, aut timere est hoc modo moueri cor: ratiocinari autem, aut tale forsitan est, aut etiam aliud. Atq; quædam istorum fiūt, cùm aliqua latione mouentur: quædam, cùm aliqua alterantur. Quænā verò sint illa, & quomodo fiant, alia ratio est.

Tex.64.

2. est respōsio, ꝙ nō omnis aīæ functio est à corpore, aliquāq; anima incipere potest primò, anima enim ratio est agēdi, corpus ratio patiēdi: totū autē (cuius priùs est cōpletum esse) est, quod agit: vnde elicitur tritum illud, ꝙ actiones sunt suppositorū, quāuis ex cōtextura alij dicant sufficere, vt sint rerum singularium.

Dicere autem animam irasci, vel timere, simile est atque si quispiam animam texere dicat, vel ædificare. Nam meliùs est fortasse dicere, non animam, sed hominem anima misereri, vel discere, vel ratiocinari: idque non quia motus in illa sit, sed quia nonnunquam quidem vsque ad illam, nonnunquam verò ab illa: veluti sensus quidem ex hisce, recordatio autem ab illa ad eos motus, vel status, qui sunt in ipsorum sensuum instrumentis.

Vult Arist. motus animæ esse coniuncti: at de intellectione dubius est, si solius sit animæ? Pro veritate huius vide. S. Tho. 1. 2. q. 4. art. 5. & 1. p. q. 75. art. 2. qui hîc, quod attinet ad Aristot. asserit, hoc testimonium (actiones sunt suppositorum) frequentissimè citari, tamen nō esse veritatis definitiuum, aut rei distinctiuū, sed obuiatiuum, vt antiquis, & vulgaribus obuiet, qui credebant animam solam moueri, cùm afficitur non moto externo aliquo membro, cùm tamen affectus animę, quandiu in corpore est, non sit sine interno aliquo organo ipsius coniuncti.

Tex.65.

Nota, ꝙ intellectus dicitur innasci & compleri, atq; generari, & corrūpi per præsentiā aut absentiam specierum, non tamen secundùm suum esse, quod est incorruptibile. Ideo subdit, ꝙ senex per oculum iuuenis videret, vt iuuenis, quia intellectus diuinus est, & impassibilis, cuius fūctio si debilitatur, est per accidēs ob instrumenti debilitationē: transmutatio ergo est intentionalis, & perpetuitas realis, quod declaratur. 3. de anim. tex. 20. & tex. sequenti: vide S. Tho. 1. p. locis citatis, &. q. 88. & 89. vide quęst. de immortalitate loco. 4.

Intellectus autem aduenire videtur, & substantia quædam esse, ac non corrumpi. Nam ab ea maximè, quæ in senectute fit, obfuscatione corrumperetur: nūc autem perinde fit, atque in sensuum instrumentis. Etenim si senex talem acciperet oculum, videret sicut & iuuenis. Quare senectus non est, quia anima quicquam est passa, sed quia id, in quo est aliquid, passum est: quemadmodum in ebrietatibus, & in morbis fieri solet. Et ipsum igitur intelligere ac contemplari marcescit, quia aliud quoddam intus corrumpitur, ipsum autem passione vacat. Ratiocinari verò, & amare, aut odisse, non sunt illius affectus, sed huiusce, quod habet illud, ea ratione, qua illud habet.

Tex.66.

Quapropter & hoc corrupto, nec recordatur, nec amat. Non enim erant illius, sed ipsius communis, quod quidem periit. Intellectus autem diuinum quid est fortasse, passioneq; vacat. Esse igitur impossibile moueri animam, perspicuum iam ex dictis euasit: quòd si omnino non motu cietur, patet nec à seipsa motu cieri.

Tex.67.

Contra Xenocratem Platonicum probat octo rationibus, animam nō esse numerum seipsum mouentem.

Atqui numerum animam esse dicere seipsum motu cientem, multò longiùs quàm ea, quæ dicta sunt, à ratione distare videtur. Nam iis, qui id asserunt, ea primùm impossibilia, quæ emergunt ex motu: deinde propria quædam ex eo, quia dicut ipsam numerum esse, eueniunt.

Prima ratio.

Anima impartibilis est, & nullam habet differentiam.

Quonanque modo vnitatem moueri intelligere oportet, & à quo, & quonam pacto, cùm impartibilis sit, & nullam habeat differentiam? si enim motiua sit atque mobilis, diuersam esse oportet.

Secunda ratio.

Tex.68.

Præterea cùm lineam quidem motione superficiem facere dicāt, pūctum autem lineam, vnitatū

Tertia ratio.

etiam

T 4.ratio.

etiam motus erunt continuò lineæ. Punctum enim vnitas est positionem habens: atq; numerus animæ iam alicubi est, positionemq; habet. Præterea, si quis à numero numerum, vel vnitatẽ abstulerit, alius relinquitur numerus? Atqui plãtæ, multaq; animalium viuunt diuisa, & eandem animam specie videntur habere.

Tex.69. 5.ratio. idest, rotũdis atomis.

Atq; nihil referre videbitur, vnitates dicãtur, an corpuscula parua. Etenim si pũcla fiant ex Democriti pilulis, modò maneat quãtitas, erit in ipsis aliud quidem quod mouet, aliud autẽ quod mouetur, sicut in magnitudine. Non enim quia magnitudine differunt, aut paruitate, id, quod dictum est, accidit, sed quia subeunt quantitatem. Quocirca necesse est, aliquid esse, quod ipsas vnitates mouebit: quod si id, quod in animali mouet, anima est, & id, quod in numero mouet, anima est. Quare anima non est id, quod mouet, atq; mouetur, sed id, quod mouet duntaxat.

Tex.70. 6.ratio.

At verò qui fieri potest, vt hæc vnitas sit? oportet enim ipsius ad cæteras aliquam differentiam esse. At vnici puncti, quænam præter positionem, esse differẽtia potest? Si igitur vnitates, punctaue, quæ sunt in corpore, diuersa sunt ab vnitatibus animæ, atq; punctis, erunt ipsæ vnitates in eodem profectò loco: punctum enim animæ, locum occupabit puncti corporis. Atqui quid obstabit, ac prohibebit, vt si duo puncta sunt simul in eodem loco, & plura sint duobus, ac infinita? Quorum enim locus indiuisibilis est, & ipsa indiuisibilia sunt.

Tex.71. 7.ratio. 8.ratio. Nota.

Sin verò ea puncta, quæ sunt in corpore, sint ipse numerus animæ, vel si numerus, qui ex punctis constat, quæ sunt in corpore, sit anima, cur non omnia corpora animam habent? nam in cunctis puncta esse videntur, & etiam infinita. Insuper quî fieri potest, vt separentur, ac absoluantur à corporibus ipsa puncta? siquidem lineæ non diuiduntur in puncta.

Quid punctum, idem. 5. metaph. tex. 12. &. 3. de anima tex. 25.

Ablata vnitate alius specie numerus relinquitur, tamen plantis, aut insectis diuisis, eadem specie anima manet, infrà tex. 84. &. 93. & in. 2. tex. 20. &. 7. Meta. tex. 56. de longitudine & breuitate vitæ c. 3. & respiratione. c. 10. 8. phys. tex. 58.

Anima mouet, & non mouetur.

Nota loci & locati correspõdentiam. 4. phys. c. 4.

CAPVT QVINTVM.

ARGVMENTVM quinti capitis.

Hoc vltimo capite ostendit Arist. animam non componi ex corporeo subtilissimo, duabus rationibus, neq; ex elementis, octo rationibus, quibus antiqui & multis alijs incommodis vrgentur ob incongruã de anima tractationem. Tandem contra prædictas animæ opiniones duas dubitationes soluit.

Tex.72. 1.ratio, quia duo corpora essent simul. 4. phys. c. 9.

Fit autem, vt diximus, vt partim idem ii dicant, quòd illi, qui corpus quoddam subtilium partium animam esse dixerũt, partim proprium ipsos comitetur absurdum, corpus ab anima perinde moueri, atq; Democritus asserebat. Nam cùm anima sit in omni corpore sentiẽte, necesse est, in eodem duo corpora esse, si anima corpus aliquod esse ponatur. Et horum etiam sententia, qui animam numerũ esse censent, fit, vt in vno puncto multa sint puncta, aut omne corpus habeat animam, si non numerus quispiam alius, atq; diuersus à punctis ipsius corporis superueniat.

Tex.73.

Fit etiam, vt animal à numero perinde moueatur, atq; Democritum diximus idipsum moueri censere. Quid enim interest, paruæ pilæ dicantur, an vnitates magnæ, vel vnitates omnino, quæ agitantur motu? vtroq; namq; modo necesse est ipsas ex eo mouere animal, quia ipsæ motu cientur.

Tex.74. 2.ratio.

His igitur, qui motum, ac numerum in assignanda anima coniunxerunt, hæc, quæ dicta sunt, absurda, & alia huiusce modi multa eueniunt: est enim impossibile non solum definitionem animæ talem esse, sed etiam accidens. Quod quidẽ patet, si quis ex hac ratione operationes, atq; effectus animæ conabitur assignare, cogitationes, inquam, sensus, voluptates, dolores, & cætera istiusmodi: nam, vt priùs diximus, neq; vaticinari ex ipsis facilè possumus.

Quòd anima nõ sit subtilissimum corpus.

Xenocratem insectatur, quẽ deinde sequutus fuit Democritus, qui in assignanda anima, numerum coniunxerũt & motum.

Tribus autem traditis modis, quibus Antiqui definiunt animam, duos iam reprobauimus: & quas habet vtraq; sententia dubitationes, contrarietatesq; penè diximus: & eam, inquam, quæ maximè motiuum ipsam esse exponit, quia seipsam mouet: & eam, quæ corpus ipsam subtilissimarum partium, aut magis quã cætera, incorporeum esse censet. Restat igitur tertius modus, atque sententia, quæ ipsam asserit ex elementis constare: quam quidem deinceps consideremus oportet. Atque patet ob hoc, ex elementis animam cõstare quosdam dixisse, vt sentiat ea, quæ sunt, & rerum vnamquanque cognoscat. Tex.75. Epilogus.

Quòd anima nõ cognoscat, eo quòd ex elemẽtis sit, octo rationibus ostendit: de quo vide.2.de gener.tex.45.

1.ratio, quia res nõ secũdùm esse reale, sed intẽtionale in anima sunt. 3.lib. de anim. tex.38.

At hanc sententiam multa profectò comitantur absurda, atque eorum quàm plurima, quæ fieri nequeunt. Asserunt enim simili cognoscere simile, quasi animas res ipsas esse ponentes. Tex.76.

Non solũ quatuor elemẽta, sed mixta omnia oporteret in anima realiter esse, & innumeras ipsorum proportiones.

Nota, ꝙ mixtũ non est ipsa elemẽta, sed aliquid ex ipsis cõpositum, cõtra Auerroẽ.

Verùm non elementa sunt solùm, vt patet, sed præter ea multa sunt etiam alia: quin potiùs infinita fortasse numero, quæ constant ex ipsis, ac cõponuntur. Sit igitur ea cognóscere, sentireq; animam, ex quibus illorum vnumquodq; cõponitur. At totũ ipsum cõpositum, quo cognoscet, quæso, vel sentiet? vt quid sit Deus, vel homo, vel os, vel caro, & cæterorum compositorum vnumquodq; similiter. Non enim vnumquodq; istorum est ipsa elementa, quouis sese habẽtia modo sine vllo discrimine: sed ex ipsis vnumquodq; conficitur ratione quadam, compositionè ve quemadmodum & Empedocles os ex elementis constare censet. Dicit enim, Tex.77.

Cœperat ante duas tellus iustissima vasis,
Aeris, ac fontis partes, Vulcanus & ipse
Quatuor ex octo adiunxit, quis candida, magna
Vis fœcundáq; Naturæ confecerat ossa.

Nil igitur elementa prosunt, si sint in anima, nisi rationes etiam insint & cõpositio. Vnumquodq; enim cognoscet simile: os autẽ, aut hominem non cognoscet profectò, nisi ipsa etiam insint. Hoc autẽ non opus est vnum eorũ esse dicere, quæ fieri nequeunt. Quis enim ambiget vnquã, si lapis, vel homo, vel equus insit in anima, & bonum similiter, & non bonum: & de cæteris identidem rebus?

2.ratio, ꝙ omnia decẽ prędicamẽta essent realiter in anima: quia sicut omnis res definiri debet per principia proxima, & nõ per remota, ergo per principia substantię non poterit haberi propria cognitio, nisi solius substantiæ.

Præterea cũ id, quod est, multipliciter dici soleat (quoddã enim substãtiã, quoddam quantitatem, aut qualitatem, aut aliquod aliud enumeratorũ iam prædicamentorũ significat) vtrũ ex vniuersis, an non ex vniuersis anima constet? At non videtur cõmunia omniũ esse elementa. Ex hiscène igitur solis cõstat, quæ substãtiarũ sunt elemẽta? At quonã pacto cæterorũ etiã vnumquodq; cognoscit? An dicent vniuscuiusq; generis elemẽta propria, atq; principia esse, ex quibus aĩa constat? Erit igitur ipsa, et quãtitas, et qualitas, et substãtia. At fieri nequit, vt ex quãtitatis elementis substãtia sit, non quãtitas. Eos igitur, qui censent animam ex vniuersis constare, hæc et huiuscemodi alia comitantur. Tex.78.

3.ratio, absurdũ de passione infert, de qua latiùs. 1.de gener.c.7. vt realis est: vt autem intẽtionalis, infrà lib.2. à.c.6 & lib.3.c.1.

Quòd ossa non sentiãt. lib. 3.tex.66.

Absurdũ est etiã, simile quidẽ à simili, nõ pati dicere, simile verò sentire simile, simileq; cognoscere simili putare, atq; asserere. Deinde sentire, pati quoddam esse, moueriq; ponere: et intelligere similiter et cognoscere. Atqui multas dubitationes, ac difficultates Empedoclis habere sententiã, corporeis, inquam, elementis, et sibi similibus cognosci res singulas, testatur id, quod experientia latè patet. Partium enim animalium corporum eæ, quæ sunt simpliciter terræ, vt ossa, nerui, pili, nihil sentire videntur. Quare neque similia sibi. at oportebat tamen. Tex.79.

4.ratio.

5.ratio, quòd Deus non cognósceret omnia, lateret enim ipsum discordia.

Præterea cuiq; principiorum maior ignoratio, quàm cognitio inerit numerum. Vnũquodq; enim cognoscet vnum, multa autem ignorabit: cætera namq; omnia. Fit etiã Empedoclis eadẽ sententia, vt Deus sit amantissimus: quippe cùm ipse solus vnũ elementorũ non comprehendat, ipsam discordiam, inquã: mortalia verò cuncta cognoscant, cùm ex vniuersis singula constent. Tex.80.

6. ratio, in qua nota, quòd omne, quod est, aut elementum est, aut ex elementis cõstans.

Præterea dicat, oportet omnino, quã ob causã nõ habẽt aĩam omnia? cùm omne, quod est, aut sit elemẽtũ, aut ex elemẽto vno, vel plurib⁹, vel omnibus cõstet. Necesse est enim, omne quod est, aut vnũ quid. aut quædã, aut vniuersa cognoscere. Tex.81.

Dubitabit etiam non iniuria quispiam, quidnam id sit, quod ipsa continet, atq; vnit. Elementa namq; materiei similia sunt. Atque præstabilissimũ id esse patet, Tex.82.

quod

quod continet, quicquid id tandem sit. at nequit esse quicquam præstabilius anima, quod quidē dominetur, & magis etiam intellectu. Maximè enim rationi cōsonum est, hunc omnia præcessisse, & præstantissimum omnium, & Naturâ dominum esse. Illi autem elementa, ea, quæ sunt præcedere censent.

7. ratio, in qua aduerte, q ele mēta sunt materiei similitma & q pręstat aīa, quoniā cōtinet, & q impossibile est pręstātius aliqd esse intellectu.

Tex. 83. *At enim nemo prorsus de omni anima dicit, nec eorum, qui censent ipsam ex elementis ideo cōstare, quia sentit, cognoscitq; ea, quæ sunt, nec etiā eorum, qui maximè motiuum ipsam asserunt esse. Non enim omnia mouentur, quæ sentiunt. Sūt enim animalia nonnulla, quæ non mouentur loco, & tamen hoc solo motu anima videtur animal agitare. Similiter & eorum, qui tam sensitiuum, quàm intellectū ex elementis conficiunt, nemo animam omnem complectitur. Viuere nanq; videntur plantæ, at expertes sunt tamen & lationis, & sensus. Animalium quoq; cōplura sunt, quæ mente, rationéq; vacant.*

Insufficienter de anima dixerūt, quotquot eam ex motu, & sensu expenderunt.

Tex. 84. *Quod si quis & hæc illis concesserit, intellectúmq; posuerit partem esse animæ, & identidem sensitiuum, neq; sic de omni anima, neque de vlla tota dicere videbitur. In hoc eodem errore videtur esse & ea sentētia, quæ carminibus Orphicis fertur. Dicit enim Orpheus, animam ferri ventis, & ex toto ingredi respiratione. Id autem nequit ipsis accidere plātis, neque quibusdam itidem animalium: quippe cùm haud vniuersa respirent. Quod quidem eos præteriit, qui ita de anima censuere.*

Orphe' in idē incidit absurdum, dum dicit, q aër viuit, & respirādo animā trahim'.

Tex. 85. *At verò si conficere animam ex elementis oportéat, non ex vniuersis continuò conficienda esse videtur. Altera nanq; pars cōtrarietatis sufficiens est seipsam, op positámq; discernere. Rectò enim & ipsum rectū, vt patet, & obliquū cognoscimus: regula nanq; iudex est vtriusq;. At obliquum nec sui planè, nec recti.*

8. ratio, cū rectū sit iudex sui & obliq, meritò antiq superfluitatis arguūtur, q sicut in doctrina animæ fuere diminuti, sic in causis, quas ponebant, fuere superflui.

Tex. 86. *Sunt & qui in toto vniuerso permistam ipsam inquiunt esse. Quocirca forsitā & Thales omnia plena deorum esse putauit. Hoc autem dubitationes habet nonnullas. Quam enim ob causam anima in aëre quidem, vel igne si inest, non facit animal, in mistis autem facit, præsertim cùm in illis videatur esse præstantior? Quæret etiam quispiam, quam ob causam animā ea, quæ est in aëre, præstabilior est, ac immortalior ea, quæ in animalibus inest?*

Improbata opinione, q aīa ex elemētis sit, eā refutat, & docet aīam in toto vniuerso pmistā: vnde Thales omnia plena esse Dijs, & S. Th. hîc dicit, hanc opinionē causam & originē dedisse idolatrię.

Tex. 87. *Vtrobiq; autem emergit quoddam absurdum, & rationis egrediens metas: nam ignē, aut aërem animal esse dicere, rationis egreditur fines, & asserere rursus animalia nōn esse, si insit in ipsis anima, perabsurdum est sanè.*

Tex. 88. *Videntur autem ideo putasse in his animam esse, quia totum, & partes eiusdem sunt speciei. Quare necesse est, ipsos, & animam, & partes eiusdem esse dicere speciei, si animalia ex eo fiunt animantia, quia in ipsis aliqua pars continentis recipitur. Quòd si aër quidem discerptus eiusdem est speciei, anima autem est dissimilium partium, patet aliam ipsius partem inesse, aliam non inesse. Necesse est igitur, ipsam, aut similium esse partium, aut non in quacunq; totius inesse parte. Patet igitur ex dictis, neque cognitionem ex eo competere animæ, quia constat ex elementis, neque rectè, vereq; dici motum eidem inesse.*

Cur in aëre anima immortalior? vnde nobiliori modo actuet? nam anima nostra diuersis partibus diuersimodè adhęret.

Tex. 89. 1. dubitatio. *At quoniam cognoscere, sentire, opinari, insuper cupere, deliberare, & omnino appetitiones ipsius animæ sunt: motus etiam animalium loco ab anima fit, & insuper accretio status, atque decretio: quæret vtique quispiam, vtrum horū vnūquodq; toti animæ competat, & nos intelligamus, & sentiamus & moueamur, cæterorumq; vnūquodq; agamus, patiamurq; tota, an aliis alia partibus? Ipsum* 2. dubitatio. *præterea viuere, vtrum in horum aliquo vno, an in pluribus, an in omnibus consistat, an sit eius alia quædam etiam causa?*

Vide lib. 2. tex. 13.

Tex. 90. *Atque sunt, qui dicunt, ipsam esse partibilem, nósque alia eius parte intelligere, alia cupere censent.*

Opinio Platonis in Timæo, anima alia in cerebro, alia in epate, alia in corde.

Tex. 91. *Quid igitur ipsam continet animam, si partibilis sit? non corpus, quippe cùm contrà potius videatur corpus anima continere. Quapropter & egressa dissoluitur corpus, atque putrescit. Si igitur aliquid aliud ipsam contineat, vnúmq; faciat, illud erit potissimum anima. At oportebit etiā de illo quærere, vtrum vnū, an multarū sit partium? Atq; si sit vnum, cur & animam continuò nō dicimus*

1. ratio contra Platonē, quia aīa cōtinet corp', nō ecōtra.

Nota p animæ immortalitate, & quæstione de immortalit. animæ loco. 5.

vnum esse? Sin partibile, rursus ratio quæreret quidnam sit illud, quod illud etiam continet? atque hoc pacto fiet in infinitum abitio.

2. ratio, quia intellectus nullã partẽ corporis cõtinet, quod pro animæ immortalitate etiam notandum eodem loco. 5.

Dubitabit etiam quispiam de partibus eius, quam vnaquæq; potentiam in corpore habeat. Nam si anima tota totum contineat corpus, oportet & vnamquãq; etiam partem, aliquam partem corporis continere. Id autem esse non posse videtur: quam enim partiũ corporis intellectus, aut quo cõtinebit pacto, fingere quoq; difficillimum est. Tex. 92.

3. ratio de qua suprà tex. 68.

¶ Ex quibus prior dubitatio solui debet, q nõ eadẽ aĩę facultate sentimus & intelligimus, &c.

Solutio est tacitæ obiectionis: quò enim vnumquodq; præstantius est, eò operationes habet sublimiores, & plura pręstãtioráq; organa exigit: in plantis ergo, quæ imperfectißimè viuunt, paucio ra sunt, & vniformiora organa.

Videmus autem & plantas diuisas viuere, & animalium insectorũ nonnulla, vtpote animam, & si non numero, tamen specie, eandem habentia. Itaq; partium vtraq;, & sensum habet, & per aliquod tempus loco mouetur. Tex. 93.

Neque absurdum est, si non perdurant: instrumenta namq; non habent, vt naturam conseruent, sed nihilominus omnes in vtraque partium insunt animæ partes. Atque animæ partes eadem sub specie collocãtur, & etiam tota illæ quidẽ, quia non separabiles sunt: tota autem anima, quia indiuisibilis est. Tex. 94.

Videtur autem & id principium, quod inest in plantis, anima quædam esse: hæc enim sola cõmunis est & plantis, & animalibus. Atq; hæc quidem à sentiendi principio separatur: sine autem ipsa, nihil est prorsus, quod habeat sensum. Tex. 95.

Solutio 2. q. negatiua, q licet in diuersis, potẽtię aĩę priores à posterioribus sint separabiles, nõ tamen è contra: tamen in vno eodemq; cor pore non est nisi aĩa vna, vt in. lib. 2. ca. 2. definitur à nobis cũ S. Tho.

HAS itaq; nostras margineas annotatiunculas si diligentet inspicias lector studiose, nil profectò desiderabis ad antiquorũ sententias percallendas, refutandásq;. Scio enim ex numeratione veterum opinionũ quodam tenus doctrinam nostram de anima confirmari, quorũ propter ætatem autoritas iam te cepta est: habet enim in omni genere testimonij momentũ nõ contemnendum antiquitas testimonij: nam iudiciũ multo tẽpore comprobari videtur: sed quia Arist. opinionũ veterũ monumenta, & firmamenta solerti admodum diligentia ponderate videtur, & in quibus veritati consentiant, dissentiántve, insigni solicitudine iudicat: quia rectum iudex est sui, & obliqui. lib. 1. tex. 85. ad illustrandam veritatem de anima sufficiat nobis Arist. disputatio, quia licet grauißima sit, & multum habeat ponderis, est tamen satis perspicua: ad illam ergo nostris quasi asteriscis annotatam te remittimus. Hæc enim tibi pro nostra industria præfiximus, quasi compitales quasdã statuas, vt difficultates quæ sese offerrent in contextura Arist. vel oscitãter percurrere valeas. Boni igitur (vt existimo) consules nostrum hũc qualemcunq; laborem, qui te ad sequẽtia expediet: sat ergo ista pauca sint pro primi libri de anima expositione, vt maiora & præstantiora, quæ tibi polliciti sumus, in sequentibus pręstare valeamus.

PRIMI LIBRI DE anima finis.

LIBER SECVNDVS DE ANIMA.

CAPVT PRIMVM NATVRAM animæ inuestigat.

Tex. 1. DICTIS HISCE, quæ à maioribus de Anima nobis tradita sunt, redeamus rursus oportet, atq; enitamur velut ab initio determinare, quid anima sit, & quænam sit eius cõmunis maximè ratio.

Ratio ordinis. Plerisq; veterum de anima sententijs radicitùs euulsis, atque è medio prorsus sublatis, obiter etiam probatis, quę ab ipsis rectè dici visa sunt (quæ nos studiosorum commoditatibus consulentes margineis annotationibus admonuimus) Aristoteles hoc secundo volumine naturæ ordine, contraria forma (id est falsa antiquorum existimatione) explosa, ad propriam senteñtiam, quã inducere instituit, trãsitum facit: ediſſeritq; ea ambiguitatum capita, quæ procemio horum librorum in quæstionem vocauerat. *Perperius malè quid sit ab initio determinare.* Hoc sanè est ab initio determinare, non vt Neothericus quidã, quòd priùs de essentia, mox de facultatibus, demũ de operationibus: sed potiùs quia antiquos insufficientię, & falsitatis redarguerat, quibus eliminatis, futurę disputationi viam pręparauerat, iuxta propriam opinionem animam in cõmuni definire intendit: idcirco dicit rursus iam ab initio res inchoanda, quasi dicat, hactenus veritas non constat, quam oportet pręffinire, cùm nec verè, nec exactè à veteribus traditum quidpiam sit. *Secundi libri argumentum.* Vnde primùm omnium generalem, atq; communissimam animæ definitionem proponit, quód futura sit præsentis disputationis, non modò initium, sed firmum etiam fundamentum: vnde quæstio tex. 9. in procemio posita, soluitur: deinde singulatim animæ propria accidentia inuestigat, & oblata partitur. Iuuant enim substantiæ cognitionem accidentia, atq; vt communia accidentia communem substantiam indicant, ita propria propriæ substantiæ naturam declarant: tum ab obiecto communioris animæ, nutrimento scilicet vegetatiuæ obiecto, vt ab vniuersalioribus sit doctrinæ processus, disputationem suscipit: post hæc mox sensibilia in commune tractat, quæ continuò presſiùs, atq; specialiùs prosequitur, vt nunquam sibi nõ constet in illa sua ab vniuersalioribus procedendi methodo: tandem sensus communis, atq; imaginationis, & cęterorum internorum sensuum (si qui sunt) consideratione librum istum claudit, de cuius fine, atq; tertij libri principio posteriùs disputabitur. *Methodi ratio.* Præsenti autem textu proposito scopo, Aristoteles iam hunc librum superiori connectit: vitium enim esset, si disciplinarũ processus interpollatus, atque intercisus esset: maxima sanè methodi virtus est, si copulata sit atq; continua, ne mens suspensa aliquid desiderare videatur. Proponit autem soluturum ire quæstionẽ septimo, & octauo textibus procemij propositam, nũquid vna sit animarũ definitio? nam quid sit anima inuestigaturum pollicetur: & communissimam insuper animę definitionem traditurum, quæ suo ambitu in omnes animas ex ęquo se diffundat. Quæ sanè doctrinæ methodus erit accommodatiſsima, vt quæ intellectũ ampliùs quietet, atq; sedet: vnde facilis sit ad propriã animarũ rationẽ tradendam accessus: maximè quia cùm animæ cõueniant, atq; differant, cõmunia, quibus cõmunicant, tradẽda sunt priùs, posteriùs propria, quibus differant: cognitio sanè animarũ secundùm diuersos cognoscendi gradus in communem, & propriam diuisibilis est. *Duæ dubitatiunculæ, circa rationem methodi.* Sed curiosus addubitabit lector, primò, ex 2. lib. Post. resolutionum, vbi docemur omniũ quæstionum primam esse, an res sit, ergo priùs animam esse statuendum foret, quàm quid esset, traderemus: præsertim cum si anima nulla est, eius nec erit scientia, neq; definitio: quia quod non est, nõ scitur. Secundò

cundò Aristoteles secum pugnat, qui præsenti textu pollicetur, animæ communissimam definitionem allaturū, cùm superiori libro tex. præsertim. 11. cōmunissimas definitiones, non solùm dialecticas, sed vanas etiam, atq; inutiles indicarit: ergo hic naturalis, propriáq; animę definitio inuestiganda foret, nō tamē cōmunis. Dicendū ad primum, quòd cùm subiectū esse constet, atq; ab omnibus, vt communis conceptio, habeatur; & in confesso sit (vt ex superiori disputatione contra antiquos patuit) nō posset huiusmodi quæstio superuacanea non esse: præsertum quòd cùm animam esse, sensibus sit exploratissimum, & certissimum lib. 1. tex. 2. demonstrare igitur ridiculum foret: non enim possemus manifestum nisi ex obscuris patefacere. Quod vitium irridebat Aristoteles ad similem quæstionem de natura respōdens. 2. Phys. tex. 6. huiúsq; nos admonebat. Illum itaq; locum cōsule, vbi dubitatiuncula ista perspicuè diluitur: est enim notissimum, & quod sensibus ferè omnibus experimur, de quo dubitare, hominis est profectò minimè iudicio valētis.

Solutio primæ, q ridiculum sit animā esse demōstrare.

Ad secūdam vt breuiùs respondeamus, distinguēda est definitionis communitas, alia enim est communitas, quæ ita ex communibus est, vt nullo modo ex proprijs alicuius scientiæ principijs procedat, quæ iuxta sensum superiùs in procemio primi libri dictum, vanas & inutiles reddit definitiones. Cæterùm communitas alia, quę pręter quàm quòd communis est, etiam est singulis propria: siquidem naturale omnibus disciplinis est, principia quædam vniuersalia priùs contemplari: vnde quasi gradu facto ad singularia, & particulariora rimanda se prouehat, atq; deuoluat. Nam sicut innata est nobis via procedendi ex notioribus ad minùs nota, ita sanè ab vniuersalioribus ad particulariora: quare licet animæ finitio cōmunis inuestigetur, non tamen communitate analoga, abstracta, & dialectica, sed vniuoca communitate, quæ huius scientię propria cùm sit, vniuersas etiam animas ęquali ratione compręhendit. Quo fit, perperam hic Nicolaum Fulginatem Tignosium nuncupatum, dicere, ob rationem inter dubitādum allatam, vanam esse, & inutilem animę definitionem: id tantum emolumenti habere docet, quòd ea promptior reddatur intellectus, atq; ad proprias inueniendas definitiones paratior. Cæcutiuit in prioris

Solutio 2. distinguit duas definitionis cōmunitates.

Tignosius

procemij textus expositione, nimirū quòd in præsenti dubitatiūcula fuerit hallucinatus. Obiter admonēdus est curiosus lector, Aristotelem consultò animæ communem definitionem indagare, vt difficilia quędā, quæ ad nostram extorquendam attentionem in procemio proposuerat, iam paulatim exoluat: addubitauerat enim tex. 8. an vna communis animæ finitio, an singularū animarum propriæ essent tradendæ? & an de anima priusquā de partib⁹, vt tex. 9. ambigebat: vtrunq; tamen paucissimis præsenti tex. enucleat, cùm disputaturus de partibus animę, communem vnam omniū animarū rationē explorare instituat. Grauior, atque adeò acrior esset difficultas, an tradita hæc definitio rationali nostræ animæ conueniat? quam postetiùs proprio loco cōtra Philoponum examinabimus, qui hoc loco hæresim in fidem incurrit, atq; in Philosophiam intollerabilem admittit errorē, qui animam nostram non corporis actum, & formam, sed ipsi corpori, sicut intelligentiam cælo assistentem. Cauendum enim est à pessimo, & periculosissimo errore isto: nā animæ definitio ęqualiter, & vniuocè dicitur de anima nostra sicut de cæteris, quòd sit actus substantialis hominis. Et interim quòd ad huius quæstionis de animæ immortalitate decisionem venio, in calce tertij libri mente teneo decretum Leonis. 10. in con. 3. Lateran. sess. 8. & in Vien. sub Clement. 5. quod refertur de summ. Trinit. & fid. cath. §. porrò. vbi definitur, quòd nō solùm secundùm fidem, sed secūdùm veram Philosophiam, anima omnis, etiam rationalis est actus substantialis: quare illa definitio competit animę intellectiuæ ęqua ratione, qua cæteris: error enim est, & non philosophica ratio, quæ fidei aduersatur. Si autē in definitione animarum reperitur priùs, & posteriùs, non est in ipsa animę communi notione, & definitione, sed in speciebus, quæ variant, & discrepant, sicut numeri: nō est ergo vana & inutilis animæ definitio, quam hic colligit Aristoteles.

Nota solicitam Philosophi diligentiā.

Animæ ratio communis, vniuoca est.

Philoponus iure reiicitur.

Ecclesiæ catholicę decretū.

Dicimus itaq;, genus vnum quoddā eorum, quæ sunt, ipsam substāriam esse: atq; huius aliud vt materiam, quod quidem per se non est hoc aliquid: aliud formam, *Tex. 2.*

mam,

mam,& ſpeciem, qua quidẽ iam hocaliquid dicitur: & tertiũ id, quod ex iſtis conſtat,atq; compo nitur. Eſt autem materia quidẽ, potentia: forma verò, actus, atq; perfectio, quæ quidem bifariàm dicitur:quædam enim eſt vt ſciẽ tia, quædam vt contemplatio.

Methodus indagandæ definitionis. Ab errore antiquorum tranſitione facta ad veritatem,terminat Ariſtoteles quæſtionem alteram proœmio primi libri inculcatam,de modo videlicet definitionis inueſtigãdæ,accommodatiſsimámq; viam docet, diuiſionem cum compoſitione eſſe:quoniã diuidendo,aliena & extranea propellimus, propria autem deinceps componimus, & comparamus: itaq; definitio diuiſione inquiritur,& compoſitione abſoluitur,in. 2. Phyſi. cap. 1. aliquid ſimile facit in definitione naturæ,& in. 3. Phy. cap. 1. de definitione motus. Alteram præterea dubitationem determinat de genere animæ, quã hîc ad ſubſtantiam,non ad aliud quoduis prædicamentum,pertinere docet. Præſenti igitur textu,finitionẽ animæ vt inueniat, tres *1. diuiſio ad inquirendũ genus definitionis.* diuiſiones inducit. Prima primis huius textus verbis obſcurè nimis,atque paucisſimis inſinuatur,cùm ens in decem genera diſtribuitur:de qua latè in cap. 4. prædicamentorum:& ex his omnibus,quæ ſunt,ſubſtantiam,quæ primum eſt & potiſsimum prædicamentum, in genus definitionis vocat: quocirca eſſe, quod huius diuiſionis diuiſum eſt,non logicè, ſed phyſicè vſurpatur, nimirum quòd phyſica ſit,& naturalis rerum diuiſio. Deinceps cùm dicit, *Atq; huius* *2. diuiſio.* *aliud vt materiam,&c.* ſecũdam in eundem finem adiungit diuiſionem, cuius diuiſum ſubſtantia, quod erat ſuperioris diuiſionis membrum,præ omnibus alijs ad definiendam animam ſelectum. Subſtantia igitur, *Quæ ſubſtantia ſit diuiſum in. 2. diuiſione.* alia materia, alia forma, alia hoc aliquid eſt,vbi ſubſtantia, quæ diuiſum eſt,non vt eſt genus generaliſsimum primi prædicamenti, ſed latiùs, tranſcendenter per eſſe, & non eſſe in ſubiecto contra accidens in cõmuni diuiditur:quicquid enim eſt,quod in nullo ſubiecto eſt,ſubſtantia lato vocabulo vocatur. Materia autem verè,& propriè ſubſtantia dicitur,vt diſtinguitur cõtra accidens:nam ſubiectum eſt tranſmutationis ſubſtantialis, & principium ſubſtantiæ in nullo eſt, & forma non eſt in ſubiecto: quia eſſe in ſubiecto (vt anteprędicamentarijs documentis Ariſtoteles tradebat) eſt eſſe in aliquo: modò licet forma in materia,tanquam proprius actus in propria potentia ſit, terminus eſt ſubſtantialis ipſius tranſmutationis,& generationis ſubſtantię 5. Phy. cap. 1. materia tamẽ neq; quid,neq; quale,neq; quantum eſt:cùm enim materia potentia ſit,non purè obiectiua,vt Chimera,& cæteræ res fictitiæ, ſed ſubiectiua,in qua forma recipitur,vt ex vtraq; in vno eſſe vnitis cõpoſitum,& hoc aliquid coagmẽtetur: at ſubſtantia ex non ſubſtantijs non poteſt conſtare, ſed ex materia, & forma per ſe conſtat, vt ex ſubiecto,& actu, materia & forma, erunt vtiq; ſubſtãtiæ: rectè ergo triplicem facit ſubſtantiam, materiam, formam,atq; hoc aliquid. Quare meritò dicebamus,ſubſtantiam non logicè, aut metaphyſicè vſurpari debere,ſed phyſicè contra Egidium,& Tignoſium illum,dicentes *Egidius, & Tignoſius.* de his tribus generaliſsimũ ſubſtantiæ prędicari:in prædicamento enim directè materia, & forma non collocantur, quanuis ad ſubſtantiam ipſam reducantur:nam ſubſtãtia diuiditur tranſcendenter, vt communis eſt ad actum,& potentiam. Vnde ſi anima non eſt hoc aliquid, cùm ſit pars alterius, neq; ſit etiam materia, quæ ſola potentia eſt:reliquum eſt,vt forma ſit,atq; actus nõ quicunq;, ſed ſubſtantialis. Vnde quæſtiones lib. 1. tex. 6. poſitę diſſoluũtur, ſi anima ſubſtantia ſit,actus,vel potentia? Prętereo quæſtionẽ illam,an materia ſit pars quidditatis? cuius affirmatiuã partem Ariſtoteles hoc loco inſinuat,quã lib. de gene. 1. c. 3. ſolui. Omitto inſuper aliã controuerſiã de Endelechia,quem in modũ latinè ſit vertẽdum: ſecundùm Ciceronem ſonat conti- *Endelechia, Entelechia apud Græcam prolationem, T. & D. affinis ſũt pronuntiationis.* nuatam, & perẽnem motionem: ob idq; vocem inuſitatam,nouam,atq; naturæ impropriam eſſe dixit. Philoponus vnum, & perfectum ſimul habere vertit,id eſt,cauſa perfectionis & vnionis rei,vel cõtinens perfectionem,& vnionẽ. Simplicio placet vertere, Endelechia, id eſt, quæ in perfectione habet eſſe. Plutarco autem, ſi verbũ de ver bo transferẽdum eſt,idem eſt,quòd perfecti habia,id eſt,perfecti corporis compręhẽſio,vt Budeus. Itaq; ſi per. D. ſcribatur, probatur Cicero, ſi per. T. Plutarcus:nos verò, quo-

quocunq; modo ſcribatur, rectè per actum interpretari dicimus, vt. 3. lib. Phyſ. tex. 23. Actus enim has omnes interpretationes in ſe comprehendit, nam & eſt perennis motio: ſiquidem actus ſemper eſt, & eſt perfecta corporis comprehenſio: quia totũ eſſe, & rei perfectionem virtute quadam continet. Endelechia igitur rectè trãſcribitur forma, perfectio, atq; actus: forma enim perficit, atq; actuat ipſam materiam, & ſumitur pro forma quieſcente, actu primo, non pro operatione, quę eſt ſecundus & accidẽtalis actus: ideo Cicero Entelechiam, id eſt perẽnem motionem, intelligens actum primũ, qui eſt prima perfectio. Plura hîc Neothericus quidam, qui in re clara nimius eſt, dum innumeros refert autores. Tertiã autem apponit diuiſionẽ Ariſtoteles illis verbis, *quædam autem eſt vt ſcientia, quædam vt cõtẽplatio*, id eſt, act⁹ duplex eſt, prim⁹, atq; ſecundus, primus vt ſcire, ſecundus vt conſiderare. Exemplo nanq; ſcientiæ & conſiderationis rem patefecit Ariſtoteles: diuiſionis autem ratio eſt: nam cùm actus diuidatur in ordine ad potentiam, ſicut duplex eſt potentia, 8. Phyſi. tex. 32. altera eſſentialis, altera verò accidentalis: ita actus primus habitudine ad potẽtiam eſſentialem, & ſecundus ex ordine ad accidentalem ſumetur. Potentia enim ad eſſe, id eſt, quæ ad primum actum eſt, dicitur eſſentialis: potentia autem ad operationem, id eſt, quæ ad ſecũdum actum, dicitur accidentalis: quas potẽtiæ, atq; actus diſtributiones appoſitiſsimè per ſcire, & conſiderare Ariſtoteles patefecit. Eſt nanq; anima noſtra ſicut tabula raſa, quæ inſtar materiæ primæ nullum actũ habet: primòq; per habitum ſcientię, atq; ſpeciem perficitur: ſecundò, per eius actuationem, & conſiderationem: quæ omnes diuiſiones definitionis genus aptiſsimè explorant, quòd anima ſit ſubſtantialis actus, primus, vel ſecundus: vter autem ſit, non facilè expedietur, quod poſteà inter ſoluendas quæſtiones aduotabimus. Nam quod ad pręſentis textus explicationem attinet, ſat eſt intelligamus, formarum quandã eſſe actum ſemper operantem, vt conſiderare, cuiuſmodi ſunt formæ rerum inanimatarum: quãdam verò eſſe actum inſtar ipſius ſcientiæ, non ſemper operantem, vt viuentium animæ: quoniam actuum, quidam eſt primus, atq; per modum habitus vt ſcientia: quidam autem ſecũdus, & per modum

Perefius.

Tertia diuiſio.

Duplex potentia vna eſſẽtialis, altera accidẽtalis.

operationis vt conſiderare: ſenſus ergo diuiſionis eſt, quòd actuũ, alius eſt nõ ſemper operans vt ſciẽtia, alius ſemper operans vt cõſiderare. Dicet tamen curioſus lector, diuiſionem illam ſecundã ſubſtãtiæ in materiam, formam, & compoſitum diminutam eſſe, quãdoquidem lib. 7. Met. tex. 44. quadrimembris fiat: nam præter tria membra poſita, addit Ariſtoteles ipſum vniuerſale, quod ſubſtantiam vocat. Dicendum, probatorum autorum teſtimonia ſemper intelligenda, atq; interpretanda iuxta ſubiectũ argumẽtum, quod verſant. Quare hîc Ariſtoteles ex propria ſententia ſubſtantiam trimẽbri diuiſione partitur, illic autem ſecundùm famã vniuerſalem; quòd antiquis ſubſtantia erat, quartum membrum fecit: controuertebatur enim, nunquid vniuerſalia eſſent ſubſtantiæ? vel aliter dicito, non quòd hîc ſecundùm veritatem, illic autem ſecũdùm famam (vt quibuſdam placet) ſed quod hîc phyſicè diuiſio eſt rerum, illic autem metaphyſicè diuiſio eſt rationum.

Obiectio cõtra membrum diuiſionẽ.

Solutio.

Maximè autẽ corpora videntur eſſe ſubſtantiæ, & ipſorum eã magis, quæ naturalia ſunt: hæc enim cæterorum principia ſunt. Naturalium verò corporũ quædam habent vitam, quędam non habent, ſed ea vacãt. Vitam autem dicimus, nutritionem, accretionem, atq; decretionẽ, quę quidem per idipſum fit, quòd viuere dicitur. Quare corpus omne naturale particeps vitæ, ſubſtantia eſt: & ita ſubſtantia, vt compoſita.

Tex 3.

Tribus diuiſionibus proximo textu genus animæ inquiſitũ fuit, totidem pręſenti differentiam inuenire inſtituit: & quemadmodum illę tres priores ex parte animæ, ita tres hæ poſteriores ex parte corporis cõſiderandæ ſunt. Prima diuiſio primis textus verbis ponitur, qua ſubſtantia in corpoream, & in incorpoream diſtribuitur: corpoream autem maximè videri ſubſtãtiam dicit, quoniam manifeſta eſt, atq; omnibus

Totidẽ diuiſionibus differentia definitionis inueſtigatur.

1. diuiſio.

eſt

est in confesso: nam cùm de spiritali substã tia non desunt, qui ambigant, sitne, an nõ: tametsi corporea substantia omnium consensione probetur, licet Alexander. 7. Met. referat Hipponem Athęum omnem spiritalem substantiam sustulisse, quem Epicurei apud Philosophos, atque apud Hæbreos Saducei sequuti sunt. Aristoteles tamen cum fide expressè fatetur substantias spiritales aliquas esse, quod. 8. Physi. &. 12. Met. demonstrat: hic autem duntaxat dicit, vulgaribus corpora ipsa præsertim naturalia substantias esse, insinuans nimirum sapientibus alias probari substantias, spiritus scilicet, qui nõ videtur. Vulgus enim, quòd substantiam à substãdo sumit, corpora dũtaxat, vt quæ maximè substant, substantias appellat, sapientiores verò ab essẽdo & substendo: quare incorporeę magis erũt substantiæ secundùm dignitatis, atq; perfectionis gradum. Secundam ponit diuisionẽ illis verbis, *Et ipsorum ea magis, quæ naturalia sunt, &c.* corporum, inquit, aliud naturale est, aliud artificiale: naturale, cuius principium ipsa est natura: artificiale, cui initium ipsa dedit ars, & cuius etiam principia ipsa naturalia corpora sunt. Dices, artificialia, ad artem cùm pertineãt, non esse corpora, sed qualia, vtpote quæ ad quartã qualitatis speciem referũtur, quod forma, & figura eorum demonstrat, ergo non sunt corpora nuncupanda? Dicendum, Aristotelem corpora artificialia, licet sint accidẽtia, substantias vocare: quoniam secundùm materiã attenduntur, secundùm quam sunt magis, quàm secundùm formam (vt Aristoteles lib. 1. Physi. tex. 63.) vnde artificialia simpliciter dici asserit, vt quę ratione materiæ ad genus substantiæ pertineant: ideo antiqui artificialia ob eandem causam simpliciter fieri censebant. Quicquid tamen de hac re sit, hoc apud omnes certum esse debet, quòd quæ simpliciter fiunt, naturalia entia sunt, atq; naturã constantia: quæ verò arte, atq; intellectu nostro fabrefacta, artificialia sunt, quæ secundùm materiam in genus substantiæ reducuntur, formaliter autem, atq; per se primò in qualitatis prædicamento constituuntur. Itaq; in artificialibus principale significatum est substantia, sed primò significatur qualitas, atque accidens: si conferantur ergo res ipsę, principalior est substantia, si verò non comparentur in se, sed in hoc quod est significari, primò significatur qualitas, iuxta illud Aristotelis in prædicamentis, album solam qualitatem significat, intellige per se primò: nam secundariò subiectum ipsum, pro quo supponit, consignificat. Quocirca notandum naturalia corpora artificialium principia, ab Aristotele vocari: nam re vera sunt principia in genere causæ materialis, cùm notũ sit, ea esse materiam omni artifici subiectam. Deinde in genere causæ efficientis: siquidem artifices fabricant, atq; ea fingunt. In genere tamen causæ finalis nos sumus finis omnium. 2. Phy. tex. 24. est enim homo microcosmus, hoc est, minor mundus, ac velut vniuersa creatura. 8. Phy. tex. 17. Eisdẽ penè modis naturalia corpora Mathematicorum principia appellabuntur: non enim subsistunt, nisi in substantia sensibili, tanquam in subiecto, & ab ipsa sensibili substã tia quodammodo in genere causæ efficientis quantitas per quandam emanationis resultãtiam fluit: atq; adeò à corpore illo substantiali trina illa deriuatur dimensio, longitudinis, latitudinis, atq; profũditatis, quæ corpus ad prædicamentum quãtitatis pertinens absoluunt. Deinceps quæ sequuntur verbis, *Naturalium verò corporum, &c.* tertiam adnectit diuisionem, vt naturaliũ corporum, quædam animata sint, vitaq; participantia, quædam autem inanimata, & vita carentia: viua enim vocantur quæ nutriuntur, & aluntur. Nõ quòd pręter vegetatiuã non sit sensitiua, & intellectiua vita (hæc enim Deo competit. 12. Met. tex. 51. & intelligentijs. 1. de cælo. ad finem cap. 9.) sed quia nondum est de his exactè tractatum, tantùm eius vitæ mentionem fecit, quę omnium consensione probatur, & quæ cõmunior est, in omnibúsq; viuentibus reperitur, & quæ suo proposito probando magis erat accõmodata. Ex faciliori enim notiori, & cõmuniori disciplinæ debet esse processus, & ex eo quòd omnibus est commune & receptum, communem, quam pollicitus est, animæ definitionem reliquo capite colligat, nisi placeat dicere argumentum à minori insinuari, vt si id, quod minùs videtur inesse, inest, & id, quod magis inesse videtur, inerit: ergo si ea quæ augentur viuũt, ipsa igitur quæ sentiunt: præterea & quæ intelligunt, vita minimè priuabuntur. Primò enim de anima tex. 20. nõ solùm motu, quo se viuentia cient, sed etiã sensu vita maximè manifestatur. De embrione verò curandum

[Margin notes: 2. diuisio. | Obiectio quòd artificialia nõ sint substantia. | Solutio. | Notãdum quòd corpora physica sint aliorũ causa triplici in genere. | 3. diuisio. | Cur solius vegetatiuæ meminerit. | Embrio.]

randum non est, ei alimentum per matricem præparatur, sicut fructui per ramum, & radicem: non est igitur tanquam per se animal considerandus, sed sicut fructus in arbore: secus enim quandiu anima vegetatiua duntaxat informatur, quæ ordine temporis sensitiuam præcedit, in nulla specie collocabitur: deinde cùm sensitiuam sumeret, animal esset, & brutum, in nulla tamen bruti specie. Cùm ergo embrionem viuere, & ordine temporis has formas induere 2. de gene. animal. cap. 3. doceat Aristoteles, fit, ipsum esse tanquam hominis fructũ, qui ad complementum naturæ mittitur, & ordinatur: ergo quandiu est in arbore, non per se, sed cum arbore, atq; homine ipso cõputari debet. Ex quibus omnibus Aristoteles infert, omne corpus viuum substantiã esse ex materia, & forma cõpositam. Malè ergo Philoponus docet viuentem esse quãdiu in vtero est, animal tamen non esse: cùm organa habeat, tum ad vitam, tum ad motum, tum ad sensum instructa: quãuis ob imperfectionem membrorum infirma sint ad operandum. Vide. S. Tho. 1. p. q. 76. art. 3. ad. 3. &. 4. &. q. 118. ar. 2. ad. 2. vide infrà hoc capite in quæst. apposita, notabili. 4.

Tex. 4. Atq; cùm tale etiam sit corpus, id est habens vitam, corpus profectò non erit anima. Corpus nanq; nõ subit rationem eorum, quæ sunt in subiecto: sed vt subiectum potiùs est, & materies. Necesse est igitur, animam substantiam esse perinde, ac formam corporis naturalis potentia vitã habentis. Substãtia verò, actus est, & perfectio. Talis igitur corporis est perfectio, atq; actus.

Propositis diuisionibus superioribus textibus, præsenti iam Aristoteles docet definitionem colligere, supponitq; animã substantiam esse, quòd ipsa simus: idq; statim sequenti textu est manifestandũ. Itaq; à principio ad finem capitis orationem instituit, vt probet animam actum esse corporis physici, & organici potentia vitam habentis, quamuis non sic coniungat, sed nonnulla *Capitis scopus.* interijciat, quibus animę cum corpore vnio declaretur: sic rationem exorditur. Anima, quia in corpore, & materia recipitur, corpus, aut materia non est: siquidem materia nõ recipitur in alio subiecto (cùm. 1. Phys. tex. 82. definiatur materia, primum, & vltimum formarum subiectum) ergo si anima est in materia, non erit materia, atq; corpus, quod etiam rationem habet materiei: qua ratione colligitur non esse cõpositum, quoniam ipsum in materia non est: totum autem, si in materia reciperetur, partis potiùs, quàm totius rationem haberet: est igitur anima substãtia ea, quæ actus est. Sufficiẽti diuisione etiam colligitur, animam non cuiuscunq; corporis actum esse: quoniam non mathematici, aut artificialis corporis, physici ergo non cuiuscunq;, sed organici, id est, instrumentarij, potentia vitam habẽtis. Nam si verũ est quod Aristoteles lib. 8. Met. tex. 6. docet, iuxta cõditionem formę, materiæ qualitatem esse inquirendam: fit, vt cùm anima omniũ formarũ, quæ in corpore recipiuntur, sit perfectissima, quòd in corpore etiam præstantissimo recipietur. Vnde sicut forma materiam sibi adciscit dispositam, vt suas exerceat operationes, & munia obeat: sic profectò aïa formarum præstantissima plures in vno corpore exercitatura operationes, vt in eas se fundat & exerat, meritò inquirit corpus pluribus organis, atq; instrumentarijs partibus instructum. Quam probationem paucissimis, sed elegãtibus verbis inducit Aristoteles, *si talis actus est, talis corporis debet esse actus*, nimirum insinuans, actus agentium non recipi in patiente, nisi iam legitimis dispositionibus sibi accommodato, vt tex. 24. posteriùs ampliùs exponemus. Quare ex hoc textu habes solutas quæstiones procemij, non tãtùm de modo inuestigandi definitionẽ, sed etiam de genere, si sit quantitas, aut qualitas, aut potiùs substantia: & si substantia, an actus, vel potentia, quod est substantialis actus corporis physici, vt à tex. 6. &. 9. & alijs in procemio addubitabamus.

Anima definitio aperitur.

Tex. 5. Sed cùm perfectio atq; actus bifariã dicatur, vt diximus (quidam enim est vt scientia, quidam vt contemplatio) patet, animam actum esse perinde atq; scientiã. Nam

Nam ex eo quia anima est, & somnus est, & vigilia: atq; vigilia quidem contemplationi, somnus autem scientiæ operatione vacanti similis est.

Distinguitur actus in primũ, & secundũ, pro definitionis explicatione.

Posteaquam cum Aristotele ostendimus animam debere esse actũ, superest & primum esse actum declaremus. Quare Aristoteles non inuestigat definitionis aliam particulam (vt perperam quidam philosophatur) sed iam positam inducta quadam diuisione amplius declarat: idq; optima docendi methodo obseruata præstat Aristoteles, quasi tacitè occurrẽs dubitationi, qua quispiam non immeritò ambigere posset, cùm anima actus sit, an sit velut scientia & primus, an potiùs sicut considerare, actus sit secundus. Respondet Aristoteles duos illos actus scire & considerare, somno & vigiliæ esse proportionales: nam somnus scientiæ, vigilia considerationi respondet. Vnde colligit Aristoteles (aut in re alioqui aperta mihi ipsi hallucinari videor) animam actũ esse primum, perinde ac scientiam, & somnum: id probat breuissima, sed nimis efficaci probatione, dum dicit, *Nam ex eo quòd anima est, & somnus est, & vigilia*, hoc est, anima is actus est, qui in somno permanens, ibi viuaciter, & quasi sub silẽtio tacitè suas exercet operationes: quia quanuis actus sit communis vtriq; actui, primo scilicet atq; secundo: concludit Aristoteles textũ, *operatione vacanti similis est*, idest, similior, & promptior: quare animæ primus erit actus instar somni, atq; scientiæ: secundus enim actus per aliam finitionis particulam intelligitur, dum dicitur, *potentia vitam habentis*, id est, anima est actus primus talis, qui poterit in secũdum prodire: nam sicut anima in somno à vigiliæ operationibus præpeditur, cùm in actu primo sit, atq; per modum habitus, potens est, vt excusso somno proprias exerat, & manifestet operationes: sicuti dormiens, si habitum habet scientiæ, sciens dicitur: sic etiã si fieri posset, vt quispiam animam in actu primo duntaxat haberet, viuens etiam diceretur: quod Aristotelem dixisse mihi videtur lib. 5. de genera. animal. cap. 1. quod enim hîc dicitur animã esse actum instar somni, illic explicat dum dicit, somnum viuendi, & non viuendi medium esse, atq; participationem, siue vt ipse dicit, interlimium: ob idq; nullum est periculum, si animam per actum primum definierimus, cùm non statim cessent operationes, quinimo aliquæ, vt post dicemus, ex necessitate sequantur: & quanuis cessassent prorsus omnes operationes, modò act⁹ primus maneret, ille vel solus sufficeret, vt viuens essentialiter esset. Prius enim est vnũquodq; sua operatione, quæ ipsius est accidentalis quædã perfectio. Sed de hoc quæstionibus huius capitis latiùs iam. nunc dicemus: idcirco vlteriùs ad Aristotelem pergamus.

Altera autem alteram in eodem, scientiã, inquam, cõtemplationem generatione præcedit. Quapropter anima primus est actus, perfectioq; corporis naturalis, potẽtia vitam habentis: & talis planè, vt partes ipsius sint instrumenta. Enimuero partes quoq; plantarum, instrumenta sine controuersia sunt, quanuis videantur penitus simplices esse. Eius enim quod circa fructũ est, tegmen est folium, & fructus etiam illud: radices prætereà vicem subeunt oris: vtrisq; nanq; trahitur alimentum. *Tex. 6.*

Definitionis animæ per declarationem probatio.

Id enim, de quo proximo textu controuersia erat, præsenti adeò apertè declarat, vt nulla ratione de cætero inficiari queat, animam per se actum esse primum: nam sicut ordine generationis scientia ipsam contemplationem præcedit, ita esse ipsum operari antecedit, vitalesq; ipsas operationes: non enim est anima in continua operatione, & vsu, sed in potẽtia ad vsum, & actum secũdum: quare per actum primum intrinsicè definietur. Quòd si in vegetatiuis primus cum secundò coniungatur, reipsa nil refert, cùm ratione sint, & essentia diuersi: vel non habet hoc anima vegetatiua vt talis sed vt naturalis quædam est forma, quæ semper est cum actu coniuncta: tamen vt anima

Vegetatiua aĩa est actus prim⁹ vt cæteræ, infrà in quæstione hui⁹ capitis notab. 2. & ad. 1.

anima est, separabiliter se habere nō repugnat, saltem intellectu, vel quia maiori ex parte animæ competit: ideo anima definitur nō ex secundo, sed ex primo actu, quia iste solus ad essentiam pertinet. Ideo malè

Auicēna reiicitur.

Auicenna, quòd anima non secundùm essentiam, sed secundùm existentiam definiatur. Continentur his paucis multa, quæ de hac re hic Caietanus docet satis: plixè, vide infrà tex. 49. & 2. cæli. tex. 17. Ex sex diuisionibus superiùs positis animæ colligit finitionem totidem particulis coagmentatā, dicitq; animam esse actum primum corporis physici potentia vitam habentis, id est, prima perfectio corporis naturalis vitalib⁹ instrumentis instructi. Sic enim formæ per subiectum propriū definiuntur, in quo habent esse. 7. Met. tex. 24. probatq; per locū topicum, animam organis indigere. Nam si plantarum formæ (quæ videntur esse simplices, & quæ nullam compositionem indicant ex sensuum iudicio) tot opus habent instrumētis, atq; licet imperfectissimę sint, radices loco oris, trūcum, ramos, corticem, frōdes, & fimbrias videamus habere: quid mirum videri debet, si perfectiores animæ plura, siue perfectiora organa sibi exposcāt? Argumentum est à minori ad maius: quia si vegetatiua omnium animarum infima ob animæ dignitatem tot organicas partes, & dissimilares suo quasi iure omnium cōsensione sine vlla cōtrouersia exposcit: mirandum minimè erit, si præstātiores, & digniores formæ materiam etiam varijs organis, & instrumentis affectam requirant? Quare videtur Aristoteles hoc textu rationem reddere, ob quam corpus animatum organicum esse oporteat, quæ pendet tota ex animæ natura, atq; ex excellentissima eius functione colligitur debere esse in corpore varijs organis instructo: ex quo solues quæstiones quasdam lib. 1. tex. 90. & 91. & 92. positas.

Tex. 7.

Si igitur commune quid de omni anima sit dicendum, ipsa perfectio prima, primusq; actus est corporis naturalis, cuius partes sunt instrumenta. Idcirco nō quærere oportet, si vnum sit anima, atq; corpus: sicut neq; cerā, & figuram, neq; omnino materiē cuiusq;, & id, cuius materies est. Nam cùm vnum & esse multifariàm dicantur, actus est id, quod propriè vnum est, atq; propriè est.

Infert Aristoteles prima huius textus parte ex duobus proximè præcedentibus quæstionis illius solutionē, quam procemio primi libri proposuerat tex. 7. & 8. quidnā scilicet id sit, quod omni animæ commune censeatur: dicitq; vniuersim cōpetere omni animæ primum actum esse, atq; perfectionem, &c. Vnde secundò etiam infert tacitę cuiusdam dubitationis solutionem, qua nō abs re quærere quispiam posset, quare & quomodo anima, & corpus vnū sint. Quā quæstionem vt ineptam reijcit Philosophus: nam de principijs primis nulla potest esse quæstio, quæ à priori soluatur: cùm igitur ex actu, & potentia vnum fieri, principium primum sit, nō oportet quærere, quo alio glutino copulentur, & materia, & forma concilientur in hoc aliquid, tanquam in eorum summam. Neq; est per accidēs vllū aliquod ligamentum, cùm seipsis non ab extrinseco cohæreāt, sed cùm talia sint, hoc quidem actu, illud potentia: forma igitur, quæ facit in actu potentiam, faciet etiam actu ens, ergo & actu vnum: ens enim & vnum cōuertuntur, & quo aliquid actu est, eodem ens, & vnum est: idem enim est homo, & ens homo, & vnus homo. 4. Meta. tex. 3. Quare cùm potentia ex se neq; esse habeat, neq; vnitatem, accepta forma, sicut propria, & immediata perfectione fit ens, ita & vnū: quib⁹ soluitur dubitatio primo huius tex. 90. proposita, quòd anima est, quæ cōtinet & vnum facit. Vnde hac luce apertiùs cōlligitur, quòd si plures substantiales formæ in eodem essent, illud minimè esset vnum, sed ratione plurium formarum plura. 8. Met. tex. 10. potentia sanè non habet, nisi quòd sit in potentia ad esse: esse autem ab actu habet. Neque hîc Aristoteles quærit de causis extrinsecis, finali scilicet, atq; efficienti, sed de causa, & medio, intrinsecòq; principio, tanquam glutino aliquo, quod esse negat, eò quòd seipsa potētia desiderat ab actu perfici. Actus autem nihil magis in votis habet, quàm suam ipsius formare,

Soluitur quæstio procemii, q anima vnâ habet rationem communē omni animæ.

Quare ex potētia et actu vnū fiat.

formare,atq; perficere potentiam:hoc autē ab agente deriuatur,qui sua actione vnum quid vt compositum facit ex potentiæ & actus vnione,dū mouet potentiam ad actū: aut veriùs actum de potentia educit,totius vnitatem constituendo,in qua vnio partiū fundatur,& hæc est generātis actio.8.Met. à tex. 1.ad.10. vnde implicitè insinuat & vult Arist. quòd ex anima & corpore fit vnum per se:sed hoc consultò Philosophus dimisit, quoniam respondebat quęrentibus glutinum, & contactus ligamentum, quod esset non vnum per se, sed per accidens. Quæ omnia Aristoteles sensibili & ad manum posito exemplo ex rebus artificialib⁹ petito,manifestat.Nemo sanè quęrit,quomodo ex cera & figura vnum efficiatur,nisi quia informitas ceræ formam desiderat atq; suum actum affectat: quam ob causam dispositiones, quæ in materia antecedunt,vt ipsam formæ inducēdæ pręparent atq; disponant, postquam suo fuerint defunctę officio,abeunt, vt potentiam suo actu immediatè vnibilem relinquant;ergo vnum efficitur,quia actus & potentia seipsis vniuntur.Caietanus verò perperam philosophatur, dū hoc loco asserit Aristotelē insolutā reliquisse quęstionē:nam quamuis Metaphysici probare intersit reliquarū sciētiarum principia(vt re vera hoc demonstrat ad calcem.8.Met.)Philosophus autem naturalis non nisi sensu & experimento à posteriori probat: actum sanè per se in altero actu nunquam recipi, nisi quatenus est alterius potentia, quia recipitur in potentia vt proprio perfectibili. Ex quibus vnū per se coagmentatur, non vnum per aliud, vt 3.Physi.de agente & patiente,quæ ratione vnius operationis atq; effectus vnum sunt: propriè autem vnum, atque quod propriè est,actus est.Inducit autem præsentem dubitationem fortassè propter Platonem dicentem, animam per operationem duntaxat vniri:propter Commentatorem etiam per speciem & phantasiam copulari asserētem: contra quos Aristoteles expressè fatetur,animam formam esse corporis,& eius primum actū atq; substantialem:ideo vana non est huiusmodi quæstio atq; controuersia.Omnis enim causa quęcunq; sit, secundùm quatuor genera causarum hoc habet, vt cōsideretur in esse primo,& secundo:secundus autē actus est actualitas causationis in illo genere,vt formam actualiter esse,sit formaliter dare esse,& velut operatio ipsi⁹: ergo formā vniri materię non est aliud, quā dare esse:& actus, qui de genere bonorum est,potētiam,quæ est de genere malorum siue imperfectorum,ad esse,vt ad suū bonū perducit atq; in perfectione collocat. Proportionabiliter deduces in alijs generibus causarum, materiali etiam cuius causalitas est actualiter recipere esse.

Dispositiones quæ re nō recipiantur in materia.

Caie.de Vio.

Quare hoc inducat Arist.

Pondera causalitatem omnium causarum.

Tex.8. Vniuersaliter igitur diximus, quidnam anima sit. Est enim ea substantia, quæ est vt ratio:hęc autem est,quidditas corporis talis:& perinde sanè, atq; si quod instrumentorum artis naturale corpus esset, ceu securis. Eius nanq; substantia ipsius esset, vt patet securis ratio:idq́ esset anima,qua separata, non esset vlteriùs, vt patet, securis, nisi nomine tantùm. At nunc est securis. Non enim talis corporis substantia,ratioq́; est ipsa anima,sed naturalis,vt diximus,talis,quod in se motus status vè principium insitum habet.

Tex.9. Atque id,quod dictum est, in partibus etiā inspicere licet. Nā si oculus esset animal,eius anima visus ipse nimirum esset. Hic est enim,vt patet, oculi substantia, quę sese habet vt ratio:oculus autē est materies visus,qui cū defecerit,nō vlteriùs erit oculus,nisi nomine tantū,& perinde atq; lapideus, vel etiā pictus. Id igitur, quod de parte dictū est,ad totum corpus viuēs accōmodare oportet. Est enim hic profectò rationum similitudo. Nā vt pars sese habet ad partem: sic totus sen-

sus ad totum sensitiuum corpus, vt talis est rationis.

Similibus definitio animæ explanatur. Positam animæ definitionem exemplis manifestat. Primò, hoc tex. 8. in artificialibus, quæ similitudo ficta est & ab arte petita: Ars enim naturæ imitatrix perinde se ad suam habet materiã, ac nostra anima ad corpus, vtsi potentia incidendi securi forma esset, securis autem ferrum, corpus est physicũ, securis forma separata, ipsa securis nõ maneret, nisi æquiuocè securis & nomine tantũ, ratione enim diuersa esset: ex notioribus igitur & sensibilioribus rem patefecit, sed addit, *At nunc est securis*, hoc est, remota naturali forma, cùm det esse & speciem, non manet idem nisi æquiuocè & nomine tenus, remota tamen rerũ artificialiũ forma, species ipsius materiæ non soluitur, quia materiæ propriæ, quæ secunda est ratio & species, nõ soluetur: nam quanuis nomine securis siue dolabræ, forma eius atq; figura sit primò significata, & ideo ipsa remota dolabra non maneat nisi æquiuocè: materia tamen eius, quia est res principalis quæ significatur, absq; omni manet æquiuocatione. Itaq; sicut remota anima nõ manet viuens, ità forma securis ablata nõ manet securis. Quod vult Arist. est, quòd remota anima non manet materia eius proxima, quæ est corpus viuum, physicum & organicum, nisi æquiuocè (quod est argumentum formam esse substantialem) at remota forma dolabræ manet materia eius nempe ferrum, ideo non erat nisi forma artificialis: multum hîc sed superuacaneè laborat Commentator referente Caietano, vide si vacat, tametsi hæc pauca sufficientissimè textũ illustrent. *Caietanus* Secundò, idem tex. 9. in partibus animalium exponit, & profert exemplum de oculo, cuius aspectus siue visus, aut ipsa pupilla forma eius cùm sit: corpusculum autem istud organicum materia, oculus autem hoc aliquid, manente organo visus, & pupilla corrupta, oculus qui manet nõ amplius oculus dicetur, quã si lapideus aut depictus esset: meritò ergo declarat per artificiales res & corporum naturalium instrumẽta, quæ nobis magis peruia sunt, vt hinc quod intendimus intelligatur: igitur quod de parte dictum est, ad totum corpus accommodare oportere docet Aristoteles: nam vt pars se habet ad partem, ita totum ad totum. Quibus Aristoteles peramplius animam actum esse corporis substantialem, ijsq; duabus similitudinibus patefecit, quod est horum duorum textuum propositum: nam si sola actus separatione totius perditur vnitas & esse, ita coniunctione acquiretur & comparabitur: quia si negatio negationis causa est, & affirmatio etiã affirmationis causa erit. Fortasse textus hic non violenter citabitur, vt probetur nihil esse in genito eorum, quę in corrupto præfuerant, vt. 1. de gene. tex. 24. *Nil cõmune vniuocè manet in genito.*

Tex. 10. Non est autem id potẽtia viuens, quod abiecit animam, eaq́; vacat: sed id, quod ipsam habet. Semen uerò fructusvè, id nimirum est, quod potest tale corpus euadere. Vt igitur incisio, visioque, sic est vigilia actus? & vt visus rursus instrumentiq́; vis, sic est anima actus. Corpus autẽ est id, quod, vt diximus, est potentia viuẽs. Verùm vt pupilla, visusq́; oculus est, sic anima, & corpus est animal.

Quid sit potẽtia vitã habere. Vltimam definitionis particulam, & quid sit, *potentia vitam habere*, præsenti textu explanat Aristoteles, dicitq; corpus organicum non habere vitam in potentia remota, vt de semine & fructu dicitur, & quadam à generante insita vi per calorem naturalem actuosum, qui facit semina esse fœcunda. Itaq; si non abijcit actum, neque potentia illa ab actu remouetur, erit quidem potentia actui coniuncta: quanuis enim actu vitam habeat, in potentia dicitur: quoniam corpus ad animam vt potentia ad actum comparatur: est sanè in actu primo, & ad secundũ actum in potentia est proxima. Etenim in promptu est, vt exerat actus, edàtq; opera vitæ, vt Geometra qui dum dormit, sciens dicitur, potentiâ illius scientia habet considerationem. Præterea particula illa, potentiâ vitam habentis, aliter poterit interpretari, id est, in potentia vitam continentis, vt non intelligamus cum potentia respectiua, hoc est, cũ priuatione, ex qua res fit tanquam ex termino à quo, abijcitur etiam potentia subiectiua, ex qua tãquam

ex

ex parte essentiali viuens ipsum componitur. Quare pars illa definitionis poni videtur, vt corpus ad animã, sicut materia ad formam cõparata intelligatur: & licet sine actu primo animę viuens non intelligatur, sine secũdo verò, hoc est, aliquibus vitæ operibus nil prohibet, quoad ea quę minùs sunt necessaria: nã vegetatiua, vt dicemus, semper ex vtroq; actu est. Organa enim mortua nõ habẽt potentiã nisi æquiuocè: vnde licet corpus organicũ, & potẽtiã vitã habẽs idẽ esse videatur, necessariũ fuit vtrũq; poni, vt tota vis & animæ natura exponeretur, quia anima per organum vitalia munia exercet: vt non male Simplicius duplicem vitam posuerit, vnam essentialem, quæ instrumento perficitur, alteram accidentalem, quæ est vsus instrumenti ab ipso viuente. Postremis autẽ huius textus verbis, *Vt igitur incisio, visioq;, &c.* Aristoteles duas similitudines. 8. &. 9. textibus inductas, suo accõmodat proposito, quod ex illis verbis perspicuum est. Vna enim artis est in securi, altera naturę in oculo, securi potentia incidẽdi, vt actus primus, quæ dũ est cum ipsa & animæ sua proportione, respõdet facultas illa incidendi, vt in oculo facultas videndi: at incisio & visio actus est secũdus, quæ operationi vitali proportionantur: sicut ergo ferrũ informe, potestate est serra, si habilẽ figurã recipiat, sic semen potestate est animal, recepta tamen forma, per quam deinceps vitalia exerceat munia, actu animal fit. Vnum tamen aduertendum est, ex vltimis textus verbis colligi, Aristotelicũ esse dogma, partes simul sumptas realiter totum esse, cùm dicit, *Vt pupilla, visusq; oculus est, ita corpus, & anima animal*; licet formaliter fortè differant. Qua distinctione conciliatur sibi lib. 7. primæ Philosophiæ tex. 59. vbi dicit syllabam. Ba. nõ esse idem quod. B. & A. & lib. 5. Met. tex. 19. quòd sex nõ est bis tria, nec ter duo: quodlibet enim totũ, siue quantitatiuũ, siue essentiale rationẽ dicit à suis partibus distinctã.

Obserua.

Totum est suę partes simul sumptæ.

Tex. 11. Animam igitur non separabilem esse à corpore, vel partes ipsius nonnullas, si partibilis sit, non obscurum esse videtur. Corporis nanq; partiũ patet aliquas animæ partium actũ esse. Nihil tamen vetat, vt aliquæ partium sint separabiles animæ, proptereà quòd corporis nullius sint actus. At obscurum est, necdum patet, si perinde corporis anima sit actus, vt gubernator actus est nauis. Hoc igitur pacto vniuersaliter de anima determinatum, descriptumvè sit.

Aristoteles corolarium ex dictis inferre videtur de animæ nostræ rationalis separatione: aut tacitę profectò respõdet obiectioni, an cùm hęc animę finitio cõmunis sit, ita rationali competat, vt ipsa cum reliquis animabus actus corporis sit, ita vt eam separari nõ repugnet? Respõdet autẽ Aristoteles, quod cùm anima partibilis sit, pluresq; partes habeat (non loquitur de subiectiuis, sed potestatiuis animæ partibus) quarum aliquas ita cum corpore communes habet, vt extra ipsum minimè exercere valeat, veluti vegetare, sentire, quæ circa corpore pendeant, secundùm has nõ separatur: nam separata nõ exercet eas vegetãdi & sentiendi functiones: secũdùm autem intelligendi & volendi operationes separari nihil prohibet: nõ enim habet ad eas obeundas certa ac determinata organa: quare in esse ab ipso corpore nõ pẽdet, sicuti ipsum operari separatũ est. Rationem sumit Aristoteles, *proptereà quòd corporis nullius sint actus.* Dices, his verbis Aristotelẽ sibi ipsi aduersari, qui hoc in tex. 7. animã dixit actum esse cum corpore facientem substantialiter vnum, atq; adeò contra eius propositum. videtur enim velle colligere animã omnem actum esse primum & substantialem, nunc autem nullius corporis actũ esse dicit, nisi secũdùm operationem tantũ vti, sicut nauis nauta docet: quare corpori per informationem anima nostra minimè vnietur? Dicendum tamen, Arist. secum haud pugnare, imo si contextus literæ attendatur, satis modestè suã cõfirmat sententiam, atq; Platonẽ refutat. Cùm ergo dicit, *Nullius corporis actus est*, nõ intelligit animã nostrã substantialiter per informationẽ corpori nõ vniri; sed ad intelligendũ & volendũ non indigere corporeo aliquo organo, vt videre, audire, & similia. Quod subdit autẽ, *At obscurum est, &c.* propter Platonem inducit, quẽ gratis, & quasi de nihilo dãnare nõ vult; sed liquidũ, certũ esse & manifestũ, si vnitur

Tacitam soluit obiectionẽ de animæ separatione.

Obiectio.

Sagax Aristotelis ingenium in disciplinis tradendis.

tanquam nauta naui. Habuit se Aristoteles sicut præceptores, qui posito aliquo certo principio, nondum tamen plenè declarato, antequam ad plenam eius manifestationē procedatur, dubia & difficultates, quæ cōtinuò quispiam obijcere posset, excludunt: ita Aristoteles, quanuis posuit animam actū primum substantialem corporis esse, atque vnum ex vtroq; fieri, quasi se expediēs ad futura, asseruit: quod superest, quāuis ex dictis iam intelligatur, exactiùs posteà explanabitur, an Platonis dogma locum habeat, nunquid sit actus, vt gubernator nauis? id (mea sententia) significat Aristoteles, ex iā positis principijs perspicuum esse, atq; manifestum. Verùm propter modestiam, & vt beneuolentiùs sua doctrina reciperatur, nondum patere dicit, vt hac ratione lectores beneuolē & principia imbibāt, quibus idonei fiant, & sensim errore expulso legitimam Aristotelis sententiam acceptēt. Quęstio autem ista ad calcē tertij libri, vbi exactè tractabitur, reponenda est, ibi separatam animā dicemus, nō solùm secūdùm fidem, sed ex Philosophiæ principijs confirmabimus immortalem, quoniam à corpore non pendet: cæterùm coniuncta, sicut forma materiæ copulatur: habet enim homo ab illa, & esse, & vnitatem. Mihi tamen magis cōsonat, & literę quadrat, quòd Aristoteles affirmet, animam nostram rationalem generali animæ definitione compręhendi, & quod hoc non repugnat definitioni animæ, quòd sit actus substātialis, etiamsi separabilis sit, vt verè est, quoniam potentias habet à corpore separabiles: nam anima nostra prędita est potentijs, quæ non sunt actus corporis, quod pro ratione adnectit Aristoteles: ideo quòd omnium animarum ex ęquo cōmunis sit posita animæ definitio: quia actus est corporis, &c. Etenim rationē inuenit, vnde coniuncta, & vnde separabilis: quia potentias habet operantes sine organo corporeo, etiamsi eo vtatur vt materia, & instrumento, vt lib. 3. huius, vbi de intellectu agēte dicemus. Quare non pugnant, & actum esse substātialem, & esse separabilē, cùm eidem: nostræ animæ competant ex diuersis principijs: vnde soluit quęstionem motā lib. 1. tex. 12. Simile de nauta tenet, eò quòd nauta operationē habet in naui, gubernare scilicet, & cum naui nauigare: sic anima in corpore intelligit, cum corpore sentit, & sicut nauta separatur à naui, sic aīa à corpore.

In 1. p. illius quæstionis, dū agitur cōtra Auerroim, et lo co. 6. eiusdem quæstionis.

Obserua, quòd taci tam remouet obiectionem.

Simile le nauta.

Dissimilitudo autem & modestia Aristotelis consistit: quia nauta vnitur naui secundū operationem, anima verò secundùm esse: & quia de hoc non constat, ideo dubiè loquutus Aristoteles. De multa, quæ Caietanus hic perplexè & confusè dubitat, exclusa sunt & declarata. De his ergo figura dictum est, id est, non exactè, sed rudi crassaq; Minerua, similitudine ducta à pictoribus, qui imaginem priùs adumbrāt, quàm vltimis & viuis illustrent coloribus. Illustriùs ergo post deprehendemus hanc esse animæ naturam, atq; exactam definitionē & completam, cùm de omnibus in specie dictum à nobis fuerit. Ob id meritò ab hac quæstione hoc loco abstinendum censeo, sicut & à disputatione de cælorum animatione, quam hîc quidā inuitè tractat, oportuniùs nos 2. lib. de Cęlo cap. 2. in vtramuis partē probabilē fecimus, sed inferiùs lib. 3. cap. 9. vltimam nostram resolutionem subijcimus. Prætereunda etiam quæstio de vnitate & multitudine formarum, quæ cap. 3. appositiùs, quàm præsenti tractaretur, nisi nos lib. 1. de genera. cap. 4. quid de ea censendum esset, definiissemus: semper enim mihi animus fuit, non nisi illas quæstiones tractare, quæ ad Aristotelem enodandum facere viderentur, illásq; proprijs sedibus atq; locis adducere: quanuis in recognitionibus ad illos libros, fortasse ad finē huius magis mentem meam explicabo.

Caietanus

Quid sit figura dicere.

Qua ratione autor à quibusdā quæstionibus abstineat.

QVAESTIO.
Vtrùm animæ definitio sit legitima.

Quamobrem cùm hoc cap. Aristoteles animę finitionem inquirat, proponátq; meritò eadē à nobis examināda erit, atq; quęrendum, vtrū animæ finitio, qua definitur actus corporis physici, organici potentia vitam habentis, redūdans sit, an diminuta? an potiùs nihil habeat superfluum, aut quòd nil desit ei ad animæ naturā explicandam?

Examinatur animę definitio.

Nam in primis ex his, quæ in calce huius capitis dicebamus, videtur animam nō esse actum corporis, maximè cùm dubium sit, an pro primo, pro secundòve actus sumatur: nam vegetatiua non tantùm primus, sed secundus actus esse videtur: ergo si per actum intelligatur primus, vegetatiuæ non competet, si secundus, non semper cōuenit sensitiuæ, aut intellectiuę. Cōfirmatur: nam Ari-

Primū argumentū.

Cōfirmatio.

Aristoteles nō videtur definisse, si actus iste substātialis sit, an accidentalis, quod erat in definitione necessarium ad animę naturam exactè explorandam. Deinde non benè anima actus corporis definitur: nam cùm anima substantia sit, non debet instar accidentium per subiectum tanquam per additamentum definiri: diuersus enim est modus accidens, & substantiā definiendi, cùm substantia per se definiatur, non per aliud, sicut accidens. Ad hæc, cū anima corpus non sit, quomodo corpus mouebit? aut quomodo etiam corpus intelliget, cùm omnis cognitio per assimilationē sit? Insuper si actus corporis physici est & organici, redūdat altera harum particularum: nam si organicū corpus est, physicum erit necessariò. Præterea si anima actus esset physici corporis, physicum illud corpus per aliam formā ab anima distinctam naturale esset, atq; adeò plures formæ in eodem cōposito naturali essent. Tandem cùm organicum idem sit, quod vitalibus instrumentis instructum, sit, vt definitio redundet, vtpote in qua, vltima particula, scilicet potentiā vitam habentis, superflua sit. Prætereo argumenta nonnulla, quæ lectori etsi offerantur, eum minimè grauabunt. In oppositum est Peripateticorum schola, quæ positam in animæ definitionem admittit, vt in textus dictū est enarratione. Visum mihi est, è re tua facturum optime lector, si in huius quęstionis elucidatione (varia diuersorū autorū recitatione in star Canonistarū reiecta) rem totā ad certa capita reduxero: vnde maiori facto operæpretio, faciliùs ꝓposita diluātur argumēta.

Secūdum argumentum.

Cōfirmatio.

Tertiū argumentū.

Cōfirmatio.

Quartum argumentum.

Primū aduertendum est, definitionē cōtinere totā rei essentiam, tradiq; per essentiales & intrinsecas rei partes. Quare quæcūq; ex necessitate definiūtur, per aliquid quod extra eorū essētiam est, definitionem habēt incōpletā, vtpote quę aliquo extrinseco non complentur, egētq; aliquo extrinseco tanquam additamēto, quod finitionis supleat complementum: huiusmodi autem sunt accidentia, in quorum finitionibus (vt 7. Met. tex. 15. dicitur) tāquam additamētū subiectū (quod est extra eorum essentiam) ponitur: ideo cùm formæ omnes, quę in materia recipiuntur, similitudinem quandā accidentis prę se ferre videantur, more ipsorū per propriū subiectum definientur. Vtraq; enim forma, substantialis scilicet, & accidētalis, primò proprium subiectū respicit, ad quod habet habitudinem, ex cuius etiā coniunctione esse vtriq; cōmune relinquitur. Secūdò, vtraq; etiā incompletam habet essentiam: siquidem à susceptiuo pendet: atq; adeò vtraq; incōpletam habebit definitionem, cùm in vtriusq; ratione subiectū tanquā additamentum includi oporteat: quare etiam in formæ substātialis finitione oportet proprium eius receptiuum ponere, materiā scilicet, quæ est extra formæ genus, licet vtraq; habeat subiectum, aliter tamē in subiecto est, differētiq; modo, vt cap. 2. prędicamētorum explicatur: nam accidēs non est in subiecto vt pars, itē vt. 7. Met. tex. 35. subiectum accidētis est genere diuersum, at subiectum formæ nō est genere diuersum: quoniā ad prędicamētum substātię tam materia, quàm forma reducuntur: actus enim vnusquisq; determinat sibi proprium subiectum, vt potentiam, quam oporteat definitione accommodatè explicare est enim: act⁹ genus formę, vt hic Aristoteles docet. Materia autem sub potētia est, quę ab actu necessariò diuersa est: definitur igitur per materiā, tāquā per extrinsecū additamētū. Cæterùm cōtinuò inferēdum nō est, animā per materiam, & nō per corpus physicum definiendam: nam agitur hic de actu, non quatenus forma in cōmuni est, quæ est velut materiæ immersa, & nō habet operationē, quæ nō referatur ad ipsas qualitates elemētorum & materialiter, sed vt aīa est, quæ vti forma multis nominibus prę stat: ita etiā oportuit magis materiam vincere, eiq; dominari, & altiùs extolli, vt propriū eius susceptiuū, quod ei merita proportione respōdet, excellētioribus dispositionib⁹ pręstare: adeò vt eius materia, non corpus solùm, sed dignioribus appellationib⁹ nūcupetur, physicum scilicet, atq; organicū. Et vt. 1. huius tex. 53. cōtra antiquos insinuabat Aristoteles, animā nō ingredi corpus, sed ipsum sibi formare, & idoneum pręparare: perfectiori enim modo rationalis faciet anima, quæ vt separata, & in suo esse subsistens, nec materiæ immersa est, nec ab eius potentia educta, sed tātū ei est vnita substātialiter: habet enim suū esse immateriale, quod primò animā rationalē respicit, quàm hominē, & inde ad corpus deriuatur: ergo aīa, quæ pars est naturæ, incompleta est, vt completè definiatur, proprio susceptiuo tanquam additamento indiget. Hoc tamen ab accidente (prætet illa, quæ dudum dicebam) discre-

Primùm nota de natura definitionis.

Formæ substātiali quibus cum accidentali cōueniat.

Anima est prǽstātior actus quàm formæ inanimatorū.

D 3 pat,

Differentis substantialis, & accidentalis formę. pat, quòd accidens pars non est alicuius essentię, neq; tertia entitas resultat ex accidēte, & subiecto, vt tex. 4. dicebam ex antepręedicametis cap. 2. esse in subiecto non est sicut accidens, qnod non est pars totius. Cùm tamen forma substantialis pars sit, & principium intrinsecum rei. 1. Physi. cap. 6. & ex ipsa atque susceptiuo vnum per se resultat, quod definibile est. 7. Met. tex. 16. vnde sicut accidens à subiecto separatum, adhuc habitudine, & dependentia ad subiectum definitur (intrinseca enim dependentia in genere causæ materialis subiectum respicit, quæ dependentia relatio nō est: quoniam respectu alterius à causa non abstrahit) ita sanè forma ipsa rationalis, licet separetur per suum susceptiuum, atque organicum corpus, cui suapte natura commensuratur, definietur: definitur enim vnūquodq;, sicut habet esse. Harum autem formarum totum esse, atq; desiderium est ad suum perfectibile, cuius est forma vnaquæq; perfectiua: per ipsum igitur definietur, nisi quòd formæ accidentalis additamentum alterius generis est: additamētum verò substantialis formæ ad idem substantiæ genus reducitur. Quare meritò dicitur, animam nostram per corpus, ad quod habet habitudinem, & commensurationem naturalem, indiuiduari, atq; adeò proprior est & essentialior hæc animæ definitio ea, quam Aristoteles sequenti cap. tradit: quoniam hæc per propriam materiam datnr, & aliquid, quod est eiusdem generis, & quod in eodem priùs est, vt. 9. Met. tex. 13. &. 14. illa verò per vires, & facultates datur, cùm dicitur, anima est principium viuendi, sentiendi, & intelligendi, &c. quæ sunt alterius generis, & ipsa anima posteriores, cùm sint quasi effectus: sed de illa definitione cap. sequenti dicemus.

2. nota de actu, qui in aiæ finitione ponitur, qui prim° est. Mox considerandum est, actum genus esse in animæ finitione: nam si materia est snb potētia, forma erit sub actu, idq; in textu legitimè Aristoteles probat. Et præterea tex. 6. Aristoteleum esse probauimus, actū, licet duplex sit, primus atq; secundus, pro primo necessariò vsurpari, siue vegetatiuā animā suis actionibus, atq; munijs vacare contingat, vt hîc Auerroes commento. 5. Auicennas etiam lib. 7. de animalibus, quibus probabile efficitur, serpentes, atq; lacertos, & id genus alia hyberno tēpore vigente frigore non augeri, neq; nutriri, sed horum omniū facultates vitales, quasi dormire, quiescere, atq; ab actu secundo cessare: siue hoc falsum sit, vt experimentum declarat, cùm verno tēpore huiuscemodi animalia macilenta foras prodeant. Signum, quòd cùm veluti formicæ hyemi non thesaurizauerint, ideò de propria substantia alitæ sunt: quoniam ob rigorem, & torporem, non accedente extrinsecùs alimento, naturalis calor, quantus quantus ille sit, ad intrinseca, vt foueatur, sese conuertebat. Quare benè dictū est, actum primū in definitione intelligendum: quoniam omnia compręhēdit ex eo, quòd in definitionibus id, quod per se proprium atque secundùm quòd ipsum est, debet poni: non autē quod extraneū, & quod contingēter inest. Actus autem primus est, qui animæ ex necessitate semper competit, & qui essentialis est: secūdus autem non necessariò inest, & accidentalis est: ob id ab omni actu secundo, vel aliquo separatur, quia non generat, non auget, etsi nutriri viuens, quandiu viuit, sit necesse: de qua re in tex. 6. dixi. *Aĩa vegetatiua si separetur ab actiuo secūdo, vide in tex. 6.* Vsqueadeo vt nostra rationalis anima, dum separata est, actus sit, non quatenus separata est, sed quatenus habitudinem quandam, & natiuam commensurationem habet ad organicum corpus: nam definitionis partes essentialiter, non actualiter competere debent. Quod sub alijs verbis logici garriunt dicentes, verba in definitionibus non dicunt actum, sed aptitudinem, vt intelligitur illud Aristotelis. 1. de Post. Analysi cap. 2. *Quod non est, non scitur*, si intelligeretnr, quod non est actualiter, profectò neq; rosa in hyeme, neq; in æstate pluuia, neque dum est in suis causis eclipsis, scirentur: ergo fat est esse in rerum natura secundùm esse substantiale & quidditatiuum: cùm ergo substantia & quidditas animæ sit actum esse, erit actus primus, siue in corpore existens ad secundum progrediatur, siue non, siue à corpore soluta & libera sit sine informationis, & actuationis vsu: nam si illo modo actus in corpore sit, actualiter habet suæ naturæ vsum: si hoc modo à corpore expediatur, tunc sanè quidditas, atq; essentia actus sine existentia ipsius actuationis intelligitur. Anima ergo separata verè, & essentialiter est actus corporis, quanuis naturaliter sit ad ipsum propensa. Color enim in tenebris naturam habet coloris: similiter separata anima naturam habet actus, *Aĩa rationalis separata dicitur esse act°. 1. p. q. 75. art. 1. & 6. & q. 76. art. 1.*

actus, aptitudine illa, & propensione, & naturali commēsuratione ad corpus. Quo fit, malè Neothericum quendam dixisse hîc, ꝙ vt intellectiua, meliùs est separata, at vt forma, perfectiùs est coniuncta: cùm secundùm quòd intellectiua proprias operationes, & magis accōmodatas habeat per corpus, ideo vnitur propter melius esse, non tā tùm corporis, sed animæ etiam. 1. p. q. 89. art. 3. ad. 4. ibi Caietanus, &. q. 84. art. 4. naturalis est autem status coniunctionis, separationis autem præternaturalis, vt infrà de immortalitate animæ dicemus. Quare perperam quidam existimant, actum pro primo, vel secundo indeterminatè vsurpari: mathematica est ista abstractio, & crassa philosophia, cùm essentiam rei definitam, atq; determinatam esse oporteat: & sic facile esset dubia omnia soluere, res in cōfuso definiendo, deinde verò pro nostra rei indigentia exponendo, voluntariaq; est distinctio, vt actus quandoq; primus sit, quādoq; pro libito secūdus. Res ergo certa lege, atq; definitione determinari debet, atq; (vt diximus in definitione) actus pro primo sumitur determinatè: nam primus per se propriè, & inseparabiliter animæ conuenit, in quantum anima est. Actus verò secundus non repugnat, vt ab anima, quatenus talis est, separetur: quanuis repugnaret à vegetatiua separari, quod Aristoteles intendebat, dum dicebat, actum esse animā veluti somnum, & scientiam, quæ ab actu secundo separantur: posse nanq; operari actu primo, per se non infert operari, maximè quia anima actus primus dicitur.

Peresius.

Actus in animæ finitione nō sumitur indifferēter.

Adnotandum discrimen, quod est inter animam, & rerum inanimatarum formas: nam res inanimatæ, & earum formæ quantum in se est, semper in actu secūdo sunt à generante constitutę in esse quieto (vt. 4. de Cælo cap. 3. à nobis est definitum) & in facto esse, & quieto: viuentium autem perfectio in motu consistit. Rursum anima primus dicitur actus, quia concurrentibus, & pręsentibus ad actionē, tam ex parte agentis, quàm patientis, requisitis non necessariò operabitur: quoniam non sola rationalis nostra forma propter libertatem, verùm cæteræ etiam omnes animæ in hoc naturales excedunt formas, quòd cùm non adeò addictæ materiæ sint, & alligatæ, sed solutionem à materia quodā tenus participent, nonnullum suarum functionum vsum habere videntur, quo vestigium quoddā, atq; libertatis imaginē referunt. Accedunt enim iam quasi per suos gradus ad rationalis animæ libertatem, quam naturales formæ nec obscurè repræsentant, cùm in gradu formarum infimo sedem habeant: ob id naturalitatis tantum in eis, necessitatisq; similitudo relucet, nullumq; apparet libertatis indicium, aut vestigium, vtpote quæ omnino ad vnum determinantur, anima autē omnis ad plura propenditur. Ergo benè positum est, vt in animę finitione actus determinatè pro primo sumatur, & non pro secundo, atq; rectè expositum est, animam separatā quidditatiuè actū esse, est enim actuatiua, & informatiua. Vegetatiua autem fortasse à secundo actu semouetur, siue per libertatem, & intentionem animæ rationalis, siue per operis moderationem, aut debilitationem, vt hoc à naturalibus formis differat, siue per se, vt anima est: de qua in cōmuni, vt anima est, præsens est disputatio, siue positiuè, siue non repugnanter ab actu secundo cessat & separatur, in quantum est anima, quę vt sic, quia nō est, vt forma inanimatorum, ad vnum determinata, potest sibi terminū cōstituere & otium parare: sermo enim formalis est de his, quæ sunt animæ propria. Si obijcias, actus secundus nobilior est primo, quando primus habet se per modum habitus, secundus per modum actus: atqui actus nobilior est habitu, vt de se patet, ob idq; fœlicitas nostra consistit in actu secundo, & per modum vigiliæ, & nō in actu primo, & per modum somni: quare malè per actum in definitione animę primū intelligemus, cùm secundus nobilior sit? Respondetur, præter ea, quæ lib. 2. de cælo tex. 17. dixi explicās quomodo vnūquodque sit propter suam operationem, non tāquam propter finem primarium & substātialem, sed secundarium & accidentalem, quasi propter rei complementum, quæ sua in actuali operatione complectur, & absoluitur. Vnde actus secundus est nobilior accidentaliter, quia omnino est in actu absq; imperfectione: at primus actus annexā habet imperfectionem, & potentialitatem, habet enim se per modum dormientis. Vnde Arist. 12. meta. tex. 51. dicit, quòd si prima causa solùm esset in actu primo, non in secundo, parum aut nil nobilitatis haberet: actus autem primus nobilior est substantialiter: sermones autem apud probatos philosophos

Aduerte discrimen inter viuētis, & nō viuētia.

Sūma dictorū pro lixā Caietani commentationem resolues, quòd anima sit actus primus.

Obiectio.

Solutio, qua acti primus, et secundus comparātur.

losophos formaliter sunt interpretandi & vsurpandi. Quamobrem licet actus secundus in ratione actus formaliter præstantior sit, quàm actus primus, tamen in ratione rei realiter actus primus absolutè excellentior est: quoniam anima secundùm se nobilior est sua operatione, habet enim rationē animæ, & actus primi, non solùm dum vigilat, sed etiam dum dormit, & ab omni operatione vacat. Meliùs itaq; per actum primū, quàm per secundum definitur, qui est substantialiter nobilior, & semper atq; essentialiter conuenit: secundus autem habetur ab anima accidentali in potentia, vt in eadem diffinitione explicatū est: quod reliquum est, inferiùs tex. 49. habes.

3 nota, totum esse prius partibus. Tertiò considerandū est, totum suis partibus prius esse, atq; adeò forma, quę pars ipsius corporis physici est, priùs natura inhęret, siue informat, quàm sit. Ratio huius est, quòd cùm esse non habeat nisi in toto ipso composito, prius natura compositum ipsum est, vnde forma educit, & participat esse: quod Aristoteles lib. 1. Physi. tex. 64. dixit, compositum esse simpliciter, atque adeò fieri: forma autē, non quod fit, sed quo aliquid fit, est. Aristoteles etiam. 7. lib. Met. à tex. 27. ad. 35. idem ex professo docet, dū formam per accidens fieri affirmat, totum autem ipsum compositum per se, quoniam formæ non sunt, quæ habent esse, sed quibus res naturales sunt. Vnde si fieri via est ad esse, illa tantùm per se fiunt, quę per formas ipsas habent esse: formæ autem incipiunt esse eo modo, quo sunt, illis iā factis, quæ per formas habent esse. Formæ enim sicut nō propriè sunt, ita neq; propriè fiūt, sed educuntur de potentia materiæ, quatenus materia, quæ in potentia est ad formā, fit actu sub forma, quod est facere compositum, aliàs forma coniungeretur materiæ interiecto aliquo medio, quod est contra Aristotelem. 8. Met. à principio ad finem. Si enim medium aliquid esset, quo materia, & forma connecterentur, forma non esset primus actus substantialis, ergo debet esse actus totius: quia totum esse prius, nil aliud est, quàm partes non esse seorsum per se, nisi vt vnitas, quod est prius totum esse, quàm partes. In quam sententiam Aristoteles descendit, vt duos declinet extremos errores: primum asserētium, formas ex nihilo fieri, secundum asserentium, in materia præ existere. Medius autem Aristoteles

Obserua, quid educi de potētia materiæ.

Duo errores cauendi.

dum incedit, vtrumq; excludit ex eo, quod formas non fieri, sed compositum, asserit, in cuius generatione de potentia in actum educuntur. Exemplum ex artificialibus petere possumus: nam figura, & forma statuæ ab arte seorsum non fit nisi in toto, vt oculis etiam ipsis conspicimus: natura igitur eundem operandi modum obseruat: nam productura album, non priùs albedinem in se producit, quā deinde parieti admouear, sed faciendo albūm, albedinem ipsam educit. Rursus dum facit equum, equi anima non separata, & quasi subsistens in se producitur, sed in toto: quemadmodum enim albedo alba non est, sed id, quo aliquid album est: ita neq; equi forma equus est, sed quo aliquid equus est: quare priùs natura in toto composito sunt formæ, quàm in se: informando enim, & componendo in toto acquirūt esse. Rectè igitur Aristoteles ex hac doctrina, atque principio dixit, anima actus est corporis physici, organici: nam quanuis in materia nuda immediatè recipiatur, quam immediatè etiam informat: quia tamen priùs natura est in toto, quàm in se, priùs dicitur totius, quam materię esse actus: nam est id, quo totum ipsum existit, & est. Et ita Aristoteles etiam dicit lumen actum esse diaphani. 2. de anima tex. 73. cuius fintionis is sensus est, lumen id est, ratione cuius actu transparens actu tale est: itaq; per totum ipsum, hoc est per diaphanum, quod prius natura & notius est, definitur: pari igitur ratione de anima, quæ per corpus physicum definitur, & non per partem, hoc est, per materiam ipsam informē. Quo fit, male quendam Neothericum doctrina Caietani delusum, animę fimtionem per organicum corpus explicasse, id est, per ordinem ad dispositiones, vt quemadmodum illæ præcedunt via generationis, sequuntur autem ordine intentionis (ad eum modum, quo nos diximus lib. 1. de gener. cap. 4.) sic ille numerat organicū, vt dispositiones accidentales, & organizationē accidentalem in partibus officialibus. Cùm tamen organicum habeat esse substantiale, quod non potest esse nisi à forma, & necessariò debeat præcedere anima, quæ nō habet esse, nisi in suo toto, illud est perpri' definitum: & non benè distinguit iste inter accidentia, & substantias, & esse accidentale, & substantiale, imo incautus vtrūq; cōiunxit. Nec enim definitio, vt ille exponit, esset

Optima doctrinæ applicatio.

Peruersius.

esset ex prioribus,& notioribus,sed posterioribus & ex accidentalibus: rectè ergo à nobis suppositum est.

4. nota, vnius rei vna tantū est forma substātialis.

Quocirca tandem in memoriam reuocãdum est peripateticam illius quæstionis de vnitate,multitudinéve formarum elucidationem,quam lib.de gene. t.cap.4.tradidimus,pluribusq; ostendimus,in eadẽ materia vnicam substantialem formam esse, atq; adeò etiam vnicam duntaxat animam: alioqui si duas in eadem materia poneres, duo eiusdem rei esse affirmares,posteriorq; enti iam in actu constituto adueniret:quare non vnum per se,sed per accidens constitueret,nec ex potentia, & actu vnum efficeretur,cùm antequam posterior forma adueniret,per priorem in actu esset. Vna igitur sola forma est in quacũq; materia:quoniam posteriori adueniente,quę virtute sua priores omnes continet, omnes aliæ cessant:etenim nil superuacuum debet esse in natura:abeunt enim, atq; pereunt non ratione contrarietatis, sed ob admixtam in eo inpossibilitatis repugnantiam. Vt enim duo quanta incompossibilia ob occupationem, & repletionem vnius esse simul repugnat:ita duas formas ob informationem alterius. Vt iam enim locus vna quantitate repletus aliam non capit quantitatem, sic materia vna,postquam forma fuerit informata,alteram formam sumere non potest: esset enim quæcunq; forma superflua cum posteriori,quæ omnes alias supplet, atque eminenti virtute continet. Quod inferiùs Aristoteles tex. 31.docet, appositissimoq; exemplo manifestat in figuris, vbi vna in alia in potentia continetur. Vt enim triangulus in quadrato est, ita vegetatiuum in sensitiuo,nisi quod secundùm ordinem intelligendi, priùs oportet superiora prædicata intelligere esse priùs, deinde viuere, post sentire, demum intelligere: non ergo est ex prædicatorum multitudine formarũ pluralitas arguenda,vt Auicembrom existimauit:sola enim est diuersitas secundùm rationem. Nulla igitur forma, aut anima est,quæ immediatè in materia non recipiatur:nam sicut materia pura est potẽtia substantialis, ita & forma substantialis actus erit, atq; adeò ob hanc rationem ex ipsis vnum fiet, vt præsenti cap. tex. 7. dicebamus: est enim materia pura potentia non accidentalis,sed substantialis, ergo primò, & per se ad actum sui generis ordinabitur, vt ex illis vnum fiat. Quare quod Aristoteles dicit.2.de gene.animal.cap. 3. fœtum priùs esse vegetatiuum, deinde verò sensitiuum, & eodem lib. cap. 1. formas aduenire docet corporibus variè instructis,atq; præparatis:intelligẽdum enim est in facto, & permanenti esse secundùm ordinem rationum, non secundùm ordinem rei, nisi in fieri:quanuis Granatensi hoc persimile videatur metamorphoseo figmento, & censet omnes formas simul esse in vna rationali,quæ sese paulatim per suas facultates & ordinatè explicat: cùm tamen oppositum ratio ponat, quia in generatione ordo rerum obseruatur:nam priùs est anima vegetatiua,deinde sensitiua,demum intellectiua:tamen post fieri ipsum,quando res est in suo facto esse constituta,tũc sanè vna duntaxat forma est,quę non formaliter,sed virtute,non ordine rerum,sed rationũ vniuersas alias continet. Sententia hæc videtur esse Aristotelis. 1.Eth. cap. 13. in fœtibus, inquit, vegetatiua tantùm sit conuenientiùs,quàm alia quęppiam, & Aug. videtur idem tenere tom.3.lib. de spiritu,& anima, cap. 9. vbi de fœtu sic loquitur,humanum corpus sine anima rationali,nec viuere,nec nasci potest:vegetatur tamen, & mouetur, & crescit,& humanam formam in vtero recipit priusquam animam rationalem recipiat,&c. Expressa est hæc sententia S.Tho. 1.p.q.76.ar.3.ad.3.quòd priùs embrio habet animam,quæ est sensitiua tantùm,qua abiecta aduenit anima,quæ simul est sensitiua,& intellectiua:&.q. 118.ar.2. ad. 2. de quo suprà ad finem tex. 3, & iterum infrà initio quęstionis super caput. 3. vbi optionẽ facio,vt vtrãuis huius problematis partem possis liberè acceptare. Ex quib⁹ duo sequuntur. *Embrio.*

1. corolarium.

Primum est, corpus physicum,quod in animæ finitionę positum est,non esse physicum,& naturale per formam ab ipsa anima distinctam,nisi secũdùm rationem,nam quatenus anima forma est,intelligitur priùs corpus illud physicum efficere,atque adeò non valet ex ordine rerum ad ordinem rationum: nam animæ formaliter loquendo proprium susceptiuum corpus physicum est:non sequitur tamen,vt rei, quæ est anima, propria materia corpus physicum sit: nam anima immediatè in materia suscipitur:quanuis secundùm rationem naturę ordine priùs in ratione formæ corpus ipsum phy- *A ĩa quatenus immediatè in materia recipiatur, & quatenus in corpore organico.*

physicum effecerit: simili etiam modo non valet rei, quæ anima est, proprium susceptiuum, & immediatum materia prima est: ergo eiusdem animę formaliter sumptę eadem prima materia primum, & immediatum erit susceptiuum: est enim aperta fallatia accidentis: variatur nāq; ordo rei in ordinem rationum, & ex propositione identica formalis infertur: non enim solùm anima nostra anima est, sed idēticè forma substantialis. Ob id duplici gaudet materia, id est, quæ vna est secundum rem, duplex autem secundùm rationem, vt anima scilicet est, atq; vt forma est substantialis, & sicut se se antecedunt aut sequuntur anima, & substantialis forma: ita etiam & materiæ illarum susceptiuæ. Secundū est, non esse multum philosophicum id, quod. 4. cap. lib. 1. de genera. obiter, & perfunctoriè insinuauimus, videlicet in vnoquoq; ente naturali à principio non esse nisi vnicam formam. v. g. in nobis anima rationalis sola semper fuit, nisi quòd pro varietate dispositionum nunc vegetatiuam dūtaxat facultatem per embrionem ostendebat, deinceps sentiendi virtutem manifestabat, tandem perfectā adepta organizationem, intellectiuam se prodebat. Etenim quamuis hoc sustentatu facile sit, à peripatetica schola alienū est, vt nuper ex. 2. de gene. animal. cap. 3. & cap. 1. præcedunt enim illę formę, quamuis cum forma ventura in eadem materia non sint permansuræ, vt materiam ipsam perfectiori formæ inducendæ præparent: ob idq; materiam informant, non permanentem, sed ad aliam formam trāseuntem, atq; properantem. Quod autem materiam trāseuntem constituit, cum actu, ad quem pręparabat, non permanet, cùm opus sit materiam, in quam substantialis forma est inducenda, omni actu denudatam esse, ita tamen quòd priùs ab alia forma suo ordine fuerit formata. Ineptum sanè est, animam rationalem in embrione quasi sepultā ponere: nunquam enim forma in materia sine accommodatis, & legitimis dispositionibus inducitur. Hæc enim est agentium naturalium cōditio, vt in materiam idoneam suos inducant actus: eorundem etiam perpetua lex est, vt formam in materia non ponant, nisi priori forma priùs expulsa. Docet hoc vini materia, quæ non cuiuscunq; formæ, sed aceti naturaliter est capax: materia farinæ respectu panis idem aperit. Qua de

2. corolarium.

c. p. q. 76. art. 3. ad 4.

Embrio.

re fortasse statim in interpretatione capitis sequentis sermo redibit, & cap. 3. tex. 32. Ex quibus omnibus aperta est propositæ quæstionis responsio, nempe positam finitionem legitimam esse, minimè redundantem aut diminutam. Constat sanè sex particulis, quarum tres priores generis naturā describunt, reliquæ verò tres posteriores differentiam circunloquuntur: quare ex genere & differentia, vt optima quęq; definitio, constat. Exactior autem huius conclusionis demonstratio ex argumentorum pēdet solutione, ad quæ operępretium fuerit suo ordine respondere.

Solutio quæstionis.

Soluuntur argumenta.

Primum autem ex secundo notabili satis est solutum, quo definitum est actum in definitione animę, non indefinitè pro primo aut secundo, sed per se pro primo vsurpari: quandoquidem animæ necessariò inest, & essentialiter actum esse primum, non secūdū: à secundo enim actu anima separabilis, etiam vegetatiua, quatenus anima est. Primus igitur actus anima est: quia prima corporis perfectio, quæ hominem etiam in specie hominis constituit, & separata eandem etiam rationem obseruat, non quòd actualiter actuet, sed quòd essētialiter actuatiua & perfectiua sit, est enim nostra anima adhuc separata incompleta: quare humanæ naturæ pars totum, vt compleatur, desiderat. Ad confirmationem Aristoteles tex. 4. respondet expresè, atque animam actum, & substantiam vocat: quare erit & substantialis actus.

Ad primum.

Secundum autem argumētum ex primo notabili dilues, in quo traditus est modus diffiniendi has formas tam substantiales, quàm accidentales, inter quas discrimina quædam adnotauimus: proprium sanè est perfectionem perfectibile respicere, atque adeò per ipsum diffiniri. Huius autem argumenti confirmatio vnum supponit, & alterum quærit, supponit enim animam nō esse corpus, licet Niphus hic tex. 8. Alexandro imposuerit, sensisse animam esse corpus: quoniā pars corporis est, corpus enim ex corporibus constat: ex Alexandri tamen sententia oppositum inferiùs ostendemus. Interim tamen proposita ratio nil colligit: nā (vt diximus lib. 1. de gene. c. 3.) nil prohibet, corpus ex non corporibus cōstare, vt partibus essentialibus: neq; enim materia aut forma corpus sunt, ex illis tamen tanquam ex actu, & potentia corpus consti-

Ad secundum.

Ad cōfirmationē.

constituitur, sicut linea etiam ex punctis est essentialiter, non tamen ex illis integratur: sic enim ex non quantis quantum non integratur. Quod quæritur autem est de modo, quo corpus ipsum mouet: videtur tamen mihi dicendum, ipsam animam corpus non mouere per solam virtutis indistantiam, neq; adhuc realiter & physicè, hoc est, ad similitudinem agentium naturalium, solùm per qualitatem aliquam realem, sed potiùs (vt dicemus infrà lib. 3. quęstione circa cap. 6. 7. & 8.) intentionaliter per modum finis, per appetitum, & desideriū finis, quod ingerit: quo etiam totum corpus commouet, atq; ad propria munia propēdit. Id autem, quod in argumento inuoluitur de corporum cognitione, lib. 1. tex. 77. ab Aristotele soluitur, cùm dicit contra antiquos, nil elemēta in anima ad res cognoscendas prodesse, nisi rationes etiam insint, hoc est, vt anima omnia cognoscat, non oportet, vt sit omnia secundùm rem: non sanè sufficerēt elementa, nisi rationes, & mixtiones inessent, atq; earum habitudines: quod quā sit impossibile, dicere non est necesse. Fit autem cognitio per assimilationem, non secūdùm rem, sed intētionem: lapis enim in anima non est, sed species lapidis, vt. 3. lib. dicemus tex. 38.

Ad 3. argumentū. Tertium verò diluitur facilè, si aduertamus particulam, Physici, aliquam rationem supra corpus addere, nimirum quòd determinet ipsum corpus ad naturale corpus. Particula altera, Organici, etiam addit, siquidem non omne corpus physicum organicum est: nam viuentia sola sunt, quæ corpus exigunt ad varias animæ functiones obeundas, varijs etiam dispositum instrumentis, atque organis instructum: corpora enim perfectiora à perfectioribus formis exiguntur. Malè igitur dicunt, qui asserunt, partem illam definitionis ad differentiam cælorum poni, quos, licet cum altera opinione. 2. de cælo cap. 2. à nobis interpretata, animatos per animam informantem dicamus: formaliter tamen organici non sunt, vt illic latiùs exposuimus. Secus autem est in his viuentibus, quę organa, id est, partes quasdam instrumentarias, dissimilares, atq; diuersarum rationum exigunt, quibus anima ad opera vitæ præstāda veluti famulitio vtatur, cuiusmodi sunt os, caro, neruus, vena, sanguis, cerebrum, & id genus alia, quibus in plantis alia similia, & proportionalia respondent, vt radix oris vicaria, fibræ, seu stamina, venarum æmulę, & sic de alijs: sunt igitur organicæ partes officiariæ. Nec requiruntur, quamq; corporis partē organicam esse, sed sat est totum ipsum varias partes habere, atque organa, quę, vt visus, atq; auditus, officio, & complexione differant, non tamen substantiali forma, cū ipsæ partes non habeant diuersas formas substātiales, cùm vna sit posita forma totius: quāuis ob eius eminētiam, & dignitatem qualitatum, diuersa sit singularium partium tēperatura. Vnde licet operatio propria, & adęquati totius perfectibilis concludat specificam formæ distinctionem, non tamen quando complexiones, & operationes partiales sunt: id enim ex eminētia formę promanat, quæ principium etiam est contrariorum, atq; ob suam excellentiam ad omnes commouet positionis differentias. Et licet calor cordis cerebri frigiditatem corrūpere appetat (quoniam sic seorsum considerata, contraria sunt inter se) tamen vt ab anima continentur, in quandam veniunt temperaturam, & vnam totius perfectibilis complexionem: vnde quandiu huiusmodi diuersi humores ab anima cōtinentur, & regulātur, nunquā alicuius partis corruptio contingit: euenit autem corruptio, non nisi alterius partis humore ab animæ regimine exorbitante. Quare calor nunquam cerebrum ipsum corrumpet, qua naturalis est, sed qua præternaturalis, id est, à totius consonantia discordans, atq; ab animæ regimine substractus: sicut in fidibus musicorum organorum euenire videmus, in quibus diuersa chordarum temperatura vnam facit harmoniam, quæ non ob id rumpitur, nisi à totius consonantia pars aliqua, atq; chorda deficiat: aut certè si partium diuersæ essent formæ, eueniret id, quod fieri non potest, vt à priuatione ad habitum per naturā esset regressus: quoniam membrum aridū, atq; mortuum viuificari contingit. Quam cōmentationem ne admittamus, magis est rationi consentaneum dicere, dūtaxat vnā esse formam totius, quæ poterit in aridum, atq; mortuum membrum extendi. Aduertendum tamen, sanguinē non esse actu partem animalis, sed in potentia proxima, tanquam alimentum vltimum, proximū iam, vt in naturam conuertatur: vt dicitur enim in paruis natralibus, omnia dulci nutriuntur, id est, sanguine, quod vltimum est alimentum,

Organorum vna est forma.

mentum, vt. 2. de partib. animal. cap. 4. scribitur. Huius autem argumenti cōfirmatio ex. 3. &. 4. notabili diluitur: nam si totum prius natura est suis partibus, physicū corpus, cuius est actus ipsa anima, non per aliā in ordine rei, sed per eandem in ordine rationis priùs consideratæ corpus physicum est. Neq; inde deducitur, opus esse plurib° formis in eodem: sicut enim quamuis lumē ipsum transparentiam faciat, per transparens, & diaphanū definitur, lumen est actus diaphani, id est, quo aliquid diaphanum est: pari quoque ratione quamuis anima faciat actu physicum & organicum corpus, per ipsum definitur, vt per proprium subiectū actu, non tamen (vt quidam contendunt) idem per seipsum definitur, cùm subiectum actu, & forma, quæ est actus, nō sunt idem, sed forma est in subiecto actu tanquam in effectu formali: vt si definias calorē in hūc modū, actus calefacti in calefacto calor est, vt in formali effectu, & ita lumen in pellucido. Vnde Palatius Granatensis definitionem, dicit, esse per posteriora, quoniam per effectum: S. Th. verò per priora, cùm priùs sit corpus animę capax. Meliùs tamen mea sententia dicemus, per priora huiusmodi definitionem dari, non quòd detur per corpus naturā animę capax, sed quia cùm totū suis partibus ordine naturæ prius sit, definitur anima, eius corporis physici actus, quod vel saltem simul natura est. Sententia hæc Aristotelis est. 12. Meta. tex. 16. quòd etsi mouētes causæ suis effectibus sint priores, tamē formalis, vt ratio, simul est: quare per effectū formalem non definitur, vt per posterius: quia etsi non sit priùs, est tamen simul secundùm se, & quoad nos est notiùs, infrà cap. 2. ad finem quæstionis primæ. Sunt enim actus ipsius totius, in quo fiunt, & à quo esse participant, quod non tantùm verum est secundùm rationem, vt Palatius dicit, sed in re: nam non aliter natę sunt formæ esse, quàm in toto, non quòd sint in toto immediatè, sed in materia tanquā in potentia: esse tamē in toto habent, in quo producuntur, & habent esse, vnde de potentia materię dicūtur educi: vnumquodq; autem sicut se habet ad esse, ita ad intelligi, atque definiri. Quod mihi magis placuit, postquā reperi hic tex. 8. in eandem sententiā Themistiū descendisse, atq; his verbis dicētem, forma etsi in materia producitur, non tamē ipsi materiæ forma est, sed ei, quod ex duabus facultatibus conditum est. Omne enim tale simulatq; formatū est, hoc aliquid est, ex. 7. Met. tex. 27. ex quo totum fit, partes ipsæ generantur, formę enim negatur extra subiectū fieri. Tādem quartū argumentum soluendum est, atq; asserēdum, vltimam finitionis particulam minimè redūdare, licet statim superfluam esse appareat: nam organicum omne, quod vitale est, ob id potentiā vitam habere videtur. Germanus quidā Philosophus epitome ad secundum de anima, dicit, particulam istam, propter semen, adiunctam, quod potentiā dicit habere vitam: Germano enim semina viuere probatur, non tamen actu vitam exercerē. In quā sententiam Forliuiensis, & Auicennas conuenere, quòd causa sit, vt animatum producatur, atq; quòd se agere, atq; mouere videatur: cuiusmodi omnia. 8. Physi. tex. 28. vitam habent, &. 2. de gene. animal. cap. 1. palàm dicit, semen vitam habere. Est tamē sententia falsa, & contra Aristotelem hoc loco iam nunc citato dicentem, semen anima, & vita vacare, his verbis, sed habeàtne semen animam, nécne, ratio eadem, quæ de partibus, reddenda est: nec enim anima vlla esse potest in alio, nisi in eo cuius est, nec pars vlla esse potest, quæ particeps animæ nō sit, nisi æquiuocè, vt mortui oculus. Sed parùm suprà eodem cap. dixerat, ęquiuocè esse partes, carnem, aut os, nō aliter acsi lapidea, aut lignea: mouet autem semen illo motu, quoniam (vt ibidem cap. 3. Aristoteles dicit) excrementum naturæ est: nō ergo habet animam in actu, sed in potentia, aut sanè semen non corrumperetur primo gradu animæ, vegetatiuo scilicet veniēte: nam quod Ioa. 12. c. dicitur, nisi semen cadens in terram mortuum fuerit, &c. hîc tex. 10. Aristoteles clariùs, quàm inficiari liceat, dicit, dum distinguit id, quod potentiā vitam habet, & duplex esse docet, alterum, quod abijcit animā, vt semen, & fructus, quę possunt eam habere: aliud autem potentiā vitam habet, quod animam actu habet, ergo semen vitam non habet actu: generat autē, & mouet quatenus generantis virtute concitatur per virtutem seminalem, id est, radiū syderum, & calorem cęlestem, vt. 2. de Cęlo tex. 68. &. 12. Met. tex. 18. &. 2. de gene. animal. cap. 3. parùm infra capitis mediū: nam quæ in eo spiritu est, proportione respōdet elemento stellarum, & dicit, calorem in animalibus neq; ignem esse, neq; ab igne originem

Ad con. 3.

Palatius.

Autor, q effectus formalis secundum rem nō est posterior causa formali, imo quoad nos est prior.

Ad. 4.

Refellitur Germanus cum Auicenna, & Forliuio, quòd semina viuūt.

De vita seminis Autor.

ginem ducere:neq; obstat,quòd causæ particulari quilibet effectus reddendus est, vt particularis effectus particularis etiam sit causa, iuxta documentum Arist. 2. Physi. tex. 38. traditum:cùm radius ille, virtusve cælestis eminenti sua virtute,causæ particularis,quam continet,vicem suppleat. Dicendum itaq; corpus organicum potentia vitã habere,quoniam est in potentia proxima ad edendas vitę functiones: nam cùm sit in actu primo,in actum secundum prodire potest,atq; nil prohibet respectu diuersorum idem esse in actu,atq; in potentia:quare definitio non redundat, cùm corpus organicum,quod actu viuit,adhuc intelligatur potentia vitam habere. Nec absonum quidem erit,si dicamus alteram harum particularũ superfluam esse atq; superuacaneam:quod Themistius ex Aristotele subtiliter admodum adnotauit:quoniam tex. 6. Arist. in definitione animæ organicum non posuit, cũ dicit, *Anima primus est actus,perfectioq; corporis naturalis,potentia vitam habentis*, subdit autem, vnumquodq; tale corpus,quod potentia vitam habet, *organicũ esse oportere* (hoc enim intelligit per corporis instrumenta) tex. autem. 7. vice versa organicum ponit, & omittit vltimam particulam,potentia vitam habere, dum dicit, *Primus actus est corporis naturalis, cuius partes sunt instrumenta*. Itaq; definitio eadẽ bis ponitur tex. 6. sine organico,siue instrumẽtarijs partibus: tex. 7. sine potentia vitam habentis,vt alteram sufficere intelligamus:atq; adeò particulas cõuerti,& se exponere. Nisi ampliùs Simplicij expositio delectat dicentis,organicũ vitale esse pasiuè, cùm ab anima formatur atq; cietur, sed potentia vitam habere actiuè:vt intelligamus,animam,quæ prima est corporis perfectio, & quæ primo actu corpori esse,& viuere tribuit, vim inde secum habere corpus mouendi,saltem motu secundùm locum augmenti,& decrementi, vt temperat Philoponus. Vel dic,organici: quoniam ad animam sat est esse actum primum vnius organi, quia per accidens sunt plura:si enim cælum sit animatum, tamen non habet nisi vnum organum,homo verò plura habet organa. Vt autẽ intelligamus animam neq; cadaueris,neque seminis esse perfectionem:illius quia viuere desijt: huius autem,quia licet vita sculpi posit,viuere nõdum cœpit,ergo vel neutra particula superflua erit,cùm vtraq; perfectione anima describatur: vel altera,cùm conuertantur,alterius est explicatio: organicũ enim id,quod est vitam habere,interpretatur,eadem enim est vtriusq; vis,atq; significatio. Quare optionem tibi facio candide lector, vt vtram malueris eligas,vel hæc beneuolo atq; cãdido animo obsecro corrigas. Ex quibus sequitur, positam animæ finitionẽ omnibus animabus esse communem, atq; adeò nostrę etiam rationali cõpetere,quicquid Philoponus dicat,qui in oppositã sententiam cum Cõmentatore incidit,qui actũ non esse,atque formam secundùm esse,sed tantùm secũdùm operationem coniunctã: inde profectò sequeretur cõtinuò,neq; nos verè homines esse, nec verè intelligere: vnũquodq; enim per propriam formam, esse,denominationem,atq; operationẽ sortitur. Meliùs Themistius, qui hanc definitionem in omnes animas fusam esse docet, easq; suo ambitu continere:secus si Philopono crederemus,insimulãdus esset Arist. qui cùm veteres Philosophos superiori lib. reprehenderet,qui de anima tractantes,nõ de omni cõsiderabant: vt ergo idipsum vitio non detur, & ne eiusdem culpæ Arist. redarguatur,vniuersim de omni anima pręsens definitio interpretãda est,quam suam esse mentem Arist. hoc cap. tex. 11. apertissimis verbis exposuit,vbi quid sit anima,& quæ eius communis ratio, inuestigaturum pollicetur, capútq; atq; textum. 11. hisce claudit verbis, *Hoc igitur pacto vniuersaliter de anima determinatũ,descriptúmve sit.* Quare & methodi ratio,& explanata ipsa Aristotelis intentio aperit,omni animæ etiam rationali præsentem definitionem competere debere: quare erit etiam rationalis forma primus actus noster,atq; substantialis: non igitur operatione sola, sed etiam substantialiter vnietur. Tandem, vt iam recẽptui canamus, attendendum,vnamquanq; animam primum actum substantialem vocari,vt accidentia secludantur,quæ nõ sunt actus primi. Præterea actus corporis dicitur,ad notandum hîc actum sumi pro forma totius, non pro forma partis: quarum formarum considerationem meritò reiecit Aristoteles in metaphysicam considerationem,vt 1. Phys. tex. vltimo dixit.

Themisti⁹ alterã particulã non malè tollit à definitione animæ.

Simplicius meli⁹ vtranque particulã admittit.

Philop.

Autoris censura.

Corolariũ q definitio ista rationali animæ cõpetat.

Philoponus.

Themistius.

ARGVMENTVM ET capitis summa.

In hoc capite Arist. proposita intentione de

de animę natura, finitionis genus tribus dimensionibus, totidemq; differentiam nanciscitur, quam compositione sibi comparat. Quam deinceps latiùs explicat, & tripliti similitudine ad artificialia, atq; ad animalis particulas explanat, & quomodo ex anima & corpore vnum fiat. Dum soluit dubium de animæ separatione, partim soluit, partim suspendit, atq; vsq; ad tertium librũ prorogat.

Intentio.

Genus inuestigatur triplici diuisione. *Differentia exploratur triplici diuisione.* Dicendum vniuersim quæ sit animæ communis ratio. ¶ Eorum quæ sunt, vnum genus substãtia est. ¶ Atq; substantiæ, alia forma, alia materia, alia ex his cõposita. ¶ Forma, siue actus, quidam primus, vt scientia, quidam secundus, vt cõsiderare. ¶ Substantiæ, alia corporea, alia incorporea. ¶ Corporum autem, aliud naturale, aliud artificiale. ¶ Naturalium, quædam viua, quędã inanimata corpora sunt. ¶ Quare cùm anima corpus non sit, neq; materies, actus erit primus substantialis corporis physici, organici, potentia vitã habentis. *Definitio cõpositiõe colligitur.* ¶ Enim vero incisio, si securi forma esset, essetq; anima, incisione verò separata non esset vlteriùs securis, nisi nomine tantùm. *Duplex similitudo artificialis ficta.* ¶ Quod in partibus animalium inspicere licet, vbi si oculus animal esset, & visus eius anima, visu separato oculus mortuus non nisi æquiuocè oculus diceretur. *Naturalis similitudo.* Vt pars autem ad partem sese habet, sic totum ad totũ. Vt enim pupilla, visusq; oculus est, sic anima & corpus animal. ¶ Idcirco quærere magis non oportet, quomodo ex anima & corpore vnũ fiat, quàm quæ ratione ex figura, & cera. Ex actu namq;, & potentia vnum fit semper. *Ex anima, et corpore vnũ fit.* ¶ Immanifestum est, si anima separabilis sit, propterea quòd secundum partem intellectiuam nullius corporis actus esse videtur. Nec patet, si actus sit corporis, an solũ vt gubernator nauis: sed nunc sic vniuersaliter de anima descriptum est. *Dubium.*

CAPVT SECVNDVM DE posteriori animæ definitione ad confirmandam priorem.

Tex. 12. AT enim cùm ex obscuris quidẽ, magis autem manifestis fiat id notum, quòd est dilucidum, ac notius ratione: enitendum est rursus hoc pacto de ipsa anima pertractare. Rationem enim definitiuam non solùm esse significare, vt complures dicere definitiones videntur, sed etiã in ipsa causam inesse, ac apparere oportet. Nunc autem definitionum complures, vt conclusiones esse videntur, veluti quid est quadratio? cõfectio figuræ laterum ęqualium, angulorumq; rectorum, æqualis altera ex parte longiori figuræ. Atq; definitio talis, cõclusionis occupat locum. At ea, quæ quadrationem, inuentionem esse medię dicit, ipsius rei profectò causam, vt patet, assignat.

Capitis scopus. Hactenus Aristoteles animæ finitionem generalem, atq; omnibus animabus communem proposuit: iam verò propriam, quę per causas adęquatas & specificas assignatur, inuestigare exorditur: atq; cùm illa tradita proximo cap. definitio duntaxat ostenderet, quòd anima sit (quoniam per causas remotas componebatur) nunc verò eam definitionem cõstituere instituit, quæ propter quid anima sit, ostẽdat. Et quoniam doctrinæ atq; naturæ ordine semper est ex communioribus atq; notioribus philosophandũ, fit, vt cùm effectus notiores nobis sint, quàm causę, vniuersalia similiter, quàm particularia, totũ notius sit quàm partes. Quas ob causas, quamuis adducta animæ definitio naturæ clarior sit atq; notior, nobis tamẽ ignotior est atq; immanifestior: quoniã confusè admodum animas omnes adumbrat, potiusquam definit, quas posterior definitio (quam iam nunc Arist. tradet) definitè explanat, atq; distinctissimè in singulas dissecat species. In qua etiam inquirenda, à toto nobis notiori inchoandum est. *Ordo.* Statim inquit Arist. *Ex obscuris quidẽ secundum naturam, magis autẽ manifestis quoad nos*, quod in physicis disciplinis est intelligendũ, non autem in mathematicis, in quibus eadem nobis atque naturæ nota sunt: atq; ab anima, quatenus totum quoddam potestatiuũ est, & suis partibus notius, exorditur. Huius autem capitis propositum proponẽs, simul causam eius atq; necessitatẽ exponit, cùm dicit,

dicit, *Rationem enim, &c.* Cùm animam esse actum aut endelechiam declaratum sit, non tamen quomodo aut propter quid oportet à manifestis incipiendo, quæ in vnaquaq; animę facultate reperiuntur, explorare. Nō sat est explicuisse, quòd sit anima actus corporis, sed explorandum cur vnaquęq; anima actus sit corporis, vt prioris definitionis causa ex notioribus nobis inuestigata in medium producatur. *Nūc autem, &c.* tradit Arist. aut insinuat potiùs documentū, quod in resolutorijs posuerat, videlicet quoties contigerit, vnius rei duas esse aut plures definitiones, quarum altera secundùm genus causæ formalis aut finalis, altera verò secūdùm genus materialis causæ hæc per illarū alteram demonstrari potest: sunt enim causæ sibi inuicem causę. 2. Phys. tex. 30. & adhuc forma magis causa est, quàm materia 2. Phys. tex. 88. poterit igitur vna alteram ostendere, & cùm forma & finis idem re sint. 2. Phys. tex. 70. quæ formalis est definitio, syllogismi demonstratiui erit principium: quæ verò materialis, finis erit eiusdē atq; conclusio: quæ autem ex vtroq;, syllogismus erit aut demonstratio, quæ solo situ atq; positione differunt. 1. Post. c. 7. tex. 22. vt qui irascitur, is dicitur, qui vindictam cupit, atq; molestiam referendo vices repēdere: hæc enim finalis est definitio, atq; demonstrationis principium: materialis autē erit illa, quæ iratum definiet eum, cuius sanguis ebullit atq; circa cor feruet. Tunc sanè colligemus ebullire, atq; feruescere sanguinem circa cor propter vindictę appetitum: sic ergo in proposito, animam esse actum atq; entelechiam notum ex eo faciemus, quòd principium sit vegetandi, sentiendi, atq; intelligendi. Obijciet tamen quispiam (antequam pergamus, & positum exemplum Arist. explanemus, ne aliquid, quod lectorem offendere possit, à tergo relinquamus) quòd operationes, quarum est anima principium, notiores nobis sint, quàm ipsa anima, quæ vt actus est, definitur? Ob idq; cùm priùs sit animam actum esse quacūq; eius operatione, prima definitio non demōstrationis finis, sed potiùs principium debet esse? Dicendum, illam quidem definitionem per communiora atq; adeò per remotiora nobis tradi: ob id enim notiorē posteriori non negamus. Ex quo tamen nihil, vel contra nos, vel contra Arist. sequitur, cum quo ineptiorem dicimus priorem illā definitionem ad concludendum propter quid de singulis: siquidem causa remota (vt autor est Arist. lib. 1. de Post. resolutione cap. 10.) negatiuè tātùm, non ostensiuè demonstrat, vt non est animal paries, non igitur respirat, quod est Arist. exemplum. Secunda verò definitio valet non tantùm negatiuè colligere, verùm affirmatiuè etiam: quoniam si principium vitæ est, erit actus primus, atq; si illud non est, neq; erit istud. Quam ob causam Græci omnes expositores, illam finitionem priorem, an est, pręsentem verò, quid est, explicare, dixêre. Quocirca notandum est, animam (veluti res instrumentarias) per actus & operationes, in quas destinatur, definiri: vt si quæras cur oculus tot habeat tunicas atq; humores, aptè respondebis, quia est videndi principiū: sicuti quærenti, cur terebra tornata sit, apposité dicitur, vt terat ad perforandum. Itaq; cùm vnūquodq; natura propter suā operationem fecerit. 2. Cęli. tex. 17. ab operatione tanquam à fine, qui vnum est causę genus demonstrandi, sumitur principium. Habet sanè anima duplicem relationem atque habitudinem, vnam ad corpus, cuius est principium; vnde hęc habitudo, tāquam nobis notior, illam alteram ostendit: nam licet executione sit posterior, est tamen intētione & ipso naturæ instituto prima, atque adeò per hanc illa à priori demonstratur. Ex quibus soluitur Caietani quædam repugnantia, quę in Aristotele statim sese offert, quòd si ex incertioribus naturę procedendum est, processus iste certè non erit à definitione propter quid dicente: siquidem ipsum propter quid naturæ certius est: atq; si ab ipsa definitione propter quid præsens methodus fit, non ergo erit ex naturę incertioribus ad certiora naturæ. Ex eo ergo omnem tolles dubitandi occasionem, quòd cū primam definitionem Aristoteles via ac ordine naturæ per diuisionem à prioribus & superioribus inchoando, inuestigasset, rationabile vtiq; fuit, vt alio ordine atq; causæ genere à posterioribus alteram definitionē exploraret: quæ licet quatenus est ab operationibus, à posteriori sit, atque adeò ab his quæ sunt naturæ incerta, tamen nil prohibet, in aliquo causæ genere principium esse demonstrationis, quatenus finis est naturæ, in quem tanquam scopum vnūquodq; dirigit atq; destinat: quod Arist. hîc docet, esse quidem illam secundùm naturæ processum,

Causæ sūt sibi inuicē causæ.

Obiectio optima de cōparatione vtriusq; definitionis.

Solutio.

Notanda ratio, ob quā secunda definitio notior est.

Repugnātia à Caietano in Arist. inuēta resoluitur.

sum atque ordinem quoad nos priorem. Quam ob causam ab illa à nobis inchoatū est, quæ per hanc secundam definitionem demonstrabitur: ob idq; ab Arist. in calce superioris capitis postremis verbis descriptio appellabatur: quęrenda igitur est altera animæ finitio, quæ totius præsentis methodi principium sit: idcirco repugnantia tollitur, quoniam ad diuersa comparantur. Themistius distinguit, quòd si iste animæ processus consideretur, quatenus est ab essentia, est sanè ab his, quæ nobis ignota sūt: at verò si quatenus ab essentia non simpliciter & nudè considerata, sed vt per accidētia exploratur, atq; quatenus totum quoddam potestatiuum est & vniuersale, est à nobis notioribus, quod primo libro cū nostro Arist. diximus, ab essentia primùm inchoandum, deinde proprietates considerādæ, atq; in excutienda substantia ab vniuersalioribus & manifestioribus semper esse procedendum. Seruatur igitur philosophica methodus, quoniam ab anima priùs intentione, ab accidentibus verò priùs executione: ob idq; hîc ea traditur definitio, quæ futuræ disputationis principium sit, per proprias scilicet passiones & operationes, quibus ad notitiam substantiæ ducimur, vt patebit. Fateor quòd. S. Th. breuiùs se expedit dicens, quòd priorem definitionem per posteriorem demonstrare contendit, nō curans de modo & genere demonstrationis: sed hoc tex. 24. 25. 26. discutietur. Idcirco eò, vnde digressi sumus, nostra redeat commentatio, vt explicemus Arist. exemplum, quod ex mathematicis disciplinis mutuatur. Qua de re Euclides lib. 10. elementorū à propositione. 27. vsq; ad. 36. tractat, &. 6. lib. propositione. 16. &. 17. &. 2. lib. propo. 11. hæc tangit atq; probat: tu verò loca visita, inuita enim hūc traherentur minerua, si pro dignitate explicare vellemus: idcirco ea ratione duntaxat exponemus, vt locus nil difficultatis adferat, Aristoteli autē plurimum lucis addamus. Et ne in nominum significantia hallucinemur, nominum significationes sunt priùs interpretandæ, vt non solùm hanc traductionem, quam interpretamur, quæ latinis vtitur nominibus, sed alias etiam, quę Græcis, simul exponamus. Tetragonus igitur idem est quòd quadratum: tetragonismus idem est quòd quadratio, quadrare verò est in quadrum redigere conficiendo æqualem figuram quadratam

Themistius.

Euclides.

Quadratum.



ei, quæ erat altera parte longior: Orthogonium figura est habens angulos rectos: quadratum autem non solùm rectos & æquales habet angulos, sed latera etiam æqualia possidet: quadrangula siue parallelogramma, cùm angulos rectos, non tamen latera omnia æqualia continent, sed opposita solùm, est enim idem quòd quadrangulum, id est, figura altera parte longior. Quib⁹ sic positis Arist. duplicem tetragoni finitionē insinuat, vnam, quæ signat, quòd est ipsius quadrati, quæ demonstrationis est conclusio, vt quòd quadratum quadrangulo sit æquale: à materia enim accipitur rectangulum facere æquilaterum æquale altera parte longiori, confiçiendo figuram ęqualium laterum æqualem ei, quæ est altera parte lōgior. Alteram verò, quæ continet causam, atq; dicit propter quid, estq; demonstrationis principium, vt medię lineę inuētio, hęc ex forma petitur & radice, quæ est mediæ lineę inuentio, hęc autem à forma sumitur. Si tamen vtramq; iunxeris, æquale altera parte lōgiori rectangulū fecisti, & per medij inuentionem ex vtroq; simul completa definisti definitione, quæ à demonstratione sola positione distat: nam dicit altera parte longioris quadrationem per solā mediæ lineæ inuētionem fieri posse: siquidem quadrilaterum omne metimur per lateris cū latere multiplicatione: quapropter qui cupit quadratum quadrangulo æquale reperire, mediam lineam inuestiget, oportet. Ponamus autem nos in numeris exemplū, quæ sunt notiora & familiariora: nam (vt in prędicamentis memini me dixisse) quot sunt figurarum genera in cōtinuis, tot sunt in discretis: quare in numeris erit quadratus, quadrāgulus, numerus triangularis, circularis, cubus, &c. Etenim quadrāgulus est cuius opposita latera æquales continent numeros: non opposita verò inæqualia sunt latera, vt figuræ exemplo patet. Quadratus autem, cuius omnia latera ęqualia sunt: fiet autem quadratum ęquale altera parte longiori, si linearem numerum sumpserimus medium, id est, qui eandem habeat proportionem ad latus maius ipsius quadranguli, quàm minus latus ad ipsum numerum medium habet: verbi gratia, latus maius atq; longius continet octo, minus autem atque breuius duo: medium autem inter duo, & octo proportionale quatuor est, ex quo ducto in seipsum quadratū certè fiet æquale quadran-

Quadrangulum.



Proportionale medium inter 8. & 2. est. 4.



quadrangulo siue altera parte lõgiori: nam quam habẽt rationem quatuor ad octo, duo habent ad quatuor, est enim vtrunq; dimidium maioris: ob idq; quorũ dimidia sunt æqualia, ipsa tota æqualia quoq; erũt: nam quotus numerus resultat ex minori ducto in maiorẽ, resultabit ex medio ducto in seipsum: quia sicut bis octo sunt decẽ & sex, sic enim quater quatuor cõstituunt decẽ & sex. Perpetuũ enim est in omnibus figuris siue cõtinuis siue discretis, vt omne, quod resultat ex aliquo medio proportionali in seipsum ducto, sit æquale ei, quod resultat ex ductu vnius extremi in alterũ: quod Euclides obscurioribus verbis. 6. lib. elementorũ propositione. 6. aperit atq; propositione. 9. Igitur inquit Arist. vt ab initio textũ subobscurũ sed tamẽ optimum repetamus, cũ dubitatum esset de animæ finitione, si esset vna omnium animarũ cõmunis, an vniuscuiusq; propria, in proœmio tex. 8. & cap. pręcedẽti explicatũ sit, ꝙ vna est cõmunis animæ ratio, quę qualis sit, expositum est: nũc pręsenti cap. 2. cur sit illa definitio cõmunis & causa hui⁹ vnitatis inuestigatur: quia nisi assignetur propria cuiuscũq; animę definitio, nunquã intelligetur, quamobrem vnaquęq; anima actus sit corporis ꝓprij. Vult ergo Arist. ꝙ cùm ex obscuris naturæ, nobis autẽ manifestis methodũ animæ contẽplari oporteat (in tota enim animæ doctrina tradẽda hęc methodus obseruatur, & retinetur perpetuò generalis disserendi ratio, vt subiecta ex suis causis explicẽtur, causæ autẽ ex notioribus nobis, &c. vt infrà c. 4.) atq; cùm tradita definitio tantùm, quòd esset aĩa, diceret & materialis crẽdẽda sit: alteram, quę cur ipsa sit, ostẽdat & quę propria atque formalis sit, explorare oportet: sicut præter quadrati & quadrãguli finitiones altera ponitur, quę, cur sit quadratũ quadrangulo ęquale, ex medię lineę inuẽtione ostẽdit. Quamobrem priorem definitionẽ diuisione atq; cõpositione venatus est, posteriorem autẽ demõstratione: traditq; vnam animę definitionẽ, quę re vna est, ratione verò tres, sicut totidem sunt animæ: datur enim distinctim, vt sic per propriã cuiusq; animæ finitionem cõmunem illã, quę vna est omnium, exactiorem esse percipiamus; animæ enim essentia ex suis causis illustratur.

Epilogus notandus pro difficilis textus resolutione.

Tex. 13. Dicamus igitur, hinc considerationis initio sumpto, animatũ ab inanimato vita seiungi. Atq; cùm multifariàm viuere dicatur, etiam si vnum tantùm istorum insit, viuere illud dicimus, cui inest: vt intellectus, sensus, motus loco, ac status, & insuper motio nutrimento accõmodata, & accretio, decretiovè.

Iam hinc Arist. secũdę finitionis coagmẽtationem exorditur, quod est huius capitis propositum, in cuius rei gratiã quatuor ponit suppositiones. Prima est, animatum ab inanimato vita atque anima seiungi: qua enim methodo lib. Phys. 2. naturalia ab artificialibus natura secreuit, eâdem hîc tentat inanimata à præsenti speculatione re[...]ere, quòd anima, quæ animatorum est principium, careant. Sed Arist. animam vita circunloquitur: quoniam vita non est sine anima, & vita notius nomen est, quàm anima: viuere autem statim partitur, multifariámq; dici ostendit, nimirum in quatuor viuendi gradus distinguit, vt viuere verè dicatur, cui intellectus, sensúsve aut motus in loco aut status horum conuenit: notissimum igitur est, principium viuens per animam, quæ est viuendi principium, destingui. Quare quatuor esse animatorum genera, vegetatiuum videlicet, sensitiuum imperfectum & sensitiuum perfectum, quod secundùm locum motiuum appellatur seu ambulatoriũ aut progressiuum, postremum autem est intellectiuum. Quocirca aduertendum est, Simplicium. 2. Physi. tex. 16. cõtendere, animam naturam non esse, tum quòd in subiecto non sit ipsa natura, tum etiam quia naturalia ab externo principio cientur: verum enimuero si Simplicius sapientissimus alioqui Philosophus hîc contendat, quod verba externo auditu sonant atq; prę se significare videntur, audiẽdus non est: cuius autoritas (quãuis grauissima) tãta non est, quæ rem adeò claram & euidentem [...]gare atque diffiteri cogat: præsertim cùm illum suum primum argumentum superiùs fuerit à nobis solutum, cùm proximo cap. doceremus, quanam ratione anima actus sit corporis physici, &c. Alterũ verò solubile est: nam naturalia nõ per moueri interno aut externo principio

1. Suppositio, quæ exponitur infrà in quæst. de immortalitate cõtra Auerroim, & paulò inferius loco. 7. eiusdem quæstionis.

Simplicii reprehẽsio seu potiùs declaratio.

definiuntur, ſed per hoc, quòd principium & cauſam in ſe habent mouendi atque quieſcendi, quod etiam animatis anima ipſa confert: ſi tamen voluit animam non naturam appellari, ſed aliquid natura ipſa ſublimius, gratias agimus: ſine dubitatione enim anima natura eſt, cùm mouendi atq; quieſcendi principium ſit, & ſupra naturam addit, quoniam non eſt vnico mouendi genere contenta. Quod idcircò dixerim, ne hoc ſumpto principio quiſpiam exiſtimet, animam neq; actum eſſe corporis neq; formã. Propoſitum autem Ariſt. eſt, hac ſuppoſitione ſeſe ſupra antiquos extollere, qui lib. 1.c.2.tex.19. animam ſenſu & motu determinabant: quo nomine non ſolùm de ipſis triũphat, ſed etiam ſimul determinat quæſtionem motã in lib. 1.tex.89. quod erit facile intellectu illum locum viſitanti: anima ergo vita potiùs quàm ſenſu aut motu eſt à natura diſcernenda. Idcirco cùm Ari[illegible] 9. Metaph.tex.3. motuum tria ſunt ſepa[illegible]da initia: Primum & infimũ eſt, quod à natura ipſa proficiſcitur, quo ad vnum ſimpliciter motum determinata eſt, veluti elementa atq; adeò & ipſa mixta, cùm motu prędominantis elementi moueantur. Vltimum autem atq; ſupremũ eſt, quod ab ipſa ratione naſcitur, quæ cum natura pugnat, eſtq; oppoſitorum, modò vnum modò alterum pro conſilij ſui conditione qua gaudet, operatur: anima verò inter naturam & rationem medium ſortitur locum, illa altiorem, hac autem inferiorẽ: neq; enim tantũ extollitur, vt rationis libertate gaudeat, neq; adeò deprimitur, vt naturæ limitibus contrahatur, ſed vt medium quoddam, extremum ſapit vtrunq;, & eſt vtriuſq; mirabile commercium: vnde nutriri ad animam non in naturam eſt referendum, ſecus ex duobus abſurdis alterum incidere eſſet neceſſe, aut ſcilicet neminem noſtrûm viuere quoties nõ ſentimus, aut ſanè duas nobis vitas ineſſe: quare elementa, cũ ſimplici natura cõſtent, haud viuere dicũtur: plãtas enim animata nõ animalia dices, quoniã viuendi tantùm non ſentiendi principium habent: quãuis Plato promiſcue a[illegible]ata & animalia vocet: Stoicis autem ne[illegible] animata neq; inanimata appellare placuit.

Tria motuum initia.

QVAESTIO.

De numero animatorum.

Eſt tamen dubitatió, quòd pauciores ſint animatorum gradus, quatuor enim eſſe docet Ariſt. hoc loco. Qua in re in primis falſus eſſe videtur: quoniam ſi tres tãtùm animæ ſunt, vegetatiua videlicet, ſenſitiua & intellectiua, quomodo igitur tribus tãtùm exiſtẽtibus animabus, quatuor erũt animatorũ genera? Deinde ſibi aduerſus videtur: nam ſi animatum ab inanimato animâ ſecernitur, ſi plures animæ tribus non ſunt, non poterũt plura eſſe animatorum genera? nam quæ diſtinguuntur, plura nõ ſunt, quàm ſint diſtinguendi principia. Tum etiã quoniam ſi à numero animarum ſumãtur, tres tantùm ſunt, atq; adeò pauciores quàm poſuit Ariſt. ſi à numero autem potentiarũ, plures ſunt quã quatuor: quoniã appetitiuum ſuum etiam gradum viuendi conſtituet, quemadmodum & ſecundùm locum motiuum, atque adeò quinq; erunt animatorum gradus? In oppoſitum tamen communis eſt Philoſophorum ſchola, atq; Ariſtotelis præſenti textu autoritas.

1. argu. *2. argu.* *3. argu.*

Principiò aduertendum eſt, Ariſtotelem prima hac ſuppoſitione diligentiſſimè dixiſſe, animatum ab inanimato prima vita diſtingui: primùm, vt hæc mortalia & caduca ab illis immortalibus ſeiungat, quæ licet viuant potiori vita nempe intellectiua, tamen non nutriuntur, cùm nil ex propria ſubſtantia poſſint amittere, quod alimento & nutritione reparetur: vita (inquit) non anima, vt non vitam ipſam eſſentialem, ſed operationem intelligamus: vt ſicut ab anima tantùm ſumitur ternarius animarum numerus, ſic à vita, quæ operationem dicit, vt à notioribus nobis deprehendamus quatuor eſſe gradus animatorum, Zoon, Græcè vita dicitur operatio propria viuentis, quaſi ferueat intus & ebulliat ſubſtantia, dum vitales actiones producit. Deinde, vt omnis præſentis dubitationis difficultas tollatur, inſinuat, non ab animarum numero ſumenda animatorum genera, ſed à modis viuendi, cùm vita ipſa (viuendi genus & modus vitæ ab operandi modo & genere prouenit) nõ anima hos gradus diſtinguat: igitur vegetatiuum primum eſt via generationis, ob idq; infimũ quoq; eſt viuẽdi genus. Vegetatiua enim anima, quæ omnium prima & communis eſt, & quæ à reliquis ſeparata reperitur & ſeiungitur, vitâ prima cõſtat, qua ad varia loca & contraria omni ex parte nutritione & accretione ſemouetur

Nota, q animata vita diſtinguntur potiùs quàm anima.

ergo

ergo iam distat à natura, quæ ad vnum tantùm locum mouetur. Constans ergo est & firma conclusio, quòd si plantę ad contraria loca simul feruntur, non sunt tantùm natura, sed aliquid amplius habent, nimirum primum gradum vitæ: intellectiuum enim vltimum atq; supremum habet, sensitiuum medium est, quod accessu ad alterutrū extremorū in duos secatur. Sūt enim quędam sensitiua imperfecta petris affixa, quę sensus habēt tactū, non tamen motus: alia verò sensitiua, quæ magis in alterum extremum declinant, quæ cùm progredi valeāt, non tantùm sentiendi sed mouendi etiam principium habēt: quam ob causam alium habent viuēdi modum, non ob distinctum animæ genus atq; gradum, sed ob distinctā animę perfectionem & operandi diuersum genus, atq; ita vt nouum viuendi genus, nō ob diuersas animas aut vitas essentiales, ob idq; gradus animatorum appellantur: igitur secundùm locum motiuum gradus est animatorum à reliquis tribus distinctus. Primò, ob sensibilem animę nouā perfectionem: deinde, quia in secūdùm locum motiuis mouendi principium est atq; adeò nouum viuendi genus: tum etiam, quia perfectorum animalium principiū est, quod non in omnib⁹ promiscuè reperitur: postremò, à sensu, re & ratione ita separatur, vt nemo sit, qui inficiari audeat, aliud esse viuēdi institutum. Quamobrem extremę duę animę singulos faciunt viuendi gradus, vt vegetatiua vnicum tātùm, intellectiua vnicū etiā, sed sensitiua (quoniam media est) non simpliciter vnum facit, sed duos, vt perfectam medij rationē assequatur, quod cum extremis participat, & modò in vnum modò in alterum declinare videtur: & quia extrema animalia, quæ sentiunt quidem, sed affixa petris sunt, plantanimalia nuncupantur, cùm ambigua sint inter plantas & animalia, parùm sese extollunt supra plantas, & obscurè animalia sunt, vt conchyliorum genera, quæ tantùm sentire videntur. At sunt alia perfectiora animalia, quæ excellentiori sensu prædita non tantùm sensum, sed & motum secundùm locum exercent, ideo viuendi modum perfectiorem & gradum distinctum habere dicuntur: apertior enim est in illis & illustrior animalis vita, quæ nō debet cum alijs confundi. Tandem sentiendi duo animatorum gradus ita suapte natura constituuntur, vt alterum pro initio sensus sit, quo primò à vegetatiuo secernitur: alterū verò pro sensus cōsummatione, quo vltimò iam intellectui appropinquat. Verùm ab Arist. gradus animatorum pulchris similitudinibus appellantur: & quia sicut in gradibus realibus fit ascensus, & status est in inferiori atque supremo, sic etiam in his animatorū gradibus: prętereà sicut fieri non potest in gradibus ascēsus nec descēsus nisi per medium, sic in his: vnde fit, vt supremus gradus sine alijs infimis non reperiatur. Insuper sicut superiores continent aut supponunt inferiores, inferior autem potest à superiorib⁹ separari (vt in numeris vnitas sine qua nō est numerus, ipsa autem sine numero esse potest) ita intellectiuum non est sine vegetatiuo & sensitiuo: vegetatiuū autem sine alijs reperitur, vt patet in plantis: at sensitiuum (quoniam medius gradus est, per quem fit ascensus & descensus) ad vtrumq; extremū accessum habet. Potentiarum autem numerus quinario numero comprehenditur: quia potentia non est actu semper vt anima, quæ per actum est definita, sed quandoq; est in potentia, & ita potentia dicitur, quia per eam apti sumus ad operandum, estq; operationis remotum principium anima, proximum autem ipsa potentia: & cùm potentiæ ex obiecto distinguantur (infrà tex. 33. & S. Tho. 1. p. q. 77. art. 1. & 3.) si hoc obiectum sit coniunctum, sumitur vegetatiua, quæ in alimenti transmutatione versatur: si autem sit seiunctum & fertur in ipsum, ratione similitudinis singularis & materialis est sensitiua: si autē ratione similitudinis vniuersalis & immaterialis, est intellectus: si verò non fertur in ipsum vt obiectum, sed vt terminum & finem motus, est appetitus, qui fertur in appetibile: quare quinarius est potentiarum numerus. Quo fit, appetitiuum gradum animatorum distinctum atque adeò quintum non constituere, vt plures contendunt. Primò, quia appetitus potentia quædam est non animatum constituens, sed quæ iam constitutum animatum sequitur & ipsam apprehensionem; per quam propenditur in suum obiectum ad prosequenda vitæ necessaria, & quæ fuerint nociua declinandum: non potest ergo vitæ genus conferre distinctum à sensu vel intellectu aut vegetatiuo: de qua re S. Tho. 1. p. quęst. 78. artic. 1. & in corpore & ad tertium. Appetitus enim non datur ad cognoscendum,

Nota hos quatuor, vel quinq; rationes ad distinguēdū secundùm locū motiuum à sensitiuo.

Quare dicitur ordo das animatorū.

Potentiarum enumeratio.

Corolariū de appetitiuo, quòd nō est gradus distinctus.

sed vt, quæ cognoscuntur vtilia vel nociua, fugiamus aut prosequamur. Fertur enim omne animal in id, quod suæ naturæ bonũ & accommodatum deprehendit, nociuum quoq; auersatur & abominatur, sic datus ap petitus, quo se animal suámq; vitã tueatur: deinde quia vt gradum constituat, oportet, vt sit ab alijs condistinctum & secretũ: appetitiuum autem, vt non ponitur viuendi principium sed comitatur, ita nec ab alijs separatur, sed omnibus est commune atq; im mixtum. Quinq; igitur sunt operationes, & tres sunt animæ, quatuor tamen sunt animatorum gradus: quoniam appetitiuum distinctum viuendi gradum ob rationes iam nũc positas non facit, sensitiuum tamen secatur in duos. Vnde malè Egidius quatuor animas posuit, cùm sensitiua secundùm perfectionis gradũ in duos distinguatur. Ex quibus omnibus argumenta proposita facilè soluuntur: nam ad primum facilè dices, non ex numero animarum distingui animatorum gradus, sed ex viuendi modo. Secũdum autem nostrę conclusionis firmamentum est: quoniam dicimus, non animã sed vitã atq; adeò vivẽdi modo secerni animatorum genera. Tertium, quod de appetitiuo dubitabar, proximum corolarium soluit. Quo fit, Aristotelem hos gradus ordinare secundùm ordinem generationis à vegetatiuo exordiendo per sensitiuum, atq; secundùm locum motiuum ad intellectiuũ progrediendo, cùm ordine perfectionis è diuerso sit faciendum: at quia plantæ dubiam videntur habere vitam, prius de ipsis probat ex eo, quòd in seipsis & à seipsis motũ habent secũdùm alimentum. Qua in re cũ Platone atq; Aristotele vnà sentiunt veteres ferè omnes atq; iuniores Philosophi, vt illud viuere ab omnibus dicatur, quod interiori cietur motu, agitatúrq;, neq; externo indiget autore, promotoréve: quod sequenti textu demonstrare incipit.

Egidius. *Argu. soluuntur.*

Tex. 14. Quapropter & vniuersę plãtę videntur viuere, quippe cùm videantur in seipsis vim habere talem, atq; principium: quo ad cõtraria loca tam incremẽta, quàm decrementa suscipiũt. Non enim sursum quidem accrescunt, deorsum autem non accrescũt, sed ad vtranq; similiter differentiam, & omni ex parte, semperq; nutriuntur, & eousq; viuunt quousq; possunt alimẽtum accipere.

Vegetatiua igitur eo colligit medio, animata esse, quòd in seipsis atq; à se motus initium habent: nam in suis proprijs locis ac perfectionibus constituta mouendi habent principium, quo ad contraria loca ferantur, & non tantùm secundùm vnam regionis aut positionis differentiam, sicut graue & leue, quæ ab vno determinato in indeterminatum vnum mouentur: quæ vegetantur autem suscepto alimento in varia permutantur loca: nam nõ sursum & deorsum solùm, sed adhuc suis locis affixa in omnem positionis differentiam extenduntur. Signum igitur, quòd animata sint, apertum est: quia non ex vno ad vnum mouentur, sed ex tali principio, quod ab omni parte in omnem similiter partem mouet, quod non poterit esse graue aut leue, sed anima ipsa, quæ altior est ipsa natura. Itaq; videtur Arist. inter naturam & animam differentiã statuere, quòd natura ad vnum sit determinata, anima verò secundùm contraria, quod verum est ex eo, quòd principio huius capitis ex Arist. 9. Met. tex. 3. citauimus, agentium principia in tres secari ordines, naturalem, animalem & rationalem: & sicut natura in vno extremo ad vnũ dicitur determinata, ratio verò in altero libera est, dominiúmq; habet sui actus. Anima verò, media cùm sit, neq; ad vnum motum contrahit vt natura, neq; potest facere quoduis oppositorũ vt ratio, mouet tamen ad contraria: ob id vegetabilia animata sunt, & cùm anima inter naturam & rationem mediũ sit, vtrunq; sapit atq; ex naturę participatione refert, habetq; vt vno atq; certo modo sua exequatur opera, vt araneę, quæ vno modo texunt telam, atq; hirundines nidũ construunt: ex participatione autem rationis ad contrarios vtiq; mouet effectus, vt progressus animalium docet atq; plantarum augmentum: quod sursum deorsúmq; fit, & secũdũ cæteras positionis differentias. Sed dices, simili quoq; ratione ignem animatum probare possemus? quoniam cõtrariorum effectuum principiũ est, & exicationis scilicet luti, humectationis autem

Natura est vnius principiũ, aia verò contrariorum.

Obiectio.

Solutio, quod anima nō est ad vnū sicut natura. tem & liquefactionis ceræ. Dicendum, naturam determinari ad vnum per se, non vt distinguitur contra multa, sed vt distinguitur contra cōtraria: ideo in textu medium, quod sumitur, est, non quod mouet ad multa, sed quod mouet ad contraria, id est, ad opposita contrariè tanquā effectus quoad modos agendi. Modò verò si ignis contrariorum effectuū causa est, nō per se ex parte sui, sed per accidens ex parte susceptiui: cùm tamen anima ratione sui atq; per se nō tātùm multorum, sed contrariorum sit effectuum principium: quoniam cōtrarijs vtitur anima qualitatibus. Hoc est, quod hîc *Caietanus* Caietanus vult, animam ex appropinquatione ad voluntatem, & exquadā adūbratione & participatione rationis ad contrarios effectus de se & per se mouere, ex cōmunione autē cum natura habet anima vt certo modo hæc faciat, vti araneę telā, & hirundo nidū: natura tamen per se non est nisi ad vnum, nisi fortè ab extrinseco ex diuersa dispositione susceptiui, vt ignis ceram liquefacit & lutum indurat. Hęc autē facilè percipies, si cōsideres, rectum iudicem esse sui & obliqui: liberū autem rectū est, quod indeterminationem habet respectu actus (quia velle & nolle potest) & respectu obiecti (quoniam potest velle hoc & eius oppositū) & respectu effectus (quia potest facere vtrumuis oppositorum) his autem tribus modis determinatur natura ad vnū siue numero siue specie, ita quòd non potest de se ad opposita cōtrariè, quod tamen anima potest per se, vt vegetatiua, quę supra naturæ facultatem fertur ad oppositas differentias positionis. Non igitur est Aristotelis ratio infirma, quòd plātæ viuant ex eo, quòd ad contraria loca mouētur (vt. 8. physi. tex. 58. tetigit Arist. atq; in lib. de plantis in fine secundi tomi) nec hoc est contra rationem *Naturæ determinatio ad vnū in libero et in viuēte quomodo saluetur.* naturæ, cuius est ad vnū determinari: quia natura ad vnum indiuiduale, ratio ad vnū commune & vniuersale, quod in plura secatur: anima autem sensitiua ad vnum indifferēter & indeterminatè proportionabiliter inter illa extrema: vide S. Th. 1. 2. q. 10. art. 1. ad. 2.

Tex. 15. Atq; hæc quidem vis à cęteris seiungi, separariq; potest: cæteræ autem in ipsis mortalibus, ab ista nequeunt separari, quod quidem in ipsis perspicitur plātis. Nulla enim prorsus in ipsis, vt patet, alia, præter hanc, animę potentia, atq; officium inest. Viuere igitur, ob hoc principium viuentibus competit.

Secundam ponit suppositionem Arist. quod cùm in viuentibus primus gradus vegetabilium sit separari ab alijs, seiūgiq; potest: intellectiuum autem minimè à reliquis seiūgitur: sed excipit Arist. in mortalibus nimirum innuens, in immortalibus atq; perpetuis intellectiuum seiunctum esse atque discretum. *2. Supp. quòd vegetare prim' et vitę gradus.* Qui locus ansam præbet ei opinioni, quam cap. 2. secūdi libri de cælo probabilem fecimus, cælum animatum esse nō tantùm assistente, sed etiam secundùm esse inhærente anima, quod etiam probare videtur præpostera omnium interpretū expositio, quibus placuit istum locum de substantijs separatis intelligendum, cùm tamen Arist. de animatis loquatur atque de animatorum gradibus: ergo aut exceptio est extra rem, aut Arist. gradum aliquem animatorum illis verbis excipit. Expositio ergo istorum neque textui neque eius contexturæ neque Aristotelis proposito quadrat: loquitur nanq; de vita & viuere physico, qui non est in substantijs separatis: vnde cælos ipsos excipere videtur. *Quid Auctor de cælorum animatione teneat, habes lib. 3. c. 9.* Nisi aliter velimus dicere (quanuis non secundùm contexturam literæ & argumentum, quod tractatur) quasi tacitam diluendo obiectionem genus aliud viuentium insinuat, acsi clariùs diceret, intellectiuum à vegetatiuo non separatur in mortalibus, de quibus est præsens disputatio atq; sermo: nam aliud est de immortalibus sentiendum, cùm diuinæ naturæ conueniat non solùm vt citra omnem nutritionem munus suum intelligendi obeat, sed etiam sine reliquis virtutibus animæ vel præstantioribus: viuere etiā dicuntur supercælestia, similiter & hęc mortalia, sed differenter ab illis: quoniam in mortalibus istis multa sunt vitæ contraria, cùm in illis nihil sit vitæ inimicū: viuere igitur omnibus viuētibus inest propter hoc vegetādi principiū, nō quòd per sensitiuam animā etiam non viuant animalia, aut homines per intellectiuam, sed quòd secūdùm præcisionē per illā omnibus conuenit, quia

vt minimum illud in omnibus reperitur necessariò: altrice nanq; anima sublata, abeunt & intereunt omnia, & deinde per sensitiuam animalia viuunt, in quibus vegetatiuum potentiã est. Vbi nota, quòd viuere prout est ab anima, in corpore formaliter adhæret, & ab eo dicitur caro viua & os viuum, & similiter de omni parte ipsius: quoniam omnis pars alimentum capiens viuit, sed non omnis pars formaliter sentit: olla quidem non sentiunt, licet viuant, & talis vita substantialiter & fundamentaliter est ab anima nutritiua, vt patet. Quam ob causam Dionysius Philosophus dixit, vitã omnem esse motum generis nutribilis naturam assequentis: & quoniam cõtinuò iste influxus est ab anima in corpus animatũ, Philosophorum plerisq; vitam esse in fieri potiùs quàm in esse quieto asseruêre: sicut enim lumen actus est perspicui, quod continuè sibi influitur, sic ab anima vita in corpus: quod Arist. vltimis præcedentis textus verbis insinuat, cùm dicit, *Eousq; viuũt, quousq; alimentum possunt accipere.*

Tex.16. Animal autem est ob sensum primò, nam & ea, quæ non cientur motu, nec mutant locum, sensum autem habent, non solùm viuere dicimus, sed etiam animalia nuncupare solemus.

3. supp. sensus est, quo animal primò constituitur. Tertiam ponit hoc textu suppositionẽ, nempe sicut viuens dicitur ob vegetatiuam animam, ita animal ob sensum: sensitiuum enim supra vegetatiuũ addit sensum: licet enim planta augmenti & decrementi motu per vegetandi facultatem moueatur, nõ tamen sentit. Verùm sunt quædam animalia petris affixa atq; ob imperfectionem alligata, quæ humi iacentia perpetuò degunt plãtis consimillima, sentire tamen illa experimur: nam si pungantur, se constringunt, vt triste atq; sibi disconueniens fugiant & vitent, atq; nõnunquã se dilatãt, vt vtile atq; delectabile prosequantur: cæterũ extra illũ locum nõ se mouent, quòd plantarũ more coniunctum habeant (natura conferẽte) alimentum, ne hominum more diuagari opus sit. Quare quéadmodum nutriendi vis à reliquis seiugari potest, sic sensus tactus (quæ prima est sentiendi radix in animalibus imperfectis, vt sepiæ & conchiculæ marinæ) à reliquis sensibus absoluitur: ob idq; gradus animatorum secundus cõstituitur. Quo fit, Aristotelem apertè hîc insinuare, plãtas nõ sentire aut vigilare aut dormire, quod putauit Anaxagoras, quem posteà Prothagoras imitatus est: dicentes, plantas desiderare & moueri à delectabilibus, sentire, tristari atq; delectari: quod primò probant, quoniam omne, quod alimentum trahit, sentire profectò videtur: siquidẽ tractus alimenti pars est desiderij, contingitq; ratione tactus aut gustus secundùm quòd gustus quidã est tactus. Deinde ex Arist. pręsenti textu, omne, quod dilatatur, vt conuenientia prosequatur, & cõstringitur vt nociua fugiat, delectari videtur, tristari, appetere atque sentire: id autem plantis inest, quę suos ramos atq; folia ad cõuenientia loca extendere vidẽtur, atq; ob disconuenientiam in seipsa cõstringere: sentiunt ergo. Voluêre etiã plantis inesse masculinũ atq; fœmininũ sexũ, sicut in hermaphroditis. Quæ omnia absurda sunt secundũ ea, quę determinauit Philosophus lib. 1. de plãtis atq; vegetabilibus circa principium, vbi plenè de hac re disputatur per Albertum: delectari quidem, dolere, dormire, vigilare, animę sensitiuę affectus sunt, sicuti vegetatiuæ sibi conuenienti dato virescere, pullulare, cibum atrahere sibi cõuenienti dato, atq; etiam sibi disconuenienti marcescere. Argumẽta istorũ nulla sunt, & Arist. loco citato soluit, & fortasse nos de illis inferiùs hoc lib. 2. & lib. 3. nonnihil dicemus: nam motus ille naturæ potiùs est, quã sensus: non enim agunt à præuia apprehensione, vt lib. 2. c. 12. & tex. 120. 121. & 124. & lib. 3. tex. 37. & 38.

An plãtę sentiãt. *Anaxagoras, & Prothagoras, q. sic.* 1. 2.

Tex.17. At verò ex sensibus, tactus primò cũctis animalibus inest. Atque vt vegetatiuum à tactu, sensuq; omni, sic à cæteris tactus separari sensibus potest. Eam autẽ partem animæ, vegetatiuam dicimus esse, cuius & plantę participes sunt. Animalia verò cuncta ipsam vim habere sentiendi tactu videntur.

Vt tacitæ cuidam satisfaciat obiectioni, quartam

4. supp. tactus est sensus prim⁹, qui prima est sentientium radix.

quartam ponit suppositionem, qua, per quē sensum primò animalia viuāt, exponit, nēpe per tactum. Itaq; suppositio est, sensus tactus est per quē primò animalia sentiūt, atq; adeò per quem primò ipsa viuunt, sicut enim vegetatiuum à reliquis separatur, ita & sensus tactus à cęteris secernitur: quare sicut plantæ supra elementa vegetandi facultate eleuantur, ita sensitiuum plantas nobilitate sensus tactus excellit: atq; vt vegetatiuum fundamentum est primū, quod viuentia cuncta participant, ita tactus omnium sentientium radix prima est. Qua de causa hi sunt duo gradus viuentium adinuicem separati.

Tex. 18.

Atq; quam ob causam istorū vtrunq; fit, posteà dicemus, ac explanabimus. Nunc eousq; tantùm dicatur, animam, inquam, principium esse eorum quæ dicta sunt, & his esse definitam, vegetatiuo, sensitiuo, intellectiuo, & motiuo.

Ex inductis suppositionibus animæ ratio præparatur.

Horum rationem & causam in posterum reponit: modo nobis sufficiat intelligere ex dictis, animam animatorum esse principiū, atque animām vegetatiuo, sensitiuo atque intellectiuo finiri, quibus secundùm locum motiuum (quem cogitatiuum alibi appellat) addit, vt sic ex iam positis principijs definitio animæ colligatur, quæ priorem concludat & ostendat, nimirum anima est principium vegetandi, sentiendi & secundùm locum mouendi atque intelligendi, quæ cùm habitudine ad operationes & actum secundum sumatur, notior nobis erit atq; apertior ad priorem confirmandam. His enim quatuor modis vitæ gradus & modi viuendi distinguuntur: & anima vitæ principium est, erit ergo horum omnium principium: quia istæ operationes vitæ à facultatibus proximè, primùm autē ab anima ipsa deriuantur. Ex hac autem definitione facile est apertè colligere cuiusq; animæ propriam definitionem, per quam ea, quæ vt communis priùs posita est, colligatur, vt ex propria cuiusq; operatione vnā animæ communem & vniuocam rationem esse retineamus.

Tex. 19.

Quærendum autem est, vtrū horum vnumquodq; sit anima, an animæ pars, & si pars, vtrum hoc pacto, vt sit separabile ratione solùm, an etiam loco. Atque de nonnullis quidem istorum videre, discernereq; facilè possumus, nonnulla autem dubitationem habent.

Iste textus, atque sequentes duo examinantur quæst. de immortalitate cōtra Auerroim, item et loco. 7. eiusdem quæstionis.

Quo prædicta ampliùs manifestentur & illustrentur, duas in mediū profert quęstiones, quarum prior est, nūquid cùm quatuor sint vitæ atq; viuentium gradus, si quatuor etiam sint animæ? ita vt singula animatorū genera per propriam animam viuant: sic sanè vt in eodem eadémq; materia plures formæ essent, quod Philosophiam abhorrere non semel asseuerauimus. Quod si quis hoc victus argumento nō animas dicat, sed animæ partes esse, id est, potentias atq; facultates, in secundam incidet dubitationē, an scilicet separabiles sint? & vbi seiungi constaret, an ratione, subiecto etiam & loco secernantur? vt Platoni visum est, qui rationalē in cerebro, sensitiuam in corde (quę partes sunt diuersæ) disposuit, vegetatiuam etiam in epate. Itaq; cùm in prima quæstione per animam intelligat formam dantem esse formaliter corpori physico, atq; adeò censeat vnitam esse corpori (vt benè Caietanus hic aduertit contra Auerroēm) meritò secundò quęrit, si anima nostra sit separabilis? vbi lapsus est Commentator, qui intellectum censuit non esse animam, nec corporis formam nisi æquiuocè: tamen Arist. rectè dubitat, vbi eius Commentator mirabiliter errauit; sed hoc est inferiùs examinandum.

Tex. 20.

Nam vt plantæ nonnullę diuisæ, seiunctæq; videntur viuere, propterea quòd anima, quæ est in istis, actu quidem in vnaquaque planta est vna, potentia verò plures: sic & circa alias videmus animæ differentias fieri, cùm inciduntur animantium ea;

quæ insecta vocamus: vtraque nanq; partium & sensum habet, & motu loco cietur. Quòd si sensum habet, & imaginationem, & appetitum etiã habet: vbi nanq; est sensus, ibi dolor etiam existit, atq; voluptas. At vbi sunt hæc, ibi necessariò cupiditas etiam inest.

His duabus quæstionibus iam nunc propositus, Arist. facere satis instituit, posterioremq; priùs sumit enucleandam, quæ, licet difficilior appareat, facilè ex operationibus animæ absoluetur. In cuius rei expeditionē aduertendum, quòd sola ratione distingui, est esse idem se, rationes tamen habere diuersas, vt animal & homo in me: subiecto autem atq; loco distinguntur, quę non sunt in eodem subiecto, vel non in eadem eius parte, veluti visus atq; olfatus. At quia nōnulla dixit præcedenti tex. vt nos faciliùs discernere possimus è plantis (in quibus res est sensibus satis explorata) similitudinem sumit, vt hoc sumpto principio atq; quasi facto gradu, de reliquis idem sumatur iudicium. In vegetabilibus nanq; perspicuum est partes abscissas viuere, cùm ramusculi incisi plantati rursum vel insiti iterum pullulāt, nutriuntur, atq; augētur, generāt atq; similem adferunt fructum; ergo in abscissis ramis nutritiua, generatiua, augmentatiua facultates manēt: quoniā in partibus quātitas manet ad exercendam propriam operationē accōmodata, vt est in tota planta, vbi sola cōiunctio efficiebat, vt totius esset vna anima. In animalibus autē insectis & annulosis (quoniā iam corpus exigunt pluribus organis instructū, vt ipsa incisio corporis ostēdit) non tādiu permanet in partibus vita, ac in plantis: quanuis cōueniat plātis, cum ipsis vt in partibus aliquantulum saltē perseuerent. In plātis autem diuturnius permanet vita, quia imperfectiores sunt, nec tot indigent instrumentorum incisuris, nec tanta sit corporis fabrica. 1. lib. de Hist. animal. cap. 4. de iuuentute & senectute lib. 1. cap. vltimo, de respiratione cap. 19. lib. 4. de partib. animal. cap. 5. & 6. sect. 10. problem. q. 67. quę, satio ipsa atq; insitio plantarum ostendunt. Et, actu vnicam tantùm animam esse, potentiâ verò plures, atq; adeò nequaquam erunt loco atq; subiecto distinctæ: absurdū etiam esset, actu plures animas vniuersam arborem occupare, cùm sola diuisione fiāt actu plures, vt insecta quæ in partes diuisa sentiunt iucundum, aduersúmve: ideò vnicam actu ponimus equabiliter per totū corpus effusam & sparsam, quę tamen potentià plures est. Ex his autem verbis vulgatum illud elicitur axioma, quod Aristoteli sub alijs verbis ascribitur, anima tota est in toto & in qualibet eius parte tota, siquidē actu vna est, potentia verò plures, separatæ & abscissæ plantæ specie eædem sunt, quāuis numero distinguantur. Deinde sic & circa alias species dicendum manifestat, & primò in entomis animalibus, id est, incisis veluti sunt lacerti, lumbrici & id genus nonnulla, quorum partes cùm inciduntur, viuunt, sentiunt atq; mouētur; quod signum est, in illis frustulis atq; particulis animam residere sensitiuam: ex operationibus enim animę ipsam deprehēdere Philosophia docet, nisi quòd pars, quæ cor continet, propter illius præsentiam maius tempus viuit quàm reliquæ, cæterùm non diu durāt: nam cùm anima actus corporis organici sit, quæ suapte natura diuersis organis eget, illis tamen orbata diu durare non poterit. Itaq; vitam atq; sensum partes illas abscissas habere Aristoteles experimento probat: quia si tangantur maximè punctionibus, continuò sese constringunt, conuoluūt atq; plicant: ac proinde subinfert Arist. habere phantasiam & imaginationem, cùm optent atque desiderent. Sensus enim indicium est, quòd dolor aut tristitia disconuenientis adsit, sicut voluptas atque gaudium conuenientis: atq; vbi sunt hæc (vt inquit Arist.) imaginatio etiam erit, quæ subiecto à sensu & appetitu nōn disiungitur: loquitur autem Arist. de phantasia atq; imaginatione non perfecta & absoluta, quę suum sortitur organum, & est etiam respectu prçteriti, intelligendus ergo est de imaginatione imperfecta atq; adumbrata; quam alij indeterminatam vocant, quę tantùm est respectu præsentis: quoniam solum sensum exteriorem sequitur. Quam meritò vniuersalem vocares potētiam: quia omnibus animalibus sicut tactus inest atq; in vniuerso corpore promiscuè est, neq; habet partem determinatam sicut visus aut olfatus. Quo fit, malè sensisse Anaxagoram atq; Empedoclem,

Nota.

Testimonium vulgatū, animā in toto & parte.

Duplex imaginatio.

Corolarium.

doclem, quorum meminit Arist. lib. 1. de plantis, & nos paulò superiùs, dicentes plātis stupidum quendam sensum inesse, qui nunquam esset in vigilia & expergisceretur, sed obdormiret perpetuò, cùm illos latere non deberet, appetitum illum naturalē esse, siquidem cibi copia aut inopia nec delectantur neque tristantur: nam sicut suprà tres ordines rerum esse ostendimus, sic in animabus etiam triplex est appetitus, naturalis, qui infimæ vt plantali datur: rationalis atq; liber, qui nostræ animæ, quæ sui iuris est, adscribitur: sensitiua autem, quæ media est, animalem sortitur appetitum. Cùm ergo plantæ desiderant alimentum, appetùntq; atque assumunt, naturali id faciunt appetitu, vt latiùs illo loco Arist. docet: quare lib. 1. de Anima tex. 85. ex suppositione loquebatur, cùm dicit elementa habere animas.

Tex. 21. De intellectu vero cōtemplatiuaq; potentia, nondum quicquam est manifestum. Sed videtur hoc animæ genus esse diuersum, idq; solùm perinde, atque perpetuum ab eo, quod occidit, seiungi, separariq; potest.

Exactiorē expositionē hui' tex. hab's in. q. de immortalitate animæ contra Auerroim, et loco. 7. eiusdem quæstionis. Posteaquam Arist. quod intendebat in his, quæ paruam dubitationem habebant, exposuit, accedit iam ad ea explicāda, quæ dubitationem aliquam habere videntur, quod tex. 19. superiùs dixerat: de intellectu namq; non facilè præsens dubitatio expeditur: quæstio enim satis est perplexa, an intellectus à sensu distinguatur? quibusdam autem ex antiquis philosophantibus visum est, mentem atque intellectum non esse ab ipso sensu distinctum. Qua de re Arist. trepidè admodum censet: quoniam rem hanc nondum examinarat atq; inspexerat, idcirco inquit, *Videtur hoc animæ genus esse diuersum atq; aliius naturæ, quæ sicut perpetuum à corruptibili separetur*, quę Arist. verba, licet quibusdam non assertiuè, sed dubitatiuè dici videantur, vt *Themistius* hoc loco contendit: mea tamen sententia (*Autor.*) non tantùm separabilem esse insinuat, sed absolutè assertiuè sunt intelligenda: nam ex literę contextura, quæ id sonat, licet in specie nihil id- huc de anima intellectiua sit manifestum: in genere tamen hoc videtur de illa pronunciandum, quòd perpetua sit & separari à corruptibili corpore contingat, vt alibi dixit de foris aduenire: tum etiam quia grauissimorum Philosophorum mos est, cùm aliquid tractant nondum examinatum, pręsertim si difficile sit atque obscurum, dubie affirmare & asserere: pronuntiant tamē sententiam sub dubitationis forma. Quod enim est in Aristotele familiare, vt quoties res nō est determinata, de qua magna est contentio & concitata controuersia, modestè sub dubitationis forma loqui, ne doctrina contemnatur & ab aduersarijs relinquatur, aut etiā ne opus sit, cursu orationis relicto ante tempus rem importunè demonstrare. Certè cùm Porphyrius dixit, videtur autē neq; genus neq; species simpliciter dici, de equiuocatione & amphibologia illorū nō dubitabat, tamē dubitatiuè loquutus de re, quę apud ipsum certa erat; pari quoq; ratione Arist. hoc loco loquutus est: cùm autem dicit Arist. *Videtur aliud genus animæ*, non de genere logico intelligit: nam anima vniuocè dicitur de omnibus animalibus, sed de physico, sicut intelligitur illud Arist. corruptibile & incorruptibile differunt plusquam genere, non logico nec metaphysico, sed physico: Angelus quidem & homo in eodem sunt genere substantiæ, item & Cœlū, cùm tamen à nobis genere physico differant. Sed verè sensit Aristoteles, nostrā animam separabilem esse, quia textu sequenti docet, reliquas palàm esse non separari: vbi intellectum à cæteris distinguit dicens. (*Nota.*)

Tex. 22. Cæteras autem animæ partes, separabiles quidem non esse, vt quidam asseruerunt, ex his, quæ diximus, patet: ratione verò differre, nō obscurum esse videtur. Sensitiui namq; ratio diuersa est à ratione principij opinandi: siquidem diuersa sunt, sentire ac opinari: & vnumquodq; dictorum similiter.

Vt de omnibus animabus sententiā ferat Arist. dicit, non solùm nostram animam à cæteris differre separabilitate, sed reli-

quas omnes subiecto atq; loco separabiles non esse, vt quidam Platonicorum asseruerunt, contra quos Arist. pronuntiat sola ratione seiungi, sicut alia est sentiendi & alia opinandi ratio. Vnde ab illa parte, *ratione verò differre*, Arist. secundæ quęstionis solutionem inchoat, quam sequenti textu absoluit.

Tex. 23. At verò quibusdam animantium cunctæ partes, vt patet, insunt: quibusdam nonnullę sunt. Sunt & quibus vna tantùm inesse uidetur atq; idipsum differentiã animãtium facit. Quã autẽ ob causam ita sit, posteà perscrutabimur. Eadem & circa sensus fieri sanè videmus: quædam enim omnes, quædam aliquos, quædam vnum duntaxat habere videntur, tactum, inquam, ipsum, qui quidem est omnium maximè necessarius.

Iste text⁹ cũ duobus sequẽtib⁹ põderatur q. de immortalitate aïæ cõtra Auerroim. Secundã quęstionem soluebat Arist. proximo tex. quantùm ad rationem & subiectum: nunc verò rursum ad priorem quæstionem regreditur, qua quæsitum fuerat, si animatorum gradus per animas an per partes animæ, id est, per potentias distinguantur. Insinuat tamen Arist. responsionem ex hac distinctione, videlicet quòd (vt separatim diuersis animalibus insunt) animę sunt diuersę, diuersa enim anima est plantę atq; sensitiuę: cæterùm in eodem priores sunt potentiæ, posteriores verò animæ: nam cùm plures formæ esse non possint, vltima, quæ perfectior est, virtute continet alias: quare aliæ non sunt animæ, sed potentiæ, veluti in homine, in quo Deus omnia animæ officia simul copulauit & intellectiuam animam posuit; cætera verò inferiorum animarum officia per potentias congessit: ideo in homine ampla simul & angusta vitę supellex est. Litera sic habet, *At verò quibusdã animãtium cunctæ partes insunt*, de homine est intelligendum, *quibusdam nonnullæ*, de brutis imperfectis interpretandum, *quibusdam vna tãtùm inesse videtur*, de plantis intelligit Arist. in quibus vegetatiua anima est, in reliquis verò potentia: quod subdit verò, *atq; idipsum differentiam animantium facit*, bifariàm exponendum censeo, vt primò de vegetatiuo intelligatur, quo primùm animatum ab inanimato secernitur, non tantùm affirmatiuè, quia quod vegetatur animatũ est, sed etiam negatiuè: quoniam fieri non potest, vt quod nõ vegetatur, viuat: vel ipsum differentiam animantium facit, quia ex his varij animantium gradus dignoscuntur, de quibus omnibus futuram perscrutationem pollicetur Philosophus lib. de vegetabilibus & plãtis & de animalibus: subdit Arist. *eadem circa sensus*, comparatiuè loquitur, vt sicut vegetatiuum sufficit, vt aliquid dicatur animatum, ita sensus, vt aliquid dicatur animal: & prætereà quædam animalia vt perfecta, quæ omnes habent sensus, quædã aliquos: nã talpã visu orbari, & quandã aspidis speciẽ auditu carere dicunt: quædã autem vnum habent tactum, & illum omniũ maximè necessarium. An verò in eodem plures sint animę, fortasse statim dicemus: quamuis memini me de hac re. 1. de generat. cap. 4. disputasse.

Quoniam autem id, quo viui mus, quovè sentimus, bifariàm dicitur, perinde atq; id, quo scimus, & id etiam, quo sani sumus, atq; valemus (quoddã enim sciẽtiam, quoddam animã dicimus: quippe cùm vtroq; scire dicamus, & aliud sanitatẽ, aliud partem corporis aliquam, vel totum dicimus corpus, atq; horũ vtrũq; tam sciẽtia, quàm sanitas, forma quædam, & species est, & ratio, & tanquam actus suscipientis, scientia quidem, scientis, sanitas autem, sani. Actus enim agentiũ, in eo, quod patitur, atq; disponi tur, inesse videtur. Anima autem id est, vt patet, quo viuimus, & quo sentimus, ac intelligimus primò) ipsa profectò ratio quædam Tex. 24.

dam erit & forma, sed nõ vt materies, atq; subiectum.

Hoc textu Arist. omnibus iam ad demõstrationem paratis, animæ finitionem priorem per posteriorem demonstratione absoluit, quæ cur ipsa sit demonstrat: in cuius expositionem Commentatorem antesignanum habere placet, qui pulchrè admodum locum istum subdifficilẽ positis duabus positionibus explanat. Prior sit, omnis actio, quæ est compositi, propter duo competit, quorum vnum forma & actus, alterum autem corpus est & potentia: hanc autẽ manifestat Aristotelis exẽplis: nã sanitas est animalis ratione sanitatis vt à forma, ratione subiecti vt à materia, vt sciẽs vtroq; modo dicatur & ratione formæ & ratione subiecti: dicitur enim sanus & sanitate & corpore toto vel corporis parte. Pari rerum consequẽtia, aliquid dicitur viuẽs duplici principio, anima scilicet atq; corpore: atq; adeò sicut amota sanitate nullum corpus dicitur sanum, & amota sciẽtia nullũ dicitur sciẽs, ita anima sublata nullum corpus viuet.

1. positio.

Posterior est, cùm autem sit ratio in composito propter duo prius est ratione formæ quàm materiæ, cùm operatio formam sequatur, & inde sequitur denominatio posterioris, quæ corpori vt susceptaculo communicatur non cuicũq;, sed determinato, actus quidem ipsorum agentium in patiẽte sunt disposito atq; determinato: habet enim vnaquæq; forma determinatũ subiectũ, quod informet, quod priùs ad ipsam suscipiendã dispositum est, atq; ad operationes, quas influit, exercendas præparatur. Quibus iactis ad scopum totius capitis descendit Arist. vt formalem construat animæ finitionem per quam materialem colligat atq; demõstret: quæ etiam sit verè naturalis definitio, vtpote quæ simul connectat formalem atq; materialem causam, nec vana dicatur definitio atq; dialectica (vt in procemio tex. 11. atq; 16. definiebamus) ex vtraque igitur coagmentata definitio legitima erit atq; naturalis. Tunc igitur sic Arist. nectit rationem, Omnis actio cõpositi est propter materiam & formam (iuxta priorem positionẽ) sed (iũcta minori iuxta posteriorẽ) primò est gratia formæ quàm materiæ: quare cùm viuere sit corporis animati, nõ corpus sed anima est, qua primò viuimus, mouemur & sumus, atq; adeò si ipsa principium est viuendi, rectè definita est anima, quòd actus est corporis physici organici, &c. anima enim viuimus principaliter & non instrumentaliter: sicut enim calore naturali, ita etiam corde vt primis organis vitæ viuimus, tamen hæc non viuunt, nisi actu mota ab anima, quæ principium vitæ primum est: ergo quo primò viuimus non est corpus, sed corporis actus. Quocirca cùm actus subiecti sit non vtcũq;, sed iam dispositi atq; benè ad suscipiendam formam affecti, sic concluditur corporis proprij esse actum: quoniam omnis actus in propria est & accommodata potẽtia, quam perficit & in qua recipitur: ob id per ipsã formã, quæ rationes ipsius susceptiui exposcit, vt per principium ipsarum definitur. Itaq; breuioribus sic construe demonstrationem, quo primò competit alicui esse, viuere atq; operari, est forma, animato autem corpori esse, viuere atque operari ratione animæ primò conuenit, ergo anima corporis animati atq; viuendi principium est, quare actus est & entelechia: est ergo anima actus corporis, quia est essendi & viuendi primum initium & secundùm omnem gradum vitæ radix, qua viuitur: nam secundariò ratione corporis, cui denominatio vitę ab anima primò in corpus deriuatur. At quia magna est de præsenti demonstratione controuersia, nõ fuerit abs re eandem sub alijs verbis sic cõstruere: Quandocunq; aliqua actio competit alicui ratione duorum in ipso existentium, necesse est vnum illorum esse vt materiam, alterum verò vt formam, sed operatio omnis vitalis animato corpori conuenit ratione existentium in ipso, necesse est igitur alterum esse vt formam, alterum verò vt materiam: tunc sic, omne egrediens à duobus nõ ęquè principaliter est ab vtroq; denominatum, istud, à quo principaliùs fit denominatio, se habet vt forma, illud autẽ, quo minùs principaliter, vt materia (iuxta doctrinã Arist. 3. Physi. à tex. 7. ad. 17.) vitalis autem operatio, quæ ab anima & corpore est, principaliùs est ab anima, quoniã est actus, quàm à corpore, quod est potẽtia: anima ergo actus est & forma, quia principium est viuendi. Hìc tamen oportunè sese offert dubitatio, an hæc demonstratio ex per se notis procedat: tum, quòd non à manifestis per se progrediatur, sed à notis per operationes atq; adeò per aliud: tum etiã, quòd ita collibitum fuit atq; visum Gręcis ferè

Positio. 2.

Ratio Animæ demõstratoria.

Ratio exponitur.

Aliter declaratur.

Dubitatur de vi demõstrationis.

fere omnibus expositoribus, Alexandro, Themistio, Philopono, adhuc etiam Arabi Commentatori, quare cõtendunt, cùm premissæ non sint propriè principia per se nota, eam non esse propriè demõstrationem. *Soluitur ab Autore.* Falluntur tamen (virorum grauissimorum bona venia dixerim) cùm semper sit obseruandum præceptum illud Arist. 1. lib. Ethi. cap. 2. traditum, quòd cùm non sint omnes disciplinæ eiusdem gradus atq; æqualis certitudinis, non est in omnibus æqua exigenda demonstratio: nam quis à Rhetore demonstrationem exposcet? aut à Mathematico persuasionẽ expectabit? eatenus enim sunt demonstrationes petẽdæ, quatenus rei natura postulat & capax est, secus enim facere, hominis est ineruditi, ne dicam mẽte capti. Quare iam nunc ab Arist. posita demõstratio non est vsqueadeo certa acsi mathematica esset, quæ, cùm abstractè conside ret res, in excelso certitudinis gradu collocatur: quòd ergo non sit mathematice certitudine euidẽs, nõ tollit in suo genere, physico nempe atq; materiæ coniuncto euidẽtem & per se notam non esse. Ecquid enim rogo est in Physica notius, quàm quòd omnis actio compositi vt tale est, est propter duo, actum scilicet & potentiam, atq; adeò primò ratione actus? quare ista finitio, quæ per causam formalem atq; finalem est, de se atq; per se nota est physicè. Neq; obstat, quòd quoad nos per operationem manifestatur: nã operatio quatenus finis est, prior est, iuxta illud Arist. 2. de Cęlo tex. 17. vnũ quodq; est propter suam operationem. Reliqua autem, quæ ad huius demonstrationis declarationem desiderari videntur, in quæstionibus huius capitis absoluemus, nunc pergamus, dum tamen interim, quòd ad examen huius loci accedimus, notes, Primùm, quòd etsi Arist. videatur ex particularibus procedere, implicitè ex vniuersalibus procedit, quoniam in scientijs indefinitæ vniuersalibus æquipollent: & facilè fuerit etiam tyroni demonstrationem in formam redigere syllogisticam, vti nos etiam fecimus in præsenti. Secũdùm cautè nota, Aristotelem initio posuisse duas tantùm partes, scilicet quo viuimus & sentimus, sed in fine pro conclusione tertiam apponit, videlicet quo intelligimus: cuius rationem habes infrà in examine huius definitionis quæst. 1.

Nã cùm substantia tripliciter dicatur, vt diximus (quędã enim est forma, quędã materies, quędã id quod ex vtrisq; cõponitur: & materia quidẽ est, vt patet, potentia, forma autẽ actus) cùm igitur vt diximus, substãtia dicatur trifariàm, animansq; id sit, quod ex vtrisq;, corpore, inquam, & anima constat: corpus profectò non est actus animæ, sed ipsa corporis alicuius est actus. *Tex. 25.*

Pręsens textus proximi epilogus quidam esse videtur, quo animam colligit actũ esse, insuper declaratio illius est: quem ideo inducit, vt antedicti sermonis causam reddat quasi faciendo satis tacitę obiectioni. Nam dicere posset veritatis aduersarius, vera ea omnia esse, quæ diximus, tamen non concludit, nisi quòd anima præcisè actus sit, non autem quòd substantialis, quod est Aristoteleũ propositũ: nã sicut sanitas est, quo primò sani sumus, & scientia est principiũ, quo scimus, neutra tamen forma substantialis est, cùm ad prædicamentum qualitatis sanitas atque scientia referantur. Quare cùm Philosophus resumpta diuisione, quã initio primi capitis huius induxit, sic concludit animam substantialem actũ esse oportere, non ampliùs colligit, nisi ꝙ est actus, non autem quòd sit substantialis. Hũc cauillum vt diluat, docet, quòd cùm trifariàm substantia diuidatur in materiam, formam atque compositum, & cùm quo primò viuimus atq; principium est essendi in rebus animatis, substantiam esse oportere per se notum sit (nam substantia fit atque constat ex substantia, non autem ex materia, quia est potentia, quæ per aliud habet esse, neq; compositum ob consimilem rationem) igitur cùm non sint plures tribus substantijs, diuisoria ratione colligitur animam actum esse substantialem: ex his etiã posteà ostendemus, Aristotelicum discursum vitium petitionis principij non habere. Itaq; si materia atq; compositum (quia sunt subiectum vitæ receptiuum, quæ mendicant & hauriunt vitam ab alio) non sunt id, quo primò viuimus, & quia quod dat *Perpende textus ex positionẽ & obiectionis remotionẽ.*

primò

Vis demõstrationis. primò esse substantiale, substantia necessariò est, fit, vt anima ipsa, quæ fons est & origo vitæ atq; adeò principium essendi atq; viuẽdi, quòd si ipsa primò viuimus, ipsa est ratio & species atq; substantialis actus corporis viui. Quocirca cuiusdam instantię nil possunt contra hanc expositionem efficere, quòd dicamur loqui lingua & pulmone, sanari corpore & medicina, locari corpore & locato, in quibus alterum duorũ est forma & actus, alterum potentia & materia: quoniam Aristotelis ratio non procedit de ente quocunq;, sed de eo, quod operatur vt præcipuum agens, nec de quibuscunq; partibus, sed de primis & essentialibus. Ex quibus etiam soluitur difficile quoddam argumentum, quod nos. 2. lib. de Cælo cap. 2. in eam opinionem formauimus, quæ habet, cælum non esse animatum forma inhęrẽte, videlicet ꝙ licet intelligentia sit principium, quo primò mouetur cælum, tamen non est essendi principium, neq; mouere ad esse ipsius cæli spectat, cùm tamẽ viuere viuentibus sit esse (hoc lib. tex. 37.) præterea forma intrinseca, quę dat esse cælo, est statim principium mouendi intrinsecum licet passiuum, intelligentia verò nõ nisi externum actiuum principium: de quo latiùs. 1. lib. de Cælo tex. 5. quòd forma cæli sit operatiua non motiua actiuè, benè tamen passiuè: visita locum. Rursum moueri non est cæli propria operatio, cùm cælo non competat motus propter se & propriam indigentiam, sed quatenus causa vniuersalis est ad suscipiendas cessationes horum inferiorum: viuere autem propria est animatorũ non solùm operatio, sed esse. Quibus non obstantibus non est debile argumẽtum ad probandum de sententia Arist. Cęlum esse animatum anima informante: vide & lege illos nostros commentarios loco citato & 2. de Cælo cap. 2. in quęstione de cæli animatione, & tex. sequenti corolario primo respondebitur, & 3. lib. c. 9.

Attende egregiam expositionem de cæli animatione.

Tex. 26. Idcirco rectè admodum putant ij, quibus anima neque esse sine corpore, neque corpus aliquod esse videtur. Etenim ipsa corpus quidem nõ est, est autem corporis aliquid: & inest ob hoc in corpore, atq; in corpore tali, nõ in quouis sine discrimine vllo, quemadmodũ Veteres ad corpus ipsam accommodabant, nihil prorsus determinãtes quodnam illud, & quale sit corpus. Atq; non rectè, vt patet: quippe cùm non videatur quoduis sine vllo discrimine, quodcunq; suscipere. Hoc autem pacto cum ratione etiam fit sanè: actus enim vniuscuiusq; in eo, quod est potentia, & in propria materia, suapte natura fieri, esseq; solet. Animã igitur perfectionem quãdam eius, & actum, ac rationem esse, quod potẽtiam habet vt huiusmodi sit, ex hisce, quæ diximus, innotescit.

Præsenti textu caput secundum absoluit Arist. quo quędam corolaria ex dictis infert. Primum, admittit quoddam antiquorum testimonium asserentium, animã neq; corpus neq; esse sine corpore, vt cùm ex ipsorum ore constet, corpus non esse in corpore, animia autem in corpore est: neque enim est sine corpore, quia corporis est actus, non vt Nauta nauigij (quod voluit priùs Plato) aut velut intelligẽtia, quę extrinsecùs cælum ad operationem mouet (quale deinde voluit Auerroes) sed cũ anima sit vitalis operationis principium, oportet sit in propria essentia actus substantialis, ideòq; ita cum corpore vniri, vt vnum per se & simpliciter efficiat, quod S. Tho. prosequitur. 1. p. q. 76. ar. 1. etenim cùm probasset actum esse substantialem, hîc rursus premit in proprio corpore vniri, vt efficiat vnum viuens & animatum per se. Quare illud verbum tex. 24. *quo viuimus*, significat principium formale & primam rationem essendi, & quancunq; rationem vitæ complectitur, quia assumitur vt causa ipsius esse vitalis: causa, inquam, secundùm quòd ipsa, id est, cui primò competit, vt. 1. Post. cap. 4. dicitur. Secũdum corolarium infert verbis illis, *Et inest ob hoc in corpore, &c.* animam in corpore

1. corolarium.

2. corolarium.

corpore esse non quocũq;,sed determinato atq; disposito.Nam redarguendi sunt Pythagorici,quorum meminit Arist.lib.1. de anima tex.53.qui non posuerunt animas in corporib' certis & determinatis,neq; proprias animas proprijs organis aptabant:anima enim quamuis corpus nõ sit,corpus pro sede habet adfabrè dispositum,non temerè aut fortuitò,vt casus & fortuna obtulerint, quod sensu exploratum est. Videmus enim animam vnamquanq; in determinato esse atq; accommodato corpore,vt dicit Arist. *in corpore tali*, id est,instrumentali,quod habeat accommodata instrumenta ad munia & officia animæ suscipienda: actus ergo vniuscuiusq; fieri natus est non tantùm in

3. corolarium propria materia, sed proportionata. Quod est tertium, quod infert Arist. illis verbis,

4. corolarium. *Hoc autem pacto, &c.* Quartò concludens caput quasi epilogo colligit,animæ finitionem materialem esse actum corporis, &c.

Alexandri obiectio de animæ immortalitate. Alexander & qui eum sequuntur insultãt atq; maximè hoc textu gloriantur existimantes ,apertam esse Aristotelis hoc loco sententiam de animæ immortalitate : nam dicit corpus non esse , ne corpus sit in corpore & duo corpora in eodem (quod Epicureum,Hyppoxenophantem,& Hypparcum sequitur) tamen non est sine corpore,

Solutio. ergo separabilis non est?Quod sanè non est ita accipiendum interim quòd ad eam de animæ immortalitate difficultatem iuxta Arist.explicandam accedimus, sed non est sine corpore,id est,non exercitat omnes animæ functiones nisi in corpore. 1.p.q.75.ar. 4.quòd anima nõ est homo:quia non exercet omnes hominis operationes vt sentire sine corpore,benè tamen intelligere:quare licet actus sit corporis,separabilis est à corpore,vt hoc eodem capite tex.21.Arist. dixerat,quòd separatur tanquam perpetuum à corruptibili. Et neq; placet commentatio eorum,qui dicunt,Philosophum de sensitiua & vegetatiua loquutum fuisse , non autem de intellectiua anima:quoniã Arist. de omni anima loquitur , atq; ita infert ex his,quæ tex.24.&.25.dixerat, quòd anima est actus corporis , quod omni animæ commune est : quæ latiùs. 3. lib. huius quæstione de immortalitate animæ exactiùs interpretabimur.

QVAESTIO PRIMA.

An posterior animę definitio sit legitima, scilicet quòd sit principium quo viuimus, &c.

Sed iã litera vtcunq; exposita altiùs sunt nonnulla expendenda ex multis,quę profundum istud caput suo veluti iure exposcere videbatur:sunt enim quædam in hoc capite tacta , quæ non solùm grauissima & difficillima sunt,sed etiam principia cæterorum,ob quas causas excutienda ampliùs sunt , ne si aliquid inaduertenter admiserimus,totam deinde labefactet & subuertat scientiam. Primùm itaq; omnium operæpretium erit differere de totius huius capitis argumento,in quo Arist.hanc potissimã conclusionem intendit,per hãc formalem animę finitionem(quę hoc capite traditur) priorẽ(quę materialis est & proximo capite adducta) demonstrari:sub dubio tamẽ nobis relinqui videtur,an à priori vel posteriori demonstratio procedat? Qua de re plurimi dubitant. Primò,quoniam non sequitur , anima intelligendi principium est, ergo actus substantialis, cùm intelligentia in cælo mouendi principium sit,non tamẽ actus est cæli substantialis , vt plures veriùs censent. Respondent quidam,intelligẽtiam totum quoddam esse , animam verò partẽ, atque adeò intelligentia , cùm pars non sit, non poterit esse actus cæli substãtialis. Hęc solutio profectò petit principium:nam cõtendimus argumento concludi,intelligentiam actum esse substantialem cæli,quia est principium mouendi:sicut in secundùm locum motiuis sequitur,est quo primò secundùm locum mouentur , ergo est actus substantialis. Dices,semota intelligentia cęlum manere quidem , non tamen manet sua in substantia integrum nec animatum : quod est signum,intelligentiam non esse partem substantialem cæli. Hæc etiam euasio voluntaria est & principium etiam petit:quęritur enim in argumento,an ex eo,quòd intelligentia principium est mouendi cælum, ita etiam actus eius sit atq; pars substantialis. Deinde appetitus vindictæ , quæ iræ est definitio(vt in procœmio diximus)vana est atq; inutilis,cùm dialectica sit & citra materiam detur : pari quoq; ratione ista diffinitio

Attende quid controuertatur. *1. argu.* *Solutionis primæ redargutio.* *Secundæ solutionis redargutio.* *2. argu.*

nitio animæ, qua principium mouendi difinitur, dialectica erit atque vana definitio: quia citra materiam datur.

3. argu.

Tandem in demonstratione petitionis principij vitium Arist. cõmittit: quoniam tex. 24. sic nectit demonstrationem: sicut duplici principio scimus, scientia scilicet atq; anima, ita duplici principio viuimus, anima & corpore: ergo sicut non sequitur, quòd sciẽtia sit forma substantialis scientis, ita nec sequetur, animam esse formã substantialem, aut sciẽtia eadem ratione substantialis actus erit: patet per demonstrationis discursum: Omnis actio compositi, quæ conuenit propter duo, principaliùs est ratione formæ quàm ratione materiæ, sed viuere animato corpori conuenit, ergo principaliùs ratione formę, atq; adeò erit substantialis actus (idem subsumo de scientia) sed scire conuenit scienti ratione materiæ atq; formę & principaliùs ratione formæ, ergo scientia ipsa actus est substantialis scientis.

Cõfirmatio.

Cõfirmatur: quia nulla demõstratio in similitudine fundatur, sed est vitium, quod Arist. in Platonem notauit. 2. Post. cap. 15. quare demonstratio ista, quæ ex similitudine sanitatis atq; sciẽtiæ proportionabiliter ad animam ipsam argumentatur, nullas sanè vires habebit. Profectò sũma consensione ab enarratoribus Aristotelis locus huius demonstrationis explicatur: vis autẽ & genus ipsius summa dissensione refertur.

Caietanus quatenus sit admittẽdus atq; repellendus.

Nam Caietanus super hunc locũm multa obscurè admodũ inducit, Primò dicit, omnibus expositoribus cum ipso conuenire, intentum esse Aristotelis colligere, animam esse actũ corporis non simpliciter & nudè, sed vt est physicum atq; organicum, & (vt dicit Arist. in fine huius secundi capitis) est actus corporis talis, dispositi scilicet & accommodati. Quod sanè libenter admitto, præsertim quia (vt ipse etiam dicit) ex hoc pendet tota quęstio de vnione animæ intellectiuę ad corpus, eámq; esse formam substantialem corporis humani hoc loco stabilitur: vnde cessat garrulorũ distinctio in hoc negocio intellectiuam animam ab alijs distinguentium: Aristoteles enim de ipsa & alijs animabus expresse loquitur absq; distinctione, ergo doctrina indistinctè est vsurpãda. De anima enim vniuersaliter demonstratur, quòd est substantia vt species & ratio, atq; ita actus corporis talis: quod cũ Auerroistæ admittant, sermonem scilicet esse de anima, quæ est actus in communi, oporteret ipsos subinde fateri, sermonem esse de anima, vt sub se complectitur & cõprehendit intellectiuam.

Viuere quatenus debeat vsurpari in definitione.

Deinde dicit, propriã Aristotelem indagare definitionem nẽpe eam, quæ animam actum esse corporis non solùm negatiuè, sed affirmatiuè colligit: definitur, inquit, principium viuendi & nõ per viuere, quoniam viuere multipliciter dicitur, vt tex. 13. dicebat Arist. Etenim non solùm propter animam vegetatiuã viuimus vt plantæ, nec tantùm propter sensitiuam vt animalia, sed propter intellectiuam, quę principium est intelligendi, & sola est rationalis anima in nobis, reliquę verò potentię sunt & animę partes. Quare errauit loco citato Cardinalis asserendo, definitionem istam formalem esse atq; in communi intelligendam, ita vt vox, viuendi, ad nullum genus arctetur, sed in sua relinquatur amplitudine: siquidem in re physica formalitates istæ metaphysicæ explodendę vt in plurimum sunt: quoniam physicum negocium à materia non abstrahit secũdùm esse vt Metaphysicus, neq; adhuc secundùm considerationem, quod facit Mathematicus: igitur de anima consideratur hîc vt est principiũ operandi non à materia seiũctum, imo qua est illi copulatum, assumitur ergo vt probetur actus in corpore: quatenus autem altero illorum modorum metaphysicè aut mathematicè abstrahitur, gradũ vitæ non cõstituit, quæ physicè sit considerationis: prętérquam quòd totam Aristotelis fabricam euerteret, qua nititur in particulari propriã cuiusq; animę rationẽ tradere, vt eam actũ esse corporis, quod prior definitio asserebat, intelligamus. Itaq; principium viuendi atq; viuere ipsum pro certo animatorũ gradu vsurpatur: quia est vegetatiuorum, per quem vita primò rebus omnibus viuentibus competit, per quam particulam, Primò, potẽtiæ ipsæ excludũtur, quæ quanuis proxima sint principia viuendi, nõ sunt primò & secũdùm quòd ipsum (1. Post. cap. 4.) id est, prima ratio vitæ. Quare si in ista animæ finitione particulæ omnes viuendi, sentiendi, secundùm locum mouendi atq; intelligendi cõiunctim sumantur & per modum vnius, solius animę rationalis erit definitio, in qua postrema particula, principium scilicet intelligendi, substantiam dicat, reliquę autem priores potentiam & animæ partes. Fateor tamen, non sic vsurpari ab Arist. de-

fini-

Disiunctam definitio explicãda. finitionem istam, secus acturus de omni animα, de rationali tantùm determinasset, atq; in cõtrariorum reprehensionem incidisset, vt in proœmio tex. 7. dicebat. Diuisim igitur sunt omnes illæ particulæ interpretandæ, vt singula profectò singulis correspondeant, atq; propria proprijs proportionabiliter reddamus: eritq; omnium graduũ animatorum illa definitio atq; nõ vna, sed plures, vt sentit Niphus. Et quando absurdum Caietanus existimat, non esse vnicum demonstrationis medium: Responderem, pro vnaquaq; animæ ratione vnicam construi definitionem, quæ vnicum sit medium: prçterea cùm oporteat in communi argumentando de omni anima vnicã esse demõstrationem intelligere, ne opus sit seorsum tot demonstrationes facere, accipienda est vniuersa illa oratio disiunctim sumpta tanquã vnicum medium, quoniã est vnica oratio, quç in quatuor partes iuxta gradus animatorũ proportionabiliter est distribuẽda: interim quòd ad finem huius quæstionis deueniamus, vbi hoc dubium clariùs determinatur. Quocirca in memoriam reuocare deberet, quod idẽ ipse Caiet. notat, particulã illã, Quo, in definitione vsurpari vt rationem non solùm operandi, sed etiam essendi, vt sermo sit formalis atq; certus, tamen proportionabiliter singulis applicandus: quç tamen breuitatis causa & quasi per accidens, ne molestus esset in repetendo, illa quatuor sub vno medio coniunxit: quã obrem medius ille terminus, qui coniũctim significat, diuisim est interpretãdus: sic enim omni animç cõmunissimus est medius terminus & proprius singulis viuentium gradibus: quã via saluatur vniuersalitas definitionis, eiusdémq; proprietas, vt sonet, quo primò viuimus tantùm, vel quo primò etiã sentimus, vel quo primò adhuc etiam intelligimus. Reprehendendus etiam est Granatensis, qui orationem illam coniunctim & non diuisim sumebat, vnámq; tantùm animæ definitionem esse dicebat, cùm vltima differentia vt actus & substãtia sit, reliquæ verò vt potentiç & accidentia: rediret enim argumentum, quòd solius profectò animæ rationalis esset demõstratio: quare nõ posset non esse manca & imperfecta determinatio, est igitur plures definitiones, ex qua cuiq; animæ propriam poterimus elicere, quæ non solùm probet actum esse corporis, sed talis. In memoriam tamen reuocari-

Niphus, et Autor, quod sit mediũ de mõstratio nis.

Palatius.

dum est id, quod suprà obiter tetigimus, actum corporis atq; corpori vniri, nõn sumi pro actuali actione & vnione, sed pro essentiali: non enim est de animæ essentia, ꝙ actualiter corpori coniungatur, sat enim est quòd aptitudine atq; potẽtia suapte natura talis sit, vt anima intellectiua docet, quæ separata actus corporis essentialiter est: esse enim actum animæ rationali inseparabiliter perpetuò competit, vt cap. prçcedenti dictum est. Ex his ergo quæ diximus patet, quomodo vna sit definitio: rursum quòd in illa demonstratione medium sit illa propositio, quo primò viuimus, quæ licet non sit simpliciter vna simplex propositio aut medium, est tamen vnum in proportione. Vnde diligens lector proportionabiliter maiorem & minorem extremitatem eliciet: nam minor extremitas animã est non secundùm formalem & abstractam rationẽ, ita vt Caietanus dicit, ꝙ sit anima in communi secundùm totam suam amplitudinem & latitudinem, sed secundùm propriam & contractam, scilicet iuxta propositionem & medij exigentiam: & ità de maiori extremitate sentiendum est, quæ est actus corporis talis: quoniam perfectio in ꝓprio debet esse perfectibili, id est, est res, cui essentialiter debetur, quòd sit actus & species corporis physici, quæ est definitio animæ prior in prçcedẽti capite posita, quç in præsenti demonstratur & concluditur: quodq; ad calcem huius dubitationis exponetur ampliùs.

Nota, qua liter act' in ratione aĩæ sit.

Medio de mõstrationis iã declarato, duæ extremitates maior & minor ponuntur.

An sit demõstratio à priori.

Aduertendũm insuper est, vt connexionem medij huius demonstrationis cum cõclusione ponamus, non esse sumendũ principiũ illud, quo viuimus, secũdùm actuale exercitium, sic enim à posteriori esset processus, & prætereà nõ esset philosophicus. Qua in parte decipitur mirabiliter Ægidius Roma. qui in fauorẽ B. Thomç asserebat, processum philosophicum ex operationibus esse atq; adeò à posteriori. Profectò licet ab operationibus Philosophia ipsa procedat, ordo tamen determinationis semper est secũdùm ordinem rectũ naturæ à priori secundùm rerum ipsarum rationes. Nec te moueat, quòd operationes vsurpet Philosophus in hac definitione: siquidem pro essentia vsurpantur, vt quandoq; passiones loco

Qualis sit medij cũ extremitatibus connexio.

S. Thomæ. Ægidius.

loco differētiarum occultarum:vnde rectè dicit Caiet.quòd etsi famosiùs & cōmuniùs illa verba, quo viuimus, sentimus, intelligimus, pro operationibus accipiātur, tamē profundiùs pro ipsa specie & essētia animæ sumentur, quę est ratio, qua primò hęc opera exercemus: qua de causa non est explicanda diffinitio, vt anima sit actualiter principium in esse exercito, sed in aptitudine scilicet cui primò debetur, vt sit ratio viuēdi; principium:modus certè dignus Philosophorum principe, ex ipsa nanq; anima vt à fonte oriuntur opera vitæ. Quare inter istas duas animæ definitiones (quo primò viuimus in cap. 2. & aliam actus corporis talis ex cap. 1.) hæc est differentia, quòd illa animæ naturam, quatenus primò inter vniuersi partes collocatur, exponit: ista verò indicat materiæ esse perfectiuā: ob idq; illa dicit causam & propter quid anima prima ratio sit nostræ vitæ & materiæ perfectiua, quod principio huius capitis Arist. tex. 12. se velle inuestigare dicebat. Etenim cuilibet rei ex eo, quòd primò sortitur locū inter entia naturę, sibi conuenit aut repugnat tale vel tale esse, & ita animabus conuenit, vt sint perfectiuę talis vel talis susceptiui, ex hoc ꝙ locū inter entia sortiuntur & in vniuerso collocantur: hinc habet anima vt sit ratio & principiū essendi, ex hoc autē forma in vniuerso collocatur, quòd est prima essendi ratio, est enim id cui debetur, ꝙ sit prima ratio vitæ: ergo definitio secunda hoc. 2. c. inuestigata causam dicit prioris & propter quid anima sit actus corporis. Sicut enim c. 2. 1. lib. Post. demonstratiuè colligitur, demōstrationē esse ex primis veris, &c. quia est syllogismus faciens scire: &. 3. lib. Phys. tex. 6. ex eo quòd motus est act⁹ entis in potētia, posteà infertur tex. 17. actū esse mobilis & nō mouētis: quoniā hoc actu, illud potētiā, quatenus talia sunt, existunt: ita in proposito secūda hæc definitio (quo primò viuimus, &c. quoniā est per finē & formam, quæ sunt magis à natura ordine intētionis inićta, priorē, quòd actus sit corporis talis, à priori demōstrat. Physicę enim definitiones, quę à fine sumūtur, priores sunt, sunt enim causę finales instrumentorū atq; operationum rationes: finis sanè est, cuius gratia sunt omnia, licet enim quoad nos notitia cōfusa & generali corpus organicū ex eo, quòd includat sensibilia cōmunia & propria, notius sit (ob id priùs illā tradat Philosophus definitionē, per quā ex cōmunibus ad propriā instruamur) tamē propria ratione alio ordine eadem definitio posterior est, atq; demōstratur demonstratione propter quid dicente: vtrunq; autē Arist. principio huius capitis dixit. Vnde vellem singulare Arist. artificiū vestris mentibus immotum atq; infixum sederet (mea sentētia) nō solū secundùm planum literæ sensum, priorem definitionem per posteriorem demonstrare (vt hactenus à nobis expositum est) verùm altiorem sensum (meum nisi me fallit animi iudicium) insinuare voluit profundissimus Philosophus, vt probaretur omnem animam esse substantialiter vt actum corpori coniunctam, ex hoc solùm, quòd viuendi atq, adeò essendi principiū sit, quod tex. 26. admonuimus. Quare omnes idem de anima nostra rationali intelligant oportet, quæ cùm hominibus intelligendi atque proinde viuendi & essendi principiū sit, affirmatiuè colligit, ꝙ anima nostra rationalis actus est substātialis. Eadem ratione patiq; rerum cōsecutione, qua de alijs animabus intelligimus, de nostra rationali anima minimè negare licebit, nimirū quòd actus sit substantialis corporis, vt certè à destructione consequentis negatiuè demonstratio recurrat, si anima nostra non est actus substantialis hominis, nec sit ei principiū intelligendi. Qua via dubium tex. 11. propositū omnino dissoluitur, ꝙ aīa ampliùs corporis actus sit, quàm nauta sit nauis, nimirum substantialis: aliàs anima nostra rationalis non esset intelligendi principium, neque homo substantialiter esset homo, neq; vnum ex anima rationali tanquam ex forma constaret: quod latè prosequitur S. Tho. 1. p. q. 76. art. 1. Quam ob causam Arist. 1. & 10. lib. Eth. in intellectu potissima hominis potentia atq; in eius perfectissima operatione nostrā fœlicitatē sitā esse docet: sortitur profectò vnumquoq; speciē à propria forma atq; proinde esse & operari & retrocedit. Nec obstat, neq; fieri, neq; esse animam nostrā rationalē dependenter à materia: quia hoc demōstrat, ex eo quòd non educitur de potentia materię, de foris aduenire: nequaquā tamē cōcludit, non vniri substātialiter corpori: hoc autem inde anima sortitur, quòd media quędā forma sit inter eas formas, quę prorsus à materia seiūctę sunt atq; eas, quæ merè eductæ atque à materia comprehensæ sunt: potest enim separata esse & operari

Obseruāda vtriusque definitionis cōparatio.

Autor literā promouet Aristotelis, exponens quò tēdat hęc Arist. diligentia in vna definitione aīæ per alterā demōstranda.

Argumētum cuius solutio probat animæ immortalitatem.

Animæ intellectiuæ conditio.

habere idẽ, quod corporis cõmercio ad corpus extẽditur, iuxta illud Arist. 3. lib. de aĩa tex. 39. oportet intelligentem phantasmata speculari: ob idq; ad proximi cap. finem dixerat Arist. postquam ex potentia & actu vnũ fieri docuit, mẽtem nullius esse corporis actũ, id est, eductũ à corpore aut corpori addictum: hac siquidem ratione neq; actus corporis est, neq; depẽdenter à corpore intelligit ea ratione, qua intelligere in corpore nõ suscipitur, & separata sine corpore intelligit: eius sanè actus est, cuius est potẽtia (lib. de somno, & vigil.) hac ratione virtus intellectiua nullius organi actus dicitur, sicut visus oculi inseparabilis actus est, qui operationem necessariò per organũ corporeum exercet. Est tamẽ anima nostra rationalis actus substãtialis: nã licet materiã excedat: primò, quoad fieri, quia independẽter à materia, cùm fiat ex nihilo & de foris adueniat: secundò, quoad esse, quia esse suũ est independens & separatũ à materia, sine qua subsistit: tertiò, quoad posse, facultates enim habet non receptas in corpore, sed in ipsa stantes & perseuerãtes, vt sunt intellectiuę: quartò, quoad operari, quia absq; corpore vt subiecto & organo operatur: tamẽ aĩa nostra rationalis secũdùm se & omnem sui gradũ forma est substantialis, quę excedit & trãscendit materiã: quia independenter ab ipsa est, & fit & operatur: licet enim informet corpus, indepẽdenter tamẽ à corpore vtrunq; habet & quòd sit forma substantialis & quòd nõ pẽdeat à corpore: eadem ergo anima intellectiua vnitur substãtialiter, quãuis eadẽ, vt intellectiua est, non pendeat à corpore. Et nõ oportet ob id differentem abstractionẽ ponere in animæ essentia, & in eius intellectiua potentia, non enim valet, anima nostra rationalis est vnita substãtialiter & vt intellectiua nullius corporis est actus, ergo vt intellectiua, abstractior est seipsa ·vt essentia & natura quędã est (non inquã valet) quia solùm debes inferre, ergo non est immersa materię, nec à materia cõprehensa, nec in corpore sopita, sed supergreditur & trãscendit & secũdùm suũ esse & secundùm suũ fieri, operari etiã & posse: quã quidem esse separatã deprehendimus ex ipso intelligere, ꝙ ipsa secundùm suã naturã sit à corpore independens.

Intellectiua potẽtia nõ est abstractior, quã aĩa: vide in q. de immortalitate in 2. p. 2. principalis argumenti.

Obseruãda resolutio.

Igitur neutra reduplicatiua valet, vt forma, est coniũcta, ergo nõ est separabilis: nec altera etiã, vt intellectiua, est separata, ergo nõ est forma: quoniã vtrunq; statum sortitur anima nostra: quia media est formarum inter purè separabiles & purè immersas (tex. 26. 2. lib. Phys.) legitima ergo est nostra cõmentatio, Aristotelem velle huic tacitę obiectioni satisfacere, quę ex illis verbis tex. 11. creabatur, quòd nulli⁹ corporis sit act⁹, & ꝙ obscurũ est, an sit actus corporis, quẽadmodum nauta est nauis. Vt cõtinuò igitur hanc falsam persuasionẽ à Philosophiæ studiosis remoueret, demõstrat ex eo principio apud omnes receptissimo, ꝙ anima rationalis intelligendi principium sit & quòd illa sit corporis substantialis actus: vnde esse & operari per modum actus secundi ab ipsa vt à causa formali fluunt secundùm eius essendi modùm, quia partim est coniuncta, partim separata, ita proportionabiliter operatur coniunctè & separatim. Qua in re à cæteris animabus hoc differt, quòd nostræ rationalis animæ ob eius perfectionem hæc causalitas atque actualitas (vt ita dixerim) secundùm vsum & exercitium separabiliter adest, reliquis autem omnibus animabus inseparabiliter, licet secundũ aptitudinem & potentiam omnibus (etiam rationali) necessariò competat: nam separata anima nostra rationalis pars est naturæ, quæ cùm sit propter totum, totũ ipsum affectat & desiderat. Quod considerasse, non est omnino inutile neq; superuacaneum ei quæstioni, quam lib. 5. huius de animæ immortalitate versabimus: nunc autem sat est pro nostro instituto constare, animam vnãquãq; etiam rationalem perfectionem esse materiæ secundũ esse: quanuis secundũ esse à materia nõ pẽdeat. Quamobrem (vt vno verbo dicam) si in fine pręcedentis capitis Arist. sub dubitationis forma dixit, *Si perinde corporis anima sit actus, vt gubernator nauis,* in calce huius asseuerantissimè concludit, *Inest ob hoc in corpore, atque in corpore tali,* quod est attẽtè considerandũ, vt aperta habeatur Arist. sententia contra Platonem & Auerroem & quosdã ex iunioribus, qui humanã animã non esse speciem & rationem atq; adeò actũ nostri corporis, in quo est vt actus in proprio perfectibili, vt Arist. tex. 26. corolario. 3. illis verbis, *Actus enim vniuscuiusq; in eo est, &c.* secus litera Arist. non seruaretur, qui loquitur de actu dante formaliter esse materiæ: siquidem conclusio, vt ex pręmissis deducitur, intelligenda est, ergo ex vniuersali demonstrationis vi,

Rationalis animæ propria prærogatiua.

Notanda summa.

& ex

& ex effectu deducto, scilicet esse in corpore, Auerrois deliramentum ab Arist. excluditur, atq; vera fidei & Philosophię sententia firmatur, nimirum animam nostram rationalem vniri vt actum substantialem corporis. Nisi quòd intellectiua anima hoc à cęteris differt: quia non solùm est quo intelligimus & viuimus, sed etiam ipsa est quod intelligit, vtpote quæ se sola sustinere potest operationem: vnde aliæ animæ duntaxat sunt ratio mouendi & operandi: at nostra rationalis anima non solùm est ratio intelligendi, sed etiam id, quod intelligit. Et si dicas, tunc demõstratio procederet ex falsis: quia non intelligimus anima & corpore, cùm corpus non sit organum ad intellectionem, nec intelligere sit organicum? Respondet Caietanus hîc, quòd de alijs benè procedit ratio Aristotelis, tamen de anima rationali non nisi à fortiori: quia sicut quo viuimus dicitur dupliciter, matèria scilicet & forma, à fortiori quo intelligimus corpore & anima dicetur: & si de vno solo, vt anima, dicatur id esse, quod intelligit, à fortiori ipsa debet esse ratio & principium, quo primò intelligitur. Tamen hæc solutio non videtur saluare processum Aristoteleum: ideo secundò dicit ex tex. 30. infrà cap. sequenti, quòd sicut trigonum in tetragono, ita sensitiuũ in intellectiuo: & in vniuersum antecedentes & priores formæ semper clauduntur in consequentibus & posterioribus, vbi in potentiali & virtuali esse continẽtur, vt figurarum exemplo demonstrat. Cùm igitur Aristoteles perspicaci suo ingenio videret, quòd ratio sua non ita efficaciter posset applicari ad animam intellectiuam, nec ad intellectiuum seorsum cõsideratum, mira artis consideratione conclusit de intellectiuo, quatenus claudit in se sensitiuum in hunc modum: quòd quia anima nostra intellectiua est, qua non solùm viuimus & sentimus (vt vegetatiuam & sensitiuam includit) sed etiam qua intelligimus, sicut ipsa viuim⁹ & sentimus duob⁹, nẽpe anima & corpore, ita quoq; intelligimus duobus, anima & corpore: ergo ipsa intellectiua anima, qua viuimus & sentimus, est etiam qua intelligimus, & est ratio & actus corporis, talisq; susceptibilis. Quæ solutio mihi non omnino displicet, perficietur autem cap. sequenti, vbi de vnitate formarum differetur, & in quæst. illa de immortal. vbi de hac re contra Auer-

Obseruat. ex Caietano pro demõstratione definitionis animæ.

roem disputo: nunc sat est, eam probabiliter conijcere esse Aristotelis ex eo, quòd tex. 24. in antecedenti solùm sumpsit id, quo viuimus & sentimus: tamen in consequẽti infert complete quoad omnes, illis duabus superaddendo quo intelligimus etiam, quod non casu aut sine arte factum esse crediderim. Ex quibus patet iam argumentorum solutio partim ex his, quæ nũc dicimus, partim ex expositione textus 24. & 25. quam iterum atq; iterum rogo legas candide lector, quoniam optima est, & ne opus sit eam hîc superuacaneè iteratò repetere. Nam primum argumentum in calce tex. 25. soluitur, angelus enim non est principium mouendi primum, cùm non moueat cælum, nisi secundùm quòd moueri natum est cælum: ergo priùs natura sua cælum mobile est, quàm angelus intelligatur applicari, vt ipsum moueat, imo verò non mouet ipsum, nisi quatenus cælum secundùm se & sua natura priùs & de se mobile erat. Secundum verò facilè soluetur, si aduertas, posteriorem hanc definitionẽ formalem esse, priorem autem materialem: quæ autem ex vtraq; constatur definitio neq; dialectica erit neq; vana, vtpote quæ non tãtùm per formam sed per materiam rem definiat. Quod (nisi propria me decipit opinio) Aristoteleum intentũ est, vt respondeat ad dubitationem de modo definiẽdi in proœmio propositã adducendo animæ definitionem physicam, quæ omne genus cause comprehendat, iuxta id, quod Arist. loco citato ambigebat & priùs lib. 2. Phys. c. 7. dixit. Quod tertio autẽ loco obijciebatur, tex. 25. Arist. soluebat, vt illic admonuim⁹: nam quo primò viuim⁹, quod in maiori sumitur, non est calor naturalis: quoniam ipso non primariò, sed secundariò & instrumẽtaliter, neq; corde aut capite viuimus vt prima radice & fonte vitę, sed sola anima, quę est prima radix & ratio viuendi atq; sentiẽdi, &c. Et quoniam vt contendit huius tertij argumenti confirmatio, & quòd similitudine innititur Arist. & ꝙ in minori anima est quo viuimus, videtur peti principium: vtrunq; tollit Arist. tex. 25. diuisione illa substantiæ in materiam, formam atq; compositum, vbi minorem (quã per illa exempla & similia exposuerat) probat ex dictis, principiũ scilicet quo viuimus non esse instrumentale & accidentarium, sed primariũ & substantiale, quale oporteret esse id, quo primò

Soluuntur argumenta.

Ad. 1. argumentũ.

Ad. 2.

Alia Aristotelis intẽtio in secunda animæ finitione.

Ad. 3.

Ad conf.

primò viuimus: cùm igitur ſubſtantia triplex ſit,& quo primò viuimus non eſt materia, quia ipſa participat rationem vitæ à forma, ob quam rationem neq; erit compoſitum: tertia igitur ſubſtantia erit, quæ actus & forma eſt:ergo Ariſt. ſoluit petitionem principij,& demonſtratio non fundatur in ſimilitudinibus,ſed ſimilitudo de ſciẽtia & ſanitate aſſumitur ad declarationem & manifeſtationem maiorẽ,vt qui ex proportionalibus argumentatur vt ocultiora demonſtrentur:quemadmodum ſi à corde in animalibus perfectis atq; eius habitudine ſimilem habitudinem doceas ad membra in animalibus imperfectis corde carentibus:ſic ex ſenſibilib' & notis Ariſt. colligit,quòd ſicut ſanitas corporis,ſani ratio eſt, ſpecies atq; actus,ſic ſciẽtia in anima & anima corporis ipſius ratio & ſpecies atq; act' eſt.Proceſſus enim Philoſophi naturalis nõ debet à ſenſibilibus omnino recedere,quia nec abſtrahit à materia ſecũdùm eſſe vt Metaphyſicus,nec ſecundùm cõſideratiõẽ vt Mathematicus. Et ne vitioſus eſſet demonſtrationis proceſſus,quod explicat tex.25. ſubſtantialem actum eſſe:id tex. 24. in ipſa demonſtratione per aduerbium illud, Primò,intellexit:nam quo primò viuimus nõ poteſt non eſſe ſubſtantia. Ideo tex. 24. ex eo quòd anima noſtra rationalis eſt quo primò viuimus & ſentimus, infert pro cõcluſione,eſſe quo primò intelligimus:hanc ob cauſam in antecedenti nõ expreſsit niſi duo munia vegetãdi & ſentiẽdi, tamẽ in concluſione tria,dũ illis addit & intelligẽdi,vt deinceps in tex.25.&.26.animam noſtrã actũ eſſe ſubſtantialẽ doceret. Hac ratione indiſtinctè vſus eſt ꝓ ſubiecto & minoris & cõcluſionis anima in ſe formaliter:hoc etiam docet vniuerſalitas demonſtrationis, & illi effectus & cauſæ,quę tex.26. appoſita ſunt.

Obiectio eleganter ſoluitur, ſcilicet animã eſſe principiũ prius natura, quã eſſe actũ corporis &c.

Sed contra vniuerſam noſtram commentationem atq; quæſtionis huius deciſionẽ argumentum eſt,falſum eſſe,quod aſſumptũ eſt tanquam notum, ſcilicet animam eſſe actum corporis poſterius eſſe hoc,quod eſt animam eſſe principium quo viuimus,&c. nam cùm eſſe actum corporis ſuperius & communius ſit,naturaliter prius erit: & ita dicebamus per actum animam definiri, tãquam per aliquid commune ad omnia animæ prædicata. Quatuor enim gradus animatorum in hoc vno conueniunt, quòd ſunt per actum corporis phyſici, non tamen omnes gradus in eodem proprio principio viuendi conueniunt: aliud enim eſt pro vegetatiuo, aliud pro ſenſitiuo, aliud pro intellectiuo,vt ex dictis patet,&c. Pro ſolutione recole quę cap. præcedẽti in quęſtione & examine de alia animę definitione dicta ſunt, maximè. 2. &. 3. notabili, & reperies quomodo eſſe principium viuendi prius eſt, quàm eſſe actum: quoniã prius anima intelligitur in toto, in quo primùm eſt ipſum eſſe, quàm intelligatur actus corporis: totum enim ſimpliciter prius eſt ſuis partibus,quia etſi partes priùs ſint in genere cauſæ materialis, totum prius eſt in genere cauſę formalis & finalis: ideo actus corporis reſpicit materiam,od id prior definitio materialis eſt: at principiũ viuendi reſpicit totũ,quod ſe habet vt forma partium,ideo poſterior definitio formalis eſt: ſicut enim operatio priùs eſt totius compoſiti, ita eſſe principium operationis per totum compoſitũ:ergo non coincidunt iſtę definitiones,nec Ariſt. aliquod vitium committit. Quare qui hoc non penetrant, dicunt, iſtam eſſe notiorem quoad nos ex operationibus,cùm tamen Ariſt. principio huius capitis tex.12. dicat ex prioribus velle eam demonſtrare,& ita comprobat illo exemplo de quadratione circuli,ſecus non benè explicaſſet,nec ſuam ſententiam tueretur:eſt ergo principium quo viuimus ſicut lumen principium,quo aër tranſparens eſt. Idcirco ſi prior diffinitio explicat animam vt materiæ perfectionem(quo modo antecedit in genere cauſæ materialis,vt partes ſunt priores toto) poſterior in genere cauſæ formalis, quæ ſimpliciter eſt prior (quo modo totum prius & notius)ideo ex hoc quòd anima priùs in toto conſpicitur, principiũ operandi naturę ordine poſteriùs conſequitur,vt ſit actus corporis. Imo verò quanuis cauſa efficiens & materialis priores ſint ſuis effectibus,non tamen formalis & finalis,vt Ariſt. fatetur. 12. Met. tex.16. quoniam forma non concurrit efficiendo ſed terminãdo,vt albedo non facit albũ effectiuè,ſed albefactionem terminãs & actũ alterationis,idem eſt ſanari & ſanatum eſſe, illuminari & illuminatum eſſe:ergo eſſe totum(quod eſt effectus formalis formæ) ex eo ꝙ eſt effectus formalis,nõ eſt poſterius, ſed ſimul cum forma,& cum hoc animam eſſe principiũ viuẽdi in genere cauſę formalis,cauſa eſt,quòd ſit actus corporis talis,vt dictum

Sũma doctrinæ.

Cauſa formalis ſimul eſt cũ ſuo effectu,ſuprà cap. præcedenti in quæſtione in ſolutione ad.3.

dictum est: etenim vnumquodq; est propter suam operationem. 2. cæli.tex.17.ad quam vt ad actum & perfectionis complementum ordinatur vt ad finē. Quod si non percipis, accipe alium modum dicendi, qui re idem est, licet nonnil videatur differre verbis, quæ tibi clariora fortasse erunt: scilicet quòd etsi esse actum corporis sit prædicatum magis commune, tamen esse quo primò viuimus, est prędicatum immediatius: ob id esse actū corporis ponitur remotiùs pro maiori extremitate, esse autem quo primò viuimus, pro minori, quod immediatiùs inest aīę; ideo hęc definitio secūda ad priorem comparatur, vt propria ad communem. Dicendum, quòd cùm Arist. non simul vt vnum medium, sed sigillatim quodlibet horum, quo primò viuimus, quo primò sentimus, quo primò mouemur, quo primò intelligimus sumat, non tamen ita stat, vt singulis animabus per se priùs conueniat esse principium quo primò viuimus, aut quo primò sentimus, aut quo primò intelligimus, &c. quàm esse actū primum. Ratio hui9 rei est, quam modò inducebamus: quia quorūcunq; duorum essentialiū prædicatorum, quorum vnum magis, alterum minus commune est, licet magis commune natura prius sit, minus tamen commune immediatius est. Sume tibi, verbi gratia, animal & rationale, quæ duo prædicata de homine dicuntur, animal tamen priùs, rationale verò immediatiùs: sic igitur in proposito, esse actum primum, quia communius, prius est, tamen esse principium quo viuimus, immediatiùs. Quare istud est proprium principium & ratio, per quā à priori demonstratur, non mediatè tanquam per causam remotam, sed immediatè tanquam per causam proximā, vt Auerroes tex. 12. huius dixit, quòd definitio hæc ad priorem comparatur vt propria ad communem, & rectè: quia demonstratio per istam definitionem est per causam propriam & per propria singulis animæ partibus, iuxta documentū Arist. 2. lib. Phys. tex. 38. & 5. Met. tex. 3. quòd vniuersalia vniuersalibus & particularia particularibus reddenda sunt. Ex quo colligitur, quòd sicut reddēdo propria proprijs sequitur benè à priori, est principium quo viuimus & quo sentimus, ergo est actus corporis talis sensitiui scilicet: pari quoq; ratione referendo vniuersalia vniuersalibus sequitur, est principium quo viuimus (sumendo viuere in communi, vt suo ambitu iuxta Caietanum omne vitæ genus comprehendat) ergo est actus corporis physici organici potentia vitam habentis. Itaq; ex hoc quòd anima, vt anima, principium est vitæ, assignatur generaliter causa, cur actuet & informet corpus vitæ capax: ex eo autem quòd talis anima est, scilicet principiū vegetationis, sensationis, aut intellectionis, causa redditur eius, quòd sit actus talis corporis vegetatiui, sensitiui, aut intellectiui. Quare vtcunq; sumatur principium in textu, semper est demonstratio à priori causa propria & proxima, cōtra Platonem & cæteros antiquiores relatos ab Arist. 1. lib. de Anima tex. 51. 52. & 53. qui diminutè admodum de anima tractabant, quid esset in se, non tamen in ordine ad corpus: & ideo nec disiunctim intelliges, vt sint quatuor definitiones, cùm non sint nisi tres tantùm animæ: nec coniunctim, sic esset vna omnium animarum communis definitio, & tamen propria inuestigatur hoc loco, aut solius rationalis animæ definitio esset: quia hæc sola est omniū illarum vitalium operationum principium. Medio igitur modo dicamus ea distinctionis accommodatione, vt cuiq; animæ propria attribui videantur, acsi quęuis illarum seorsum per se definiretur, in quibusdam principiū tantùm viuendi, in alijs præterea & sentiēdi, adhuc in alijs secundùm locum mouēdi, in nobis tamē vlteriùs & intelligendi: quia in posterioribus priora cōtinentur: sic colligēdi ratio est per optimā demōstrationem, ꝙ cōmune est ex communibus, proprium autem ex proprijs & secundū ꝙ ipsum.

Corolariū toti9 quęstionis resolutiuū.

Diligētia Arist.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum omnis anima sit indiuisibilis.

Tituli sensus.

Secundo loco quæstio sequitur altera meo iudicio omnium difficillima & maximè necessaria, quam omnes tangunt, plerique tractant, pauci tamen pro dignitate absoluunt: an verum sit id, quod ex Arist. tex. 20. ex illis verbis, *Actu quidem in vnaquaque planta est vna, potentia verò plures*, deducebamus, animam esse totam in toto & totam in qualibet parte atque adeò indiuisibilem? an potiùs hæc indiuisibilitatis prærogatiua soli animæ rationali pro sua nobilitate & præstantia

competat? Quam quæstionem Granatensis verbis exquisitis mouet, prolixis tractat, cùm(mea sententia)ad rem eam soluere nō videatur. Idcirco nostro more, quo fieri poterit, breuiùs & dilucidiùs rem expediemus: vtinam tam fœliciter, quàm optamus, res ipsa cedat: non enim parum erit, ex tot autoribus difficilem, sed variè tractatam, quæstionem ita haurire, vt dilucidetur: obruitur in primis veritas multitudine opinionum.

1. opinio. ¶ Esse siquidem animas indiuisibiles locus ille Arist. atq; verba textus ostendunt: vnde mouetur Marsilius Ficinus lib. 1. de Platonis Theologia cap. 3. & lib. 8. cap. 1. & quia Plato tenuit animam non esse corpus, quem Platonici sequūtur. Præterea fidem facere videtur, quòd non tantùm plantarum ramusculi, verùm imperfecta animalia conuulsa viuunt: primo etiā cap. de senectute dicitur, & lib. 1. de generatione cap. 5. nostris commētarijs asseruimus, augmentationem fieri ratione formæ: quoniam eadem forma in maiori materia adgeneratur, quòd si non esset eadem & indiuisibilis, non fieret profectò secundùm partes formales augmentatio.

2. opinio. ¶ Opinatus est Petrus Pomponatius libello de augmēto cap. 11. & libello Commētatoris de substātia orbis cap. 1. cum Cleāte & Chrysippo, atque adeò cum vulgaribus omnibusq; antiquis, qui lib. 1. cap. 5. animam corpus faciebāt: vide à tex. 72. animam omnem excepta rationali diuisibilem esse. Quam etiā temerè Cleans atque Chrysippus diuisibilem posuêre: tum, quòd in filiorum generatione generetur, argumento est, ipsam esse corpoream: tum etiam, quia tangit corpus ex eo, quòd separatio mortem facit: tactus autem sine corpore non est. Hanc Arist. reiecit tex. 26. quia est actus corporis, corpus autem non est in corpore: nam vnum non est in altero, nisi vnum se habeat vt actus, alterum vt potentia(suprà tex. 7. 1. p. q. 75. art. 1. 2. cōt. gent. cap. 65.) aliàs corpus esset in corpore & duo corpora simul, quæ sunt absurda: vide alias rationes Arist. suprà lib. 1. tex. 90. &c. 8. Physi. tex. 3.

3. opinio. ¶ Tertio autem loco Magnus ille Albertus. 2. lib. de anima cap. 7. quem eius discipulus D. Tho. sequitur in summa. 1. p. q. 76. art. 8. mediam cum suis asseclis temperauit opinionem, quæ peripatetica est, vegetatiuas videlicet esse diuisibiles, rationalem indiuisibilem, animalem autem mediam, vt locus Arist. 1. lib. de iuuētute & senectute habet cap. 1. esse numero vnam eandémq; ratione plures ac diuersas esse, necesse est. Tamen quia primam opinionem amplecti debemus, eiusq; cōclusionem probaturi sumus, operæpretium fuerit, si priùs rei difficultatem proposuerimus, vt nodum intelligentes solutionem quæramus. Principiò vegetatiua diuisibilis est, vt experimento compertum est: ergo cùm in brutis sensitiua & vegetatiua eadem anima sint, atq; in homine eadem cum intellectiua, consequens est, illas esse diuisibiles: quoniam idem sunt cum vno tertio, quod diuiditur. 1. argu.

Confirmatio. Aut ex opposito sequeretur, nos non esse formaliter corporeos nec diuisibiles: fieri enim nequit, vt nos aliquam recipiamus denominationem nostræ formæ atque animæ repugnantem.

2. argu. Rursum si anima esset indiuisibilis vna & eadem in toto & in qualibet parte, in digito tota esset forma & eadem quæ in toto: ergo sicut totum est homo, ita & digitus, qui & homo & animal erit, cùm sit substantia corporea rationalis, quo nihil esset absurdius.

Conf. Sequeretur enim, hominem ex infinitis animalibus cōstare, aut tot sanè, quot partibus componeretur, siquidem in quacunq; parte tota anima est.

3. argu. Prætereà, si tota anima in toto est & tota in qualibet parte, ergo sensus omnes atque cæteræ potentiæ, quæ animæ essentiam sequuntur, in qualibet parte essent, atque adeò esset visiua in pede & auditiua in oculo.

Conf. Sequeretur etiam, quòd destructa parte totum periret, nimirum quòd anima desinat esse, quæ tota in illa parte erat.

4. argu. Tandem sequeretur, animam motibus contrarijs moueri: nam simul vna pars hominis sursum eleuatur, & altera deorsum deprimitur: ergo cùm anima eadem sit in illis duabus partibus, simul motibus contrarijs mouebitur.

1. principio, quid totum & quotuplex. Vt igitur præsens quęstio ex suis soluatur & definiatur principijs, & vt semel teneamus, quod sit philosophicis principijs magis consentiens, primùm omnium id, vnde aratrum pendet, enucleetur oportet, nimirum quid totum atque quotuplex sit proponamus: nam cùm nomen multiplex sit & ab autoribus non distinguatur, non modicam huic rei obscuritatē adiecit.

Totum et perfectum differunt. Totum igitur (vt. 3. lib. Physi. tex. 64. dicitur, & vt. 1. cap. 1. de Cælo diximus) est, cui nil deest, & nihil extra se relinquit, & idem est ꝙ perfectū, à quo sola ratione separatur, vt totus

totus homo, totus puer: non tamen dicimus totum angelum, cùm totum dicatur respectu partium, & angelus partib⁹ careat: dicitur sanè perfectus homo, perfectus angelus, non tamen perfectus puer: nam perfectum dicitur, quod ad finem vsq; peruenit. Vnde anima nostra rationalis licet indiuisibilis sit, nil tamen obstat, vt tota atq; perfecta dicatur: tota quidé, quatenus ex suis partibus potestatiuis constat: perfecta verò, vt suæ speciei est adepta vltimam perfectioné: igitur sub nomine totius posthac est nobis de ipsa loquendum. Quare cùm omne totũ ex partibus sit, omne autem, quod ex partibus constat, diuisibile est: tot diuisionis genera, quot totius intelligere debemus: idem enim est diuisibile quòd totum, quoniam diuisio est totius in partes distinctio: tot ergo diuisiones, quot genera totius. Quę multifariàm dicuntur, Primò, totum atq; diuisibile, quod in partes graduales diuiditur vt qualitas intensa, de hoc nõ est sermo in pręsenti: Secundò, quòd in partes integrales & quantitatiuas, vt cõtinuum & corpus, quod in partes quantitatis secatur: Tertiò, quòd in partes essentiales vt physicum corpus, quod in materiam & formam distribuitur: Quartò, totũ esſetiale, quod in partes quidditatiuas resolubile est, vt totum definibile atq; metaphysicum, quod in genus & differentiã resoluitur: Postremò, ꝙ in plures potentias partibile est, vt totum potestatiuum siue totũ potentiale, quod ad diuersas operationes perficiẽdas plures habet potẽtias. Quinq; autem hi modi sufficere mihi videntur, nam si qui sunt alij, ad hos reducuntur, qui nostro instituto sufficere vidẽtur. Quare quot modis totũ dicitur, totidem diuisibile dicitur: atq; adeò animam nostram diuisibilẽ esse in partes rationis & diffinitionis, nemo ambigit, nec de eo cõtrouersia est: præterea in partes potestatiuas diuiditur, & totum est potentiale, quia multiplex est potẽtijs: non enim anima est in materia tantùm propter esse, sed ꝓpter operari. 2. cæli tex. 17. & 4. de gene. animal. cap. 1. natura simul instrumẽtum & facultatem confert, ne vnũ sine altero sit otiosum: ergo materia sic accommodatur ad actum essentialé recipiendum, vt possit operationes suas perficere: ideo varijs facultatibus prędita & varijs distinguitur organis: nimirum quia organica potentia in proprio organo, vt in propria officina, proprias fũctiones absoluit, & per diuersa organa diuersa exercet munia. Animam ergo quamcunq; diuiduam esse, potentijsq; multiplicem ex ipsa sua fimtione constat: quia actus organici corporis in potentia vitam habentis, & ita videmus ipsam multis sensibus externis seorsum distinctis prędıtam esse. Quarto & quinto modo nullus est qui ambigat, ab omnibus enim concessum est: at primo modo partes graduales habere, à nemine assertum video: nam non tantùm anima, sed in vniuersum omnis substantia intensione & gradibus vacat: & prætereà in partes essentiales minimè distribuitur, cùm solùm sit forma, non tamen ens naturale ex materia & forma cõpositum. Cùm ergo constet, animam non esse totum physicum ex materia & forma constans, & sit totum essentiale vt definibile atq; totum potentiale: ut controuersia enim ponitur, si sit totum integrale ratione quãtitatis, vt totũ secundo modo sumitur.

Quincuplex est totum.

Indiuisibile dicitur quot modis totum.

De quo toto & indiuisibili sit sermo.

Superest igitur, vt quæstio solùm de secũdo modo sit intelligenda, an scilicet anima totum quoddam integrale sit diuisibile in partes integrales & quãtitatiuas? ita ꝙ omnis anima corporea sit, & sicut substãtia corporea quãtitatis capax: ideòq; nõ quæritur, an sit omnis anima formaliter diuisibilis sicut quantitas, de quo ambigendum nõ est: hac enim ratione sola quantitas formaliter & essentialiter diuisibilis est. Etenim quantitas sola inter accidentia capax est suæ formalis denominationis, vt etiam in abstracto formaliter sit diuisibilis: vnde ad subiectum est mensuratiua & affectiua, quæ non est passio (vt in prædicamentis multi garriunt) sed forma & essentia quantitatis in ordine ad subiectum: habet ergo hęc duo, quia est substantię simillima & propinquissima: explicatur primo modo vt diuisibilis in se, qua substantiam refert, vt docet sacramentum Eucharistiæ: mensuratiua autem, vt est affectiua substantiæ. Ideo istæ duæ rationes vnam complent quantitatis essentiam, & ex his duobus circunloquimur vnam quantitatis notionem, vt in: & ad: in prædicamento ad aliquid non tam sunt duo modi, quàm vnus per duos explicatus: atq; species tam habitudine ad superiora quàm ad inferiora species est (vt Porphyrius in prędicabili de specie asserit) ergo similiter quãtitas in se est diuisibilis, & substãtiam ipsam mẽsurat, vnde ratione quãtitatis substãtia ipsa diuidatur.

Quæstionis sensus exponitur.

Quantitatis ratio formalis ex diuisibilitate, & mensurabilitate.

Summatim quæstionis sensus exponitur.

Sed dubitatio est, an sit anima subiectum quãtitatis atq; adeò corporea, ita vt saltem per accidens sit quanta, vt forma ignis? & si diuisione ipsius quantitatis pars animæ diuidatur etsi non per se, saltem per accidens, vt sicut est corporis sectio, ita sit ipsius animæ per corporis partes, an vero indiuidua sit tota in toto in qualibet parte existens, an ita ab ipsa quantitate mensurata & extẽsa, vt à quantitate, loco & situ desiniatur & diuidatur, vt continuum, quod erat actu vnũ, fiat diuisione plura? In hoc enim sensu quę posuimus argumenta difficultatem ingerebant: nam cùm omnis anima etiam rationalis in subiecto quanto atq; corporeo & diuisibili suscipiatur, erit & ipsa etiam saltem per accidẽs diuisibilis, cùm omne, quod recipitur, admodum recipientis recipiatur: aut sanè totus homo non erit formaliter diuisibilis, quantus, neq; corporeus, neq; de genere substantiæ corporeæ, cùm eius forma, quæ dat esse, corporea non sit: & si diuideretur, fieret ex diuisione plures, sicut de plãtali dixit Arist. Ob quam rationem Bacho. 3. lib. Sent. dist. 19. q. vnica formã corporeitatis posuit, vt homo quantus esset & diuisibilium accidẽtium capax, quę in anima nostra natura sua indiuisibili nequaquã recipi possent. Quo fit, omnibus etiam conuentre, animam indiuiduam esse in ratione essentiæ & totã in toto & totã in qualibet parte: nam & hanc indiuisibilitatem omnes cõfitentur de quacunq; forma naturali siue substantiali siue accidentali, quæ confert toti esse, non parti, vt ipsa anima, dicuntur etiam actus totius: in modo autem est differentia, quia anima non æqualiter totum & partes respicit, sicut formæ aliæ naturales: propter quod sit alterum principium.

Declaratio quæstio nis sensu, cius difficultas ingrascit.

Bacho de forma corporeitatis.

Conclusio cõmunis, quãcunq; aiam ratione essentiæ totam esse in toto, et quãlibet parte, 1.p. q. 76. ar. 8.

Principiũ secũdum.

Idcirco sumendum alterum principium est, nempe triplex esse formarum genus, quædam sunt merè naturales, quę cùm infimæ sint, omnino à materia comprehenduntur, vtpote quæ nõ solùm materiam informent, sed inhæreant, nulláq; ratione supra materiam eleuẽtur, vsqueadeo vt nil ampliùs quàm materia esse videantur: huiusmodi sunt lapides & ligna & in vniuersum inanimata omnia, quorum formæ ex æquo, quantum est ex parte sui, totũ & partes æqualiter respiciunt vt totum & adęquatum perfectibile: indifferẽter tamẽ & absq; vllo discrimine aqua sub pedali est atque sub semipedali quantitate. Semper enim minus minimo excipio, cùm certa debeat esse materiæ portio (vt. 1. Phys. tex. 36. Arist. contra Anaxagoram arguit) quia in minimo naturali forma per accidens ita est in toto, vt non posit esse in parte, quia non habet debitam quantitatem, non ex ratione organi, sed minimi naturalis: aĩa enim etiam supra minimi quantitatem non pòtest esse, nisi in adęquato perfectibili: quare nec mutilum nec mancum nec truncum lapidem propriè dicimus: at viuentia his nominibus appellamus. In altero autem extremo aliud est formæ genus, quod neq; secundùm esse nec secundùm operari à materia comprehenditur, ob idq; inæqualiter totum & partes respicit: cuiusmodi est nostra intellectiua anima, quæ pro suæ dignitatis & perfectionis præstantia ita sibi totum vendicat perfectibile, vt in parte tanquam in susceptiuo permanere nequeat, nõ solùm in parte per modum totius perfectibilis non subsistet, sed neq; per modũ partis neq; primò neq; ex consequẽti erit. Quo fit, mutilum esse corpus atq; mancum sine pede aut brachio: nimirum quòd anima im perfectum & partiale, non totale & integrũ perfectibile informet. Totum enim propriè dicitur, in quo ex omnibus partibus simul acceptis fit vnum perfectum: quare totius perfectio nulli partium competit (vt Arist. 5. Met. tex. 31. docet) & quòd aqua non dicitur tota: quoniam nõ habet partes actu & ratione differẽtes, & quia pars aquę non minùs totius rationem sortitur, quàm ipsum totum. Vnde loco citato. 5. Met. tex. 32. asserit Arist. colobõ (id est, truncum, defectiuum) toti opponi. Cæterùm vt aliquid dicatur defectiuum, nonnullas exigit conditiones, inter quas vna est, quòd partes habeat dissimiles: nam homogenea vt lapis aut aqua non dicũtur trunca & imperfecta, cùm ratio totius in qualibet parte saluetur. Ethereogenea autem & quę sunt dissimilis rationis, auulsa parte etiam non principali, truncum, imperfecta atq; adeò colobon dicuntur: vnde colobon totum integrale debet esse ex dissimilibus partibus constans, quod parte non substantiali corrupta in aliqua extremitate (vt pede aut nare aut aure) quæ non regeneratur (vt capillus & vngues) diminutum atq; imperfectũ manet, quod est signum, respicere totum atq; perfectum perfectibile vt adęquatum subiectum, non tamen partem. Aliud autem genus

1. infimæ formæ genus.

Nota de minimo naturali.

2. & supremũ formæ genus in alio extremo.

Quid totum.

Nota de colobon.

3. formæ genus medium. genus formæ medium est, quod altiùs supra materiam eleuatur quàm primum, à qua ampliùs comprehenditur quàm secundum: quoniam primum formæ genus non se attollit & quasi per materiam dilatat, vt augmentationis modus ostendit in viuentibus, in quibus ex eo quòd partim æqualiter, partim inæqualiter respiciunt totū atq; partes, totum quidem vt primum simpliciter perfectibile, partem verò vt secundariū & secundum quid: huius gradus sunt vegetatiua atq; sensitiua anima, quę quanuis totum sibi vendicent, tamen in partibus saluari videntur, vt Arist. hoc cap. experimentis apertissimis probabat. Sed est adhuc inter has differentia atq; sua etiam latitudo, *3. genus formæ in duos secatur: quia vegetatiua differt à sensitiua.* cùm vegetatiua in partibus secundùm quid & virtualiter duret, nimirum quòd in partibus maneat virtualiter totum corpus organicum, cuius anima est posita actus, ob id perseuerat & durat in parte: cùm tamen in sensitiua etiam in imperfectis animalibus & in insectis (de quibus paulò antè loquebamur) in partibus non maneat secundùm totam rationem particularem, cùm subiectum nec formaliter nec virtualiter perfectè organicum maneat. Quam ob causam pars illa auulsa in imperfectis & in insectis animalibus, quanuis sit sensitiua, nō est simpliciter totum & animal eiusdem speciei: negare tamen nō possumus, nisi ineptè sensibus ipsis aduersemur, esse animal secundum quid. Neq; prohibet, sensitiuam illam animam esse in corpore illo atq; parte, quæ nec est formaliter nec virtualiter organica, propterea quòd est in illa tanquam in proxima via ad corruptionē: nam si insecti animalis pars abscissa viuat, signum est, quòd fiat alia anima actu, sicut continuum, quod erat potentiâ plura, cùm diuiditur fit actu plura, & sic sunt diuiduæ animæ & extēsæ istæ formæ & animæ: siquidem sola sectione ex vno prodeunt plura, tamē, quia emergunt mutila & manca & imperfecta, signū est, per accidens id fieri: quia per se non manet in partib⁹ vitæ principium nisi via corruptionis. Et ita intelliges quæ Arist. 4. de partib. animal. cap. 5. & 6. dicit, quòd habeat multiplicem rationē principij: in plantis etiam anima plantæ differenter totum & partem respicit, & sic dissimilis est ad totum & ad partes habitudo. Displicet profectò quod. 1. p. q. 76. art. 8. loco citato Caietanus asseruit, partē illam animatam totū *Caiet. reijcitur.* quoddam esse & non quoddam totum animal: est in primis contra Arist. & deinde cōtra manifestam experientiā: sentiunt nāq; si tangantur. Quare minus absurdum videtur, si animal eiusdem speciei dicamus imperfectum & quod iam corrūpitur. ¶ Hinc profectò ianua est atq; via nobis aperienda ad quæstionis propositæ solutionem: nā hanc distinctionem ob id Arist. nobis insinuauit, cùm dicebat in calce huius c. 2. formam non esse in quocunq; subiecto, sed in determinato esse patiente, sicut perfectio in perfectibili & actus in potentia veluti in proportionato, integro, primo & adęquato perfectibili, quod ob has rationes vnū erit & per consequens indiuisibile. Aduertendum rursus est, animas omnes hanc differē- *3. principii, quod est cōclusio quæstionē soluens.* tiam ex indiuisibilitate sortiri, quæ in causa est, vt diuerso modo materiam respiciāt: quare solæ illæ formæ, quæ ęquabiliter materiam ipsam respiciunt & informant tam secundùm totum, quàm partem (ita vt non minùs perfectè in toto ac in parte se habeant & permaneant) censendæ sunt absolutè diuisibiles & extensæ diuisione & extensione subiecti, quales sunt omnes formę rerum inanimatarum. Animæ tamē omnes iuxta gradus suos indiuisibiles sunt, ex eoq; à posteriori ostēdemus quòd experiamur, *Notanda ratio conclusionis.* non vno & indifferenti modo partes ac ipsum totum respicere, quòd formæ naturales nec differentem nec dissimilem habent habitudinem, actuationem, essentiā & operationem in partibus ac in ipso toto, ideo similem habēt dispositionem, quare sectione in partibus conseruantur: non sic de animabus, quæ in partes abscissæ iam in via sunt ad corruptionem. Hinc enim colligimus, vnamquanq; animam esse indiuisibilem respectu & habitudine ad adęquatum, proportionatumq; & vnum susceptibile: quoniam indiuisibilitas animæ causa est illius habitudinis atque conditionis, siue vt per se primò totū respiciat. Quęuis ergo animæ species tota est in toto & tota in qua- *Obserua hos terminos, si propriè loqui cupis.* libet parte, positiuè totalitate essentiæ, negatiuè totalitate quantitatis in toto: quoniam licet secundùm essentiam in quauis parte habeat omnia prædicata essentialia, non tamen habet denominationem per se nisi in toto, quia hoc totum est per se susceptiuum, integrum & adęquatū: ergo ex accidenti sunt per quantitatem extēsæ & diuisæ in partibus ipsius susceptiui, in quibus

diminutè & imperfectè sunt: secus habent formæ elementorum & omnium inanimatorum, quę omnino indifferenter in toto & partibus ęquabiliter, & non minùs perfectè sunt: in quouis autem animatorum genere inadęquatè sunt, mutilè & mancè: quod euidens est signum, animam vnamquanq; requirere indiuisibiliter certum susceptiuũ (eadem verba videor de proposito repetere, vt res difficilis pluries iterata clarescat.) Quod vt apertiùs intelligas, concede mihi oppositum, videlicet quòd ad diuisionem totius ipsa anima per se diuidatur, vel saltē per accidens siue per aliud: tunc sanè inferam absurdum, partem scilicet animæ parti materiæ ita respondere & proportionari, sicut tota anima toti materiæ, vt de primo gradu formæ dicebamus: quare in quacunq; parte quantitatiua animæ esset tota essentia animæ: non igitur haberet anima secundùm rationem suæ essentiæ diuersam habitudinem & ad totum & ad partem: siquidem non minùs partem quàm totum vt totum perfectibile respiceret, quod est cōtra Arist. locis citatis, atq; cōtra ipsam Philosophiam & animæ rationem, quæ corpus physicum & organicum, vt totum quoddã atq; adęquatũ perfectibile respicit: in parte igitur est tanquam imperfectus & inadęquatus actus, quod est signũ, ipsam exigere atq; suapte natura exposcere totum quoddam vt vnũ & indiuisibile atq; ipsum perfectum susceptiuum, & ita vnum, vt per diuisionē deficiat ab vnitate atq; adeò ab indiuisibilitate, quæ animę propria est, in vno adęquato perfectibili esse vnum adęquatũ actum. Scio plerisq; Peripateticorũ videri, hâc sententiã alienã esse ab Aristotelis schola, qui docuit cor primam esse sedem vitæ libro de animal. motu cap. 7. animal ita nos existimare debemus ac ciuitatem, in qua non oportet principem rebus singulis, quæ geruntur, interesse, sed quisq; suis officijs fungitur, prout mandatum est: non oportet ergo in vnoquoq; membro animam esse, sed in certo principio, vnde viuant & sua obeant munia: sed tamē loquitur Arist. nō de vi animæ, eiúsq; actu essentiali, sed de vi motiua, de qua erat suscepta disputatio (sic enim sunt accōmodatè ad rem, de qua agitur, interpretanda testimonia: quod facit S. Tho. 3. cont. gent. c. 72. &. 1. p. q. 72. art. 1. ad. 1.) ipsa ergo in toto & adęquato perfectibili adęquatè inerit: econtra verò inadęquatè & diminutè erit in parte eius, licet in corde prima prodeat operatio vitæ: quoniã natiuus calor, qui vitæ est principiũ, ibi sedem suam constituerit: significat ergo ibi esse sedem & originem omnis vitæ, non tamen loco & subiecto distingui, quod Platoni fuit visum. Nostræ prætereà conclusioni familiaria adminiculantur experimēta. Primum, quòd forma extensa & omnino diuisibilis (quales sunt quę ad primum gradum & genus formæ pertinent) per solam diuisionem non desinit esse in parte decissa & auulsa, sed duntaxat illa partitione fit, vt id quod erat in potētia, fiat in actu, & quod cōiunctum sit separatum, atq; quod vnũ erat, sit plura. Quo fit, vt si hæc est illarum formarum natura, & opposita prorsus sit animarum conditio, à destructione consequētis huius iam nunc positę consequentię arguo, si sola diuisione corporis anima nō potest retinere eandem speciem atq; rationē actus, non igitur extensa & diuisibilis ad diuisionem subiecti: nam quod est natura sua diuisibile, sola diuisione non perit: est igitur anima in toto perfectibili adęquatè tanquã in vno indiuisibili, quod si diuidatur, iam totum & vnum perfectibile non manet: quia propriè non est totum, cùm partes in ipso sint in potentia totum: necesse ergo est, se habeant indiuisibiliter, vt in vno perfecto & adęquato subiecto. Deinde quando forma extensa est, semper in maiori molle maiorem videmus magnitudinem geri (vt. 8. lib. Physi. tex. 80. &. 1. lib. de Cælo cap. 8. Arist. probauit) at oppositum in animalibus videmus, quòd in maioribus secũdùm latitudinem suæ speciei minor geritur virtus & debiliora sunt: quoniam habent incommensuratam magnitudinem suæ formæ, quæ tamen in rebus inanimatis cresceret: Signum igitur est, animam minimè ad fouendum & administrandum illud corpus sufficere, non est igitur diuisibilis anima: quod etiam de alijs pręter intellectiuã sentiēdum est, quæ suo in genere atq; modulo inextensæ sunt: ideo rationes communes sunt & in vniuersum colligunt de omnibus animabus. Ampliùs contendit Caiet. loco citato, animas per se & per accidēs indiuisibiles esse secũdùm essentiam: at secundùm potentias diuidi atq; extēdi, cùm sint qualitates corporis accōmodatę, quę ex distinctione perfectibilium colligit. Hinc clarum est & loco tertiæ rationis subseruiet, quod

Vrget incommodo suo.

Quorundam sententia repulsa.

Ab ipsis experimētis rationes ducte.

2.

Caiet. 1. p. q. 76. artic. 3.

Corolariũ de modo auctionis vnde pro cõclusio-ne noua sumitur ratio tertia, eaq; efficacißima

quod. 1. lib. de gene. cap. 5. de modo auctionis diximus: quod q; & ad hunc & ad illum locum interpretandum facere videtur, nimirum augmentationem (vt eo loco interpretati sumus cap. 5. tex. 36. &. 37.) secũdùm partes formales fieri: maximè quoniam hæ formæ hac earum exposita ratione & indiuisibilitate supra materiam sese efferre & attollere possunt, ita vt in maiori materia eas adgenerari non repugnet: ob indiuisibilitatem ergo formæ prouenit, vt augmentatio secundùm formam fiat: quoniam illa vna & eadem à principio ad finẽ vsq; augmentationis perseuerat, quæ dum perfectius nanciscitur susceptiuum, eadem illa vna forma occupat & informat: siquidem augmentatio est quantitatis maioris acquisitio, vt forma sui perfectibilis primi & adęquati debitam assequatur magnitudinẽ: quod lib. 1. de gene. cap. 5. tex. 36. significat, cùm augmentationem docet fieri in exemplo vtris, qui vicem habet mensurę & formæ continentis: ideo docebamus ibi tex. 35. augmentationẽ fieri secundùm formam, quæ eadem permanet, atque adeò secundùm totum, quod etiam idem & vnum manet. Quod in ignis ex ligno continua generatione non cõtingit, cùm ibi non sit formæ pręexistentis dilatatio & expansio, sed nouæ productio: antiqua enim illa, quæ in primo minimo producta est, in suo erat adęquato perfectibili: nil erat, ob quod quasi per subiectum migrando, eadẽ illa in materia fieret maiori, & maius corpus occupare cogeretur. Quæ doctrina sana est atq; planè philosophica, quæ ex Arist. atq; ex eius tam Græcis quàm Latinis interpretibus deducitur: quæ prætereà pro augmẽtationis ratione notanda est, nam causam, cur ipsa sit, reddit: quę omnia posteà in capite. 4. dilucidiora fient. Dices tamen, hæc soli nostræ animæ rationali posse competere: nam cùm sola illa non educatur de potentia materiæ, sola est inter animas, quæ à materia non pendet, atq; adeò quæ hanc quasi migrationem per subiectum facere potest? Dicendum, animas omnes alias à rationali eductas esse de potẽtia materię, cùm ab ipsa pendeant in esse & conseruari: quia sempet materia concurrit materializando, id est, in suo genere causæ cõtinendo & sustinẽdo, quoniam per se nõ subsistunt (quo modo anima rationalis non pendet nec cõseruatur à materia: quoniã per se subsistere

Obiectio.

Solutio, quæ ponit differẽtiã in animarũ dependentia.

potest & separabilis est) atq; adeò eleuatione dependentiæ supra materiam nõ extolluntur, cùm separari nequeant, & in esse atq; fieri à materia pendeant: tamen eleuatione materiæ atq; organi eleuantur sanè, cùm anima non sit in parte materiæ, sed in toto: nimirum quòd sibi determinet totam materiam, vt integrũ perfectibile, organizatam. Habent ergo animę supra rationem materiæ essentiam eminentem: siquidem sunt formæ partium atq; totius simul, sed primariò & per se totius sunt, cùm alię formæ nõ magis partem, quàm totum vt adęquatum & primum per se perfectibile determinent: comprehensio igitur à materia harum latitudinem causa & ratio est: animæ etiam omnes potissimùm brutorũ non habent eundem ordinem ad totum & ad partem indifferenter, sicut formæ inanimatorum. Vnde sequitur, secundùm totalitatẽ essentialem non tantùm animam rationalem, verùm quamcunq; etiam formam corpoream totã esse in toto & totam in qualibet parte, quæ minimũ quãtitatem non excedat. Ratio superiùs assignata est, quia essentia eius nõ minùs in parte, quàm in toto cõseruatur: sic etiam anima & quæuis forma substantialis in materia est & in quauis parte materiæ, ne materia sit sine forma aut cum forma alterius speciei, & per consequens non esset vnum (vt Arist. 5. Phys. tex. 27. docet) atq; animatum ex non animato aut ex animatis diuersarum specierũ constitueretur: qua ratione totã albedinis essẽtia in qualibet parietis parte reperitur, licet non sicut animæ: nam inanimatorum formæ sunt quidem in toto & in parte adęquatè & totaliter: formæ autem animatorũ in toto sunt adęquatè, in qualibet parte nõ totaliter, sed inadęquatè: quoniam esse potestatiuũ vnũ ostendit, ꝙ in corpore organico integro indiuisibiliter sunt. Quare formę inanimatorũ per quantitatem formaliter diuiduntur, atq; in parte manent nõ minùs perfectè, quàm in toto, cùm in parte etiã sint vt in adæquato perfectibili: diuiso nanq; igne pars ignis in parte materiæ vt proprio susceptiuo manet, quod de forma animatorum negandum est. Sed objicies, cùm pari etiam ratione diuidantur animæ, saltem quæ impetfectorum animaliũ sunt & quæ vegetatiuorũ, consequitur, eas diuisibiles pari ratione esse? Dicendũ ad hoc argumentum, quod quæstionis atq; rei propositæ

2. corol. de differẽtia animarũ ab alys formis, cũ cõueniẽtia tamẽ animarũ inter se.

Obiectio notanda, quòd animæ nõ sũt indiuisibiles.

Solutio de animarũ latitudine in indiuisibilitate.

positæ nodum acu tangit, non differre has formas in diuisione (vnam excipio rationalem) sed in diuisionis modo, siquidem alia est in animabus diuisionis ratio: quoniam licet tota essentia in parte maneat, tamen non totaliter: quia non manet sicut in proprio perfectibili adęquato simpliciter, sed secũdùm quid & ex consequẽti, quod optimè declarat animarũ indiuisibilitatem etiã secundùm essentiam: nam cùm aliæ inanimatorum formę secundùm rationem quãtitatis materiæ extendantur, in quacunq; parte materiæ per diuisionem perfectè manent: at animæ totum corpus organicum vt integrum perfectibile ita occupare desiderant, vt in parte anima tota perfectè esse nõ posit, neq; adhuc ei aliqua pars: quoniã in portione à susceptibili auulsa pars non est nisi in via ad corruptionem. Quare si (vt experientia testatur) diuisio cum anima pugnet, adeò vt animã tollat & ad corruptionem deducat, ipsa indiuisibilitatem atq; integritatem (vt quæ suæ naturæ natiua conditio sit) affectat: vnde cùm anima plantæ, quæ potentia erat plures, diuisione fit actu plures, partes non continent animam, sicut partes diuisi lapidis: nam in partibus lapidis diuisi simpliciter & perfectè manent formæ, quæ ab ipsis partibus absolutè continentur: in partibus verò plantarum atq; insectorum animalium non item simpliciter manent sed secundùm quid, atque adeò ita imperfectè, vt via ad corruptionem aperiatur, & adhuc non sicut in planta, sed sicut in semine: quia si plantetur aut inseratur, corrũpitur vt germinet: sicut semen non nascitur, nisi prius emoriatur, ergo & plantę abscissæ potius seminis quàm plantæ rationẽ gerunt, velut si essent fructus quidã ex arbore sumpti: nam certè non vegetatur nec nutritur, nisi insita aut transplantata, est ergo velut semen. In animalium autem imperfectorũ partibus animę neq; actu neq; potentia manent, nisi in via ad corruptionem, neq; simpliciter neq; secundùm quid: nam totũ respiciunt & nõ partes, nisi quãdiu & quatenus sunt in toto. Itaq; licet anima quęcunq; tota sit in parte ante diuisionem secundùm essentiam, non tamen secũdùm esse potestatiuum: neq; adhuc erit in eadem parte facta diuisione nisi cum quadam ad corruptionem tendentia, quæ animæ indiuisibilitatẽ demonstrat. Formæ verò inanimatorum sicut habẽt totam essentiam in toto, ita in quacunq; parte, quod eas esse extensas, corporeas & diuisibiles manifestat, tantùm abest, indiuisibiles vt sint. Ex eo patet, quòd pars formæ inanimatorum cum parte materię coëxtensa diuiditur, quę ibi perfectè manet in parte: abscissa secundùm essentiam atq; potestatem, nõ eadem & vna, quæ erat in toto (sicut contingit in animabus) sed alia: verum secundùm esse virtuale & potestatiuum non est tota anima in qualiber parte secundùm omnes suas facultates & virtutes: siquidem anima requirit corpus perfecta organizatione dispositum, licet non tantam requirat anima imperfecta organizationem, quando in ramis manet virtus: quandoquidem corpus est organicum virtualiter. Exemplum apertum est de animalibus perfectis, in quibus determinata videmus organa ad diuersa munera obeunda: ergo quamuis in genere causæ efficientis anima principaliter sit in aliqua parte vt in corde aut aliquo proportionali, quia inde virtutem motiuam magis exerit & manifestat, tamẽ in genere causæ formalis in toto est, cùm ad ipsum vt primũ atq; proprium perfectibile destinetur: est enim anima (vt dictum est) actus organici corporis. Non ergo adscribitur his animabus perfectorum pręsertim viuentiũ totalitas quãtitatiua & integralis perse, sicut nec alijs, sed nec adhuc per accidens, in quo punctus est difficultatis, cùm pars animæ in parte corporis non maneat: abit nanq; statim atque mox perit. Quòd verò in insectorũ & annulosorũ animalium partibus, item etiam in plantarum ramis anima ipsa maneat, argumento non est, eam diuisibilem esse, sed signum, quòd non tam perfectam indiuisibilitatis rationem assequatur, sicut alię animæ: nam planta ad formas naturales & nimiùm materię coniunctas accedit, sicut nostra anima ad separatas intelligentias inclinat: quare perfectorum animalium animæ mediæ erũt. Quæ omnia probari & suaderi poterant ex his, que lib. 1. de generatione cap. 5. in quęstione de augmentatione diximus, & posteà etiam dicemus cap. 4. & de indiuisibilitate specierum intentionalium cap. 7. & 12. quæ in anima sensitiua recipiuntur, in quibus latitudo eadem est, quæ & animarum, de quibus speciebus vt animæ formis proportionabiliter loquẽdum, ac de ipsis animabus dictum est. Ex quo sequitur, Granatensem minùs benè philosophatum

Pars plãtæ potiùs seminis, quàm plãtæ rationẽ habere videtur.

Nota.

4. duplex mod' existendi ipsius animæ ex diuerso genere causæ.

Palatius.

phatum fuisse, qui hoc loco animę tantùm rationali indiuisibilitatem tribuit, reliquis verò minimè: probátq; potissimo argumēto, quoniam essent (inquit) omnes animæ incorruptibiles. Fallitur sanè: nam non haberent inde incorruptibilitatem, sed potiùs ex independentia ad materiam, vt de anima rationali dictum fuit: vnde cogitur fingere nescio quam commētationem de augmentatione, quòd fiat secūdùm partes formales, id est, aliquo secundùm speciem adueniente, cùm tamen dicat statim nullam formam esse corpoream & quantam per se, nimirum ergo quod nos tollamus per accidens, vbi ipse abstrahit per se: nam si per se non sunt quantæ & corporeæ (vt ille fabulatur) quid mirum vt per accidens non sint? secus non haberent aliquid amplius, quàm formæ inanimatorū, quę per se indiuisibiles (vt ait) ad diuisionē quātitatis, per accidēs tamē diuisibiles sūt: sic ergo etsi corporeę, tamē cū quātitate potiùs corrūpuntur, quàm diuidūtur aliquo modo. Ex quibus facilè proposita soluentur argumenta.

Ad. 1. argumentū. Primum præsertim cum sua confirmatione, ꝙ licet anima vegetatiua aliquo modo indiuisibilis sit, non tamen sicut anima rationalis, habet enim vegetatiua anima infimum gradum inter formas indiuisibiles: ob idq; in primis negādum est antecedens, est siquidem suo (vt expositum est) modo indiuisibilis. Deinde neganda est consequentia: nam in sensitiuis etiam in intellectiuis vegetatiua anima actu non est, sed potentiâ: quare licet eadem ratione homo & planta vegetentur, planta tamen per animā in forma propria, homo autem per vegetatiuam animam in potentia secundùm valorem & eminentiam, qua perfectum imperfectum

Ad conf. continet atque supplet. Huius autem argumenti confirmatio, quæ colligit ex formarum indiuisibilitate nos incorporeos esse, sic eluditur facilè, nostram animam, de qua potissima est difficultas, valore & eminentia corpoream esse, ob idq; actus corporis talis dicitur: quare non tantùm propter materiam vt rationem remotam & materialem, verùm etiam propter animam vt causam proximam atq; formalem nos corporei sumus & quanti. Mirandum ergo non est, aliquod compositum corporeum esse & formaliter quantū, cuius forma talis non sit, nisi valore & virtute atq; in radice, præsertim quòd cùm in corporeo recipiatur, ad modum ipsius recipietur. Neq; enim nouū hoc est aut mirandum: nam ex actu & potentia fit, verbi gratia, homo, cùm neq; materia neq; forma homo sit, sit tamen ex illis: nam partes non sunt per se, nisi id quibus res talis est, vt equi forma nō est equus, nec albedo non est alba: ob compositionē igitur homo quantitatis & reliquorum corporalium accidentium capax est: recipiuntur siquidē non in sola rationali anima seorsum vt sic, sed vt cōponit & est in toto. Al-

Ad. 2. argumentū. terum verò, quod obijcitur, facilè diluitur: nam digitus substantia corporea integra non est, sed pars substantiæ: præterea corpus organicum non est, cùm accommodata instrumenta ad animæ functiones obeundas non habeat: anima enim non est actus capitis aut pedis, sed corporis physici & organici, vt anima rationalis debet esse corporis humani vt adęquati susceptibilis: quare digitus non est aliquid per se subsistens in ratione partis, ergo nec totum: anima enim pedem non respicit aut digitum tanquam proprium & adęquatum obiectū atq; per-

Obserua de partibus. fectibile: item quia non est tota anima definitiuè in pede, sicut est in toto homine, nō solùm quia non est actu, sed quia anima nō est actus illius partis vt totius. Huius autem argumenti solutio totius est quæstionis resolutio, quæ in hoc cōsistit, quòd in homogeneis, quę constant ex partibus eiusdem rationis, quælibet pars valet seorsum à toto separatim per se subsistere, & hoc est totius denominationem suscipere, quòd per se valeant permanere: & in ethereogeneis (qualia sunt omnia animata) partes nō suscipiunt denominationem totius, nec valēt seorsum à toto permanere, quia nō sunt organa & dispositiones sufficientes, vt forma in parte conseruetur & in eadem totius specie perseueret: hinc est, vt nō quælibet pars hominis sit homo, sed quæ recipit denominationē totius, quę illa est, quę separata per manet in substātia totius. Cōfirmatio ęquę

Ad conf. impugnat imo meliùs inanimatorum compositionem: nam formæ inanimatorū perfectè in partibus sunt, cùm tamen animę in partibus imperfectè sint, vt dictum hactenus est. Respondeant igitur, quomodo non sit absurdum, lapidem ex infinitis lapidibus constare: siquidem forma lapidis est in toto & in qualibet parte? Et respondebimus ad argumentum propositum, quod minorem contra nos apparentiam habet, tamen dicimus,

mus,partes ſicut non ſunt res neq; entia,ita neq; ſunt animata,non enim ſunt actu,ſed potentiâ, quâdiu in toto ſunt non ſeparata.

Ad.3. Quod tertio loco obiectum eſt,ſoluitur , ſi dicamus, animam ſecundùm eſſentiam iu quacunq; parte eſſe,non tameu ſecundùm eſſe poteſtatiuũ & virtuale:potentiæ nanq; non ſequuntur animam nudè & in ſe, ſed quatenus eſt in ſuſceptiuo atque organo,id eſt, accommodato illius functionis inſtrumento.Quo poſito,huius rationis cõfirmatio maiores videtur habere vires,vt deſinẽte anima in parte totum deſtruatur & pereat:at verò quamuis ibi anima ſit eiuſq; tota virtus,non tamen eſt illic totaliter ſecundùm eſſe poteſtatiuum, quare totũ ipſum non perit:quia anima illam partem primò & per ſe non reſpiciebat,ſed totum, vt ſatis diffuſè toto quæſtionis decurſu declaratum eſt.

Ad vltimum. Ad vltimum,quòd anima motibus contrarijs moueretur, dico nil prohibere,cùm per accidens moueatur:maximè cùm id, quod mouetur, non ſit ſimpliciter vnum & cõtinuum. Exemplo ſit,homo in naui exiſtens,qui quieſcere poteſt ſecũdùm ſe & moueri à naui, aut in contrarium locũ ferri ei,ad quẽ à naui fertur,& naui deſcendente ipſum aſcendere. Secundò & meliùs dico,animam non moueri neq; per ſe neq; per accidens ad motum vnius partis,ſed totius:ratio huius eſt,quia in toto corpore definitiuè eſt,non tamẽ in parte,vnde quãuis in parte moueatur tota,nõ tamẽ totaliter: quoniam in toto varijs virtutibus, modis atq; inſtrumentis ad motum vtitur.

Redargutio. Redargues vniuerſa,quæ hactenus dicta ſunt(validiſsimè & plurimorum ſentẽtia efficaciſsimè)ex Ariſt.8.Phyſi.tex.78.&.86. quibus textibus (vt

Niphus. Niphus exiſtimat) Ariſt. hanc format conſequentiam,ſi prima cauſa eſſet in magnitudine,eſſet ſicut ipſa magnitudo diuiſibilis: quandoquidem eſſet maior in maiori,atq; in infinita etiam immẽſa, atq; adeò diuiſione ſubiecti diuiſibilis eſſet: pari quoq; cõſequutione,cùm anima vnaquæq; etiam rationalis in corpore ſit,diuiſibilis neceſſariò erit(iuxta ſentẽtiã Ariſt.) ſicut eſt ipſum corpus diuiſibile.

Solutio. Dicẽdum tamen, alienam eſſe interpretationem ab Ariſt.mente,qui nil huiuſmodi in his textibus ſomniauit:quia cùm tex.78.hãc concluſionem probet, primum ſcilicet motorẽ impartibilem eſſe, ex eo quòd infinitæ ſit virtutis: tex. verò. 86. eſſe immobilem & impartibilem ad partitionem magnitudinis,quia cùm infinita virtus ſit,à magnitudine abſtrahitur : non ergo argumentatur, quòd ſi eſſet in magnitudine,diuiſibilis eſſet,niſi ad ſenſum,quo tex.80. &. 81. dicit, ſemper in maiori magnitudine eſſe maiorẽ vim ſecundum ſubiecti diuiſionem. Bacho rationes dicit eſſe dialecticas, cùm tamen contexturam literæ cõſideranti(vt illic nos docuimus) ſtatim phyſicæ & propriæ atq; demõſtratoriæ appareant:ideo dico,illo.8. cap.Ariſtotelem duntaxat probare, Deum non eſſe in magnitudine eo modo,quo aliæ formæ naturales ſunt:ſiquidem non eſt materiæ immerſus neq; ab eadem comprehẽſus:neq; adhuc vt anima,quæ ſaltem in radice quanta eſt,quatenus radicaliter forma & actus ſubſtantialis eſt, quæ ſua vnione atq; cum corporis cõmercio licet ipſa corpus non ſit,corpus tamen conſtituit.Quare rationalis noſtra anima magis eſt indiuiſibilis,quàm punctus,quia eſt indiuiſibilis vt abſtrahens à toto genere continui,quod tamen pũctus initiat,terminat & cõtinuat (de natura pũcti habes.3.de anima c.5.tex.25.) ob idq; licet anima formaliter ſimplex eſſentia ſit,tamen in virtute atq; radice multiplex eſt & corporis quanti & diuiſibilis formale principium: nam cùm materia ſit propter formam atque adeò etiam propter operationes(2.Phyſ.tex.88.)oportet corpus ipſum animæ ſuſceptiuum organa habere multa pro functionibus eiuſdẽ obeundis eidem animæ proportionatis.Id autem, *Pro.2.argumento de partibus.* quod ſecũdo argumẽto & eius cõfirmatione dudũ dicebatur de partibus animatorũ, ibi dixi, exactiùs tamen in calce ſequentis capitis declarabitur, ſi fortè fortuna quod lib.1.de generatione cap.4. deſideratur ad ſupplendam quæſtionem de multitudine & vnitate formarũ in eodem cõpoſito,adiecerimus.Interim obiter ſcito, animalis de- *Nota.* nominationem totius eſſe & non partis:nã plantarum partes animatæ ſunt potentiâ, actu verò minimè, animalium verò ſaltem perfectorum neq; actu neq; potentiâ. Qua in re(vt Granatenſis cenſet)principium nõ petitur:nam vt corpus organicum animalis denominationem ſuſcipiat,primum & adæquatum perfectibile eſſe oportet(vt dicit hic Ariſt.tex.26.)ineſt quidem in corpore ſed non quocunq;,ſed tali,id eſt,in proportionato receptiuo:ideo potentiæ omnes nõ ſunt in quacunq; parte,nam ſequuntur eſſentiam,

sentiã, vt est in organo determinato, quod possit esse illius operationis particeps.

Perpende pro quarto argumento.

Quare circa quarti argumenti materiam considerandum, complexionem primò & per se atque adæquatè totius perfectibilis esse, & illa eadem etiam est inadæquata partium complexio: quam ob causam mirum esse non debet, si vna eademq; anima contrariorum motuum sit principium ad contrarios terminos per diuersas partes mouens: perinde ac in instrumentis musicorum fieri videmus, in quibus discordantes fides ab arte regulantur & in concordiam ita rediguntur, vt ex varijs sonis atq; multùm diuersis vna harmonia nobis edatur: sic quoties ab anima humores regulantur & quasi in officio continentur, cerebri frigiditas calorem cordis non destruit, neq; econtrà: continentur siquidem ab anima & eius harmonia (vt. 1. lib. tex. 90.) nisi quicquam contra naturam accidat, quod ab anima & eius regimine partem aliquam subtrahat.

Toti⁹ quæstionis vsus, & cõmoditas est vnitatem viuẽtium stabilire.

Et hîc est huius quæstionis non contemnendus vsus & commoditas maxima de hac animarum indiuisibilitate: nimirum quòd viuentia omnia constent ex pluribus partibus discontinuis, atque ethereogeneis diuersarúmq; rationum, quæ tamen vnitate & indiuisibilitate animæ continentur & vnitatem habent: sanè. 3. de anima tex. 66. dicit, quòd nec ossibus nec pilis sentimus, quia partes sunt terreæ, & inter carnem & carnem ossa sunt, iuxta ossa cartilagines & nerui sunt: ergo homo nõ poterit vnus esse vnitate non solùm materiæ, sed nec formæ eo modo, quo vnum est quoduis elementum, & quod vocatur homogeneum, vt. 8. Phys. tex. 30. vnum continuum, consitum atq; congeneum dicitur: animal autẽ quodcunq; nec congeneum est nec vnum, nec consitum, sed ex ethereogeneis distantibúsq; partibus componitur, ossibus, neruis, carne, venis, ex tot tamq; differẽtibus humoribus atq; qualitatibus contrarijs conflatur. Quare si vna non esset indiuisibilis forma, quæ partes omnes vnitas contineret (vt suprà lib. 1. cap. 5. docet Arist. à medio cap.) quomodo vnum esset animal? nõ esset sanè vnum, nisi ob ipsius formæ vnitatem & indiuisibilitatem: etenim in tot illis partibus ethereogeneis vnica est forma substantialis eas omnes animans, quæ dat ossi esse ossis, carni esse carnis, & ita in cæteris dispositionésque varias inducit: sic S. Tho. 1. p. q. 11. art. 2. ad. 2.

De partibus.

quodlibet ethereogeneum cõstat ex partibus diuersarum rationum habentibus tamẽ vnam formam totius, nimirum quia non quælibet pars animalis est animal, nec quælibet pars hominis est homo: partes enim huiusmodi ethereogeneæ cùm sint, denominationem totius non recipiunt: sicut in homogeneis quælibet pars aquæ est aqua: tamen partes illæ ethereogeneæ in animalibus non differunt specie perfecta ratione, necessum est: ergo contineantur aliquo vno nempe indiuisibili animæ vnitate, & ita copulentur & colligẽtur per ipsam, quod est necessarium ad vnitatem viuentis, & vt animal non dicatur vnum per aggregationem aut vnum per accidens: quiã partes illæ differẽtes, os, caro, venæ atq; humores per neruos quasi per funiculos colligantur, & inter duritiem ossium mediat mollitudo carnis, & hæc omnia vna cute teguntur: et deniq; vniuersæ partes vnica anima informantur (in plantis aliquid est his atq; cuti proportionale) ergo si animal non diceretur vnum ratione materiæ & corporis (cuius partes adeò sunt distantes & discontinuæ, vt materia ossis à materia carnis) necessum est, sit vnum ab vnitate formæ, & si animal tot tamq; contrarios habet motus & operationes, oportet ab vna anima per modũ vnius regantur & in vna harmoniæ consonantia contineantur: anima enim in ipsis omnibus per informationem est vel per præsentiam & indistantiam: quod dico propter partes fluidas, quæ nondum sunt conuersæ in naturam aliti, & propter humores ipsos, qui fortè non sunt partes animalis, licet sint de cõstitutione naturæ ipsius animalis.

Obserua.

Collectio toti⁹ quæstionis & altera cõmoditas, q animã qualibet tota est in toto & tota in qualibet parte.

Ex vniuersa nostra disputatione consequitur, animam vnamquanq; totam esse in toto animato atque totam in eius quibuslibet partibus. Primùm enim notum est in toto esse, quando anima definita est actus corporis physici & organici; &c. & nõ vnius organi, ergo toti⁹ est actus, quare erit in toto. Secũdò autem, quòd tota in partibus sit, ex eodem principio probatur: nam actus est totius & partium: actus verò proprius in proprio est perfectibili, vt hîc tex. 24. &. 26. Arist. ostendit, actum esse in patiente disposito: atq; adeò quòd in omnibus partibus sit, declaratur ex eo, quòd non tantùm totius, verùm & partium forma est substantialis (quoniam vnam tantùm totalem formam

mam toti & partibus esse conferrẽtem. 4. c. 1. lib. de gene. posuimus, & opus nõ esse aliqua partiali forma ostendimus, & sequenti cap. ampliùs patefaciemus.) Ergo si nulla alia est totalis forma in quocunq; animato neq; partialis, sed sola vnica anima est, erit sanè illa & totius & partium forma atque adeò actus, qui in eo erit cuius est actus: ergo non solùm est in toto sed in partibus: ni velimus absurdum, quod sequitur, admittere, nẽpe eam duntaxat esse in partibus sicut est forma accidentalis: veluti figura domus, quæ tota est in domo vniuersa, pars autem in parte: aut sicut forma substãtialis inanimatorũ, quæ tota est in toto & pars in partibus. Hîc autem cùm anima substantialis forma sit, à qua totum & partes esse sortiũtur, erit proculdubio anima in partibus: siquidem ipsa recedente atq; abeunte partes omnes naturæ statim concedunt, sicut de toto contingit, non enim partes manent nisi æquiuocè, vt suprà tex. 9. quare si non diuiduntur per se ad diuisionem subiecti, benè tamen diuisionem habebunt secundũ esse potestatiuum aut secundùm perfectionem ipsius essentiæ, ea ratione qua totum idem est ꝙ perfectum, positiuè secundùm totalitatem essentiæ, totalitate verò quantitatiua negatiuè: quoniã nullas habet partes extensiuè, quarum vna sit in vna parte corporis, alia in alia. Cuius autem ratio est: quoniam extensio soli quantitati per seipsam cõuenit, sicuti diuisibilem esse: reliquis autem per accidens conuenit, id est, per ipsam quantitatem: quia facta auulsione non minùs manent in esse diuiso. Animabus autem neutro modo: quoniam non conuenit diuisibilitas ipsis sicut quantitati, neq; sicut corporeis formis inanimatorum: quia per diuisionem pars formæ corporeæ manet in parte subiecti: animæ verò partes non perfectè manent, nisi vt in semine, in virtute aut via ad corruptionem. Cùm igitur diuisibile sit omne corporeum atq; ex diuisione per se fiat numerus, quod in diuisione animatorum propriè & perfectè non contingit, ita vt post diuisionẽ permaneant sed corrumpantur: signum est, eas propriùs indiuisibiles quàm diuisibiles esse: siquidem (vt non semel diximus) nõn habent animæ ad totum atq; ad partem indifferẽtem habitudinem. Huius sententiæ est Alexander ille Aphrodisiensis Aristotelis discipulus & diligens auditor. 1. lib. de anima, vbi de partibus & substantia animæ inquirit, ex professo quæstionem præsentem tractans, in hæc verba prorrũpit, Anima verò in partes neq; magnitudine neq; numeri diuisione diuisibilis: non enim separatam animam facimus ab his, in qua diuiditur, sed potestatum quas habet enumeratione & differentiarum inuentu diuisionem eius constituimus (ponit exemplum in hæc verba) eo ferè pacto, quòd si quispiam pomum redolẽtia & pulchritudine distinxerit, aut in figurã & saporẽ diuiserit, profectò eiusmodi diuisio neq; vt corporis, tametsi pomũ maximè corpus est, neq; vt numeri esse videbitur: hactenus Alexãder apertissimis pronuntiauit, animam & numeri & corporis diuisione indiuisibilẽ esse. Durandus. 1. lib. sent. d. 8. q. 3. 2. p. d. quæ est sexta quæstio in ordine, variare mihi videtur: tandem tamẽ omnes præter intellectiuam diuisibiles facit: cùm tamẽ Arist. 1. lib. de anima tex. 90. atq;. 91. vsq; ad finem contra Platonem ex propria sententia argumentetur & probet animam non esse partibilem, vnde colligit animam esse vnam atq; adeò indiuisibilem: vnam itaq; animã ponit, quæ corporis partes contineat: benè arguit Arist. quis continebit? id est, perfectibile quod vnum non est, natura tamen sua diuisibile, nisi vna cõtineret indiuisibilis forma, vnum nõ esset, est igitur animatorum forma indiuisibilis. Nam vis argumẽti in hoc consistit, quòd in lapide atque in cæteris rebus inanimatis, in quibus non oportet quærere quod contineat partes omnes in ordine ad vnum totũ: quia quæuis pars vnitè & vniuocè eiusdem est rationis inter se & cum ipso toto: cuius oppositum in rebus animatis experimur, scilicet partes differentes & disiunctas, quæ vnitatẽ non retinebunt, nisi à forma vna & indiuisibili anima. Dices, si omnes animæ indiuisibiles sunt, non sunt igitur corporeæ: quare spiritales erunt? Dicendum, omnes formas animatorum præter rationalem corporeas & diuisibiles esse ea ratione, qua eis spiritalitas negatur: sunt enim substãtiæ non incorporeæ & spiritales, erũt igitur corporeæ & materiales: dicuntur tamen toto nostræ quæstionis processu cum Arist. impartibiles atq; indiuisibiles (iuxta expositionem Alexandri) non positiuè indiuisibiles (hac enim ratione essent & spiritales, quod argumentum colligebat) negatiuè ergo intelligendum est: quoniam nec numeri

Obseruãda ratio, quæ totĩ quæstionis nodũ soluit & resumit.

Notanda resolutio.

Alexander.

Durãdus.

Aristoteles pondorandus.

Obseruãda differẽtia animæ & aliarũ formarũ.

Obiectio.

Solutio notanda.

Perpende distinctionem.

numeri neq; corporis diuisione per se aut per accidens diuiduntur:quia diuisio per se non fit vt corporis,ita φ in parte saluetur vt inanimata: nec diuisio ponit in numerũ animata,sed ipsa orbat & ad corruptionem præparat,quod est signum, ipsorum integritatem tollere:non ergo diuidũtur ratione quantitatis,siquidem accommodant sibi vnum certum atque integrum perfectibile, vnum autem & indiuisibile idem: sed anima nostra rationalis non tantùm negatiuè indiuisibilis est sicut cæteræ,verumetiã positiuè,ita vt propriè spiritalis sit,quod est in hac quæstione considerandum attẽtissime.

Epilogus quæstionis, eiusq; elegans recapitulatio. Sed quoniam satis multa prodegimus verba,vt rem difficilẽ,quã à nemine diligẽter excussam necdum resolutã accepi, explanaremus, receptui canentes magnum fiet operæpretium,si breuiter per conclusiones in vnã aciem redegerimus, vt omnes facilè intelligant,quæ sit mens nostra,atque quid sentiat Peripateticorum schola. Supposito enim φ indiuisibile ex Arist. lib. 3. de anima cap. 3.& S.Tho.1.p.q.85. art. 8. tripliciter dicitur, primo modo,actu sicut continuum,quod vnum est & actu in plures partes diuisum:secundo modo, indiuisibile vt quidditas & species reiter tertio modo,indiuisibile vt punctus,cuius pars non est:sic proposito nostro hanc distinctionem accõmodantes:primò,pũctus est indiuisibilis,vt opponitur quantitati:secundò,spiritus est indiuisibilis, vt opponitur corpori:tertiò antẽ, anima quæuis iuxta gradum suũ dicitur indiuisibilis,vt cum toto & perfecto cõuertitur,quod vnitatem exigit omnium suarum partiũ. *Distinctio indiuisibilis valde accõmodata huic rei.* Quare licet anima nostra rationalis indiuisibilis sit vt spirit⁹,quia verè est Incorporea:item vt pũctus,quatenus non habet quantitatem,nec ipsa sola eam admittere & recipere potest:tamen propriè nec ipsa rationalis nec aliæ animę sunt Indiuisibiles sicut punctus:quia pũctus licet non sit diuisibilis nec quantitas sit,est tamen quantitatis principium:nulla igitur anima est sicut pũctus indiuisibilis,quia nulla earũ est principium quantitatis:sed duntaxat indiuisibiles dicuntur,quia de se vnum quoddam totum perfectum & integrum natura sua exigunt atque indiuisibile primo modo,id est,actu vnum integrũ & indiuisum. Hãc eandẽ resolutionẽ accipe per conclusiones collectã.

Idem epilogus per conclusiones claritatis gratia repetitus. Prima conclusio, anima nostra rationalis vsqueadeo indiuisibilis,vt sit etiã spiritalis, incorporea & immaterialis: hanc habes in fine. 3. lib. in quæstione de immortalitate animæ. Secũda cõclusio in altero extremo, inanimatorum formæ omnino sunt diuisibiles:quia corporeę sunt & materiales & in partibus saluãtur non minùs,quàm in toto. Tertia cõclusio, animatorum formæ,id est, omnes animę iuxta gradum suum,non solùm quæ sunt perfectorum animalium,sed etiam imperfectorum & adhuc plãtarum, indiuisibiles appellandę sunt,vt vnum determinatum & perfectum atq, integrũ perfectibile sibi sua natura asciscunt:ideo quęuis illarum tota est in toto & tota in quauis parte:quanuis latitudo sit in hac indiuisibilitate,vt dictum est. Quarta conclusio,licet animatorum formæ(modo præcedenti cõclusione dicto)sint indiuisibiles,tamen corporeæ sunt & extensę atq; quantæ & diuidi possunt:patet,sunt enim actus corporis & à corpore eductus. Quinta cõclusio, anima nostra rationalis est positiuè indiuisibilis:quia nec per se nec per accidens est diuisibilis,nec ratione sui nec in se capax est quãtitatis,vnde vllam vel minimam diuisibilitatem admittat,& formaliter aut materialiter diuidatur : quoniam quanuis sit actus corporis, non tamen à corpore eductus. Sexta conclusio, cæterę animæ iuxta suum latitudinis gradum indiuisibiles dicuntur negatiuè, id est, non determinant sibi aliquod perfectibile diuisibiliter,sed indiuisibiliter:ideo de se sunt indiuisibiles, quatenus susceptiuum indiuisibile exigunt,quod informent, & in quo vt vno indiuisibiliter saluantur. *Attende.* Quare istæ omnes formæ animatorũ sunt indiuisibiles formaliter, id est,de se exigunt indiuisibilitatẽ:materialiter autẽ nil vetat,eas diuidi per accidans ad diuisionem subiecti corporis,tamẽ ipsæ non saluãtur in partib⁹ iam diuisis, nisi vt dictũ est in via ad corruptionẽ,vt in anulosis & insectis aut veluti in semine,quod de plãtis dicebamus. Septima cõclusio, anima nostra rationalis,quæ perfectè est indiuisibilis,positiuè tota est in toto & tota in qualibet parte,quãuis definitiuè nõ sit nisi in toto : alia autẽ aia quęuis negatiuè tota est in toto & quauis parte,quatenus in parte non sunt nec saluãtur,nisi mutilè & inadęquatè. Sed vt res hęc (valde quidem necessaria ad rerum naturas percallendas & omnia animarũ percipienda,maximè ad rationẽ augmẽtationis pene trandã)neminem fugiat, vt quod latissimè *Summa quęstionis summula, que egregis est &*

 & su-

pulcherrima totius quæstionis ad definitionē reuocatio.

& fusissimè dictū summatim cõprehendas: nil aliud est hęc animarū indiuisibilitas, nisi animarū perfectio & integritas siue partiū indeficientia, quas simul secundū suā naturā anima exigit & sortitur. Vnde animarū imperfectio in ipsa diuisione consistit: quia ęqualiter totum respicit, & partes omnes simul iūctas in toto exposcit: nulla enim animarū vult seorsum partes esse diuisas: ergo sic indiuisibiliter se habere ad totum & partes, nil aliud est, quâm tot⁹ exigere perfectam integritatem: vnde hæc indiuisibilitas animarū in nostra rationali explicatur formaliter & adhuc realiter, sed in alijs animabus nō materialiter secundū conditionē corporis, sed formaliter secundū exigentiā animę, quę pro integritate toti⁹ atq; pro indeficientia partium in ipso toto proclamat.

CAPITIS SVMMA.

Aristoteles explicato proposito documētum ponit, quod in mathematicis explicat. Deinde quatuor positis suppositionibus intentā cõclusionem infert. Tertiò duas propositas quæstiones soluit. Vnde, probata intenta conclusione, duo corolaria infert cum totius capitis collectione.

Capitis propositū cum documento.

Cum semper obscura & ignota ex notioribus sint manifestanda, operæpretium est, definitionem animæ adducere, quæ non solum animam esse, sed cur ipsa sit, demonstret, vt in quadratione figuræ altera ex parte longioris inuentio lineæ mediæ

Exēplū.

docet. ¶ *Dicamus igitur, animatum ab inanimato vitâ seiungi: quodcunq; ergo horum, cui intelligere, sentire, secundùm locum moueri ac viuere inest, viuens dicitur: quapropter vniuersæ plātæ viuere (siquidem vegetantur) vidētur.*

Prima suppositio.

2. supp. ¶ *Atq; hæc quidem vegetandi vis à cæteris seiungitur: cæteræ autem ab ista in mortalibus separari nequeunt, quæ in rebus ipsis perspecta atque explorata esse vidētur.*

3. supp. ¶ *Animal autem ob sensum primò est: nam quæ habent sensum, non solum animata, sed animalia vocare solemus.*

4. supp. ¶ *At verò ex sensibus, tactus primò cunctis animalibus inest: nam sicut vegetatiuum ab omni sensu seiungitur, sic à cæteris sensibus tactus separatur; cuius causam postea explanabimus.*

Conclu. ¶ *Nunc tamen hāc animæ finitionē asserimus, vt sit vegetādi, sentiendi, mouendi secundùm locum, ac intelligēdi principium.*

Prima q. ¶ *Quærendum autem est, an in vnoquoq; horum*

2. quest. *anima sit, an animæ pars?* ¶ *Deinde si pars sit, an*

Soluitur 2. quest. *ratione an etiam loco sit separabilis?* ¶ *De nōnullis discernere id facilè possumus: nam vt in plantis anima vna est, potentia verò plures: sic circa eā, quæ insecta vocamus animalia, quorum partes sensum, atque motum, imaginationem etiam, atq; appetitum habere videntur. Vbi nanq; sensus est, ibi dolor atq; voluptas: at si hæc sint, erit necessariò cupiditas. De nōnullis autem vt de intellectu difficilè discerneremus: solùm hactenus manifestum esse videtur, hoc animæ genus diuersum esse, idq; solùm tanquam perpetuum à corruptibili separabile. Non sunt igitur loco separabiles: nam ratione differre, non obscurum esse videtur. Sensitiui siquidem ratio diuersa est à ratione opinandi, &c.*

1. q. soluitur. ¶ *At verò quibusdam animatorum insunt cuncta animæ partes, quibusdā verò non sicut circa sensus fieri videmus.*

Demonstratio cõclusionis & definitionis. ¶ *Quoniam autē id, quo viuimus, quó ve sentimus, mouemur intelligimus primò, ratio est et species atq; actus, non vt materia aut compositum: erit ergo actus (nam substantia non nisi triplex est, materia, forma, compositum) forma itaq; erit atq; actus, non quiuis, sed substantialis, &c.*

1. corolarium. ¶ *Idcirco rectè putarunt ij, qui animam neq; esse corpus, neq; sine corpore dixēre: quoniā corporis actus est.*

2. corola. ¶ *Et inest ob hoc in corpore non quouis, sed tali: actus enim agentium in patiente disposito & accommodato sunt.*

Colligitur capitis intentio. ¶ *Igitur anima actus corporis, &c. est, quòd potentiam habeat atq; principium viuendi, vti diximus.*

CAPVT TERTIVM.

Tex. 27.

ANimantium autem quibusdā omnes insunt potentiæ dictæ, quibusdam nōnullæ sunt, & quibusdam vna tantùm inesse videtur. Atq; potentias animæ diximus has, nutritiuū, sensitiuum, appetitiuū, loco motiuum, atq; intellectiuū. Et plantis quidem nutritiuum est dūtaxat, alijs autē & idipsum, & sensitiuum. Quòd si sensitiuū inest, & appetitiuum etiam inest: nam appetitus cupiditas est, & ira, atq; volūtas. Animalia verò cuncta vnum ex sensibus habēt: tactum, inquam, ipsum, atque cuj

sensus

sensus inest, ei voluptas etiam, & dolor inest, & perceptio iucundi, atq; molesti. Quibus autē hæc insunt, ea cupiditatem etiam habēt: hæc est enim appetitio eius, quod afficit voluptate.

Collocatio doctrinæ. Proximis capitibus enumerauit Arist. duas animæ finitiones atq; earū connexionem ostendit: hoc ideo, quòd substantia accidente prior est tempore, ratione atq; natura lib. 7. Met. tex. 4. quocirca cùm de anima duas quæstiones moueret, atq; primam (si animæ partes loco & subiecto sola ratione distarent) suis numeris absoluisset: aliam leuiter attigit, sintne animæ omnibus communes an partes, hoc est, an omnes animatorum gradus per animas, an per animarum partes constituantur? quam dubitationem hoc cap. exactiùs dilucidat. Vel aliter, quod idem est, quid anima esset, declarauit, nempe φ anima actus sit corporis organici, &c. iam vltimam particulam, quomodo sit potentiā vitam habentis, explanat. Actum enim de actu primo, agitur de actu secundo: quia de potentijs, quę operationum sunt principia proxima (de his potentijs S. Tho. 1. p. q. 78. art. 1.) & ita istud caput est in primis summa quædam atq; generalis comprehensio siue distributio potentiarum per singula animantium genera, vt intelligatur, quænam potentiæ singulis animis insint, vt post ex his admoneamur de generali animæ finitione, quòd post rationem generalem & causam necessarium sit vnam propriam cuiusq; assignare notionem: quam quæstionem formidandam (vt hîc dicit Caietanus) in proœmio tex. 8. proposuerat: post contemplationem totius animæ in vniuersum de partibus seorsum agendum erat, de quibus priùs in communi, vt post de singulis commodiùs in particulari suscipiatur disputatio: tradiderat igitur Arist. communes de omni anima definitiones, superesse videbatur ad particularium animarum discussionem descendere, vt de his adhuc in cōmune, quod nobis notius est, determinaretur. *Redimur ad literæ expositionem.* Dicit ergo Arist. animæ partes non integritatis sed potestatis, quæ sunt animæ vires atque facultates, quibusdam inesse omnes vt hominibus, quibusdam aliquas vt sensitiuis, quibusdam vnam solam vt vegetatiuis: nam animæ potentiæ & facultates quinq; sunt, intellectiuum, secundùm locum motiuum, sensitiuum etiā atq; vegetatiuū, prętereà & appetitiuū (quod omnibus præterquā vegetatiuo cōmune facit Arist.) quę vniuersæ in homine coniunctim reperiuntur. Quocirca aduertendum est, vt Commentatoris euellamus præposteram de nostra anima existimationem, Aristotelem hoc loco intellectiuū esse partem animæ docere, aut posita proximo cap. demonstratio (quòd sit actus corporis, &c. ex eo quòd principium est intelligendi) infirma esset: sed de his. 3. lib. huius latiùs (Deo dante) disputabimus. *Pro animæ immortalitate repōderatur hoc. q. de immortalitate cō tra Auerroem.*

Huius autem textus litera satis est aperta, in quo notanda est appetitus diuisio in concupiscibilem, irascibilem & rationalem, per illa verba textus, *Nam appetitus cupiditas est, ira, atque voluptas*, vnde concupiscibilis in quoddam commodum & bonum priuatum inclinat: irascibilis in bonum arduum fertur, & vterq; pars est sensitiui appetitus. *Appetitus triplex, de quibus in 3. lib. super c. 6. 7. & 8.* Vt autem hoc commodiùs explicemus, considerandum, animas numero ternario comprehēdi, quòd ex latitudinis gradu atq; ex ordine ipsarū formarum colligitur: sunt enim in primis formæ, quales sunt inanimatorum, quę motore atq; extrinseco agitatore egent: quibus statim succedunt aliæ, quę motum quidem à se inchoant, nūquam tamen sua sede mutantur, vt nutritiuæ & vegetatiuæ: quas tertia sede nobiliores formæ sequuntur, quę in alia se diffundere valeut atq; alia in se recipere, ita vt illa quodammodo efficiatur, vt sensitiua, quæ omnia est sensibilia, vtpote quę rerum omnium sensibiliū similitudines sine materia recipiat: tandem vltima omniumq; pręstātissima sequitur intellectiua, quæ non hæc aut illa solùm est, sed omnia (3. lib. tex. 37. cap. 5.) species nanq; abstractiores recipit non tantùm sine materia, verumetiam materiæ atque singularitatis repurgatis conditionibus. *Ternarius animarū numerus colligitur sufficiens.* Itaq; numeri & animarum sufficientia sumitur quidem secundùm distantiam aut vicinitatem ad ipsam materiam, vt ad finem dirigit, iuxta considerationem qua Arist. lib. 2. de Cælo cap. 12. numerum orbium vel motuum eorum manifestat. Ita nos in præsenti dicam' oportet, sumi numerum formarū secundùm φ naturam in motu excedunt: nam vegetatiua, quæ omnium prima est, pluribus motibus, quàm naturæ,

quæ ad vnum mouetur, vna & eadē in eodem loco & dispositione existens: motu nanq; augmenti & decrementi in omnem loci differentiam simul se expādit, cum naturalia ad vnam tātùm loci differentiā propendantur: vegetatiua enim anima sub ratione triplici vtitur alimento, Primò, vt sub stantia, vnde nutritio: deinde vt quāto, vnde auctio profluit: demum vt habet vltimum excrementum, vnde semen ad generādum conficitur: qua de re cap. sequenti. Secundū animarū genus sensitiua est, quæ adhuc vt forma mouetur ad formas materiales rerū omnium sensibilium, sed sine materia suscipiendas, vt species sensibilium omnium: infrà cap. 12. Tertium autem animæ genus intellectiua est, quæ non modò ad materiales, sed ad immateriales etiam sine materia & eius modo capacitatem habeat: quare prima materialis omnino est, postrema immaterialis: secunda, quæ sensitiua est, mediam sortitur rationem. Vnde licet tantùm tres sint animæ differentiæ, quinq; sunt operandi facultates, vt ex definitione potentiæ actiuæ (quam Arist. 5. Met. tex. 17. ponit) colligitur. Est principium operandi aliud, alterum inquantum alterum: quare vnūquodq; operatur vt est: vegetatiuum, quatenus cum materia formam habet ligatam, formam in materia atq; cum materia suscipit: sensitiuum autem solutas à materia species respicit, tametsi materiæ conditionibus atque vestigijs indutas: intellectiuum verò liberiores & abstractiores admittit rerum imagines atq; formas ab omni materiæ conditione denudatas: cùm ergo animalis appetitus semper sequatur cognitionem, volūtas, quę intellectionem sequitur, inter appetitus connumerabitur, est enim rationalis quidam appetitus: quoniā appetitus inclinatio quędā est & appetētia formæ, siue quędā naturæ impulsio: quāuis hîc Arist. naturalem appetitum non vocet, sed animalem tātùm ob quinq; differētias, quæ inter hos appetitus reperiuntur. Prima secundùm eorū proprias naturas: quoniam naturalis non est nisi quędam naturę inclinatio atq; pōdus, ita vt non sit operatio aliqua, sed potiùs passio, qua à generante mittitur: animalis autem non tantùm est propensio naturæ, verumetiam operatio quædam, qua animatū seipsum mouet. Ex hac sequitur secunda differentia secundùm causam, quandoquidem naturalis appetitus sequitur naturam illius rei, cui inest: animalis autem non tam propriam formam, quàm formæ apprehēsionem & iudicium. Tertiū autē discrimen fit ex parte obiecti, quando naturalis tendit in non cognitum à se, dirigitur enim ab alio (vt. 2. Phys. tex. 49. dicitur) animalis verò non tantùm dirigitur ab alio, sed etiam in rem à se cognitam tendit. Quartum discrimen est ex parte finis, cùm naturalis ad speciale bonum illius partis, cui inest, ordinetur: animalis primò ad bonum totius. Et ex hoc discrimine quintum & vltimum sequitur ex parte subiecti, cùm naturalis appetitus subiectum omnis potētia sit, sed animalis tantummodo totum ipsum animal, quod cognoscit. Quare licet appetitum atq; appetitiuum per ordinem ad animal cognoscens Arist. sumat (quoniā nō naturæ, sed animæ appetitum & impulsionem prosequitur) genera tamē potentiarū penes comparationem ad obiectum sumit. Quod quincuplex est, nempe alimentū scilicet & sensibile & intelligibile, locus atq; bonum. Sed dices, superfluum esse, appetitum ponere ab alijs potētijs distinctum: siquidē coincidit cū omni potētiarū genere, vegetatiua alimentū, sensitiua sensibile, intellectiua intelligibile naturaliter secūdùm se appetūt: superuacanea ergo est appetitus distinctio? Verùm dicere oportet, haud superuacaneè istū appetitū naturę superadditum fuisse, quando cūcta viuentia (saltē animalia) eo, propter salutem totius, indigeāt. Primò, vt sicut aīa naturam excellit, ita etiā excellentiori modo animalia appetāt: nam partes omnes suapte natura propriam desiderāt perfectionē, veluti visus visionē, auditus harmoniam, & ita in reliquis, quę singulares & proprias primò & per se optāt perfectiones. Ne igitur manca & imperfecta natura maneret, oportuna fuit appetēdi facultas, quæ in ea, quæ toti primò & per se conueniunt, propēdat: in ea autem, quæ partibus competunt, ordinatur ex consequēti, sicut ediuersò partes proprias ipsarū perfectiones in bonū totius secundariò dirigūt. Quapropter sicut generare sibi simile perfectius viuētibus omnibus cōpetit, vt plantæ atque boui, quàm rebus naturalibus vt igni & aquæ: ita appetere nobiliori modo debetur viuentibus, quàm non viuentibus, præsertim animalibus, quorum appetitus cognitionem sequuntur: sequitur enim naturam animalis, inquātum apprehen-

Nutritiua eodem alimento trifariā vtitur.

Quinque sunt potētiæ animarum primæ & generales, ad quas cæteræ reuocātur.

Differentiæ quinq; inter naturalem & animalem appetitū.

Appetitiuum vnde sumatur.

Obiecta quinq; potentiarum animæ.

Obiectio, quòd frustrà ponatur appetitiuum.

Solutio, quæ probat appetitiuum esse ponēdum & quare.

hensiua est:nam sicut naturalis à sola natura pendet, ita animalis ex apprehensione. Deinde quia appetere naturaliter nō est aliquis act⁹ elicitus,sed ipsa cuiusq; naturæ inclinatio, ob id primò & per se partium est, consequenter autem ipsius totius:quia animaliter appetere,operatio elicita est atque actus secūdus,ideo totius est. Meritò nobis sic philosophandum cum Arist.est: quoniā sicut duo sunt essendi genera,primum existentium secundùm esse naturale, alterum secundùm esse animale: ita duos oportet esse appetitus,quorum alter primum genus essendi, alter secundum sequatur, & sicut primum essendi genus in natura consistit atque secundùm actum primum constituitur, ita alterum per actum secundum, qui est apprehendere:vnde fit,vt quia naturalis appetitus formam naturalem sequitur,ideo proportionabiliter per modum actus primi se habet, ita vt non sit nisi quædam naturæ inclinatio: appetere autem appetitu sequente cognitionem,totius est,quoniam sequitur naturam inquantum apprehensiua est: nam vt forma naturalis ens naturale constituit, ita forma & species cognitiuum,quod per animam adeò supra naturam eleuatur,vt illum alium essendi modū subintret,& non solùm sit ipsum sed alia,vt in.3.lib.c.5.cū Aristotele declarabimus.Cęterùm appetitiuum gradum animatorū nō esse à reliquis quatuor (quos cap.proximo posuimus)distinctum,probat Arist.primò, quia sicut actus animalia omnia sequitur, ita & appetitus cuncta viuentia:nā quibuscunq; adest sensus,aderit necessariò appetitus:quoniam tactus,qui omnia sequitur animalia,sensus quidā est cōuenientis seu discōuenientis, quæ absq; delectatione & tristitia non accidunt,sicut neq; ista absq; cupiditate iucundi & fuga molesti: quare si cupiditatem habent, appetitum etiam atque sensum habebunt (vt conuertibilem connexionem intelligas) ergo appetitiuum licet potentia sit distincta,tamen nec animæ nec animati gradus distinctus est. Præterea cum S.Tho.1.p.q.78.ar.1.ad.3.appetitiuū non distingueretur, si non deseruiret animali nisi ad partiales vsus potentiarū:tum, quia ad id conditæ sunt peculiares potentiæ:tum etiam,quia appetitiuum est necessarium ad alios animalis vsus cōmunes totius,ideo est gradus potētiæ distinctus. Volo dicere,quòd appetitus sequitur formam apprehensam,quæ nō est in animali nisi secūdùm rerum similitudines,ad quod sat essent partiales potētiæ:tamen quia res appetibilis desideratur ab animali,vt non secundùm solā similitudinem habeatur, sed etiā realiter secundùm suam naturam, ad alios vsus oportet appetitus ponatur,quo animal feratur ad rem ob bonum totius animalis, vt ad finem fertur ad cōsequutionē extrinseci,ob has rationes appetitus non est otiosus.Nec sat est,quòd singulę potentiæ circa propria obiecta sufficiēter videātur percipere:quia debet in animali esse,quod solicitum sit de vniuerso animalis bono & pro illo proclamet:ideo datus appetit⁹ animalibus, vt perfectiori modo animalia appetant,quàm naturalia:quia si vna quęuis potentia pro bono peculiari,sibiq; proprio so licita est, oportet sit vna alia,quę finem & perfectionem totius animalis communiter prospiciat,id scilicet, quod est toti animali commodius bonum, vt sic ad vitam degēdam optimè sit constitutū:sanè perfectiora pluribus egent operationibus ad suum finem,qui præstantior est, vt Arist. lib.2.de cælo c.12.sed de hoc lib.3.fusiùs circa c.6. 7.&.8.ex S.Tho.1.p.q.80.ar.1.qui cū Caietano indigentiam appetitus à priori ostendit,vide etiam.1.p.q.19.art.1.

Duo essendi genera.

Appetitiuū nō est gradus distinctus animatorum.

Vnde appetitus necessitas expendēda.

Tex.28.

Alimēti præterea sensum habent, tactus enim sensus est alimenti:nam siccis,& humidis,& calidis,atq; frigidis aluntur viuētia cuncta. Horum autem,vt patet,sensus est tactus, cæteris verò sensibilibus per accidēs nutriūtur.Nihil enim conducit ad alimentū sonus,vel color,aut odor: sapor autem vnum quid est eorum,quæ tactu percipiuntur. At verò fames,sitisvè,cupiditas est: sicci quidem & calidi,fames:frigidi verò & humidi, sitis: at sapor,horū quasi quoddam est condimentum.

Secūda ratione idem Arist.ostendit:nam

vbicunq; sensus est alimenti, ibi tactus est atque appetitus:patet,quoniam sensus alimenti fames est atq; sitis,quarum sicut illa calidi est atq; sicci cupiditas,ita hæc frigidi & humidi:non igitur separantur sensus & appetitus, quandoquidem sensus alimenti discretiuus est eorũ,quę nobis conueniunt: ex eisdem siquidem sumus atq; nutrimur (vt lib.de gene.2.cap.8.exposuimus) quoniam (vt hic dicit Arist. & lib. 3. de anima tex.64.)aliorum sensibilia ad vitæ alimentum nisi per accidens non conferunt.Sapor enim de numero eorum est,quæ ad tactum pertinent,cum per tactum quendam sumatur & ad delectationem alimenti vt eius famentum conferat , sic vnusquisq; sensuum proprij & non alieni sensibilis est: præter calidum igitur atque siccum , frigidum & humidum quidpiam appetere,impotens gula cogit : tactum esse sensum alimenti,nõ est simpliciter intelligẽdum,cùm nullus sensus sit, nisi sui sensibilis proprij, non alieni:ideo alimentum,vt tangibile ad tactum,qui gustui est amicissimus,quidam tactus dicitur(vt infrà cap.10.)& gustabile quoddam tangibile:sonus autem , color & odor per accidens, vt lib. 3. tex. 64. Quocirca notandum est,famem atque sitim naturales esse affectus, qui ob id sine rationis imperio nobis contingunt,atque in plantis minimè reperiuntur: quoniam cùm grossiori alimento victitent plantæ, cibi atque alimenti discretione non indigent, vt animalia. Præterea famis & sitis licet idem sit in plantis & animalibus materiale obiectum , formaliter tamen in plantis non est: quoniam formaliter fames atq; sitis sequũtur formæ apprehensionem atque cognitionem,& dicunt sibi discretionem. Secus absurdum magnum non reputo,in eis alimenti indigentiam,sitim aut famem appellare:quamuis famem & sitim ferre,animalis appetitus proprium videatur , ideo animali accõmodanda,quatenus secundùm sensum talia sentiuntur,qualia cõtentunt,vt discernantur apprehensio necessaria est: etenim tenuiori alimẽto & victu opus est animalibus,quàm plãtis:sed de hoc habes lib. 3. q. circa c.6.7.8. ad 2.argu.examinis illorum trium capitum. Versat hic Granatẽsis quęstionem,an dolor sit sensus contrarij,an diuisio & solutio cõtinui,an vtrunq;? Quæ lis medicorũ est ,ppria,inter quos adhuc adeò attrox pugna est, vt ipsa sub iudice manere videatur,an ex solutione continui aut intemperie aut dolorifica qualitate, quod examinare medicorum est.Mihi tamen ab hac quæstione (ne in messem alienam falcem immittam) abstinendum videtur. Interim,ne omnino ieiuni pertranseamus,distinctionem apponam , quæ si attrocissimam de hac re concertationem non sustulerit, non poterit profectò magnam lucis copiam huius quæstionis dilucidationi non inferre.Certum est apud omnes,nunquam esse dolorem,nisi sit lęsionis perceptio,quę est doloris proxima causa , sicut ad iucundi delectationem perceptio,eiusq; coniunctio exigitur(.6.Top.c.3.)ergo nisi quod dolet, sensum habeat molesti,impossibile est dolorem esse.Est itaq; dolor continui solutio tanquam communis sensibilis : sensio autem contrarij dolor dicitur tanquã proprij sensibilis:dolor igitur (vt quæstioni faciamus satis) neutrum per se est, sed diuerso modo vtrunq; , sensio enim contrarij prima & potissima ratio doloris est atq; causa eius efficiens: solutio autem continui materialis est doloris causa,quatenus calidum & frigidum sunt contrarij solutiua , illud disgregando,hoc autem congregando : ideirco proxima causa doloris sensio est contrarij : solutio autem continui,tanquam ab alia pendens , materialiter dolorem absoluit. Fortasse latiùs dicam lib. 3. circa cap. 6. 7. & 8. vbi iterum de appetitu , atque alteram definitionem de dolore fortè meliorem apponam ibi in examine in responsione ad 2.

Fames & sitis naturales sunt, & an in plãtis sint

Palatius de doloris ratione.

Resolutio Autoris de natura doloris.

Tex.29.

Verùm hæc declarãda posteriùs sunt, nunc eousq; sit dictũ, animantium,inquã hisce,quæ tactum habent,& appetitũ,inesse. De imaginatione verò nõ patet, sed de hoc posteà consideremus, oportet.Nõnullis insuper & loco motiuum etiã inest,& alijs ratiocinatiuũ,ac intellectus,vt hominibus,& si quid sit aliud tale, vel etiam præstabilius.

De his omnibus, quasi tacitæ obiectioni respondens atque ab exacta harum rerum tractatione excusans, dicit latiùs & certiùs

inferius

inferiùs esse agendum, de tactu scilicet & gustu & de phantasia, quam suprà distinximus, atq; de intellectiuo, quod hominib^9 cōpetit vel similibus. Nam illis verbis huius textus postremis, *Et si quid sit aliud tale, vel etiam præstabilius*, propter dęmones aut angelos siue intelligentias Arist. dixisse, diuinate cogor, dicam lib. 3. tex. 61.

Tex. 30. Perspicuū igitur est, vnā Animæ rationem esse perinde atq; figuræ: neq; enim ibi figura vlla, præter triāgulum, est, & eas, quæ deinceps sunt collocatæ: neque hic anima vlla, præter eas, quas diximus. At vt in figuris vna cō munis ratio fieri potest, quę cunctis quidem figuris accommodabitur, nullius autem erit figuræ propria ratio: sic & in animabus dictis fieri potest. Quapropter ridiculum est, & in his, & in cæteris rebus communem quęrere rationem: quæ quidem nullius eorum, quę sunt, erit propria ratio, nec in propria cuiquam accōmodabitur, & indiuidua specie: rationem eam omittētes, definitionemvè, quæ cuilibet hoc pacto competere, accōmodariq; potest.

In quæstione de immortalitate contra Auerroem pōde rantur hic locus. Altera est huius cap. pars, qua Arist. quę dicta sunt de animæ communi atq; propria definitione, similitudine figuræ illustrat, & in transitu etiam videtur contra Platonem agere, qui ideales rerum rationes inducebat, qui etiam figurarum & numerorum & in vniuersum eorum, quæ secundùm priùs & posteriùs sese habebant, ideas negabat: vtriusq; tamen oppositum in præsenti textu affirmat Arist. atq; etiā modestè formidandæ quęstioni, quam in procemio tex. 8. adduxit, respōdet, vbi tacitè Platonem carpserat, quòd ideales rerum traderet definitiones, quę nullius rei propriç essent. Modò verò Arist. dicit, proprias esse singularum animarum tradendas definitiones (vt. 2. cap. diximus) etsi communis assignanda sit, quæ nō sit separata, sed omnibus animæ speciebus conueniens atq; ad inquirendas proprias instituta: hoc autem colligit ex collatione trina animæ cū figura. Prima, sicut figura non est separata idea, sed in singulis figuris reperitur, illis verbis, *Neq; enim vlla figura præter triangulū est, &c.* ita & anima nihil est pręter singulares animas. Secūda ibi, *At vt in figuris, &c.* sicut figura definitionem habet communem, quæ omnibus figuris conuenit, nullius tamen propria est: ita anima communi definitione definitur, videlicet actus corporis physici & organici potentia vitam habentis, quæ omnibus conuenit, & singulis animabus appropriari & accommodari potest, tamen singularum animarum communis & non propria. Tertia similitudo, illis verbis, *Quapropter ridiculum est, &c.* quæ in hoc consistit, vt sicut communis figuræ definitio propriam cuiusq; figuræ definitionem antecedere debet, sic animæ communis definitio propriā cuiusq; animæ præcedat, necesse est: doctrina generalis semper ad ea, quæ posteriùs probanda sunt, viam pręparat & illustrat: præire ergo debent ad illorum faciliorem comprehensionem. 1. Phys. tex. 1. à communioribus innata est procedendi methodus. Reliqua autem textus verba, quæ sequuntur inde, *Quapropter ridiculum est, &c.* contra Platonem sunt oppositum asserentem, communem scilicet non vt genericam aut analogam, quæ rebus cōpetat, sed quā idealem & à rebus separatam definitionem ponebat: vbi peiùs Auerroes separat intellectiuam, quam non esse actū corporis contendit: de quo quæstione de immortalitate.

Trina collatio figuræ cū anima.

At verò quemadmodum in figuris, sic & in anima fit: nam tā in figuris, quàm in animātibus, in eo, quod deinceps est collocatum, id inest potentia, quod illo est prius. In quadrato nāq; triangulus, & in sensitiuo vegetatiuū inest, vt patet. Quapropter in singulis quærendum est, quænam sit cuiusq; anima: vt quænam sit Tex. 31.

anima plantæ, quæ bestiæ, quæ denique hominis. Quam autem ob causam deinceps sic sese habent, considerare oportet: sensitiuum nanq; sine vegetatiuo nõ est, at à sensitiuo vegetatiuum in plantis seiungitur. Rursus sine tactu nullus cæterorum sensuum est, at ipse tactus sine cæteris est. Complura nanq; sunt animaliũ, quæ neq; visum, neq; auditum, neq; sensum habent odoris.

Non semel Arist. species rerum figuris atque numeris comparauit, & ita.8.Met. tex.10.dicebat esse sicut numerum, hîc autem sicut figuram: quia, vt in præcedenti tex.dictum est, sicut figuræ & numeri ratio vna est, quę in omnes numeros atq; figuras diffunditur, sic vna animæ definitio est, quæ non seorsum vt idea separatur, sed aut ratione aut sola enumeratione, ob idq; omnibus animabus competit. Nunc verò pręsens hic textus factam comparationem legitimam esse probare videtur: quia sicut figura prior in posteriori non formaliter sed virtualiter, vt triangulus in quadrato, cõtinetur (ducta enim diametro apparent duo trianguli actu, qui ante erant in potentia, & sicut quadratum quatuor angulis rectis cõstat, ita vnusquisq; triangulus habet tres angulos ęquales duob' rectis) sic anima prior & imperfectior in posteriori & perfectiori virtualiter vt vegetatiuũ in sensitiuo, quod vegetatiuo succedit, continetur: nam generant animalia, nutriuntur atq; augẽtur, hæc eadem homines faciunt, sentiúntq;, ac prætereà intelligunt: est enim hic generationis ordo, vt semper natura procedat ab imperfectis ad perfecta: perfecta autem imperfectorũ perfectiones & facultates continent, vti tactus, qui infimus & primus est omniũ sensuum, sine alijs reperitur: reliqui autem sine tactu non sunt: nam communiora & priora, id est, imperfectiora facultate, potẽtia atq; virtute manent: posteriora actu atq; re, id est, essentia substãtiali (quoniam perfectiora sunt) perseuerant. Quare Aristoteli, materia vna plures nõ patitur formas: perfectiori nãq; accedẽte reliquæ (ne quidpiam sit in natura superfluum) continuò locum concedunt, fiunt enim in superioribus per pauca, quę in inferiorib' diuisa sunt: vegetatiuum enim atq; sensitiuum formaliter speciem non constituunt in homine (aut esset homo simul planta atq; brutũ) sunt igitur illa sicut in figuris virtute atq; potentia: vnde quaternarius ternarius non est, neque sensitiuum est essẽtialiter vegetatiuum, nisi secundùm denominationem facultatis atq; potentiæ, vt in quæstionibus huius cap. dicemus. Quadrantissima igitur comparatio est: nam sicut vegetatiuum in sensitiuo partis habet rationem & ob id potentiâ est, ita ternarius quaternarij pars est atque adeò in potentia est & virtute: quod Arist. apertissimè illis verbis huius textus dicit, *Nam tam in figuris, quàm in animantibus in eo quod deinceps est collocatum, hoc inest potentia, quod illo est prius*, ideo infert, propriam esse cuiusq; animam inuestigandam & quę sit cuiusq; ratio. Conclusionis autem rationem exponit Arist. inde, *Sensitiuum nanq; sine vegetatiuo nõ est*, quia cùm vegetatiuum separatur à reliquis, totum quoddam est, in alijs autẽ pars: nam sensitiuum non est sine vegetatiuo, similiter sensitiuum est sine intellectiuo, & adhuc tactus sine alijs sensibus. Sunt enim animalia, quæ aliquos habent sensus, non tamen omnes, vt lumbrici visum non habent: alia quæ non habent auditum, vt formicæ & muscę: neq; adhuc sensum odoris, vt noctilucæ.

Arist. negat plures formas substãtiales in eodẽ.

Vide expositionẽ huius tex. 31. & sequẽtis. 32. in disputatione de immortalitate aĩæ in 3. p. secundi principalis arg.

Et eorũ rursus, quæ sentiunt, quædam habent loco motiuum, quædam non habent: extrema autem, atque minima rationem habent, & mentẽ. Quibus enim mortalium inest ratio, his sunt continuò & cætera cuncta. At quibus vnumquodque illorum inest, hisce non omnibus inest & ratio, sed quædam imaginatione vacant, quædam hac sola viuunt. De intellectu verò contemplatiuo, alia ratio est. Quæ cùm ita sint, patet, horum cuiusq; Tex.32.

iusq; rationem, animæ maximè propriam rationem est.

Perpenditur iste locus pro animæ intellectiuæ ratione in quæstione de immortalitate cōtra Auerroem.

Prosequitur Philosophus qu[illegible] proximo tex. inchoarat: nam quędam sensitiua sunt, quę secundùm locum progrediuntur: quædam, quæ locum non mutant: quædam autem, quæ in fastigio & culmine rerum collocantur: præter hæc, quæ diximus, mêrem insuper habent atq; rationem, veluti homines, quos extrema atq; minima vocat: extrema quidem, quòd in vltimo & summo perfectionis animatorum gradu collocentur: minima, id est, pauca respectu aliorum, quia non multiplicantur in varias species, habent tamen rationem atq; mentem: est enim homo animalium vltimum in generatione, primum autē in perfectione, estq; complemētum animalium & finis eorum, quæ natura generatione intendebat, in quo natura omnia, quæ potuit, collocauit, quē, quoad pertingere potuit, prouexit atque promouit: ideo. 2. Phys. tex. 24. dicitur esse finis omnium: quia, vt omnibus vtarur & vt præsit vniuersæ creaturæ, conditus est Gene. 1. imo quodammodo omnia dicitur & microcosmus. 8. Phys. tex. 17. Dicit ergo Aristoteles, *Quibus enim mortalium inest ratio, his sunt continuò & cætera cuncta*, excipit quidem immortales, sicut suprà tex. 15. diximus: quia intelligentiæ vegetatiua & sensitiua anima vacāt: etenim de virtutibus animæ duntaxat desiderium atq; intellectum habent (de intelligentijs cęlestium orbium motricibus. 2. de Cælo cap. 2. & de animatione cæli. 3. lib de anima tex. 61.) ediuerso tamen vbi sunt aliæ virtutes à ratione, non necessariò sunt cæteræ cunctæ, vt paret in tribus primis animatorum gradibus: *De intellectu verò contemplatiuo* (vt dicit) *alia ratio est*, quia de ipso. 3. lib. de anima differendū fortasse erit: aut Arist. per intellectum contemplatiuum substantias intelligit separatas atq; supercælestes intelligētias, quarum nobilitatem atq; præstātiam insinuat Arist. eò quòd contemplatiuæ sint, hoc est, positę in primæ causæ continua contemplatione: sed meliùs de nostro intellectu, de quo exactiùs. 3. lib. hui⁹: de eo enim nil aliud modò constat, nisi quòd sit omnium facultatum præstantissima, quæ cæteris ranquam famulis & ministris vtatur: ideo quæ intellectu prædita sunt, cæteris potentijs prædita esse oportet. Concludit Arist. illis verbis, *Quæ cùm ita sint, &c.* manifestum esse, eam definitionem, quæ de anima assignatur, proprissimè de quacunq; anima dici.

Excusat se Autor, quòd de distinctione potentiæ à subiecto nō agat.

Hîc iuxta textum. 21. aperienda ea quæstio esset, quę de distinctione potentię à suo subiecto vulgò circunfertur, sed est illa metaphysicæ potiùs perscrutationis: Primus enim Philosophus statuere debet, cuiusnā sit generis vnaquęq; res: sicut enim Mathematici non interest intelligere, an linea substantia sit aut accidens, sed duntaxat quòd eius partes vno termino communi copulantur: ita Philosophi naturalis non refert deprehēdere, si vis sensitiua in homine substantiā sit aut accidens. Præterquam quòd metaphysicæ quæstiones cùm physicis non sunt confundendæ, eam Dominicus à Soto doctissimè iuxta vnām viam S. Thomę lib. prædicab. cap. de proprio tractauit, & reuerendissimus Aiala Archiepiscopus Valentinus lib. etiam prædicab. cap. de proprio iuxta tres vias eruditissimè versauit. Quare ne actum agere videar, nihil est morandum, non enim animus est duntaxat aliorū scripta transcribere: maximè cùm S. Tho. omnium magister. 1. p. q. 77. art. 1. de hoc egregiè disputet, vbi multa à nobis dicta cū suo enarratore Caietano: metaphysica igitur est ista quæstio: tametsi cap. sequēti in. q. de potentiarum specificatione principium distinctionisq; radicem tangemus.

QVAESTIO NATVRALIS.

An in vno eodemq; composito sint plures formæ substantiales, & in eodem animali plures animæ?

De formarum vnitate aut multitudine in eodem composito.

Hoc loco circa textum. 31. oportunè tractaretur quæstio, quam. 1. lib. de gene. c. 4. tetigimus, de multitudine & vnitate formarum in eodem composito, nisi loco citato eam percurrissemus, vbi ostendimus, in eodem plures non posse esse formas substantiales: ne ergo eadem incassum resumere cogar, illum locum visites atq; expēdas obsecro, vbi reperies quæstionem definitam: quia quodlibet animatum est vnum per se, ergo ab vno actu: nā si plures haberet, vnū esset per accidens, si aliunde homo, aliunde animal, aliunde esset viuens, nimirum quia non esset idem actus vltimus, qui potentiā

actuaret:quod tamē oportet iuxta ea quæ dicimus infrà lib. 3. c. 3. quòd impossibile est,potentiā pluribus formis vltimis actuari,vbi rem à priori ostendimus:sed vide locum citatum. t.de gene.cap.4.& latiùs.1.p. q.76.per totam,maximè art.3. ad. 3.&. 4. ex professo.ar.4. Cùm enim posterior forma ad omnem operationem exercendam sat sit,nulla alia erit,nisi eā frustra & otiosè ponas:hoc enim est,quod hic Arist. intelligi vult cùm dicit, priores formas in posterioribus virtute contineri:nil enim aliud est ista continentia,nisi quòd perfectior sit atq; omnibus potentijs prædita,vt possit etiam efficere omnia,quæ alijs formis attribuuntur,quod intelligitur ex similitudine figurarum,in quibus perfectior,vt circularis,omnes alias continet: sic homo perfectiùs viuit ac sentit,quàm reliqua,quia præstantiorem habet formam & nobiliora instrumēta.Certum enim est,quòd si accedente sensitiua,vegetatiua in eadem forma maneret, idem esset planta & animal,sensibile & insensibile, haberet siquidem intus sensitiui & non sensitiui inexistentia principia:vide loco citato lib.1.de generatione,vbi in primis opinio Scoti in. 2. d. 15.q. 1. de forma corporeitatis refellitur. Deinde consonum esse Arist.& S.Tho.principijs vnā esse formam, & posteriorem esse perfectiorem,in qua reliquæ omnes claudantur:aliàs si plures formas poneres, forma substantialis nō reciperetur immediatè in materia,nec materia esset proximum & immediatum subiectum transmutationis substātialis, sed reciperetur forma in materia non nuda, sed habēte aliam formam,quare in ente in actu & ad sensum demonstrabili, contra Commentatorem.5.phys.tex.8.vbi Arist.docet, generationem non esse motum, quia subiectum generationis non est ens in actu. Irrationabile est ita asserere, cùm non possimus saluare vnitatem compositi:siquidem forma per se & immediatè nō vniretur potentiæ,vt suprà tex.7.atque adeò generatio non esset trāsmutatio totius in totum nullo sensibili manēte eodem,vt. 1.de gen.c.4. dicit Arist. Dices, Philosophum. 2. de gener.animal.c.3.&.4.asserere, animal priùs viuere vita plātæ,deinde vita animalis:ergo vtranq; vitā habet & vtroq; modo est animatum,habet igitur simul vtranq; formam? Dicendum,ob rationes,quas loco citato posuimus, vnam esse solam formam;

Obiectio.

nam adueniente perfectiori, statim recedit quæ imperfectior est:itaq; à principio embrio(iuxta vulgarem modū dicendi)quoddam plantę genus esse videtur(quod suprà cap.1.in quæstione principio.4. visum est vero simile) quanuis alijs probabile nunquā fuerit:siquidem cōtendunt, per nutritionem in illo fœtu lignum aut herbam aut aliquid proportionale his,quæ in vegetabilibus reperiuntur,non produci,sed sola caro,quę pars animalis est,nec potest esse plāta:viuit igitur fœtus ille atque embrio vita sensitiua.Ad Arist.igitur dico,fœtum illum viuere vita plantæ,non quòd seorsum plāta sit & non animal,sed quòd aliquādo dūtaxat nutritur instar plantæ,vbi non sentit, veluti Zoophyta & plantanimalia.Mixtio enim illa atq; complexio elementorū,quę in illo fœtu reperitur,perfectior est, quàm quæ tolerare & permittere possit solꝰ plātalis animæ informationē: quare fœtus ille atq; embrio incompletū atq; in fieri animal est:à principio igitur animationis anima sensitiua materiam formauit, licet propter materiæ indispositionem opera sensus exercere non valeret. Nemo sanè dicet,intellectum annos discretionis expectare, vt ipsi materiæ adueniat: ergo rectè ordinem virtutum ponimus,quæ corporis complexionem sequantur.Sanè cùm substātia animæ absoluta & libera nō sit,ideo tēporis discursu & successione tales virtutes esse in homine ostendit: id autem significare videtur Arist. cùm dicit, *Non simul animal & equus generantur,* non intelligit, formam indeterminatam & imperfectam præcedere sensitiuam perfectam, & communem sensitiuā particularem anteire, sed quòd non simul operationes vtriusq; animæ ostenduntur, vbi sensitiua cùm animal generat, vegetatiuum etiam generat: quia animæ vegetatiuæ vim in virtute sensitiua continet, quæ quāuis illius vegetatiuę operationes in forma non faciat,tamen operatur illis proportionales & adhuc perfectiores. Insuper ꝙ vegetatiua simul non sit cum sensitiua, argumento est,quòd in recessu sensitiui vegetatiuum non manet,maneret autem & post mortē animalis,atq; amisso sensu,eius corpus anima vegetatiua viueret: est enim vltimum via generationis & primū via corruptionis: improbabilis est igitur Galeni opinio de existentia vtriusq; animæ in eodem.Quare licet.4.c.lib.1.de gene.vtranq; obiter

Solutioꝰ quę habet à principio generationis sum rā formā perseuerare, cuius cōtrarium vt probabilius suprà.q.super c.1.in tab.4. demonstrauimus.

Galenus de vnitate animarū.

obiter retulerimus opinionem,& communis visa fuerit tutior,quam suprà cap.1.approbaui in quęstione notabili eiꝰ siue principio.4.Modò tamen ob eas quas adduximus causas,hæc si nō tutissima,tamen probabilissima esse videtur:maximè quia esse speciem plantæ & nō in aliquo indiuiduo, res est inaudita,vt sic sit indiffinita species. Si dicas,quòd non est in specie nobis nota, hoc est diuerticulum & fuga vana:si iterum respondeas, esse plantam & nullius certæ speciei,quia tantùm est præparatio ad perfectiorem: Benè,sed cur interim non ponitur in sua specie?ergo embrio nūquam erit viuens sine anima sensitiua:quia ingenuè fateor,intellectiuam non induci,nisi iam aptè disposita materia, vt non sit priùs planta quàm animal, benè tamen priùs animal quàm homo. Quanuis cuidam Neotherico videatur oppositū,quòd priùs planta quàm animal,non tamen priùs animal quàm homo,quia eadem organa,quæ ad sensitiuam animalis,sunt ad intellectiuam:tamen licet ita sit,non sunt ab initio perfecta & accommodata ad tam perfectam formā,vt est rationalis:non ergo deberet adeò cōmoueri, vt S.Tho.relinqueret ratione ista,quæ pari ratione de plantali anima concluderet. Reliquimus tamen sub dubio ibi,quod in hūc locum remisimus,disputationem de formis partium, an scilicet distinctio partium animalium diuersas inferat formas? quam dum differo,te lector obsecro, hæc loca ex S.Tho.& Arist.citata visites & conferas cū his,quæ tex.3.&.4.notab.quæst.supra primum cap.vt eligas,quod tibi magis plausibile videbitur:sciens enim & prudēs optionem tibi facio:quoniam si meam cupis sententiam,scias mihi videri probabilius, formas perfectas & permansuras à principio non esse inductas:quia susceptiuum non est capax nec sufficiēter organizatum:formas autē non permāsuras,sed trāseuntes, vt introductorias & pręparatorias induci ad pręparanda susceptiua ad perfectiores formas, quibus accedentibus aliæ priores abeunt & recedunt, non enim sunt per se intentæ ad constituendas rerum species:talis est seminis forma & embrionis,quæ præambulę sunt & introductoriæ perfectiorum,cū quibus irrationabile est manere: aliàs nō possemus vnitatem compositi saluare, vt hic tex.7.Arist.docet.Nec generatio esset trāsmutatio huius totius in hoc totū nullo sensibili manente eodem,vt.1.de gene.tex.23. cum Arist.docuimus: sed ad alias quæstiones veniamus.

Peresius lib.2.c.1. q.1.

Autoris cēsura de embrione.

QVAESTIO.

An formæ partium distinguantur à forma totius?

Pars affirmatiua ꝓbari videtur ex Arist. in fine.4.Meteor. quia earum,aliud est nomen,alia definitio,alia complexio,alia operatio,alia densitas aut raritas,alia mollicies aut duricies, alius color, alia figura,&c.ex quo in hunc modum colligo, membra in suis naturalibus proprietatibus differre,igitur substantialibus formis:patet consequētia ex Arist. lib. de sensu & sensato,attribuente oculum aquę,aurem igni ex eorum naturalibus proprietatibus. Secūdò eadem consequentia probatur: quia si hoc negaueris, subinde Philosopho naturali pręripitur atq; intercluditur via ad rerum naturas ex operibus indagandas.Præterea,quia membra se alterant:patet ex contrapositione & contraria operatione calidorū & frigidorum,ergo substantialiter differunt:secus eadem forma substantialis principaliter ageret ad sui destructionem. Respondendū censeo cum Auerroe.6.Phys.tex.59. quod etiam tangere videtur. 12. Met. tex.2. Primò,quòd ossa,nerui,caro,&c. substantialiter differunt; quod primum argumentum ostendit.Secundò,non differunt per formā substantialem,propriam atq; particularem: siquidem omnium partium eadem est substantialis forma, & vna eademq; illa,quæ est totius.Probatur,quia si essēt formę partium diuersę:tunc quæro,an formæ partiales expectant formā totalem,& sic erit generatio absq; corruptione (quoniam esset introductio illarum formarum partialium sine expulsione totalis formæ)si non expectant sed abeunt & recedunt,non erit profectò istarum partialium formarum in corpore animato multitudo: quandoquidem totalis ipsa forma præstat,quod omnes illæ partiales conferebant: quare partiales formæ essent quidem otiosæ & superuacaneę. Differentia igitur in materia est,non tamē prima & remota: quia illa est vnius rationis in omnibus illis partibus,sed in propinqua, quæ elementorum dicit certam mixtionem,vt in ossis mixtura,in quo terra dominatur

Primū argumentū.

2.argu.

3.argu.

Prima cōclusio.

2. conclu.

1.ratio.

Cōplexio partis vn de expetenda.

minatur & non ignis (contra illam Empedoclis proportionem positam ab Arist. 1. de anima tex. 77.) in alijs à liud elemētum, probat, à rerum natura excellere: nomine igitur carnis non materia prima absolutè importatur, neque materia certa qualitate aut quantitate disposita, sed certa elementorum mixtio, qualem exigit ipsa forma totius ad suas functiones absoluendas. Præterea caro carnem assimilat & in carnem alimentum conuertit, carnem auget, & terminus actionis similis suo principio debet esse: ergo cùm hæc sint opera nutritiuæ animę, quę in animalibus re idē est cum sensitiua, forma carnis nutritiua est & sensitiua atq; idem cum forma totius. Confirmatur, quia si illius nutritionis, quæ in carne partiali fit, anima sensitiua principiū non esset, iam carnem animalis nutriri & augeri virtute sensitiuæ animæ negaremus, quod est absurdum: quia eadem forma est essendi & operandi principium: si enim anima sensitiua nō esset principium essendi carnis, nec esset principium operandi carni, quod est falsum & impossibile. Prętereà quia anima quæ dat carni esse, formaliter dat esse carnē & carnem viuam: ergo eadem forma totius forma est omnium partium: aut sanè si alia formâ esset caro & alia formâ caro esset viua, caro per eandem naturam non esset viua atq; sensitiua: quare generās carnem per se primò non generaret sensitiuam potiùs quàm non sensitiuā. Ideo etsi specifica formarum accidentalium distinctio sit in ipsis partibus, vt arguitur ex alterationis specifica differentia, & quamuis generatio viuētis sit generatio ethereogenei habentis scilicet partes specie differentes, non tamen propter substantiales formas partium, sed propter vnam formam substantialem totius, quę diuersitatem specificam, imperfectam & accidentalem in partibus exigit. Quare meritò caro mortua à viua ęquiuocè dicitur per substantialis formæ (quæ anima est) præsentiam & absentiā (tex. 8. & 9. huius. 2.) est enim caro viua formæ substātiali totius atq; quibusdam accidentalibus subiecta, quibus mortua non afficitur. Et quo multa in pauca conijciam atq; quæstiunculam istam resoluam, vna est anima, quæ indiuisibiliter est forma totius & tota in toto & quauis parte (vt in quæstione de animarum indiuisibilitate diximus cap. præcedēti) consequens est, vt eo totius sit forma & indiuisibilis atque vna, vt tam varia instrumenta copulet & coniungat: præter illam ergo animā, quę totius est forma, non opus est formis partialibus: sic S. Tho. 1. p. q. 76. art. 5. ad. 3. quòd partes illæ propriè nō sunt diuersarum specierum, sed sunt diuersarum dispositionum, quia anima illis dispositionibus indiget, propter quas corpus & organicum dicitur & ethereogeneum. Ad argumenta igitur proposita respondendum est. Ad primum, illas diuersitates non ex formis partialibus, sed ex vnica forma totius promanare, quæ diuersitatem materiæ secundæ atq; pro exigentia ipsius animæ diuersam partium organizationem accidentalem requirit atq; dispositionē, qua partes animæ ipsius fiant capaces: est igitur illa tū partium veluti numeralis distinctio, quatenus per materiam fit, non specifica essentialis, tāquam per formam partialem facta. Nec intelligas numeralium partium distinctionem, sic vt partes actualiter sint numero distinctæ, cùm vnitate formę atq; cōtinui vnum actu sint, differunt tamen in potentia: harū autem partialium operationū diuersitas ex vnius animæ potentiali diuersitate oritur: siquidem anima vna est formaliter, virtute tamen plures & multiplex: ideo non vno membro, sed diuersis virtutibus atq; membris operatur. Quare diuersitas specifica operationum diuersitatē specificam formarum affirmatiuè non colligit, benè tamen negatiuè, vt dicamus non sunt operationes distinctæ, ergo neq; formæ distinguuntur: ab eadem sanè forma distinctę atq; variæ operationes proueniunt: ideo sicut libris de gene. loco nuper citato cōcludebamus & hîc in quæstione pręcedenti, in eodem composito totali plures formas esse non posse: nam cùm vnaquęq; forma essentialis faceret vnum ens simpliciter actu cōpletum, ob id simul plures totales formæ non sunt: quoniam idem haberet plura esse essētialia in actu, quod est impossibile. Eodem profectò argumento de partibus colligemus: nam si præter animam totius, quæ (vt diximus superiùs) non solùm in toto est sed in qualibet parte, animæ partiales ponerentur, quæ partium sint formæ, haberet igitur pars vnaquęq; plura esse essentialia in actu, quod repugnare videtur: igitur nec in toto nec in partibus formæ sunt essentialiter differentes. Quę est Aristotelis expressa mens. 1. lib. de anima tex. 58. vbi dum argumen-

Marginalia (left): *2. ratio.* — *Confirmatio.* — *3. ratio.* — *Obseruanda resolutio.*

Marginalia (right): *Ad primū argu.* — *Ad. 2.* — *Philosophus.*

gumentatur contra opinionem tenentem animam esse harmoniam, dicit, absurdum esse mixtionis rationem animam esse putare: nam cùm elementorum mixtio aliam habeat rationem in carne, aliam in osse, fieret atq; sequeretur inconueniens, vt plures habeat animas per totum corpus: vbi expressè ad nostrum argumentum respondet asserendo, ex diuersitate organorum atque membrorum non colligi animarum diuersitatem. Vnde vtraq; argumenti consequẽtia & probatio diluitur: prior, quòd Philosopho via claudatur ad naturam animæ ex operationibus inuestigandum: & posterior, quòd partes proprietates habeant differentes. Ex his, quæ diximus, soluitur tertiũ argumentum, quòd si non est nisi vna anima in toto & partibus, cùm partes contrariæ sint atq; sibi inuicem aduersę contra se pugnantes, anima ipsa ad sui ipsius destructionem operaretur: quod absurdum non reputo, modò id sit per accidens atq; ex consequenti & præter animæ intẽtionem, quæ primariò sui vel alterius partis conseruationem intendit, atq; totius moderationis clauum tenet, vt omnes operationes ad vnum finem regulet: calor itaq; cordis cerebrum nõ destruit, qua naturalis est, sed quatenus pręternaturalis. Et si quis adhuc mirabitur, mirari profectò desinet, cùm intelligat, animam tot membris atq; virtutibus mediantibus operari: sicut paulò superiùs dicebamus de embrione, qui sensitiuæ animæ, qua cõstabat, operationes non exercebat: quoniam instrumenta parata non habebat neq; modos conuenientes, quibus vita sensitiua operaretur. Quid? quòd, id non rectè dices præparari ad animæ corruptionem, sed potiùs ad perfectionem, cùm anima in aduentu harum operationum consummatione earum perficiatur: vnde embrio priùs est planta quàm animal, priùs animal quã homo (intellige siue quoad esse secundum vnã opinionem, siue secundum alteram quoad operari) ergo non tantùm vna forma est totius & partium, verùm à principio ad finẽ fortasse vna & eadem perseuerat, quæ pro instrumentorum varietate variam secundũ operationes sese declarat. Quid igitur mirũ erit, si in partibus varia vna illa forma ostẽdatur, quando in toto adęquato perfectibili pro varia ipsius dispositione non vna sed multiplex esse ostẽdebatur? (suprà in quęstione de indiuisibilitate animarũ.) Anima enim, quæ vna simplex & indiuisibilis est secundùm essentiam, multiplex est virtute, quã exercet in adęquato perfectibili, quod multis organis distinguitur ad diuersas operationes exercendas in partibus inadęquatis & partialiter se habẽtibus. Sed dices, anima nostra rationalis incorruptibilis est atq; de foris aduenit: sensitiua autem corrumpitur & de potẽtia materiæ educitur: nõ sunt igitur in homine vna eademq; forma? Dicendum, substantiam vnam & eandem esse formam, quæ secundùm operationem sensitiuam corrumpitur, manet autem secundùm intellectiuam: vnde habet, vt secundũ essentiam non educatur de potentia materiæ, secundùm operationem & potentiam sensitiuam educatur. Sed ambiges, si enim anima est in toto & in partib⁹, per illã partes viuent atq; in sensitiuis sentient, quare os sensitiuum erit, contra Arist. 3. lib. de anima cap. vltimo, vbi dicit, *Neq; ossibus, neq; pilis, neq; talibus partibus vllis omnino sentimus, quia terrea sunt*, habent igitur propriam formam distinctam à sensitiua? Dicẽdum, ossa fortasse sentire, vt dentes ostendunt, cõtingitq; ossibus dolores infigi, dũ aliquo apostemate afficiuntur, nisi is sensus ex coniunctione & cõpassione nerui propinqui eueniat. Ad Arist. autem dicendũ, voluisse, animal ad tangendum non præbere ossa neq; capillos, sed partem aliam vt manum, in qua magis viget sensus tactus. Quæ solutio, si à veritate aliena alicui visa fuerit, interum ꝙ ad eum locum interpretandum accedimus, dicat aliter, videlicet animam sensitiuam in partibus etiam esse, sed eam in osse propter terrestreitatem nõ sentire, exercet enim anima instrumẽtis operationes iuxta ipsorum instrumentorũ naturas atq; indigentiã. Vnde non otiosa est ibi sensitiua, neq; abũdat natura in superfluis aut deficit in necessarijs, quando ossi natura sua sensus organa non debeantur. De qua dubitatione. 3. lib. de anima loco citato aliquid dicem⁹, quod hunc & illum locum exponat.

Summa.

Ad 3.

Nota.

Obiectio de forma humana.

Solutio.

Dubitatio de ossis sensu.

Solutio.

DVBIVM

De modo quo est vegetatiuum in sensitiuo.

Sed antequam finem imponamus, non fuerit abs re intelligere, quem in modum vegetatiuũ in sensitiuo includatur, vt Arist.

tex.

Primũ argumentũ. tex. 31. dicit. Nam id falsum videtur: quia non tantùm est in potentia & virtualiter, sed in actu & formaliter: siquidē equus non solùm est sensitiuus formaliter, sed vegetatiuus etiam, & eius anima sensitiua & vegetatiua formaliter est. Deinde fieri nequit, vt *2. argu.* duo sic se habeant, quòd adinuicem se in potentia includant: ergo cùm sensitiuum sit in vegetatiuo in potentia tanquam in principio eius materiali, vegetatiuum non erit in sensitiuo in potentia: essent enim iam causę sibi inuicem causæ in eodem genere causæ, *3. argu.* quod est absurdum. Preterea licet concedamus vegetatiuum esse in sensitiuo in potentia, tamen de ista potentia dubitandum esset, an esset actiua an passiua? passiuā non dices, quandoquidēm sensitiua non est vegetatiuæ susceptiua: neq; est actiua. Primò, *1. probatio.* quia si verū est id, quod superiùs diximus, sensitiuam & vegetatiuam vnam esse animam in equo, constat, sensitiuam non posse generare vegetatiuam: quia nihil generat *2. probatio.* seipsum. Secūdò, quia sensitiuum posterius est naturaliter vegetatiuo: non poterit igitur id, quod posterius est, quod est prius generare. In oppositū est Aristoteles hoc loco, omniumq; philosophorum communis atque concors sententia. Dicendum igitur *Conclusio, quę aperit quęstionē Arist. & Caiet. doctrinā elucidat.* ad quæstionem, verum esse id, quod Arist. cum schola omnium rectè philosophātium asseruit: pro cuius expeditione declarandū principio est, vegetatiuum in ordine ad sensitiuum non se habere sicut genus ad speciem, sed vt genus ad genus cùm ordine tamen atq; habitudine quadam cōsequenter se habendi. Duo in hoc principio includuntur: Primum, quòd non se habeat sicut ge- *1. cōclusionis pars declaratur.* nus & species atque adeò sicut superius & inferius: nam vbicūq; hæc reperiuntur differētia, quę est inferioris atq; adeò ipsi⁹ speciei per se constitutiua, sicut superioris atq; generis est diuisiua: & insuper nihil aliud est, quàm quędā essentialis pars eius, cuius est differentia, ita vt cùm differentia generi additur, non additur aliqua quasi diuersa essentia à genere, sed quędam essentia apponitur, quę generis est actuatiua quasi in ipso genere implicitè contenta, veluti determinatum in indeterminato. Vnde nihil prohibet, genus diuersas species cōtinere, sicut indeterminatum & potentiale plura determinata atq; actualia potentiā cōtinet: propter quod etiam differentia generi non aduenit vt omnino diuersa ab ipso genere, in quo continetur: non sunt enim differentiæ aliæ à forma generis, sed sunt generis forma cum determinatione (vt. 7. Met. tex. 43. probat Arist. dicens, scisio pedis quędam pedalitas est) & animal id est, quod sensitiuam animam habet: homo etiam quoddam id animal tale est, quod sensitiuam habet talem scilicet cum ratione: ergo sicut omnis per se differentia animalis, quod sensibile est, sensatio quędam necessariò est (etiam sensitiui per se differētia sensatio aut sensibilitas talis est) ita pari ratione si vegetatiuum ad sensitiuum se haberet sicut genus ad speciem, sequeretur, vt id, quod est differentia per se vegetatiui atque ipsius vegetationis, vegetatio quędam esset: constat autē, quòd quāuis sensus vegetationem ipsam suppo- nat, tamen sensus formaliter nulla vegetatio est, nisi potestatiuè & denominatiuè: quandoquidem tota formalis ratio vegetatiui atq; vegetationis latitudo rationem sensus attingere & assequi nequit, sed ab ipso sensu necessariò deficit: non erit igitur sensitiuum differentia vegetatiui, atq; adeò nō se habent sicut superius & inferius, quod erat primum probandum. Alterum autem, *2. conclu. pars.* quod in nostro principio includitur, est, vegetatiuum & sensitiuum ea habitudine se respicere, vt ordinem habeant consequenter se habendi: nam in hunc modum se habent, quo se respiciunt, vt genus minus perfectum ad magis perfectum, vt ternarius in quaternario & triangulus in quadrangulo (vtrunq; autem probatur, atque simul quæ diximus, ipsum etiam Aristotelem sic explanamus) nam cùm anima sensitiua nō sit formaliter & essentialiter vegetatiua (quod Arist. figurarum atque numerorum optimo probauit exēplo) fit, vt sicut triangulus in quadrangulo tres habet angulos, non tamen secundùm rationem atq; trianguli terminationem, sed potiùs secundùm naturam & formalem rationem atq; quadranguli terminationem: pari rerum consequutione atq; similitudine vegetatiuum in sensitiuo continet id, quod ipsius vege- *Attende.* tatiui proprium est: non tamen secundùm vegetatiui terminos atq; rationes, quæ sint vegetationis per se differentiæ, sed potiùs secundū sublimioris & altioris naturæ terminationē, sensitiuæ scilicet, quę cùm sensu constet, eius etiam per se differentijs actuatur & determinatur. Ex quib⁹ omnibus se- *1. appendix.* quitur primò, quòd vna est anima in quo-

cunq;

cunq; animatq; ficut vna eſt etiã per ſe differentia: atq; adeò quòd anima intellectiua in nobis per vnicũ ſui eſſe reſpõdet omnibus formis, quas ſupplet & continet: vnica igitur eſt & vniuſsimè omnes cõtinet indiſtinctè ex parte ſui, tametſi ex parte effect' diſtinctiſsimè referat omnes: nã & corporeitatis & mixti formas & vegetatiuę & ſenſitiuę munia exercet, acſi illę formę ibi formaliter adeſſent. Deinde, quòd iſti gradus
2. animatorum non ſe habent ſicut ſuperius & inferius, ſed ſicut genera imperfecta conſequenter ſe habentia. Tertiò, quòd horum
3. omnium ratio ea eſt, quòd imperfectius & potentiale non eſt in actuali & perfectiori, niſi ſecundùm rationem & terminationem
Corolariũ. perfectioris. Vnde ſequitur, ſecundùm facultatem & poteſtatem imperfectius eſſe in eo, quod eſt perfectius, atq; inde oritur, vt ipſum poſsit denominare: verbi gratia, quanuis anima leonis vnica ſimplex forma ſit, tamen quia altioris eſt & ſublimioris naturæ, tantam habet in illa ſua ſimplicitate ſubſtantialem perfectionem, vt poſsit quicquid imperfectior & inferior forma poterat & adhuc nobiliùs: nam ſi vegetatiua generat, auget atq; nutrit, hæc ipſa opera præſtantiùs exequitur ſenſitiua, quia generat carnem, ſenſum, ſanguinem, &c. quæ vegetatiua ſecundùm ſe non poteſt. Quid igitur mirùm, quòd virtualiter ea præſtare valeat anima ſenſitiua? cùm denominatiuè ſit eadẽ vegetatiuæ, ea ratione atq; cauſa, qua animę ſubſtantia à ſuis denominatur potentijs: ſiquidẽ eſt ſenſitiua animã vegetatiua in vir-
Ad argumenta. tute? Ex quibus propoſita argumẽta facilè ſoluẽtur. Primum potiſsimùm ex eo, quod
Ad. 1. modò dicebamus, ſenſitiuum eſſe formaliter vegetatiuum, quando ibi non ſit formaliter vegetatiua anima, ſed potentia atq; facultas vegetandi: eſt enim naturâ comparatum, vt aliqua ſint, quę denominationem rebus conferant, quam ipſa non ſuſcipiunt, vt albedo, quæ alba non eſt, album facit, & forma equi, quæ equus non eſt, equum cõnſtituit: noſtra etiam anima rationalis, quę ſola homo nõ eſt neq; corporea neq; diuiſibilis, hominem tamen conſtituit, quem corporeum denominat. Hoc autẽ ideo fit, quòd in cõpoſitione cõpoſitum eam ſuſcipit denominationem, cuius ipſa forma ſecũdùm ſe capax nõ eſt: etenim denominatio, quæ à forma radicaliter oritur, in compoſitione, vnde forma educitur, abſoluitur. Quod in propoſito etiam contingit: quia vegetatiuum in ſenſitiuo eſſe in potentiã, eſt ſecundùm facultatem eſſe: vnde non ſolùm denotatur, quòd ſenſitiuum tantæ ſit perfectionis, vt ex eo vegetandi facultates emanẽt, ſed etiam quòd ex anima humana atq; materia fit homo, qui corporeas habet proprietates: ita in propoſito ex anima ſenſitiua vegetabile fit compoſitum, quapropter vegetãdi habeat facultates: ſtat nanq; quòd forma & anima non ſuſcipiat formaliter prædicationem formæ & animę antecedentis, & tamen ipſum compoſitum ſuſcipiat: aptũ eſt exemplũ in noſtra anima, quæ etſi ſit ſpiritalis, tamen corporeum facit. Secundum diluitur ex eo, quòd cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ (2. Phyſ. tex. 30.) Ad. 2. quare vegetatiuum eſt in ſenſitiuo in potẽtia per modum cauſæ formalis, quę potentia perfectionem dicit: ſenſitiuum in vegetatiuo ſimiliter eſt in potentia, tamen alia, nempe ſecundùm potentiam materialem, quæ dicit imperfectionem. Ex hoc autem non ſolùm habes, quòd ſenſitiuum tantę ſit perfectionis, vt vegetatiuũ excedat, ſed etiã vt à ſenſitiuo potentiæ vegetatiuæ oriantur, atq; vt compoſitum vegetabile conſtituatur, propter quàm cauſam opus ſit habere potentias vegetatiuas. Poſtremum ſoluitur ex eo, quòd non eſt propriè potentia Ad. 3. illa actiua aut paſsiua, quanuis ad actiuã reducatur, ſicut in vniuerſum paſsio in ſuo ſubiecto in potentia actiua includitur. Verum eſt, quòd quatenus conſtituit ſubiectũ vegetabile, ad potentiam & cauſam formalem reducitur: contra quod obiectæ rationes non militant: ſiquidem etſi anima ſenſitiua vegetatiuę non ſit productiua, ab ea tamen naturaliter vegetatiuę potẽtię emanant. Præterea etſi ſenſitiua naturaliter poſterior ſit vegetatiua ordine generationis, non tamen perfectionis: & inſuper etiam ſenſitiua anima prior eſt ipſis vegetandi facultatibus, quæ ab ea naſcuntur. Quare etſi ſenſitiua anima non ſit productiua vegetatiuæ, tamen à ſenſitiua emanant paſsiones vegetatiuæ in potentia quaſi actiua, vt dudum dicebamus cùm S. Tho. 1. p. q. 77. ar. 6.

SVMMA CAPITIS.

Tres ponit concluſiones. Primam vnica diuiſione & quatuor declarationibus exponit. Ex ſecunda, duabus rationibus probata,

bata, vnum infert corolarium. Alterum ex tertia, post rationem ipsius conclusionis.

1. conclu- *Potentiæ animatorū quibusdam insunt omnes,*
sio. *quibusdam nonnullæ, quibusdam tantùm vna.*
Diuisio. *¶ Facultates autem hæ sunt vegetatiuum, sensi-*
tiuum, secundùm locum motiuum, appetitiuum
1. decla- *atq; intellectiuum. ¶ In plantis quidem vegeta-*
ratio. *tiuum à cæteris seiungitur. ¶ Animalibus verò,*
2. *præter vegetatiuum, sensitiuum adest. ¶ Appeti-*
3. *tiuum etiam, cuius partes tres sunt, cōcupiscibilis,*
irascibilis atq; rationalis. Quare si sensus tactus
in omnibus reperitur animalibus, ergo inerit etiā
conuenientis atq; disconuenientis perceptio, quæ
nihil aliud est, quàm delectabilis appetitus. Præ-
tereà sensitiua fame atq; siti afficiuntur (quarū
illa calidi & sicci, hæc autem frigidi & humidi
appetitus quidem esse videtur) habent enim sen-
sum alimenti, cuius condimentum sapor ipse po-
4. *nitur. ¶ Nōnullis insuper loco motiuum etiam in-*
est, aliis intellectiuum etiam vt hominibus: modò
2. conclu. *præstabilius si quid est, omittamus. ¶ Perspicuum*
1. ratio. *est, vnā esse animæ atq; figuræ rationē. ¶ Nā si-*
cut præter speciales figuras nulla cōmunis vt se-
parata idea datur, ita neq; vlla anima erit præter
2. ratio. *eas, quas diximus. ¶ At vt in figuris vna com-*
munis ratio fieri potest cunctis, accommodata fi-
guris, quæ nullius figuræ ratio propria sit, sic in
Corolariū. *animabus euenit. ¶ Quapropter ridiculum est &*
in his & in cæteris rebus communem quærere ra-
tionem, quæ quidē nullius sit propria eam omit-
tendo, quæ cuilibet competere & accōmodari po-
3. conclu. *test. ¶ At verò tam in figuris, quàm in animan-*
tibus prius in posteriori potentia inest: vt in qua-
drato nanq; triangulus, ita in sensitiuo vegetatiuū
Ratio. *est. ¶ Quoniam sensitiuū sine vegetatiuo non est:*
at à sensitiuo vegetatiuum in plantis seiungitur,
& ita in reliquis tactus à cæteris sensibus seiun-
gitur, & quædam, quæ sentiunt, habent loco mo-
tiuum, quædam non habent. Tandē homo, qui ge-
neratione postremus est, perfectione primus, sim-
plicitate minimus, rationem habet atq; mentem:
nam in mortalibus, quibus mens inest atq; ratio,
Corolariū. *continuò cætera cuncta insunt. ¶ De intellectu cō*
templatiuo alia ratio cùm sit, patet, de vnaquaq;
parte animæ aßignatam definitionem proprißi-
mè dici.

CAPVT QVARTVM.

Tex. 33. ecesse est autē, eum, qui de hisce cōsiderationem facturus est, quidnam sit vnumquodq; ipsorum accipere: deniq; quærere, perscrutariq; de hisce, quæ sequuntur, ac comitantur. Quod si dicere oporteat, quid vnumquodq; eorum sit, vt quid sit intellectiuum, vel sensitiuum, vel nutritiuum: anteà dicendum est, quidnam sit intelligere, quid sentire. Nam operationes, actionesvè, potentijs, viribusq; priores sūt ratione. Quod si ita sit, atq; priùs etiam obiecta, quàm ista; cōtemplari oporteat: primū profectò de illis propter eandem causam, vt de alimento, de sensibili, de intelligibili, determinare oportet.

De anima vegetatiua præsenti cap. disputat Arist. de ipsius etiam obiecto atq; facultatibus, vt iam de rebus singulis determinare incipiat: & quoniam semper est proposita methodus obseruāda, in his etiam à cōmunioribus, prioribus atq; notioribus exorditur: ob idq; initium determinandi ab anima vegetatiua fecit, vtpote quæ omniū animarum prima sit atq; cęterarum fundamentum: insuper & vniuersalior, sine qua cæterarum nulla est. Prætereà in his definiendis Arist. haud immemor sui, quæstionem propositā in proœmio tex. 10. de ordine procedendi determinat, dum docendi viam atq; rationem obseruat, quæ à facilioribus & notioribus fit: ideo statim à principio quædam communia præcepta, quæ futuræ fabricæ necessaria sunt fundamenta, appositè proponit, atq; statim docet, verba de animabus facturo opus esse de facultatibus determinet, atq; priùs de accidētibus, quæ rei substantiam sequuntur ac comitātur. Quod exemplo declarat: quoniam determinaturus quidnam sit vegetatiuum, intellectiuum, &c. priùs perscrutetur oportet operationes atq; actiones, vtpote quæ facultatibus ipsis ratione, hoc est, definitione priores sunt. Primùm enim oportet definire, quid vnaquæq; res sit, mox explicāda quæ ei per se conueniunt: nam qui ignora- *Argumētū capitis atque methodus.*

uerit potētias, quæ proxima sunt operationum principia, animam ipsam ignoret est necesse: & qui ignorat actus & operationes, nec animam nec eius facultates deprehendere vsquam poterit. Quod an sit intelligēdū de diffinitione & ratione, propter quid, dicente (vt Diuo Tho. atque Egidio visum est) vel de diffinitione, Quia, quæ non dicit causam à priori, sed notitiam quoad nos (vt libuit Paulo) vel (vt Philopono, Simplicio, Themistio) ratione notiùs, id est, doctrina cōmuni in ratione docendi, in quæstione ad hoc caput apposita exponemus. Nunc contenti simus Aristotelis testimonio, cuius explicationem pollicemur, nempe actus potentijs ratione priores sunt: visibilis enim color manifestior nobis est quā ipsa visio, & hæc visio est notior quàm visus: ideo nō tantùm ratione notiùs quoad naturam, sed quoad nos, vt vtranq; contihemus (interim dū ad quęstionis examen deuenimus) quia potentia innatum habet ordinem ad actum & ad obiectum; cùm potentia sine actu, nec act⁹ sine obiecto cognosci aut distingui possit: ergo si operatio vt finis consideretur, sic ab obiectis vt natura notioribus procedit: est enim finis omnium causarum prima: at verò si operationes sumantur vt causarū effecta, sic ex notioribus nobis: fit enim, vt incidat in eandē rem notiùs esse nobis & natura esse (6. Topic. c. 3. loco. 1.) hæc obiter, exactiùs infrà in quæstione. Quocirca notādum est, non frustrà Aristotelē duo illa nomina apposuisse, actiones scilicet & operationes: nam cùm potentiarum genera duo sint, vnum actiuum, vt vegetatiua, generatiua, nutritiua, loco motiua, &c. alterum verò passiuum, vt sensitiua atq; intellectiua (siquidem sentire & intelligere quoddam pati est) fit, vt rectè Arist. potentiarum primi generis actus vocauerit actiones, cùm earum operatio actiua sit: potentiarum autem secundi generis actus operationes nuncupauit. Vnde infert Aristot. ibi, *Quod si ita sit*, ob eandem rationem de obiecto priùs agēdùm esset, vt de alimento, sensibili atq; intelligibili: siquidem sunt hæc actibus priora, vt iste seruetur ordo (vt ad quæstionem in procemio tex. 10. propositam respōdeamus) primò de obiectis, secundò de actibus, tertiò de potentijs, & tandem de ipsa animæ essentia determinetur. Huiuscemodi autem processus ratio est: quoniam à prioribus & notioribus doctrinæ est progressus, vt primùm de sensibili, deinde de sensione, tandem de sensu: nam obiecta sunt, quæ actus & potentias in specifica ratione constituunt: actus autem potentias non per se specificant, sed in ratione obiecti, vt obiectum est, non vt res: quia obiecti sola distinctio formalis distinguit potentias, vt post disputabitur. Percipit enim nemo vegetabilium animam, nisi quia deprehendit ipsam nutrire atq; crescere: quid autem hoc sit, nisi natura alimenti percepta, non intelligetur: si ergo actus prior est & notior potentia (9. Met. tex. 13.) & obiectum actibus prius est atq; notius, vt colores visione priores sunt. Hic à nobis propositus ordo statuendus relinquitur, vt de obiectis primùm, deinde de actibus, tum de potentijs, demùm de ipsa animæ essentia atque organorum apparatu perscrutemur. Quod si hactenus non præstitit: quia primùm animam definitione est complexus cap. 1. & 2. deinde facta animæ diuisione in eodē. 2. c. de potentijs à cap. 3. differere aggrediebatur: quia hæc & agēdi & patiēdi sunt actiua & passiua principia: & ita. 1. lib. tex. 3. diximus, priùs animæ essentiam perscrutādam; deinde eius inuestigandam scientiam: non obstat, siquidem ſenes illa ordo erat intentionis atq; contemplationis, hic autem executionis atque actionis, vt initio librorum Prior. resolu. Aristi fecisse memini, qui eius intentionem de demonstratione esse declarat, & tamen à syllogismo exorditur. Medico etiam infirmū contemplanti, primùm sese offert sanitas, medicamenta deinde: curanti tamen ediuerso se offerūnt, applicet priùs medicamenta oportet, quàm sanitatē inducat atq; adipiscatur.

S. Tho.
Egidi⁹.

Paulus Venet. Philo. Simplic. Themist.

Pro cōtor dis obseruandā distinctio.

Nota duo genera potētiarum.

Resolutio de natura ordinis.

Tacitæ occurritur obiectioni & collisio tollitur.

Quare de alimento, generatione-ve, primò dicendum esse videtur. Nutritiua nanq; anima, & cæteris inest, & prima est, & maximè cōmunis animæ vis: & potentia, qua cuncta viuentia viuunt, cuius sunt operationes, officia-vè, generare, nutrimētoq; vti. Hæc enim operatio maximè omnium operationum viuentibus est naturalis, viuentibus, in- *Tex. 34.*

quam, hisce, quæ sunt perfecta, non membris capta, quæq; non sine semine oriũtur: vnũquodq; in quã, aliud sibi simile procreare, animal quidem animal, plantam autem plantam, vt sint semper hoc pacto, conditionéq; subeant, quoad possunt, diuinam. Id enim ipsum appetunt vniuersa, gratiaque ipsius omnia agunt, quæcunq; secundum naturam agunt.

Vegetatiua cæterarum animarũ tripliciter est prima.

Positam cõclusionem de ordine differẽdi iterum infert Arist. scilicet de alimento & de generatione priùs esse dicendum: quoniã alimentum obiectum est vegetatiuæ facultatis, generatio autem eiusdem est vltima & præstantissima operatio. Etenim anima vegetatiua tribus de causis cæterarum est prima, Primùm, quia omnibus viuentibus inest, siquidem à cæteris (vt sæpe diximus) separari potest: deinde, via originis, quando per ipsam animal primò & per se in genere viuentis constituitur: tandem, quia communior est atq; vniuersalior, vtpote per quam cuncta viuant viuentia, sine ipsa autem nullum viuit. Meritò ergo vegetatiuæ obiectũ, quod alimentum est, aliorum antecedet cõsiderationem: nam sicut anima vegetatiua se habet ad cæteras animas, ita eius obiectum ad cætera obiecta (saltem quoad duas priores rationes: nam quoad communitatem & vniuersalitatem sensibile & intelligibile latiùs patere videntur: semper tamen alimẽtum obiectum est primæ & vniuersalissimæ potẽtiæ in ratione animarum: hîc enim non perfectionis sed generationis ordine differimus) sensibile autem atq; intelligibile absolutè in se considerata præstant multis nominibus, non tamen respectiuè prout ordinem habent ad proprias potentias: vnde quãuis intelligibile & sensibile absolutè sumpta priora & perfectiora sint atque communiora alimento, non tamen respectiuè considerata, prout Philosophus de eis differit in ordine ad animæ potentias. Et sic apparet, quomodo alimẽtum prius & cõmunius sit, quoniã ab alijs præsupponitur, & cũctis viuentibus necessarium est, quia eo cuncta viuunt viuentia: etenim alimento, vt substantia est, vegetatiua anima nutrit, fouétq; substantiã: vt quãto, auget: vt vltimum excrementum, generationem præparat, quæ reliquarum est vltima & finis: ob id iam quid habet diuinitatis & æternitatis, quo etiã diuinitatis & permanentiæ insito desiderio omnia ad generationem solicitantur. Deinceps ibi, *Cuius sunt operationes, &c.* animæ opera declarat, vegetatiuæ præsertim, cuius tria iam nũc dicebãmus esse munia, generare, nutrimento vti, quod in duo secatur, vt nutrire & augere. Cũ dixisset de generatione fore tractãdum, necessitatem, nobilitatem atq; ipsius generationis perfectionẽ exponit cùm dicit, esse inter omnes naturales operationes maximè naturalem, id est, inexistentem (vt Albertus exponit) quoniam maximè à natura proficiscitur, id est, connaturaliter & ab intrinseco in viuẽtibus omnibus, in non viuẽtibus per modum impulsus & instrumenti ab extrinseco. Cæterùm non cõfert proposito: quia Arist. nullam facit mentionem de non viuentibus, ideo aliena esset à proposito ista cõparatio, sed quia auctio nutritionem supponit, & vtraq; ad perfectionem animalis spectat, illarum autẽ finis est generare sibi simile: ideo generatio proposito & intentione naturæ perfectior est, quare naturalior: quia finis perfectior est ijs, quæ sunt ad finem: hinc operationes illæ (nutritio scilicet & accretio) diuinitatem participant, quia finẽ attingũt & assequuntur. Pro quo nota, quòd generare omnibus viuẽtibus cõuenit, tribus tamẽ iuxta Aristotelem obseruatis, Primum, ne sint imperfecta: nõ enim in quolibet suæ ætatis tẽpore animalia conuenientem habent quantitatẽ, vt sibi similia procreare valeãt, vt infantes & pueri, quorũ defectus temporis accessione tollitur: quia tunc semen generationis instrumentũ perfectè est concoctum, quod non nisi definito tempore animalibus competit. Mox ne sint orbata, mũtila atq; manca, hoc est, membris capta ac instrumentis ad generandum accommodatis priuata, vt eunuchi, quibus exsecta sunt instrumenta, & ij etiam, qui spadones appellantur, quia vitio aliquo generare non possunt; aut quia mẽbro extriti sunt, vt Thlibiæ aut vt ij, qui dicuntur propriè spadones seminis infecti frigiditate aut diuersa temperamenti commistione, ratione cuius muli non generant: diuersa est

Obiectio tacita soluitur de sẽsibili & intelligibili.

Albert. quomodo generationis opus naturalissimum.

Autor.

Tria ad generationẽ exigũtur.

est enim sexuum & naturarum permistio, vnde viciatur semen & fit impotens ad generationem. Burdo enim, cùm æquiuoca generatione genitus sit ex equo & asina, neutrius speciem neque equinam scilicet aut asininam seminare valet: est enim commistione & naturarum cõmercio & quasi artis quodam opificio progenitus. Tãdem quæque non sine semine oriuntur, id est, quæcunq; non sunt spontanea sine seminis emissione genita ex sola alicuius elementi putrefactione, vt vespæ, muscæ, pediculi & id genus insecta quædam animalia. Vnde putat Aristot. quæ sine semine sunt orta, non esse eiusdem speciei cùm iis, quæ semine nata sunt: quamuis figura & corporis compositione eiusdem speciei esse videantur. Obijcies, homini naturalius esse atque essentialius intelligere, atque adeò omnibus erit naturalissimum ipsum esse, nobis autem intelligere; quo in esse constituimur: definitur enim per intellectiuum & non per generatiuum, ergo generare non est opus naturalissimũ? S. Tho. respondet, naturalissimum esse omnibus, quãuis singulis sit aliquid naturalius. Paulus naturalissimum extensiuè, quoniam in omnes diffunditur: nam intensiuè alia sunt naturaliora, vt argumentum probat. Tamen distinctiones istæ ab Aristoteleo proposito nonnihil distare videntur atque à germano sensu deuiare: altiorem profectò sensum sagacissimè Philosophus inspexit (vt ipse inde ab illis verbis, *Vt sint semper hoc pacto, &c.* vsque ad finem textus affirmare videtur) omnia scilicet ad bonum quoddam commune totius enniti, non ad bonum quoddam priuatum & particulare: nam illud est diuinum & priuatis commodis diuinius. Solent enim elemẽta proprias non solùm destituere, sed (vt, 1. de gene. dixi) exuere formas propter mistionem, quæ ad specierum conseruationem atque adeò totius vniuersi necessaria esse videtur: aqua sanè suam deserit naturam, & quo vitet vacui incommoditatem, leuium more velocissimè sursum petit: brachium (natura duce) quo caput seruemus, magno & euidenti periculo exponere solemus. Cùm ergo generatio inter cætera viuentium opera bono publico prouideat atque incumbat, cùm cessationes rerum suscipiat atque reparet, cunctas res, quæ præscriptos habent fines & definitos temporum limites, ipsa conseruat; atque speciem ipsam indiuiduorum multiplicatione sustinet, auget, perennat; atque semen indiuiduo superfluum speciei demandando res perpetuat: diuinior ergo est atq; melior hæc operatio, qua diuinam æternitatis conditionem, quoad fieri potest, nanciscimur, & est cæterarum finis (vt inquit Aristot.) nam hoc bonum quoddam est, quod vniuersa appetunt, gratia cuius omnia etiam agunt: iudicio est, indita esse nobis generandi solicitudo: nã cùm natura nõ potuerit indiuiduo perpetuã donare consistentiam, ipsorum indiuiduorum quasi miserta, hanc illis virtutem cõtulit, qua suffulta in specie permanerent: igitur solum generationis opus non solùm inter cætera naturalissimũ est, sed maximè diuinum: nam per ipsum omnia diuinam quandam similitudinem & participationem assequuntur; vt quoad fieri possit, hanc deficiendi imperfectionem (quatenus natura cõceditur) excutiant atq; exuant, vt si in eodem indiuiduo non possunt perpetuò manere, propagatione tamen & quadam sobolis subrogatione perseuerent, si nõ ipsa, talia tamẽ qualia ipsa sint, ortu tamẽ vicario mortalitati succurrãt, & in sibi similibus effectibus perdurẽt, vnde defuncti vices hæres subit: ergo generatio finis est omnium operationum viuentis; qua viuens est & viuentia generatione diuinitatem participant, licet nõ ex æquo, sed hæc clarius, illa obscurius, vt lib. 1. de Cælo cap. 9. in fine tex. 100. & lib. 2. de Cælo cap. 12. omnia ad sempiternitatem aspirãt, licet non æqualiter eius splẽdorem assequantur. Quamobrem non tantùm generare sibi simile naturalissimum & diuinissimum inter opera vegetatiuę cẽsetur, sed inter alia omnia sentire etiam atq; intelligere: quoniam hoc rem perennat atq; perpetuat, & hac sola assequuntur res, vt in sua durent subsistentia: ob id non dicitur opus magis proprium, sic enim magis proprium est hominibus intelligere, animalibus sentire: similiter nec dixit perfectissimũ opus, sic enim sentire & intelligere perfectius & appetere bonum animalis, etiã animalibus proprius & perfectius, quàm generare (vt: 3. lib. cap. 8. dicetur) sed consultò dicit naturalissimum: quia naturale dicitur à natura, quæ vt sic, ab intrinseco mouetur ad generationẽ, vt ad propriũ bonum & aliorum perfectionem, quod viuenti conue-

Obiectio, quòd generare nõ sit naturalissimũ.

Solutio S. Tho.

Paulus Venetus.

Autor.

Obiectio proposita resoluitur.

conuenit, qua viuens est, vt finem viuentis, qua viuens, non qua sensitiuum nec intellectiuum est: quoniam nutritio & augmentatio propter generationem sunt, ad quam omnia opera viuentis terminantur, nempe vt permaneat, & æternitatis quandam rationem participet.

Si ex semine orta atque ex putrefactione specie eadem cõueniāt.

3 De tertia conditione non immeritò dubitari potest, si orta ex putredine eiusdem speciei sint cum iis, quæ ex semine oriuntur, nam forma & habitu ipso corporis eiusdē speciei apparent? quod videtur Auerro. negare, qui etiam pro se Aristotelem adducit, 2. lib. de gene. animal. cap. 1. quòd quæ ex semine generant, aliud sibi simile procreant: at verò qui coitu nō generantur, sed spōtè oriuntur ex putri materia, licet generent, quid tamē genere diuersum, quod nec mas est, nec fœmina, qualia multa sunt in genere insectorum: vide Arist. lib. 5. de Hist. animal. cap. 1. & cap. 8. & 19. & 1. de gene. animal. cap. 16. & problem. 64. sect. 10. vt animalia, alia ex semine, alia spontè nasci: ita quoq; in plantis nullo etiam cognationis semine antecedēte, sed ex stipite, qui humo putrescit, consistunt: vt perpetuò eadem sit sententia, quòd orta ex putredine si generent, specie tamen dissimilia, ex quibus generatione nil prouenire possit. Pro hac sententia faciunt sequentes argumētationes. Prima, quia ex 1. Phys. tex. 45. omnia fiunt ex contrariis, & nō quodlibet ex quolibet, sed ex determinato, vt probat 3. Phys. tex. 10. infirmari posse & sanari posse sunt differentes potentiæ, ideo sanitas & ægritudo differunt. 12. Met. tex. 11. contra Anaxagoram, quòd non fit quodlibet ex quolibet, sed ex determinatā materia, ne casu & fortuna fiat contingenter & fortè fortuna omnia eueniant: ergo formæ diuersæ sunt, vbi sunt tam diuersæ materiæ: forma enim non est propter materiam, sed è contra. 1. Phys. tex. 81. quia forma est quid diuinum, & 2. Phys. tex. 12. forma est magis natura, quàm materia. Confirmari potest ex his, quæ 1. de gene. cap. 3. tex. 20. dixi, materiam per se ad quidditatem spectare: ergo cùm proxima materia sit diuersa specie, diuersum specie erit compositum. Deinde, quia si essent eiusdem naturæ, cùm quæ natura fiunt, semper aut plerunq; eodem modo fiant, si fiunt ex putrefactione, nunquam ex semine euenirent, aut non esset naturalis eorum, sed fortuita & casualis generatio, quo pacto in natura species non eueniunt, sed monstra potiùs euenirent: quorum ergo tam diuersa specie generatio est, & ipsa quoq; specie differunt. Ad hæc 1. de gener. animal. cap. 1. quæ naturaliter & arte alchimiæ fiunt, eadē specie non sunt, nec esse possunt: quia fiunt ex causis omnino diuersis, nempe ex natura & arte: ergo nec in proposito erunt eadem specie, quoniam materiæ sunt adeò diuersæ: formæ igitur & definitiones specie eędem nō erunt, aliàs eorum generatio esset continua veluti in animalibus perfectis: quod tamen non esse docuit Arist. lib. 5. de Hist. animal. cap. 5. aut si non generarent eiusdem speciei, sed diuersæ, fieret ergo naturæ processus in infinitum, quod natura vitare contendit, quæ semper ad finem ennititur: ergo ex putrefactione genita non generant, aut id producunt, quod sit specie diuersum: ideo perfecta animalia animal edunt in lucem, alia verò ouum, vt quæ sanguinea sunt: exanguia autem vermem, vt in muscis videm⁹, aut aliquid ouo proportionale, vt in pediculis, in quibus, quæ vocantur lendes, oui speciem referunt, tamen sordes sunt, ex quibus ipsi procreantur. Nec te moueat, vt si Arist. non sequaris, quòd sensus videatur repugnare, eò quòd orta ex putrefactione eadem sunt aut similia habitu & corporis figura, vt existimes, generare posse simile in specie: quod tamen negat Arist. non idem (inquit) specie, sed aliud generant: nam multa sunt similia, quæ natura eadem non sunt, vt argentum arte alchimiæ productum, simile vero argento, tamen verum argentum non est: & repugnantem sensum ratio corrigit in iis, quæ non sunt propria obiecta, & rationi potius quàm sensibus fides est adhibenda. Sensus enim non potest omnia iudicare, in quibus species vna est & eadem, distinctáve, præsertim cùm species ad substantiæ naturam pertineat, sensus autem vltra accidētia nil per se percipit nec penetrat.

Distinctio specifica nō iudicatur à sensu.

Cum Arist. sentit S. Tho. de potentia. q. 3. art. 11. ad. 1. de veritate. q. 12. art. 2. ad. 4. quia res naturales sunt determinatæ & determinatas habent causas, & natura comparatum est, vt determinatum ex determinato fiat, & ita quod procedit per modum naturæ, ab vno ad vnum est, aliàs degenerare videtur: ita 1. sent. d. 20. art. 5. Quare quia vna res tantùm habet vnum modum

modum oriendi ex altero à natura ſcilicet, aut arte, non tamen eſt idem in ſpecie, quod per putrefactionem & ſeminationẽ fit. 1. p. q. 71. ar. 1. idẽ docet D. Thomas: vide Ariſt. 7. Met. tex. 23. & quę ibi S. Tho. lege etiam Ferrar. 3. cõtra gen. cap. 69. vbi quæſtionem iſtam ex profeſſo examinat, & Paulũ Soncinatem. 7. Met. q. 21. ſequitur, qui contrariam tenet ſententiã, & Ferrarienſem, Ariſtotelem & S. Thomam repugnantes in ſuã ſententiam trahere contendit, dum docet, Ariſtotelem intelligendum de ijs, quæ promiſcuè ſiue ex ſemine aut ex putrefactione euenire cõtingũt, cùm tamen adductę rationes ex ęquo de vtriſq; colligãt. Si placuerit eam ſentẽtiam defendere, ibi ſolutiones harum & aliarum plurium rationũ reperies, quas relinquimus, quoniam aliena videtur à noſtro propoſito, & quæ dicta ſunt consultò præterijſſem, niſi locus præſens exigiſſet, vt te ſapiens lector in viã poneremus & occaſionem exactiora meditandi pręſtaremus.

Tex. 35. Duplex eſt autem id, cauſa cuius cætera fiunt, atq; vnum eſt, Quo, alterum, Cui. Cùm igitur ſemper eſſe, conditionemq; diuinã ſubire continuatione nequeãt animantia, quia fieri nequit, vt caducorum, atq; mortalium quicquam idem, vnũq; numero ſemper permaneat: vt vnumquodq; poteſt, ſic æternitatis, conditioniſq; diuinæ particeps eſt, aliud quidem magis, aliud autem minùs, permanetq; non ipſum, ſed tale, quale eſt ipſum, numero quidem non vnum, ſpecie autẽ vnũ.

Ariſtoteles tacitam remouet obiectionẽ, quã non ineptè quiſpiam poſſet opponere, videlicet ſuperuacaneam eſſe hanc naturæ cupiditatem, cùm nulla ſit forma, quę ſecũdùm ſe perpetuò duret. Diſtinctione reſpõdet, duplicem eſſe finem, vnũ, Cuius, gratia cui⁹ cętera fiũt: alterũ, Quod, qui finis, Cui, dicitur, quo res eſt id, quod eſt, vel cui finis comparatur & acquiritur, quę cauſa eſt formalis atq; finis intrinſecus rei generatæ, qui finis non eſt vltimatè intentus, per quẽ res ipſa in eſſe cõſtituitur: alter finis eſt, Cuius, id eſt, finis extrinſecus atq; principaliter intentus, qui eſt ſempiternitas & participatio quædam diuini eſſe, quem, cùm indiuidua numero eodem aſſequi nequeant, ſecundũ ſpeciem conſequũtur: vnumquodq; ſiquidem ſic eſt æternitatis & diuinæ conditionis particeps, vt poteſt, ſi nõ numero vnum, ſpecie tamẽ: licet enim ſimulatq; naſcimur, labamur & mori incipiamus: generatione tamen reparamur, ſpecie eâdem in altero indiuiduo conſeruata. Et ita poſitam pręcedenti tex. ſententiã nũc explicat, quomodo naturaliſsimum ſit, viuentia omnia immortalitatis & æternitatis deſiderio ad generationem excitari, quia ęternitas eſt finis, Cuius, generationis: finis autẽ, Quod, ſiue, Cui, eſt ipſe homo generans, vt generatio per ſe referatur ad ęternitatem cõſequendam, id eſt, vt permaneat aut per ſe ſi fieri poſsit in eodem indiuiduo, ſin minus continuatione & vnione proximi ſcilicet in ſpecie. Generare ergo bifariam naturaliſsimum eſt, tum quia natura principiũ, tum quia finis & terminus generationis: ob idq; in eam naturã magis propendimur. Nec fuit hęc per accidens: ſiquidem Ariſt. mutationũ perfectionem nõ ſumit ex perfectione terminorũ, cũ motum localem. 8. Phyſ. cęteris perfectiorẽ poſuerit, cuius terminus ſubſtantia non eſt, ſed inter cæteras cauſas, quę eo loco tradũtur, motus localis omniũ perfectiſsimus cẽſetur: quoniam à natura in finẽ perfectiorem ordinatur, ſcilicet vt per ipſum mũdus hic inferior cum ſuperiori cõiungatur, vnde perpetuò eius virtus gubernetur: modò autem ſempiternitas hęc finis eſt omniũ longè pręſtãtiſsimus. Cùm igitur tria ſint vegetatiuę animę officia, alere, augere & generare: nutritionis autẽ finis, cõſeruatio eſt indiuidui viuẽtis: augmẽtationis autem, debita operatio ipſi indiuiduo cõueniens (ordinatur enim auctio ad perficiendũ & cõſũmandum indiuiduũ) generationis verò finis, eſt cõſeruatio ſpecifica: deſtinatur ſanè ad cõſeruandũ indiuiduũ in perfectiori eſſe, cùm par ſit res à ſuis finibus appellare (vt infrà tex. 49. Ariſt. dicit) denominantur enim res vt in plurimũ à fine, vnde ſolent ſpeciẽ trahere. Quare illas facultates accreſcẽdi & nutriendi appellatione communi à fine remotiori generatiuam appellat, cùm generatiua

Duplex finis.

Generare naturaliſſimum.

Aliunde ſpecies motus, aliunde perfectio et excellentia expendenda eſt.

potētia procreando, rēs perpetuat atq; perennat; perpetuando autem, diuinæ naturæ fiunt cōsortes, quò collimāt omnia, cuiusq; desiderio tenentur, vt quantū datur, ad imaginem diuinitatis se componant, & vicario ortu mortalitati succurrāt. *Obiectio.* Dices, intellectio atq; sensatio perfectiores videtur, quàm generatio, sunt enim minùs materiales: ergo generare non est perfectius? *Solutio.* Respondetur, harum mutationum perfectionē ab Arist. non sumi ex præsentia merito ipsarum mutationum, neq; adhuc merito terminorum proximiorum & intrinsecorū, sed (vt initio huius tex. dici) ratione termini vltimati & extrinseci, qui æternò speciem conseruat (huius autem atque præcedentis textus exactior expositio tradetur in fine cap. huius tex. 50.) Colligit, semen animaliū & platarum generationis esse instrumentū: de quo disputare in particulari, esset quidem alienū à nostro proposito, vel ex Medicina multa petenda, vel ex his, quę inferiùs in libris de gene. animal. dicuntur, adducenda forent. Quod legitimam docendi rationem inuerteret: satis enim est in genere scire, semen vltimum esse generationis instrumētum, quod accepta virtute à generāte, tale efficit, quale ipsum generans est: si autem animatum aut inanime sit, si à toto corpore aut parte decidat, non est præsentis speculationis: vide Arist. lib. 1. de gene. animal. cap. 18.

Tex. 36. Est autē anima corporis causa, principiumq; viuentis. Atqui cùm multifariàm hęc dicantur, anima pari modo tribus terminatis modis causa est. Nam est eā causa, à qua profluit motus: est etiā ea, gratia cuius cætera fiunt: Est insuper, vt forma corporum animatorum, substantia vè.

Attende rationē doctrinæ. Ex cōmuni atq; priori animæ definitione patuit, animam actum & formam substātialem corporis esse: demonstraturus Arist. non tantùm formalem caosam esse, ostēdit quoq; opera vegetatiuę ab anima procedere nō solùm in genere causæ formalis, sed in alijs etiam causę generibus, vt formali & efficiēti, & ita in triplici genere causæ: nam causa est atq; principium. Principium autē ex. 5. Met. tex. 16. multifariàm dicitur, atq; (vt determinatur 2. Phys. à tex. 27. ad. 30.) anima causa multis modis dicetur, quos modò declarans per definitiones traditas, ibi c. 3. inquit, animam esse causam efficiētem, vnde motus: esse etiā causam finalem, cuius gratia cætera fiunt: insuper causam esse formalem, informat enim & dat esse. Etsi obijcias, has autem caosas apud Arist. non solùm hoc libro cap. 1. & 2. sed in sermonibus vniuersalibus 2. lib. Phys. cap. 3. tex. 27. 28. 29. & tex. 70. forma & finis idem sunt re, & alijs pluribus locis definitas fuisse, quorsum ergo hîc superuacaneè & otiosè repetūtur? *Obserua.* Respōdetur, non esse inutilem repetitionē, & probationem istam valdè esse necessariā: docuerat enim animata esse finē, Cui, generationis, & ita animam quoq; ipsam finem esse, Quod, quia fundamentum est ad omnia, quæ de animæ facultatibus sunt differenda: meritò igitur ex professo eas definit, vt qua ratione anima sit causa vitalium operationom, non solùm in confuso & vniuersali, sed exactè in particulari intelligatūr, quod accommodatè hîc explicat: nam munia vegetatiuę sunt sensibiliora & communiora; quod ad huius doctrinæ methodum illustrandā facit: semper enim ex vniuersalioribus & communioribus debet initium doctrinæ sumi.

Atq; causam vt substantiam animantium esse, non est obscurum: causam nanq; cunctis vt sint, formam ipsam, atq; substantiam esse patet. At viuere, viuentium est esse: cuius sanè causa est, vt constat, atq; principium, anima. Præterea actus eius, quod est potentia, ratio est eiusdem: at anima, viuentis est corporis actus. Patet etiam, animam esse causam, vt id, gratia cuius cætera fiunt: nam vt mens, sic & natura alicuius gratia facit, quod quidem ipsius est finis. Atq; tale est in ipsis viuentibus anima, & secundum naturam. Vniuersa *Tex. 37.*

nanq;

nãq; naturalia corpora,tam animalium,quàm etiam plantarum, ipsius animæ sunt instrumenta. Quo fit, vt ipsa sint animæ,sine controuersia, gratia. Duplex est autem id,vt diximus,causa cuius cætera fiunt,atque vnũ est, Quo, alterum, Cui. At verò constat, animam id etiam esse, vnde primùm motus ad locum accommodatus emergit: verùm hæc vis, non vniuersis inest viuentibus. Fit etiam per animam & alteratio, & accretio. Sensus enim alteratio quædã esse videtur: sentitq; nihil,quod non habeat animam. Eadem est & de accretione, decretioneuè ratio. Nihil enim incremẽta naturaliter,decrementavè suscipit, quod non nutriatur:& nihil prorsus nutritur,quod non vitæ particeps sit.

Quæ proximo textu in genere proposita sunt,in præsenti in particulari demonstrat. Primò enim,quòd anima sit formalis causa probaturus inquit, quia (vt cap. 1. huius dictum est)anima causa est cunctis viuentibus vt sint, & esse rei confert,vt habeant existentiam & esse in natura completum: esse enim proprium à proprio actu est,ideo quod est causa esse, est causa vitæ. Præterea secundò, quia viuere viuentium est esse: viuendi autem principium atque causa constat animam esse: quandoquidem sublata anima viuentia viuere desinunt: argumento igitur est,per ipsam suas exercere operationes, per quam viuunt & sunt: anima igitur causa formalis est (loquitur hic Aristot. cùm dicit, *Viuere viuentibus est esse*, de prima vita iuxta id,quod. 1. elech. dicit, anima & vita idem sunt, non pro secunda, id est, pro operatione vitali, quæ illam alteram sequitur) quia est intrinseca forma, quæ dat esse. Quod insuper tertiò

Anima est forma.

eo magis probare videtur: quia sicut superiùs dictum est in animæ definitione,quòd ipsa actus corporis est atque ratio: quoniã ex corpore & anima fit vnum tanquam ex actu & potentia (suprà tex. 7. &. 8. Met. tex. 13.) ergo anima est actus corporis physici, &c. quod positum est cap. 1. & demonstratum in cap. 2. ideo causa est formalis. Probaturus autem quòd causa sit finalis, exemplo atque manuductione ab intellectu practico probat ibi, *Patet etiam animam esse, &c.* versatur enim intellectus practicus circa mechanicas artes: quandoquidem ars & noster intellectus rerum artificialium materiam disponunt ex fine, cuius gratia mouentur. 2. Phys. tex. 89. ex fine deliberatio fit de medijs ad eiusdem finis consequutionem: sic & natura facit in corporibus animatorum, quæ ipsius animæ sunt instrumenta, vt. 1. de partib. animal. cap. 5. partes corporis animæ facultatibus accommodantur, & Galenus lib. de vsu part. omnia propter ipsam animam esse docet. Est igitur argumentum, quòd sicut in arte fieri videmus, ita in natura contingat: præparat enim ars materiam propter formam: natura igitur (cuius opus est opus intelligentiæ. 2. Phys. tex. 49.) materiam ad ipsam formam destinauit: siquidem materia propter formam est. 2. Phys. tex. 88. quia idem est forma & finis. 2. Phys. tex. 70. igitur vt intellectus practicus in artibus operatur propter determinatum finem, & mouet materiam, vt in eam inducat formam artis, quæ ipsius bonum est: sic etiam natura propter finem determinatum, quem intendit, non impedita operatur, quæ in viuentibus anima est. Anima igitur est finis rei animatæ: nam & instrumenta atq; organa citra controuersiam omnium sententiã ipsius animi gratia fieri videntur: quinimo non solùm corporis, sed naturalium omnium finis esse videtur: sunt enim omnia animæ quædam instrumenta: nam elementa ordinantur ad mixta, & mixtis plantę viuunt, plantis animalia, quæ propter hominem condita sunt, vescuntur: non solùm igitur corporis, sed vniuersorum finis est, quandoquidem nos omnium sumus finis. 2. Phys. tex. 24. & 8. Physi. tex. 17. & 15. cap. lib. 1. de Hist. animal. homo est animalium perfectissimum. Illis autem verbis, *Duplex est autem id, &c.* posita ipsius finis distinctionẽ repetit,

Anima est finis.

repetit, vt animam ponat non quencunq; finem esse: quoniam non est finis, Cui, scilicet gratia cuius, id est, extrinsecus & vltimatus, qui Deus est, sed, Quo, id est, proximus non vltimatus, per quem natura ipsa operatur, quæ forma est corporis animati: quia ad bonum animæ pertinent omnes viuentis operationes. Harum autem operationum gratia ipsa sunt instrumenta, & semper & vniuersaliter ita est, vt materia, ad quam corpus reducitur, propter formam sit. 2. Phys. tex. 20. 74. 81. & lib. 1. de partibus animal. cap. 1. Ibi enim, *At verò constat, &c.* Pustquā animam esse causam formalē atq; finalem probauit, iā causam esse efficientem atq; principium, vnde motus, ostendit: patet, quoniam est, vnde primum motus ad locum emergit, licet hæc vis non in vniuersis reperiatur viuētibus: sunt enim quædam animalia, quæ locis proprijs affixa progressiuè non mouentur, vt non sequatur contra id, quod modò dictum est, non habet principium mouendi secūdùm locū, ergo non est animatum (de his autem dixi 8. Phys. c. 4. tex. 29. & lib. 4. de cælo. c. 3. & infrà lib. 3. super caput. 6. 7. 8. & habes libro de incessu animaliū.) Prætereà non tantùm huius motus veri causa est, sed etiā aliorum, qui motus existimantur, vt sentire atq; intelligere, quę alterationes quędam sunt (. 3. lib. huius tex. 28.) ideo animal ex sensu definitur: ergo non solùm lationis secundùm locum, sed etiam alterationis anima ipsa efficiens causa est: rursum & accretionis, nutritionis & generationis, vt dudum dicebā, & lib. 1. de generatione cap. 5. exposui: ergo ipsa principium est efficiens: sunt enim illa opera connaturalia, & quæ à nulla re fiant, nisi ab ea quæ animâ prædita sit: procedunt enim ab insito principio, vnde mouētur secundùm locum, sentiunt, accrescūt, nutriuntur atque generant viuentia. Relinquitur igitur, hos motus ab anima veluti ab efficiente procedere: nam omne, quod accrescit, nutritur, quod nutritur, viuit: omnis autem vita ab anima est: quia animarū distinctio ex vitæ distinctione sumpta est. Notandum tamen est, nolle Aristotelem esse principium efficiens & agens, Quod, id est, totale: nam id. 1. lib. tex. 64. negarat, sed asserit duntaxat animam originem esse atq; principium actiuum, Quo, vt inter animata & inanimata differentiam statuat: quoniam ista actiuum habēt principium motus, ista verò passiuum, per quæ loci istiꝰ à collisione & repugnantia liberātur. Quibus ostensum est, animam triplici in genere esse causam: neq; enim potest anima in materiam incidere, cùm actus & potentia ex toto suo genere differant: quo autē pacto hoc esse possit, vt eadem anima causa possit esse tribus generibus, habes generales sermones lib. 2. Phys. c. 7. & vide de partib. animal. lib. 1. c. 1. & de gene. animal. lib. 1. cap. 1.

Anima est causa efficiens.

Obserua.

Collisio hu9 tex. ad tex. 64. lib 1. expungitur.

Anima non ponetur materia.

Tex. 38.

Atq; hac in parte sentētia Empedoclis est post habēda, qui quidem hoc non rectè dixit, ac addidit, ideo incrementa plantas suscipere, tum in radicibus infrà, tum in ramis etiā suprà: quia terra deorsum suapte natura, & ignis sursum identidem pergit. Primùm nanq; non rectè accipit in plantis differentias dictas, infrà, inquam, ac suprà: nō enim eadem sunt rerum omnium, & vniuersi, suprà, & infrà: sed quā habet rationē in animalibus caput, eam subeunt in plantis radices, si instrumētà diuersa, vel eadem, operationibus, officijsvè dicere, assererēq; oportet.

Posita veritate duos euellit errores, vnū Empedoclis pręsenti & sequenti tex. alterum verò Democriti tex. 40. Empedocles igitur asserebat, ab igne & terra augmentationem esse plantis auctis, eò quòd terra ad radices descenderet, ignis verò ad ramos ascenderet. Fundamētum Empedoclis iuxta Albertū est: quia cùm augmentatio motus sit naturalis, atq; in mixto naturalis motus (vt. 1. de Cælo tex. 7. dixi) à dominante proueniat elemento, sequitur, quòd si mixtum augetur deorsum, est ratione terræ illuc petentis: & si sursum etiā, ratione ignis ad superas partes ascendentis: vidētur enim elementa in mixtis quodammodo suos naturales motus retinere, vnde potiùs augmētatio necessitate materiæ, quàm formę proueniret.

Empe. Albert.

Empedocles refellitur. ueniret. Sed Empedocles dupliciter errabat, Primò, circa sursum & deorsũ, quę sunt positionum differentię, quas in plantis non deberet sumere iuxta mundi situm & positionem, sed iuxta ipsius viuentis conuenientem operationem: è contrario igitur se habent positę differẽtię, quia sicut sunt animalium capita, ita plantarum radices. Etenim illa instrumenta in viuentibus eodem modo sese habere videntur, quæ eadẽ opera exerceant, & consimiles habent operationes, sed sumptio alimenti, quæ per os ab animali fit, à plantis per radices inchoatur: quia sugunt & ea parte attrahunt plãtę alimẽtum. Quare differentiæ istæ positionum non sunt cum Empedocle ex positura & situ mundi diiudicandæ, sed secũdùm motus differentiam expectandæ (vt. 2. lib. de Cęlo c. 2. cum Arist. affirmauimus, & 4. lib. Phys. tex. 4. priùs dixit, & de animal. gressu, & lib. 3. de partibus cap. 3. & lib. 4. cap. 10. & 1. cap. de iuuentute & senectute, & vltimo de longitudine & breuitate) nõ igitur à situ vniuersi, neq; ex ordine motus grauium & leuium, sed ab operatione membris conuenienite, vt dictum est. Et hæc est prima Empedoclis reprehensio, nempe non ex situ in vniuerso, sed ex diuerso operationis principio proportionabiliter positionum differẽtias in viuentibus sumendas fore: quia (vt tex. 37. dicebam) homo cæteris præstat materialibus, ad cuius similitudinẽ ex munere & officio, non ex situ hæc partium discrimina ponenda.

Tex. 39. Deinde quid est, quod continet terram, ignemvè, quæ quidẽ in contraria loca feruntur? Distrahẽtur enim profectò, nisi aliquid sit, quod ipsa prohibeat, atque detineat. Quòd si sit aliquid, id est profectò anima ipsa: quo fit vt ipsa sit agendi causa, nutriendivè, non elementa, quemadmodum ille putabat.

Secundò contra Empedoclem ad hominem argumentatur, cuius opinione posita propriam Aristoteles confirmat sententiam: nam si elementorum virtutibus augmentatio contingit (vt censet Empedo.) profectò aliquam vnam virtutem ponat oportet, quæ frænet atq; ipsa contraria elementa contineat, ne mox in propria dilabãtur loca atq; in proprias distrahantur sedes, in quas suapte natura ferũtur: fateatur ergo Empedocles necesse est, animam, in viuentis consistentia contraria ipsa elementa, ne ad suas contrarias regiones distrahantur, cõtinere, quæ proinde separari prohibet, atq; in eodẽ simul iũcta permanere cogit: quare si aliquid est, quod continet, hoc anima necessariò erit, quæ etiam motus erit principium. Probat sanè Philosophus optimè vt Physicus à posteriori, quod prim' Philosophus à priori ostendit. Quocirca notãdum, ꝙ sicut ferrum à magnete & vapor à Sole virtute quadam impressa trahitur, eundem in modum alimentum trahitur ad membra per virtutem ab anima impressam, ratione cuius ad membra inclinatur: siquidem nutrimentum ea animæ virtute affectum, cõgeneum incipit esse animalis membro, ad quod sicut ad locum suæ speciei cõformem inclinari atque adeò moueri incipit. Pars enim ad totum naturã mouetur & imperfectum ad perfectũ (vt. 4. lib. Phys. tex. 48. & 49. & 4. lib. de Cælo c. 3. tex. 2. vbi latè expositum est) nutrimẽtum sanè in animalis membro cõplementum accipit illius virtutis & inclinationis, quæ per actionẽ animæ agentis in ipso erat, atq; per actionẽ caloris naturalis (qui animæ & mẽbri instrumentum est) generatur. Quare verum non est, terrestria membra deorsum, ignea verò sursum habitare: sic enim testa capitis nostri ossa non haberet, quæ terrea sunt, neq; cerebrum, quod aqueum est. Vnde si in mulieribus atq; senibus inferiora membra grauescunt & incrassantur magis, argumento non est, Empedoclem rectè opinatum fuisse, sed potiùs in his caloris defectũ & proinde animæ deficientiam esse: non igitur tam necessitate materię, quàm formę augmẽtatio accidit. Quare potiùs id erit accretionis & omnis vitalis operationis causa, quod cõtinet, ne elementa ad sua reuertantur loca: anima autem est, quæ continet (vt in. 2. lib. Phys. cap. 7. & 8. & suprà lib. 1. c. 5. tex. 90.) ergo anima causa est harum operationum: quia ipsa est principium & omnia per actũ operatur. Quo fit, vt alimẽtum sit, quo vita animalis cõseruatur, & id maximè sanguis sit (. 2. de gene. animal. c. 4. & 3. de partibus cap. 5.) cuius rei signũ est, quòd sanguis in-

Notanda Philosophia de trãsmutatione alimenti in alitum.

ter omnes humores per corpus spargatur, vt omnes partes corporis alat:fit etiam, vt alimentum non sit substantia,sed qualitate contrarium & dissimile ei,quod alitur:ideo sanguis sua natura est temperatus ex naturali sua constitutione. Vnde quanuis ea ratione,qua contrarium est,patiatur & reagat (vt lib. 1.de gene.cap.9.dixi,quæ communicant in materia,aguut & patiuntur,&c. 3. Phys. cap. 2. &. 4. de gene.animal.cap.3.) tamen hic non dicitur alimentum agere,vel quia non agit actione vincēte,quæ est actio absolutè,sed reagit tantùm resistendo,& eo modo, quo lib. de gener. loco citato dixi: vel melius(vt hîc explico)quoniam est sermo de vltimo alimento,à quo cùm iam simile sit,nulla nascitur passio:quia iā simile est qualitatibus,vnde potiùs conuersio oritur in alitum. De altero autem alimēto dubium non est,quin reagat in alitū:quia dissimile est & contrarium, donec factum sit simile,sed in eo assimilādo nutriendi vis debilitatur à principio,licet in fine conseruetur & confortetur.

Alimentum quare no dicatur agere.

Tex. 40. Sūt autem,quibus ipsius ignis natura, causa simpliciter nutritionis, & accretionis esse videtur. Ipse nanq; solus omniū corporum,aut elementorum, nutriri, ac augeri videtur. Quapropter & in plantis,& in animalibus putabit quispiam ignem idipsum esse,quod operatur.

Tex. 41. Verùm nō ita est,sed cùm comitetur causam, est ob idipsum quodammodo, non simpliciter causa, sed talis est potiùs anima. Nam ignis quidem accretio in infinitum progreditur,& eousq; fit,quousq; sit combustibile. At eorum omnium quę natura constant,est finis & ratio tam magnitudinis,quàm accretionis. Hæc autem animæ sunt,non ignis, & rationis potiùs quàm materiæ.

Empedoclis exploso errore fingētis, nutritionem vniuersaliter fieri secundùm naturam elementorum, Democriti atq; aliorum asserentium,solùm ignem principium esse nutritionis, opinionem etiam exhibiat & refellit: quibus apparebat,solum ignem inter elementa nutriri:nam si ignis non nutriatur, propter continuam propriæ materiæ deperditionē perire videtur:euanescunt enim & euolāt eius partes,atque adeò indiget continua restauratione deperditi. Arist. tamen tex.41.id reprobat: quoniam solus ignis neq; causa est principalis,neq; efficiēs nisi sicut instrumentum. Anima autem sola principalis est: nam si principaliter nutrimentum ab igne fieret, ignis in nutritione viuentis,ignis potiùs speciē operaretur,quā viuentis: cùm tamen videamus ignem alimentum non conuertere, aut in carbones, aut in flammas,aut in scintillas,vel aliquid simile,sed potiùs in carnem & ossa,&c.quæ vt nutribile viuat,exiguntur:ab alio igitur quàm ab igni augmentatio fit, hoc est, ab anima simpliciter: ab igne verò vt ab eius instrumento. Arbitrari enim ignem augeri & hæc opera præstare,idem est,acsi serram aur asciā,artificiū fabrile aut fabrū ipsum esse arbitreris,vt inquit Arist. lib. 2. de gene.cap.9.tex.55.si causam generandi instrumentus tribueremus, causas præcipuas negaremus. Non est igitur ignis causa præcipua,sed instrumentum,quod fuit in causa, vt in corporibus nutribilibus ignis dominium haberet:quoniam nutritionis propriū est instrumentum, qui etiam non se nutrit: nam quod nutrit & auget vt anima, animatum corpus augmentat:ignis verò seipsum respicit atq; fouet. Prętereà si ignis augmentationis principium primarium esset, viuētia in infinitum crescerent, sicut & ipse ignis, cui si in infinitum combustibilia addantur,in immensum eius magnitudo cresceret: ergo si indeterminata est ignis magnitudo & incerta mensura,ab eo viuentiū regula atq; determinatio prouenire nō poterit,vtpote qui constantem & firmam nō habet quantitatem,sed multipliciter variabilem secundùm ꝙ cōbustibilium aceruus variatur:fit igitur ab anima,quæ ignis indeterminationem mensurat atq; pręscribit. Id enim dicit Arist. illis verbis vltimis text.41. *Non ignis, & rationis potiùs,quàm materiæ*, id est, à ratione, hoc est,à forma proueniret, sed formam hoc loco rationem nūcupauit: quoniam

Anima non ignis nutrit.

Ignis suo calore est nutritionis instrumentum.

Augmentatio aia indiuisibiliter exigit.

quoniam augmentatio rei est spiritualiter agentis,& non materialis & corporeę:nam licet vegetatiua corporea sit,& non spiritalis,siquidem recipit formam cum conditionibus materiæ:tamen ea ratione,qua superius diximus,adhuc aliquã indiuisibilitatis conditionem participat. Quare ignis quatenus est animæ instrumentum,non agit,nisi vt limitatus atq; ab anima determinatus:secus enim non digestionem,sed combustionem efficeret, & varias qualitates induceret. Repugnantiam,quæ in hoc textu statim sese offert, sedat Egidius, quòd cùm dixit certum esse terminum naturâ cõstantium, de viuentibus intelligendum,vt ipse Arist. statim se exponit,cũ dicit, *Hæc animæ sunt, cùm autem dicit, Ignem in infinitum crescere,* de inanimatis intelligenda sunt. Vnde negandum non est in illa propositione,omniũ naturà constantium, vniuersaliter locutum fuisse Aristotelem,sed per natura constantia solùm intelligit animata, quæ proprijs terminis figurãtur. Vnde nõ intelligit ignẽ, nec cætera elementa,quæ non proprijs,sed alienis terminis figurantur, quod. 3. lib. de Cælo cap.8. docuit Arist. nõ igitur propria, sed aliena constant natura,& vt eodẽ. 3. lib. de Cælo tex. 43. Arist. dicit,propria magnitudine atq; paruitate non terminantur:non enim mensurãtur proprio & intrinseco termino,nisi viuentia.

Summa.

Egidius collisionẽ euellit.

DVBITATIO.

De sensu quo ignis sine fine cresceret,si ei in infinitum adderẽtur cõbustilia.

Sed tunc consurgit dubitatio,cùm. 1. lib. Phys. tex. 36. Arist. non tantùm ethereogenea,verumetiam & homogenea magnitudinis & paruitatis terminis cõprehendi doceat,quomodo igitur si igni infinita cõbustibilia adderentur, in infinitum cresceret? Dicunt,conditionalem veram esse,cuius tamen antecedens atq; cõsequens falsum est & impossibile, vt si homo volat, habet alas:hoc ideo dicunt,ne si in alium sensum detorqueamus,infinitum contra Arist. statuamus. Hi tamen veritatis scopum non attingunt: nam licet ita sit,quòd antecedens & consequens illius conditionalis falsa sint & impossibilia,tamen vis conditionalis hęc

Solutio quorundã refutatur.

est,vt ex illo falso antecedẽti posito aliquid sequi per locum intrinsecũ insinuet, quod isti non ostendunt. Ideo aliter dicendũ,supposito priùs,trifariàm aliqua quoad magnitudinem determinari, materiã scilicet & forma atque ordine vniuersi:ratione materiæ, quia constat ex omni sua possibili materia (vt. 1. Cæli cap. 9. colligitur) ratione verò formę, de se patet:quoniam forma est,quæ materiæ certos terminos atq; fines limitat atq; pręscribit: ex ordine autem vniuersi: quoniam terminantur & configurantur elementa secundùm cæli latera,iuxta id,quod Arist. 3. Cæli cap. 8. dicit. Prætera aduertẽdum,quòd cùm elementa inter res naturales infima sint, materiæ sunt propinquissima (vt. 4. Cæli tex 24. vocat Arist.) si ergo vsqueadeo ad materiam accedunt,vt prima sint, quæ post ipsam materiam sequuntur, fit,vt multum de materiæ proprietate participẽt,vnde habeant,vt nullam sibi requirant terminationem & figuram,vt. 3. Cæli tex. 67. determinatur. Sunt igitur elementa secundùm se considerata,infigurata atq; interminata: quia sunt primæ materiæ propinquissima, materiæ subinde proprietatẽ (quæ radix est indeterminationis) participant. Secus de formis rerum perfectarum dicendum,quæ certam quantitatem atq; figuram sibi determinant: elementum enim nõ est nisi propter formã mixti, cuius mixtionem ingreditur,aut constitutionem vniuersi,quod. 3. Phys. &. 1. de Cælo finitũ necessariò esse demõstratur. Ex quo sequitur, quòd licet omnia,quæ natura constant (vt 1. Phys. tex. 36. dicitur) magnitudinis & paruitatis terminis claudantur; tamen in simplicibus,finitudinis & determinationis ratio potiùs est extrinseca, quàm intrinseca, propter formæ imperfectionem, quæ materię propinqua est,eiq; immersa:at in mixtis vltra illam extrinsecam est alia causa intrinseca,quæ est ratio suæ formæ,quæ perfecta est. Sequitur etiam,ignem non esse infinitum affirmatiuè (quod cathegorematicè infinitum Sophistæ appellant) benè tamen negatiuè (quod illi dicunt infinitum sincathegorematicè) quia sine alicuius finis determinatione crescere potest in satis magnã quantitatem & mollem indeterminatam, quæ animatis repugnant: ergo locus Arist. satis benè sic à nobis exponetur, si dicamus ignem in infinitum crescere posse,non affirmatiuè & cathegorematicè:quia tale infinitum

Propria Autoris solutio.

1. appendix de rerum mensura.

2. appendix.

tum nullũ est in natura, sed negatiuè & sincathegorematicè (vt superius dicebamus) quia certam & constantem quantitatẽ non habet, sed multipliciter variabilẽ, quod animatorum naturæ repugnat, quæ certis terminis necessariò clauduntur. Vnde ratio Arist. procedit: iam vniuersum tex. 41. paraphrasi nostra sic illustremus, Democriti existimatio vera non est: nam anima primaria augmentationis causa habenda est, non ignis: siquidem ignis pro cõbustibilium ratione sine regula, modo atq; mẽsura crescit: at verò animata omnia, quę propriè natura constant, finitis constantibus atq; certis magnitudinis terminis comprehenduntur: igitur non ignis (qui nõ est de se finitus, nec ab actione cessat, nisi quid obstet, sed semper naturaliter perseuerat, quandiu subest materia, quæ comburatur) sed forma ipsa principium est augmentationis primarium: quia ipsa viuẽtia definiuntur ratione & termino intrinsicè: quoniam non est alienus substantiæ generatio, sed prçexistentis extensio secundùm omnem differentiam dimensionis, & ita semper eadem forma manet: eadem autem forma non potest nisi definitam materiam informare. Quibus Themistius subscribit paucissimis verbis, nempe certum cõstituere terminum (quod animatorum proprium est) non ad ignem, sed ad animam spectare: quoniam ratione formæ & non materiæ res secundùm magnitudinem determinantur, cui elementa propinquissima sunt.

Perpende Autoris expositionem paraphrasticam.

Themist.

Tex. 42. Cùm autem eadem vis animæ sit, & nutriendi, & generandi, primùm de alimento determinare necesse est: hæc enim à cæteris potentijs hoc opere atq; munere seiungitur.

Iactis illis prælvdijs atq; his euulsis erroribus, de alimento iam determinandum esse docet Arist. ordine à principio posito: maximè cùm eadem vis nutriendi & generandi sit, & vtraq; alimento vtatur, quod vt hoc aliquid, alit, & vt hoc quantum, auget. 1. de gener. tex. 35. vt autem alimenti residuum est, generat. Cùm ergo de vegetatiua sermo sit, cuius obiectum esse alimentum, nemo est qui ambigat (nil nisi ex ingesto alimẽto nutritur) de ipso prius, deinde de operationibus, postremò de potentijs differendum est, vt præsenti textu præfatur Arist. Cùm autem dicit, eandẽ vim animę esse, nõ pro materia, id est, non pro alimento sumitur, nec pro genere: quia scilicet omnes sunt vitales operationes: nec pro subiecto: quia omnes ab eadem anima vegetatiua sunt: sed hoc scilicet, quod ab eadem vi animæ, & ad eundẽ finem sempiternitatis, atq; adeò quòd vniuersaliter in his tribus omnis vegetandi vis comprehenditur, & ita sub eadẽ nomẽclatura vegetatiuæ cõtinentur nutritiua, augmentatiua, generatiua: vel eadem vi (vt tex. 47. Arist. explicat) materialiter re idem, ratione verò diuersa.

Videtur itaq; cõtrarium esse contrario nutrimentum, at non cuilibet quoduis, sed id ei, quorũ alterum ex altero nõ solùm mutuò generatur, sed incrementa etiam suscipit: complura nanq; contrariorum fiunt quidem ex sese mutuò, sed non à suis omnia contrarijs incremẽta suscipiũt, vt ex ægrotante fit sanum. At verò nec illa modo eodem sibi mutuò nutrimentum esse videntur, sed aqua quidem alimentum est igni, ignis autẽ non nutrit aquã. At in simplicibus corporibus horum alterum alimẽtũ, alterum eius, quod nutritur, maximè sub ire rationem videtur. *Tex. 43.*

Verùm enim is locus dubitationẽ habere videtur. Sũt enim, qui dicunt simile simili nutriri, quemadmodũ & accrescere. Quibusdam autem (vt diximus) non hæc sententia, sed contraria placet, censentq; non simile simili, sed contrario contrariũ ali. Etenim fieri nequit, vt inquiunt, vt à simili simile patiatur. Alimentum *Tex. 44.*

tum autem mutatur, atq; digeritur, mutationemq; rerum omniũ in oppositum, vel in medium esse constat.

Tex.45. Præterea, nutrimentum quidem aliquid patitur ab eo, quod alitur: hoc autem ab alimento non patitur quicquam: quemadmodum nec à materia faber, sed materies vt patet, à fabro, qui quidem ex otio mutatur tantùm ad operandum. At enim interest planè, si nutrimẽtum sit id, quod vltimò tandem adiungitur, atq; additur, an non hoc, sed id, quod primùm ingreditur. Quòd si vtrunq; quidem est alimentum, alterum tamen est digestum, alterũ indigestum: vtroq; profectò modo, & contrario contrarium, & simile simili dicere licet nutriri. Nam si vt indigestum sumatur, contrarium contrario alitur, sin vt digestum, simile simili nimirum hoc pacto nutritur. Quare patet, illos vtrosq; partim rectè, partim nõ rectè dicere, atq; sentire.

Tex.46. Cùm autem nihil nutriatur, quin habeat vitam, animatum id erit profectò corpus, quod alitur, ea sanè ratione, qua est animatũ. Quare & nutrimentum ad animatum per se refertur, & nõ per accidens.

His quatuor textibus Arist. cùm de alimento priùs esse agẽdum docuerit, eius naturam exponit, multáq; de alimento perfunctoriè persuadere nititur. Principiò, tex. 43. nutrimentum cõtrarium viuenti docet: *De alimẽto multa.* quoniam conuerti debet in naturam aliti, huiusmodi autem conuersio atque mutatio omnis non ex quolibet sine discrimine cõtingente, sed ex contrario atq; in contrariũ est. 1. Phys. tex. 43. & 44. eodem textu ibi, *At verò neq; illa modò, &c.* Arist. exceptionem facere videtur, aliud esse, contraria ex se fieri, aliud, viuens ex nutrimento ali: nam contraria reciproca mutatione ex se inuicem fiunt, & mutantur circa eandem materiam & subiectum, vt sanum & ægrotũ, calidum & frigidum: alimentum tamen nõ semper ex eo, quòd nutritur, fit: ideo ea ratione alimentum est contrarium, vt actione naturalis caloris mutatum in viuentis substantiã, ipsam fouere, augeréq; possitt: è contra verò viuentis natura in alimentum non commutatur: quod exemplo aquæ & ignis demonstrat, quæ inter omnia simplicia corpora rationem eius, quod alit & alitur, habere videntur, vbi aqua igni, quem fouet atq; alit, alimentum est, & non è diuerso, vt 1. lib. Meteoro. cap. 4. dicit, tria elementa igni materiam esse: at ignis aquam non nutrit, neque quicquam aliud. Fortè fortuna Arist. per aquam humida & oleosa vsurpat & intelligit, vt 2. de generatione & interitu cap. 8. tex. 50. dicit, oleum ignis esse nutrimentum, & ex elementis solum ignem nutriri: nec adhuc hæc ignis nutritio, accretióve propria est: quia infrà tex. 46. alimentum ad viuens refertur, & nil inanime propriè nutritur. Rursus loquitur Aristoteles de contrarietate actiua, non de ea, quæ formalis est, vt de albi & nigri contrarietate. Tex. autem 44. dubitationem propositam 1. lib. de gene. cap. 7. atque ibidem à nobis expositam, easdémq;, quas illic retulit, inducit existimationes: tum, eorum, qui simili à dissimili pati debere aiebant: tum etiã, Democriti, qui simile à simili passibile erat. Hoc ideò, quoniam alimentum, de quo disseritur, & simile est & dissimile, principiò sit dissimile, fine autem simile: tum iam illud, quod erat quasi alimentum, fit propriũ partis, cui accommodatur alimentum, iuxta eam distinctionem alimenti, quam lib. 1. de gene. cap. 5. de sententia Medicorum adduximus, & elegãtiùs, breuiúsq; dudũ tex. 39. referebamus. Vnde initio textus. 45. dicit Arist. nutrimentum pati ab eo, quod alitur, ab alimento tamen ipsum alitum non patitur: nam primum, quod mouet, non patitur à contrario (1. de gene. cap. 7.) neque à sua

materia

materia vt faber: quàuis materia à fabro afficiatur. Hoc exemplo ex artificialibus petito alimenti transmutationem illustrat, & quòd anima non mutatur, probat: quia ex otio tantùm ad operandum mutatur: nemo autem passionem & mutationem vocabit, mutationem à quiete, operationẽ ex otio, cùm sit perfectiua operatio, nõ propria passio. Inde tamen, *At enim interest planè, &c.* Arist. duas illas opiniones subcontrarias esse (sicut lib. 1. de gene. c. 7.) docet, partim scilicet veras, partim non veras: ideo ex distinctione esse conciliandas. Nam cùm dupliciter alimẽtum sumatur, Primò, crudum & indigestum, quod quasi alimentum nos vocamus, & hoc est contrarium alito atque dissimile actu, potentiâ verò simile. Secundò, alimentum est iam coctum & digestum, quod propriè à nobis alimentum vocatur, & est simile in actu, ob idq; cùm ipso iam nõ est pugna atq; actio, quia actio iam præcessit: igitur prior opinio intelligenda est de priori crudo alimento, quod dissimile & contrarium est: posterior verò de posteriori digesto & proprio alimento, quod simile est, interpretanda venit: non ergo omnino à veritate deuiant. Tãdem iam tex. 46. dicturus Arist. de actibus potentiæ vegetatiuæ, qui sunt nutritio, augmentatio & generatio simpliciter, & qua ratione actus isti differant, atq; illis verbis, *Cùm autem nil nutriatur quin habeat vitam, &c.* declarat, vegetatiuæ potentiæ obiectum, quod alimẽtum est, ordinem per se habere ad corpus animatum, quod, qua ratione animatum est, respicit, & non per accidens: siquidem animatũ corpus inquantum corpus non nutritur: fieret enim inde consequens, vt omne corpus nutriretur, quod falsum est atq; impossibile: huiusmodi igitur actio auctionis atq; nutritionis principaliter nõ alicui corpori debetur, sed animæ atque calori: sed huic nõ principaliter, sed accidentaliter atq; vt est ipsius aiæ instrumentũ: per quæ verba atq; per illa, *Nutrimentum ad animatum per se refertur, & non per accidens*, tacitè etiam atq; latenter antiquiores illos Philosophos insimulat, qui corpora, non vt viuentia, sed vt ignea, augeri censebant. Duo itaq; illo tex. *Obstrua.* notanda dicit Arist. Primum est, ordo alimenti ad alitum, quod viuens est, non tamẽ aliquod ex elementis. Secundum est, ignem aut alterum aliquod ex elementis augmentationis non esse principium: vtrunq; patet, quoniam alimẽtum est vegetatiuæ animæ obiectum, ergo per se ad viuens habet habitudinem. Ex quibus cuiuis licebit colligere, alimenti definitionem id esse, quod natum est animati substantiam conseruare, augereq;, cùm fuerit concoctione simile factum. *Definitio aliment.*

Atqui diuersa est alimenti ratio, vt nutrit & auget: nam vt ipsum alimẽtum quantũ est quoddam, auget: vt est hoc aliquid, & substãtia, nutrit. Cõseruat enim substantiam, & est eousq; profectò, quousq; nutritur. Efficit præterea generationem, ac ortũ non eius, quod alitur, sed talis, quale est id, quod nutritur. Iam enim est ipsa substãtia, & nihil seipsũ generat, sed conseruat. *Tex. 47.*

Vt de operationibus animæ vegetatiuæ perfunctoriè & in transitu disputet, dubitationem, quę ex dictis suboriri posset, remouet: dictum enim est, potentias per actus, & actus per obiecta distingui: at vegetatiuæ animæ tres sunt facultates, generatiua scilicet, nutritiua atq; augmentatiua, quæ tamẽ eodem nutrimento tanquàm obiecto vtuntur: oporteret ergo eas non separari? Cui satisfacit Arist. alimentum, quod illarum potentiarum obiectum est, re, id est, materialiter vnum esse, ratione tamen, id est, formaliter tria: nam vt quãtum est, auget, vt perfectum euadat viuens, quo perfectas edat operationes: vt hoc aliquid & substantia quædam, alit, qua reficitur viuens & insiti caloris vis reparatur, quod erat deperditum: at verò vt residuum quoddam excrementum, generat tale, quale ipsum est. Nam generationis principium (vt Medicis placet) instrumentale non est alimentum, sed semen, quod est superfluitas alimenti tertia digestione confecti, quod dum perfectè est concoctum, generandi est instrumentum. Vt autem intelligas, quòd cùm nil possit esse simul respectu eiusdem in actu & potentia, atq; adeò nil possit se generare, percipias tamen, quatenus nil obstet quominus sese valeat conseruare & tueri: aduerte, quòd *Potentiæ ex obiecto formali distinguntur.* *Semen quid.* *Nota nutritionis et generationis discrimẽ, vt in-*

ferius versus finem tex. 50. quòd virtus nutritiua, per quam viuens nutritur, viuens ipsum nō generat, licet ipsum in esse conseruet: quoniam conseruatio per se non est totius, sicut generatio, quæ est totius substantię acquisitio siue reparatio: cōseruatio autem tātùm est partis amissę, quæ ex alimento vt materia resarcitur. Discriminis autem ratio est: quoniam nutritiua licet conseruet totum ipsum, primò & per se totū non respicit, sed partes: supponit enim totum esse ad salutem, cuius deperditarum partium restaurationem ordinat: generatiua tamen ediuerso totum primò & per se respicit atq; facit; nutritiua verò partes ipsas, quæ primò & per se à nutritione respiciuntur & fiunt: quare quanuis viuens se nutriēdo saluet atq; conseruet, non tamen se generat. *Formalis ratio. obiecti diuersificat. potentias.* Ex quibus colligi potest, quòd sicut ferrum materia est atq; obiectum omnium artium fabrorum ferrariorum, vt facientiū enses, clypeos, loricas, seras ianuarum, soleas ferreas, &c. & est illarū subiectum idē materiale, sed quatenus ad diuersos fines refertur, diuersum est subiectum formale: ad eundem penè modum idem alimentum atq; vnum obiectum est materiale omniū potentiarum vegetatiuæ animæ, sed non est idem obiectum formale: quia non ratione eiusdem finis, neque eodem modo. *Quomodo Arist. se exponat.* Ex quo colligitur, distinctionem potentiarum iuxta Arist. argui atq; colligi ex distinctione obiectorum formaliter differentium, sicuti in artibus docuimus: vnde sicut alimentum in genere consideratum vegetatiuæ facultatis obiectum est, ita secūdùm diuersas rationes secatum diuersarum potētiarum obiectum est: qua ratione de operationibus vegetatiuæ animæ dissertum esse vult.

Tex.48. Quare tale quidem animæ principiū, vis est talis, vt id conseruet, quod ipsam habet, ea nimirū ratione, qua ipsam habet. Alimentum autem ad operandum præparare videtur, quapropter alimento priuatum esse non potest.

Actum de obiecto potentiæ vegetatiuæ, quod est alimentum, leuiter etiam tactum de actubus & potentijs (reliqua ex alijs libris sunt petenda, maximè. 1. lib. de gene. cap. 5.) nunc verò de ipsis potentijs vegetatiuis agendum, & potissimùm de nutritiua, quæ aliarum est fundamentum, considerat, quam sic definit, *Animæ principium, vis est talis, vt id conseruet, quod ipsam habet, ea nimirū ratione, qua ipsam habet*, id est, quā in corpore animato nutribili, hoc est, vt in eadē forma & substantia conseruat. Illud verbum, *Ea ratione, qua ipsam habet*, Philoponus dicit poni propter cælestia, quę sic non nutriuntur, vel si habent æthera causam, qua in suo esse cōseruantur, tamē omnino immutata sunt & inuariata: viuētia verò mortalia sunt mutationibus sine fine, multisq; alterationibus concussa, & conseruantur permutationibus & alterationibus: quoniam alimentū, quod eius materia est, per virtutem nutritiuam præparatur. Vult igitur, quòd augetur corpus, non qua corpus est, quod dudum tex. 45. & 46. docebat, sed qua viuens est, vt sese in sequenti tex. explicat: ideo eget nutrimēto vt materia, circa quam suas exponat vires: nā sicut ars sine eius organo nihilomnino operatur, sic sine alimento nutritiua potentia suas vitales operationes efficere nequit. Iuxta cuius normam difficile non erit, ad illius similitudinem aliarum potentiarum vt augmentatiuæ & generatiuæ definitiones comminisci: quoniam perfectè diffiniētur ex suis proprijs operationibus; ex fine enim vnumquodq; perficitur & absoluitur 3. Eth. cap. 7. vbi Arist. habit[9] & virtutes ex fine, hîc autem augmentatiuā, ex hoc quòd viuens ad perfectam quantitatem perducit, definiuit, sic enim functiones suas perfectè absoluere potest: similiter generandi vis erit vis procreādi alterum tale, quale ipsum est, quod ipsam habet: vt sic iā de obiecto, operationibus & de potentijs dictum sit, atq; à fine remotiori & extrinseco tex. sequenti omnes sub generatiua comprehendit, & per generationem definit.

At verò cū hoc in officio tria sint hæc, necessarioq; concurrāt, id, inquam, quod nutritur, & quo nutritur, & quod nutrit: id quidem, quod nutrit, est ipsa anima prima, id autem, quod nutritur, corpus est, quod ipsam animam *Tex.49.*

habet:

habet: at id, quo nutritur, ipsum est alimentum. Atq; cùm sit par, vniuersas à fine res appellare, finisq; huius animæ sit generatio talis, quale est id, quod ipsam habet: erit anima prima profectò principium generãdi tale, quale est id, quod hanc ipsam animam habet.

Continuatio doctrinæ.

Quia posset obijci, alimentum non tamẽ nutritiuam vim viuentis ipsum saluare? Respondet Arist. alimentum non esse, quod conseruat viuens, sed quo conseruatur: est enim in vnoquoq; motu mouens primũ, deinde motum, tum etiam id, quo mouetur: quod mouet autem atq; alit, anima est: quod alitur, corpus quatenus viuens, licèt alatur secũdùm formam. 1. de gene. tex. 35. cap. 5. & hoc est, quod dicebat Aristoteles præcedẽti tex. *Ea nimirum ratione, qua ipsam habet*: quo alitur autem, alimentum est vt materia, qua præparatur, & calor insitus & natiuus, quo alimentum perficitur. Vbi attendendum est, Aristotelem non asserere animam efficiens esse principium, Quod, nam illud solum est totum cõpositum, sed animam esse principium, Quo, cui vt origini atq; efficiendi radici motus isti debẽtur.

Occurritur collisioni tacitæ ex hoc tex. cum tex. 64. lib. 1.

Præterea Arist. non aduersatur sibi. 1. lib. de anima tex. 64. dicenti, animam non esse principium, sed totum compositum: siquidem sunt omnia Arist. testimonia interpretanda iuxta literæ contexturam, atq; iuxta Philosophi mentem ex præcedentibus atq; sequentibus collectam: modò cùm Aristoteles aduersus antiquos disputet, qui negabant, animam nutritionis esse principium, quid mirum erit, si animam asserat augendi initium, non vt Empedocles aut Democritus, qui ignem, terram, aut ignem solũ principium nutriendi existimabant: vide quæ lib. 1. tex. 64. in marginea annotatiuncula dixi. Deinceps cùm inquit, *Atq; cùm sit par vniuersas, &c.* vegetatiuam, quæ animarum prima est, à vi atq; facultate generandi definit, cùm natura non faciat, nutriat, aut augeat indiuiduum in alium finem, nisi vt species ipsa media generatione conseruetur: dicit enim, *Principium esse generandi tale, quale ipsum est*, quod est de vniuoca generatione intelligendum, non de æquiuoca, in qua ab equo & asina burdo generatur, ex leæna & pardo leopardus. Nota prætereà, quòd quãuis generatiua passio sit vegetatiuæ, non tamen vbicunq; est nutritiua, ibi est generatiua, quæ in imperfectis & non orbatis animalibus minimè reperitur, vt superiùs dicebamus: verùm vbicunq; generatiua est, reperies necessariò nutritiuam: nihil enim generatione vniuoca generare potest, quod non vegetatur.

Generatiua nõ est sine nutritione.

Prætereà consideres oportet, augmentatiuæ Arist. non fuisse oblitum: quia cum nutritiua commistam inuoluit, & per nutritiuam vtrãq; intelligit.

Augmentatiuæ virtus cũ nutritiua inuoluitur.

Rursus quod ait Arist. vniuersas res à fine appellãdas, interpretãdum est iuxta id, quod 2. lib. de Cælo tex. 17. diximus, in explicatione illius Aristotelei Axiomatis, vnumquodq; propter suam operationem, non quòd res in suam operationem destinetur, tanquam in alium finem, sed cùm res ordinetur à generante in seipsam perfectam & consummatã, ordinatur sanè in suam operationem, per quam genitum perficitur & consummatur, & hoc non est ordinari in alium finem ab ipsa re, sed in seipsam sua operatione perfectam intrinsicè: anima enim non est propter intelligere, sed vt ipsa sit actu intelligẽs, sicut nec vegetatiua est vt generet, sed vt ipsa sit in actu generans: operatio nanq; ipsa absolutè propter ipsum operans est. Quare hoc modo sumpta operatio extrinsecus finis, Cuius, non est, sed etiam intrinsecus, Cui: vegetatiua igitur est propter generationem: quoniam generatio operatio est, qua res maximè perficitur & diuinam naturam participat, vbi particula, propter, circunstantiã dicit causæ finalis, contra Caietanum 1. 2. q. 3. art. 2. non tamẽ primariæ, quæ ad essentiam pertineat, sed secundariæ, quæ ad existentiam & rei complementum spectet: & item causam dicit finalem ipsius agentis, cuius interest, nempe vt operetur, producere.

Aduerte quomodo operatio sit intrinsecarei.

Vnũquodq; propter operationem vt finem.

Nil enim fecit natura inane & otiosum, quod si hæretici considerassent, à natura edocerentur, opera esse necessaria. Ob id Deus opt. max. Adam introduxit in paradisum, vt operaretur & custodiret Genes. 2. inde relegauit etiam Adam, vt operaretur terram, de qua sumptus est Genes. 3. adeò abominabilis est otiositas: vide quæ suprà dicta sunt cap. 2. in notabili 2. quæstionis.

Obserua catholice.

Tex. 50. Id autē, quo nutrit anima, duplex est: quēadmodum & id, quo gubernator gubernat, manus, in quā, & clauus: atq; aliud mouet, atq; mouetur, aliud mouet tantùm. Necesse est autem, omne nutrimentū naturæ sit talis, quę digeri posit. At digestionē efficit calor: quapropter omne animans habet calorē. Quid igitur sit alimentum ipsum, vniuersaliter diximus: posteà verò de ipsis exactiùs perscrutabimur.

Nutritionis duplex instrumentum. Expositurus Arist. quod pręcedenti tex. affirmauerat, nempe in nutritione tria esse, alens, quo alit, & quo alitur: nutritionis instrumentū duplex esse docet, vnū coniunctū, alterū verò separatum, quod ex analogia ad res artificiales interpretatur: quemadmodum enim in tractione nauis coniunctum instrumentū est naucleri manus, separatū verò clauus, quo regitur & gubernatur nauigiū: ita sanè anima in nutritionis opus duplici exit instrumento, potentia nutritiua, & calore naturali: potentia nutritiua, vt cōiuncto: calore naturali, vt separato. Est enim potētia nutritiua cōiuncta animę vegetatiuæ, atq; in ipsa tanquā in subiecto: calor autem naturalis est veluti disiunctus & separatus, quāuis in ipso sit viuente: non enim est in ipsa anima subiectiuè, neque sicut pars in toto: sed sicut manus nō moueret nauim sine clauo, ita potentia nutritiua sine calore naturali alimentū digerere atq; cōuertere nō valeret: fieri enim nequit absque tali calore nutrimenti pręparatio atq; digestio. Expositio Autoris. Cęterùm nō placet, calorē instrumentū vocare separatum, vt similitudo teneat, cū cōstet, calorem natiuū esse cōnaturale instrumentū aīę. Dices, alimentū se habere ad nutritionē, sicut clauus ad tractionem nauis: meliùs ergo materia, circa quam appellaretur alimentum: calor tamen, cùm sit de cōpositione animalis, cōiunctum instrumentū esse videtur? Quòd si addubites, qua ratione anima vegetatiua dicatur mouens immotū, cùm omne, quod mouetur, cōponatur ex eo, quòd mouet & mouetur? (vt lib. 4. de Cælo c. 3. dixi ex. 8. Phys. c. 6.) Respondetur, animam vegetalem mouēre, at calorem eius instrumentū moueri: quod sat est, vt in anima aliud moueat, aliud moueatur. Aīa mouet immota. Animam autem immotam dicit, nō quòd omnino non moueatur, sed quòd sit principiū auctionis & nutritionis: nā & nauta mouetur, sed appellatur immotus: quia principiū est, vnde motus. Vel aliter, quia Arist. arguit contra Empedoclem, non esse primum augens & nutriens, aut alterans ad calorem, ignémve deferendum, quin potiùs ad animā ipsam, quę primum caput est omnis motus animalis triplici genere causæ, vt in superioribus pręsenti cap. diximus. Summa text.⁹ notanda. Vnde anima mouet & non mouetur: calor mouet & mouetur: alimentum autem alteratur & patitur à principio: post tamen cùm nutritio perficitur, alimentum vltimum nō patitur, sed cōseruat substantiā: ideóq; quo alimur duplex est: vt materia, est alimentum: vt instrumentum, calor. Quare vis nutritiua calorem excitat, excitatus calor alimento apposito vtitur, & ita calor mouet motus, alimentum mouetur & non mouet, vt teneat similitudo Arist. de nauta, qui mouet immotus, vt vegetatiua: de manu, quæ mouet mota, vt calor naturalis instrumentum coniunctum: de clauo & acu, quæ mouetur & non mouet, vt alimentum, quod, vt alimentum vltimū perficit & conseruat, non mouet, nec tunc temporis alterat, iam enim antè exuerat omnem contrarietatem, vt ex iam dictis notum est. Simile Arist. applicatur. Vltimis verbis colligit Arist. quæ dixerat de alimento, generaliter esse accipienda, scilicet in vniuersali actum de ratione nutrimenti, de quo exactiùs & presiùs pollicetur se determinaturum proprijs suis locis, quod pręstitit lib. de nutrimēto & nutribili, qui cū ad nostras nondū peruenerit manus, propriū eius loco Albert⁹ sufficit. De alimēto variè ab Arist. cōsideratur multis in locis. Pręterea in libris, qui apud nos Aristotelis habentur, plurimis in locis alimenti meminit, vt in libris de generatione per respectum ad motum de nutritionis & augmentationis mutatione mentio fit: insuper lib. 2. de gener. animal. c. 3. & lib. 4. c. 4. de partib. animal. quoniā sunt motus vel mutationes: hîc autē per ordinē ad animā, quæ ipsius nutritionis principiū est: 4. Meteoro. per ordinē & comparationē ad calorem naturalē vel extraneum, ostendendo ꝙ digestio à calore diuersis modis fit, scilicet exhalatione, decoctione, frictione, assatione, & similib⁹: libro autem de animalibus respectu habito ad membra, per quæ

posit anima meliùs operari: habent enim singula membra (vt Auicennas.6.lib.naturaliū asseruit) virtutem propriā, qua, vt illi mēbro conuenit, alimentū permutet. Idcirco rectè superiùs diximus, nutritiuā partes restaurare, ne indiuiduū resoluatur: generatiuā autem ipsum totū, ne species soluatur.

Nota.

Autor se excusat à multarū quæstionū discussione.

Multa profectò forēt à nobis pręsenti loco expediēda, nisi eorū nōnulla lib.1.de gene. in enodatione c.5. cōmodiùs attulissemus, vbi adfabrè excussa & enucleata sunt: pleraq; etiā illorū tractare, nostri instituti non est, vtpote quę ad Medicorū scholā attinere videātur: tractent ergo fabrilia fabri: etenim vnaquęq; scientia proprios habet fines, propriū subiectū atq; materiā, quā tractet (iuxta Arist.lib.1.Post.c.23. tex.43.) Nil est, quod (mea sentētia) magis autorum extollat & cōmendet ingenia, quàm omnia in suis locis proprijs tractare, nihilq; violēter à proprijs regionib⁹ extorquendo vtcūq; suffarcire, sed digerēda doctè sunt vniuersa, aptéq; singula distribuēda, vt in proprias sedes reposita, singula proprio quodā ductu se sequātur. Quare ad nos, de digestionis speciebus, de numero atq; natura facultatū, attractricis, retētricis, expultricis, de seminis generatione, & vtrū organū habeat, an ex vniuerso corpore ortū ducat, de organorū situ atq; magnitudine, disserere nō spectat: ista ad Medicos potiùs, quā ad Philosophos attinēt. Preterea an sanguis sit vltimū alimētum, vt cēset Arist. qui omnia dulci nutriri asseruit, id est, sanguine: quomodo etiā sit potentiā omnia, qui à propria declinans & deuiās cōplexione, in omnes facilè vertitur & trāsmutatur humores. Pręterea id genus innumeras quęstiones, ne eas percurrere cogar, & potiùs enumerē, quā definiā (vt quidam ex Neothericis haud fœliciter facit: quorū omnes mouet, nullā terminat nec absoluit, quinpotius confundit & miscet) remittam⁹ ergo eas ad proprios artifices & magistros, nō Medicos agimus, sed Philosophos, nec omnē Philosophiā enarram⁹, sed eam tātùm, quę de aīa est. An autem calor naturalis idē sit specie cum igneo, an verò specie differat? vtrumuis tenere potes: vide S.Tho.1.p.q.118.art.1.& Caiet.ibi, Ferrarien. etiā lib.2.contra gent.c.73. ex quibus optionem facies: nā & Arist. in neutrā mihi videtur inclinare sententiā, quod ego intelligā: maneant igitur cūcta suis locis, & proprijs artificib⁹ & autorib⁹ credātur. Id autē, quod superiùs diximus tex.47. de nutritionis & generationis discrimine, verum esse hinc probatur, quòd in nutritione & alimenti corruptione noua forma nō generatur, nisi per accidēs, quatenus pręexistens forma in materia deuuò adiuncta adgeneratur: ob idq; rectè illic asseruim⁹, nutritionē ex parte materiæ collocandam esse; atq; adeò ex parte partuū, cùm materiā atq; partes respiciat, quas reparādas suscipit: nō enim ponit formā, quæ ante actum non existeret, vt in generatione cōtingit. Idcirco nō solùm inter species motus nō connumeratur, cū fortasse motus nō sit, sed adhuc neq; inter species mutationis censetur: sunt enim omnes mutationes ad formā & eius gratia primò & per se: nutritio verò propter materiam, cuius collapsas partes restituit, atq; reparat: ob idq; vim habet atq; facultatē vniēdi attrahendo alimentū, ipsumq; partibus collabentibus apponendo, habetq; vim assimilādi, cōuertendi, digerēdi, & id genus opera plurima efficiendi, quę medijs qualitatibus primis aīa ipsa absoluit. Cętera, quę lib.1. de gene.c.5. desiderantur, quæ hoc loco essent cōplenda, vel secūda editione illo loco reficientur, vel in recognitionibus ad finē horum librorum resarciētur: vide ibi, quoniam ille locus magis & amplificatur & illustratur, atq; cum isto etiam explanatur.

De speciebus nutritionis.

Sanguis vltimum alimētū.

Calor naturalis fortè eiusdē speciei cū igneo.

Nutritio à generatione differt.

Nota.

Ad secūdam editionē lib. de gene. se remittit vel ad recognitiones illorū librorū.

Cur generare opus sit naturalissimum?

Quanuis textus.34.&.35. optimè fuerint à nobis expositi, non fuerit abs re, eandem expositionem iterum, atque textus etiam illustrare: vbi primùm omnium aduertas oportet, generare naturalissimū viuentium opus Aristotelē vocasse, nō perfectissimū aut perfectissimū: nam quāuis sit naturale viuētibus, nō tamen propriū: quoniam non animatis etiā conuenit, licet alio modo (quā diuersitatem modò tractare nō oportet) abstinuit etiā à nomine perfectissimo: nam licet generare sit opus naturalissimum, nō tamē perfectissimum. Vnde obiectio vulgaris, quòd sentire & intelligere sunt perfectiora, non est ad rem: quoniā nō de perfectissimo, sed de naturalissimo sermo est: falsū enim esset, generare perfectissimum opus appellare: maximè, cùm naturalitas operis maior aut minor (vt ita dicamus) non ex eius perfectione sumēda est, sed potiùs ex proximitate & propensione naturę ad opus: impertinēter igitur se habēt operis pfectio atq; proprietas ad naturalitatē: per hoc enim naturale distin-

ſtinguitur à violento (vt.3.Eth.c.1.docuit Ariſt.) quoniã naturale intrinſecùs ex inclinatione naturę promanat, violentũ autẽ ex triſecùs: quia fit natura vim nõ cõferente, imo in oppoſitũ propendente: erit igitur illud opus omniũ maximè naturale, nõ quod propriũ magis aut perfectũ, ſed ad quod natura maximè propenditur. Attendas obſecro perſpicaciſsimum Ariſt. ingeniũ: nã operum dixit, vt ipſũ eſſe ſemoueret, ad quod magis omne viuens inclinatur, vt generare nõ ſit ſimpliciter naturaliſsimum, ſicut eſſe, ſed in genere operũ. Huius autẽ rei radicẽ atq; fundamentũ Ariſt. poſuit ex fine, quo cuncta æternitatem participare conantur, & diuinæ naturæ fieri participia: nimirũ q ex appetitu eſſendi, qui ſimpliciter & omnium maximè naturalis eſt, cuilibet conuenit appetitus generãdi, quãdiu poteſt, ſi nõ in eodẽ numero indiuiduo, ſaltẽ in ſpecie: quare ex hac naturaliſsima inclinatione ad eſſe, prouenit iſte naturaliſsimus appetitus operãdi illo generationis opere, quo magis cõparatur eſſe, vita acquiritur atq; cõtinuatur. Continua ſiquidẽ generatione viuentia (quãtum rei natura permittit) ſempiternitatẽ atq; immortalitatẽ adipiſcũtur, ſaltem ſpecie, quæ diuinitatis quædam eſt participatio: vnde pater ſi filiũ generat, nõ propter filiũ, ſed propter ſeipſum; vt ſeipſum in filijs perẽnet.

Cautè Ariſtot. eſſe ſeparauit ab hac cõparatione.

Vnde ſumatur fũdamentũ, quòd generatio ſit naturaliſſima.

Obiectio prima. Sed dices, naturalius eſſe, verbi gratia, homini intelligere atq; æquo ſentire, quã generare: eõ, q hæc illis cõueniunt per propinquiora & cõſtituentia principia, generare tamen per cõmuniantem etiã, quod
2. ſunt opera multũ præſtãtiora. Vnũquodq; autẽ naturã magis propẽditur in perfectius
3. opus, quã in minus perfectũ. Prętereà, quia vegetabilib° nutrire etiã naturalius eſt, quã generare: eſt enim naturalius & pprius omni viuẽti, quod per nutritionem conſeruatur, in nutritionem inclinari, quàm in generationẽ, quæ eſſe alienũ cõſeruat.

Solutio prima. His omnib° abũdè ex dictis ſatisfactũ arbitror, ad quę fundamentũ appoſitũ eſt, q per opus generationis appetitus eſſendi vtcunq; ſatiatur: vnde quotidianis experimentis compertũ eſt, tantã ad generãdum pronitatem, vt frugaliſsimi etiã homines difficillima & rariſsima victoria hanc naturæ pronitatem

Ad.1. ſuperent. Vnde prima probatio, quòd principia rei propinquiora ſint magis naturalia, veritati aduerſatur: potius enim quæ cõmuniora ſũt, magis naturalia cẽſentur, vt quod ineſt per vitam, naturalius eſt, quàm quod per ſenſum. Ratio huius eſt: quia cauſa primaria plus influit in effectũ, quàm cauſa ſecũda: & ob id operatio cauſæ primæ vehementior eſt, quàm ſecundæ, & ibidẽ etiam de cauſis formalibus declaratur: quo enim eſt aliquod eſſentiale prędicatum ſuperius, eo eſt rebus magis intraneũ, vſqueadeo vt ipſa entis quidditas adeò rebus omnib° intima ſit, vt ſeipſa citra aliquã cõpoſitionem in omnibus ſit. 4. Met. tex. 3. idẽ eſt ens homo & homo, nec in corruptione nec in generatione ſeparantur, &c. 5. Met. tex. 14. & 16. Met. tex. 8. ens nõ eſt de eſſentia tanquã cõceptus diſtinctus, ſed vt ipſiſsima eſſentia rei, & id quod cõcipitur cum re. Ita proportionabiliter in Philoſophia dicendũ de cauſis vniuerſalioribus, quæ non faciũt gradum extrinſecũ, qui videatur in numerum ponere cum cauſis ſecũdis & particularioribus, ſed modo vnius cauſę ad vnũ effectũ
2. cõcurrunt. Secunda autẽ obiectionis declaratio diluitur, eò q ad perfectiorẽ operationem cæteris paribus maior eſt inclinatio: modò autẽ cætera nõ ſunt paria, cùm generare rem per ſe perpetuet, ſentire autẽ atq; intelligere nõ: præterea ſentire & intelligere primò & per ſe ratione partis cõueniũt, vt ipſius aīæ: generare autẽ ratione totius. Vnde totum viuens naturalius ad generationem, quàm ad intellectionẽ inclinatur: quamuis intellectio perfectior ſit, nã & ipſa intellectio eſſe per generationẽ acceptum ſupponit, & intelligere ſine eſſe repugnat, etſi intelligere ſit perfecti° quàm generare formaliter, nõ tamẽ cauſaliter; quia generare cauſat perpetuitatem: vnde totũ viuens primò ad generationem quã ad intellectionem inclinatur: radix autẽ huius finis eſt appetit° ſẽper eſſẽdi. Vnde ſi aliquod intelligere, vt viſio beatifica, nõ ſolũ eſt formaliter perfectius, ſed etiã cauſaliter, quia perpetuat beatũ, nõ tamen eſt naturalius: ſiquidẽ viſio illa ſupponit priùs appetitũ eſſendi, qui fundamentũ eſt ad beatitudinẽ: nemo ſanè erit beatus, niſi ſit, eſt autẽ per generationẽ: generatio ergo abſolutè & ſimpliciter atq; primò naturaliſsima eſt.

Generatio ſecundum quid naturalior viſione beatifica.

3. Tertia autem de nutritione deductio als Ariſt. exploditur cũ dicit, naturaliſsimũ eſſe viuentib° perfectis. Modò tamẽ inter nutritionẽ & generationẽ intereſt; quòd generatio cõuenit viuenti perfecto, quatenus perfectũ eſt, quinimo ex abũdanti eius perfectione, quę nõ ſolũ bono indiuidui, ſed ſpeciei incũbit: nutritio autem viuenti nõ competit,

Nutritio à generatione ſine diſtat.

nisi quatenus à perfectione cadens, partiũ eget reparatione: magis igitur inclinatur viuens in generationẽ, quàm in nutritionem: ideo perfecti⁹ est generare & præstãtius ab excellentiori fine atq; causa, sicut generare excellit intelligere à fine; & quia communi⁹, diuiniúsq; speciei bonum prospicit.

QVAESTIO
An potentiæ distinguantur per actus & obiecta?

Textu. 35. tractãda ista quęstio erat de distinctione potentiarũ, sed ne expositionis cursus interrũperetur, meritò in hũc reiecimus locũ: nam licet eũ ipsũ metaphysica videri posit, propria tamen est hui⁹ loci, vbi Philosophus de numero potentiarũ disserit. Quare nõ fuerit â nostro proposito alienum, inquirere, vnde potentiarũ numerus sumatur, hoc est, an per actus; an potiùs per obiecta, an per vtrunq; potentię discriminentur? presertim cũ hãc quęstionẽ Arist. in prooemio. proposuerit, & in pręsenti capite soluat, quod vtiq; non fecisset, nisi inter quęstiones de anima connumeraretur: propterea ergo Philosophus naturalis de facultatibus, earumq; operationibus disserit.

1. argu. Pars in primis negatiua probabilis videtur: quia si potentiæ distinguerentur per obiecta, diuersitas obiectorũ ostenderet potentiarũ diuersitatem: cõsequens autem falsum est: quoniã vnus est visus, qui diuersorũ & cõtrariorum est obiectorum, vt albi & nigri, lucis & tenebræ.

Conf. Confirmatur: nã si diuersitas obiectorum diuersitatẽ ostenderet potentiarũ, ergo identitas identitatem: quia si affirmatio causa est affirmationis, negatio negationis causa erit: videmus tamen, idem obiectũ diuersarum potentiarũ esse: bonum enim idem, quod intellectus intelligit, voluntas desiderat.

2. argu. Deinde arguo, si diuersitas obiectorũ arguit diuersitatem potentiarum, oporteret, ordinẽ etiã potentiarum esse secundum ordinem obiectorum, quod verum non videtur: nã intellectus, cuius obiectum quidditas est & substãtia, posterior est sensu, cuius obiectũ est accidens, & tact⁹ prior est visu, licet visibile cõmunius sit tãgibili.

3. argu. Prætereà actus & obiecta sunt extrinseca ipsi potentię: ergo impossibile est, per ea tãquam per essentialem & intimã differentiã potentias ipsas distingui.

4. argu. Maximè, quia difficile creditu est, diuersitatẽ rationis in obiecto causam esse sufficientẽ realis diuersitatis potentiarũ: quomodo enim ens rationis causa erit realis? atq; minor distinctio causa maioris?

5. argu. Tãdem potentię seipsis distinguuntur, ergo nõ per actus & obiecta: antecedẽs cõstat: quia quibuscũq; alijs semotis per intellectũ, adhuc atq; potentię plures sunt: cõsequentia deducitur, quoniã opposito dato in infinitũ abiretur: ergo nullis existẽtibus actibus nõ minus potentię istæ distinguentur? In oppositũ autẽ est Arist. testimonium pręsenti cap. tex. 33. cũ dicit, *Nã operationes, actionés ve potẽtiis, viribusq; priores sũt ratione: quod si ita sit, atq; prius etiã obiecta &c.* Ergo potẽtię per act⁹ atq; per obiecta distinguũtur.

Suppositio de numero potentiarũ. In quęstionis titulo supponitur, plures esse animæ potẽtias, quod ex Arist. 2. lib. de Cælo c. 12. facilè deducitur: quoniã nõ solũ secundũ distantiã à primo, verumetiã secũdùm ordinẽ ad finem plurib⁹ motibus atq; modis in eum mouetur: argumento igitur est, plures habere potẽtias: presertim cũ aĩa mediã quandã naturã sortiatur inter separatas & coniunctas formas: habebit igitur vtrarũq; formarũ potentias: nã mediũ atq; cõpositum vtrũq; participat extremũ, q̃ sit in vtriusq; extremi cõfinio. Nolo hîc disputare, si potẽtiæ ab aĩa realiter distinguãtur, necne? quòd disputatio ista nimis sit scrupulosa & subtilis, & quæ ad Metaphysicũ potiùs quã ad Philosophũ referẽda sit: siue enim vis sensitiua substãtia sit, siue accidẽs; nil min⁹ de operatione sensitiua constabit Philosopho, sicut nec Mathematicus ignorabit lineę proprietates, quòd nesciat, an linea sit substãtia vel accidens: munus istud primi est Philosophi, vnũquodq; entium in propria sede & genere collocãris. Tamẽ in tuã gratiã amice lector medium; quo id cõstare posit, quando potentiæ distinguantur, quando verò non, sic tibi ostendo: quia actus & potentia in eodem genere sunt (.3. Phys. tex. 5. & 9. Met. tex. 2. & 12. Met. c. 8. S. Tho. ibi lect. 9. ideo potentia materiæ nõ distinguitur ab ipsa, quia est substantia, sicut actus eius substantialis est) at in præsentibus facultatibus animę, cùm actus scilicet vegetare, sentire atq; intelligere accidentia sint, ipsa quoq; potentia accidens erit ab anima distinctum, quia est potentia proximum principium operandi: ideo anima causa est, id est, principiũ suarum potentiarum, vt S. Tho. 1. p. q. 77. ar. 6. & Scot⁹ & vocati Nominales, quòd nõ realiter sed formaliter, quæ est non rerũ, sed rationũ distinctio. Ab his autẽ fusiùs deducẽdis supersedeamus;

Principiũ atq; medium ad diiudicandam potẽtiarũ distinctionem.

deamus: quia (vt dixi) metaphysica est quæstio: sat enim est, rē acu tetigisse, & velut digito cōmonstrasse. Deinde, quo distinctiùs & expeditiùs proposita soluatur quæstio, distinguamus oportet vim atq; significationem illius particulę, Per, quę in titulo quæstionis posita est. Per, in primis importare poterit causam intrinsecam & rei intimam, vt formalē atq; materialem, quo modo nullus (vt arbitror) erit tam mētis impos, vt dicat actus & obiecta potentię esse intrinseca principia: nā intrinseca differētia rei intima est atq; in ea formaliter. Vnde prima opinio, quę id asserebat, si qua erat, falsa est, atque adeò tertiū argumentū solutū. Deinde aiunt alij in altero extremo, Per, nullū genus causæ dicere, sed tātùm principiū declaratiuum à posteriori, ita vt actus & obiecta potentias nō distinguant, sed apud nos esse distinctas manifestent. Hæc autem sentētia ex manifesta Philosophiæ ignoratione processit: quoniā (vt superiùs tex. 49. tetigim⁹, & latiùs. 2. lib. de Cælo tex. 17. interpretati sumus) operationes atq; actus rerum fines sunt: est enim vnūquodq; propter suā operationem: ob idq; 2. Phys. c. 7. & 8. definit Arist. ex fine physicā sumi rationē à priori, quę si isti perspexissent, nunquā eorū mentē subijsset, potentias per actus atq; obiecta à posteriori distingui. Est enim finis vna causarū, quæ intētione prior est, propter quem ipsa natura operatur, quā prioritatē statim latiùs explicabimus: actus enim non crassè sunt vt effectus potentiarū vsurpādi, quēad modū isti existimant, sed subtiliùs, vt fines sunt potētiarum & earum causa in genere causæ finalis. Tū tertio loco sunt qui asserant, dictionem illam, Per, principiū omnino extrinsecum dicere, ita vt potentiæ per actus distinguantur in aliquo genere causæ à priori, tamen nō per materialē & formalem causam, quæ intrinsecæ causæ sunt, sed per finalem & efficientem, quę extrinseca principia sunt: quia in vniuersum res naturales quadruplici genere causæ constant, per quę omnia Physicus demōstrat. 2. lib. Phys. cap. vltimo, & lib. 1. tex. 11. & 15. sed intrinsicè per materiā & formā, extrinsicè autem per efficiens & finem. Hæc tamen assertio quæstionis nodū nō attigit, licet parùm ab eo declinarit: nā re vera cū dicitur, potētias peculiariter per actus & obiecta distingui, aliquid singulare atq; propriū in ipsis esse insinuamus, ratione cuius ipsę potētię speciali ratione ita distinguātur: siquidem omnibus rebus natura cōstantibus cōmune est, per efficiens atq; finem extrinsicè definiri: hæc igitur existimatio potentiarū naturam haud inspexit. Idcirco quarto loco interpretāda à nobis est Arist. atq; Peripateticorū omniū sententia, quæ inter duas priores media est, atq; hāc tertiā modò positā perficit & ab errore purgat, quę hac cōclusione absoluitur, videlicet, per actus & obiecta potētias ipsas distingui, vt dictio, Per, principiū extrinsecum dicat secundū rem, intrinsecū autem secundùm definitionem. Pro cuius cōclusionis declaratione aduertendum est, potentiam bifariàm cōsiderari, vno modo quatenus potētiæ sunt, id est, habitudinem habent atq; ordinem ad actus & obiecta, qua ratione in præsenti loco ab Arist. sumūtur: non autem quatenus proprietates sunt rei atq; naturę, in qua sunt: qua consideratione præsenti loco nō vsurpātur: quoniam hoc modo in ordine ad subiectū cōsiderarētur, illo autē modo in ordine ad obiectū, quod præsentis est perscrutationis. Oculi enim omnū animantiū qua visiui, eiusdem sunt speciei ad obiectū relati: cæterū vt organa sunt, nō sit specie & naturæ cōditione cōueniunt, sed differūt pro animarū diuersitate: malleus quidē ferreus & aureus in esse naturę specie differūt, in esse autem instrumenti conueniūt specie: quia ad idem obiectū & finem sunt: econtra verò serra ferrea & malleus ferreus naturâ non differunt in esse rei, benè tamē in esse instrumēti. Vnde potentię nō sunt aliud, quā organa naturæ & instrumenta: quare visus meus & aquilæ in esse naturę specie differūt, in esse autem instrumenti & potentię, vt ordinātur ad obiectū, cōueniunt. Aliud ergo est potentiam cōsiderare cōtractē ad naturā animę & subiecti, in quo est, quę multiplicatur in specie secundū distinctionem rerū in esse naturali, iuxta illud. 3. Phys. tex. 10. sanari & infirmari distinguūtur specie, non quòd medicina non sit vtriusq; cōtrarij, sani scilicet & ægri secundū rationem formalem vtriusq; cōtrarij: tamen in esse naturæ duę sunt potentiæ, vt. 12. Met. tex. 11. numerus habilitatum in materia secundū numerum specierum, id est, ipsarum rerum in ordine naturali. Sed quoniā propriè & absolutè potentias cōsideramus, nō materialiter vt ad esse naturale cōtrahuntur, sed formaliter in ordine ad act⁹ & obiecta, quæ per se primò respi-

Quæstionis elegās enodatio ex distributione, et opinionum enumeratione.

1. opinio.

2. opinio.

3. opinio.

4. opinio Arist. et S. Tho.

Cōclusio, qua quæstioni fit satis.

Nota de modo, quo potētia vsurpatur in esse naturali ex subiecto, & in esse formali vt potentia ex obiecto.

Simile in hac quæstione ponderandū.

respiciunt, iuxta illud Arist. 7. Met. tex. 49. actus est, qui distinguit & separat, de distinctiuo per se & formali Arist. loquitur: quo modo potentię animę sunt accõmodatę distinguendæ, quoniam sunt eleuatæ naturæ, sicut & ipsa anima, quę vnico actu ad diuersas positionum differentias mouet, vt vegetatiua ad omnem locum, ad quem graue & leue mouere potest, & adhuc amplius & melius. Distinguendę igitur sunt animæ potentiæ, nõ ex subiecto secundũ distinctionẽ specificam in esse naturali, sed secundũ altiores naturæ differentias animæ proportionales, nimirũ secundùm rationem formalẽ vnius totius cõtrarietatis, vt de tactu dicem' c. 11. qui est vnius speciei atomæ propter vnã rationem formalem deriuatam, non ex naturali ratione tangibiliũ, sed formali: ergo distinctio potentiarum formaliter ex actibus per ordinẽ ad obiecta sumenda est, nõ materialiter ex natura & subiecto mensurãda. De potẽtia ergo agitur, nõ in ordine ad subiectũ (quo modo non est controuersia præsens) sed ordine ad obiectum, sic sumpta, cõclusio nostra probatur. Primò, Aristotelis testimonio, qui tex. 33. huius dicit, quòd vt sciamus, *Quid sit intellectiuũ, vel sensitiuũ, &c. antea dicendum est, quidnam sit intelligere & quid sentire:* rationem subdit, *Nam operationes, actionésve potentiis, viribusq; priores sunt ratione*, id est, definitione: ergo cùm apertè Arist. dicat, actus & obiecta esse de ratione, id est, essentia & definitione potentiarũ, fit, vt illa sint intrinseca definitioni: cùm autem constet, potentias permanere fluentibus atque pereuntibus actionibus, cõsequens est, secũdùm rem extrinseca esse. Vtrunq; autẽ nostra cõprehendit assertio: quia potentia nõ est res omnino à subiecto, actu atq; obiecto absoluta, licet sit absoluta à termino, quam ob causam in genere relationis non est, vbi respicitur terminus, & nõ in aliquo genere causæ, quod facit potentia: ergo secundùm quòd sunt potentiæ, nihil aliud sunt, quàm principiũ quoddã operationis in ordine ad obiectũ: igitur habitudinem atq; ordinẽ ad obiectum necessariò dicũt, non per aliquid suæ naturæ superadditum, sed per suammet naturã essentialiter ordinẽ dicunt ad actus: siquidem sine habitudine ad actus & obiecta fieri nõ potest, vt vlla ratione intelligãtur: repugnat enim naturæ potentię intelligi adhuc prima intellectus operatione sine huiusmodi habitudine, vtpote in qua sua cõsistat quidditas & essentia. Cõfirmatur, vnũ relatiuũ per alterũ definitur tanquã per additamentũ, ex eo quòd essentialiter relatio habitudo est fundamẽti ad terminũ: sed sic est, quòd potẽtia, licet absoluatur à termino atq; eius habitudine, nõ tamẽ absoluitur ab actu & obiecto: quoniã dicit aliquod gen' causæ: neq; adhuc per intellectũ absolui potest: ergo de intellectu atq; adeò de definitione potẽtiarũ est habitudo ad actus & obiecta. Quare potentiæ per actus & obiecta definiũtur, nõ tanquã per causas omnino extrinsecas, sed tanquã per causas intrinsecas & necessariò in earũ definitionibus inclusas, tanquã per additamentum in ordine ad obiectũ ad modum relatiuorũ, quę per terminum definiuntur, & alterũ in ratione alterius cadit (vt cap. de specie dixit Porphyrius) nisi quòd habitudo & ordo ille potẽtiæ ad act', & causalitatẽ inuoluit, & trãscẽdẽtalis potiùs est, quàm prędicamentalis, ne potentias relationes fateri cogamur: ordo autẽ relatiuorum abstrahit ab omni genere causę. Prętereà vt omnes mirari definãt, certũ est, naturã (quæ ꝓpter finẽ agit. 2. Phys. c. 8.) potentias producere suapte natura fini proportionatas: ergo tales necessariò potẽtias natura rebus indidit, quia tales actus necessariò exposcunt: sunt quidem potentiæ propter actus, & vnũquodq; propter suam operationẽ: igitur si natura potentias nõ ordinat accidẽtaliter ad actus, potentię essentialiter tales esse dicũtur, quia tales act' exigunt secundũ essentiam: actus ergo definitionem potẽtiarum ingrediuntur. Quatuor enim ista sunt in re, essentia, potentia, operatio atq; obiectũ, quæ eodem ordine se habent, vt ab essentia profluat potẽtia, ab hac operatio, hæc autem obiectum ipsum petat: quare talis essentia per propriam potentiã circa accõmodatum & certo modo definitum obiectum operatur. Etenim putãdum est, ab essentia non profluere aliam facultatem, quàm sibi familiarem: nec aliam edi operationem, nisi accommodatam & naturæ consentaneam: nec operationem versari, nisi circa obiectum conueniens, proprium atque familiare, & illud naturaliter appetit, vt propriã perfectionẽ: sic enim est omniũ facultatũ & cũ essentia & cum operationibus atq; obiectis summa & naturalis consensio. Confirmantur hæc omnia: quia notum est ex vera Philosophia, potentiam, actionem, passionem & id genus nonnullas res

1. ratio ex Arist. testimonio.

2. ratio ex differẽtia potẽtiæ et relationis.

Cõfirmatio.

Obserua.

3. ratio ex fine potẽtiæ, cui fini potẽtia ipsa cõmẽsuratur.

Obserua quatuor, quæ in rebus repẽriuntur.

Conf.

res essentialiter specificari, atq; speciem sortiri, esse, & vnitatem etiã habere à propria, intima & intrinseca differentia, quæ tamen non abstrahit omnino ab extrinseco agente, fine, actu atq; obiecto: ergo quamuis potentia per intrinsecam differentiã (vt oportet) distinguatur: quia tamẽ illa non prorsus abstrahit ab actibus & obiectis, neq; ab eis est absoluta: necessariò, consequitur, differẽtiam istã intrinsecam habitudinẽ, dicere ad illa: ergo intrinsicè definiuntur ista per ordinem ad actus atque à priori, & non tantùm quoad nos, vt Philoponus contendit; nam ex operum momentis intelligamus oportet, quæ, quales & quantæ vires sint atq; potentiæ.

4. ratio. Vnde noua poterit sumi ratio, iuxta Arist. lib. 1. de Cœlo tex. 116. potentia quãta sit, per maximum obiectũ, in quod potest, terminanda est: quia extremum & finis potentiarum opus est: potentia igitur ad opus atq; ad operis obiectum habitudinem dicit; siquidem sunt potentiæ res quædam mediæ inter purè absolutas, & merè relatiuas.

Obiectio, quòd operatio prior nõ sit ipsa potentia. Sed dices, actus posterior est potentia; quia est eius effectus: ergo potentia per operationes tanquã per aliquid prius non definietur? *Solutio.* Dicendum, potentiam quadrifariàm in ordine ad actũ considerari, Primùm, vt est in potẽtia, vt visio est in oculo dormiẽte, quo modo posterior est. Deinde, vt est in ipsius potẽtiæ executione, & sic etiã manifestè posterior est, vtpote ꝙ vtroq; modo actus ipsius potentiæ effectus sit. Tertio modo, vt actualiter perficitur, & ita præsupponitur necessariò, quatenus potẽtia est materia & perfectibile, act⁹ verò est forma & perfectio. Quarto modo absolutè, qua ratione actus prior est secundùm definitionem, ac per hoc simpliciter prior ipsa potentia, quod dicitur. 9. Met. tex. 13. & quòd ob id per act⁹ definiũtur, non quia notiores quoad nos, sed quia priores, inquit Arist. sunt enim fines potentiarũ, vt suprà habitũ est. Sermones autem apud probatos autores formaliter & ꝓpriè sunt intelligendi: idcirco cùm Arist. dicit, ab actibus procedendũ, non est solũ intelligendũ, quia notiores quoad nos: tum, quia hoc facile erat; tum etiam, quoniã non esset tãti faciẽda quæstio in procemio mota, quã hîc soluit: intelligendũ ergo est, quia sunt priores secundũ naturam & secundũ definitionem, & sic quæstioni motæ satisfacit: talis enim debet esse potentia, qualẽ actus natura exigit, & nõ ecõuerso: ideo dicit Arist. quòd potentiæ per actus, quia priores sunt, definiuntur. Nec obstat, quòd potentia sit, quãdo actus non sit; nam scientia abstrahit ab existentia, & ita etiam definitio atq; differentia: ordini igitur atq; habitudini, quã potentia ad actũ dicit, non officit abstractio ab existentia, sicut nec tollit definitionem & quidditatiuam distinctionem. Quibus positis ad argumenta dicamus.

Ad 1. potentia est contrariorum. Ad primũ respõdet Arist. hoc cap. tex. 47. vt illic nos etiam docuimus, obiecta non materialiter & per accidens, sed formaliter potentias distingui per obiecta per se & adæquata; vnde visus non album aut nigrum respicit, sed vtrunq; sub vna formali ratione: hac via vna potentia est contrariorum sub ratione communi & positiui atq; priuatiui, vt visus lucis, & tenebræ, &c. de quo infrà: quia proprium est priuationis per habitũ cognosci, negationis per affirmationem, & sic voluntas dicitur boni & mali, estq; per hũc modũ, vt habitus & priuationis: quia ad bonũ est per modum prosequutionis, ad odiũ autem more fugæ & refutationis.

Ad conf. Per hoc patet ad cõfirmationem: non enim inconueniens, idem obiectũ realiter & materialiter sumptũ diuersarum esse potentiarum; secus si formaliter vsurparetur: patet de alimẽto, quod diuersè consideratũ, ad augmentatiuam, nutritiuam, generatiuãq; potentiã simul diuersa ratione spectatũ, refertur: quod apertis verbis tex. 47. Arist. pronuntiat.

Ad 2. Ad secundum dico, ꝙ Arist. 2. lib. de Anima tex. 31. apertè asseruit, potentias animæ figurarũ rationem habere, atq; adeò ordinem inter se obseruare: nã cùm omnes potentiæ ab vna anima naturaliter profluant, ordinatè emanabũt: nã absurdum profectò videtur, quæ à natura proficiscũtur, promiscuè & cõfusè euenire.

Ordo obiectorũ ordinem potentiarum manifestat. 1. p. q. 77. art. 4. & 8. Vnde inter potentias ordo est naturalis dependẽtiæ, quatenus imperfectiores potẽtiæ à perfectioribus depẽdent ordine perfectionis, & ideo perfectiora sunt priora, licet e diuerso cõtingere videam⁹ ordine generationis, secundũ quem ab imperfecto ad perfectum peruenitur: quare sicut ordine perfectionis intellectiuæ potentiæ sensitiuis sunt priores, ita etiam eisdem ordine generationis sunt posteriores. Idem omnino ordo seruatur in potentijs sensitiuis, vt de exterioribus exemplum ponamus: quia sicut tactus est cæteris sensibus prior, deinde gustus, mox olfatus, tum auditus, postremò visus, secundùm ordinem generationis ordine

perfectionis e diuerso ordinantur. Quam etiam seriem ex ipso obiectorũ ordine nanciscuntur: nam visibile prius est naturaliter, quia superioribus & inferioribus corporibus commune est: audibile deinde, quia in aëre fit & fortasse in igni: post tamen est odor, qui ex elementorum commistione nascitur, & sic de alijs: ergo via generationis & perfectionis ordo potentiarum idem est, qui & obiectorum. Tertium initio quęstionis atq; per totum eius corpus solutum est. Quartum autem argumentum optimũ est: quod vt distinctius soluamus, certa sunt ab incertis segreganda. Primò, diuersitas rationis, formaliter & propriè loquẽdo, causa non est distinctionis: nam non est forma actiua. Deinde licet actiua causa non sit, est tamen conditio quædam quandoq; ad distinguendum necessaria, maximè secũdum genus causæ finalis, vt ad propositum nostrum descendamus. Vnde potentię per ordinem ad diuersos fines discriminantur necessariò propter diuersitatem enim aliquorum ad finem continget, aliquid ex diuerso ordine & rationis habitudine sic vel aliter fieri, ex eo quòd potentia ad talem finem proprium ordinatur, hæc autem ad vnum, alia verò ad alium proprium, & sic de alijs: quare horum finiũ diuersitas diuersas exigit potentias: sed propriùs ad rem descendamus. Dictum enim est, obiectorum diuersitatem causam esse à priori diuersitatis potẽtiarum, non ex eo quòd distinctio rationis obiectorum, vt talis est, realiter & efficienter operetur in potentijs realem ipsarũ differentiam, sed in ordine & ratione diuersæ habitudinis: quia illa distinctio rationis formalis est iuxta Scotum, secundùm verò D. Thomam ex natura rei naturaliter, fundamentaliter atq; negatiuè. Ad argumentũ igitur dicendum, quòd distinctio rationis actualis in obiecto (quæ opus est intellectus) non facit distinctionem realem, sed ex eo quòd habitualis est, & ex natura rei formaliter vel virtualiter negatiuè distinguitur obiectum, potentię ipsæ realiter distinguuntur: quia antecedens distinctio in obiecto opus quoddam est in re, quod formalis causa est & conditio quædam distinctionis potentiarum: ideo propriè ab ente rationis reale ens nõ fit, sed distinctio realis à distinctione in re, quæ quanuis sit minor in obiectis, radix tamen sufficiens est atq; fundamẽtum, vt inde pullulent reales distinctiones: ex paruo enim semine immensas nonnunquam videmus crescere arbores: minimus ergo defectus in obiecto inflexionẽ & varietatem maximã potentiarum inducet. Vnde fit, vt pessimè in argumento assumatur, huiusmodi potentiarum distinctionem ex distinctione rationis, quæ ab anima fit, prouenire: ex distinctione namq; rei, modo iã dicto, nascitur. Atq; adeo aliud, quod opponebatur, non pungit: nam cum vnitate causę & finis, aut cũ minori etiã distinctione potest esse effectus diuersitas, aut maior distinctio ex parte potentiarum, vt dictũ est. Etenim centrum re simplex, quia est multiplex ratione, omnes lineas coniunctas in se separat versus circunferentiam: adde etiã, quòd distinctio nõ est de genere bonorum, & perfectorum sicut vnitas, sed potiùs de genere malorum, & imperfectionem dicit: quare ex singulis defectibus nascetur: quia defect⁹ sufficit multiplicare & variare: ideo vna existente animę essentia, tot sunt potẽtiæ. Item si est de genere malorum distinctio & diuisio (vt 1. de Cęlo tex. 33.) paruus error in principio in fine magnus euadit, sic à paruis ad magna proceditur. Ex hac solutione patet, rectè partes vegetatiuæ tres esse, nimirum nutritiuam, augmentatiuam atq; generatiuam distinguendas ex eodem obiecto, nempe alimento, diuersa ratione sumpto, vt sępe dictum est. Patet etiã, quòd attratrix, retentrix, expultrix & cõcoctrix non sunt facultates distinctæ, sed operationes diuersæ materialiter distinctæ, quibus ipsa nutritio perficitur: non enim oportet his minutissimis & naturalibus potẽtias separare. Vltimum autem argumẽtum, quod Nominaliũ est, ex dictis facilè dissoluetur: quandoquidem potentiæ per proprias differentias à fine (vt deduximus) sumptas distinguuntur: quare potentiæ per actus in rationem formalem editæ, per obiectũ in ratione finis discriminantur: sunt enim actus media quædam, quæ obiecta cum potẽtijs vniunt, atq; in potentijs actiuis obiectum finis est, in passiuis verò rationem habet causæ. Ex quo sequitur, malè quendam Nicolaũ Tignosium asseruisse lib. 2. de anima in hũc locum, ordinem potentiæ ad finem accidentalem esse; peius tamen ipse affirmauit, ex distinctione actuum & obiectorum colligi potentiarum distinctionem, non affirmatiuè sed negatiuè arguendo. Vtroq; namq; modo colligitur, si obiectum formaliter

Ad. 3.

Ad. 4.

Distinctio rationis, quæ minor est, vnde sit causa maioris distinctionis, quæ realis est, de qua iterum lib. 3. huius tex. 11.

Scotus.

S. Tho.

Ad. 5.

Nicolaus Fulginas.

liter sumatur secundùm completam & adæquatam rationem eius: sic enim sicut identitas identitatis, ita diuersitas diuersitatis causa erit: & sicut affirmatio affirmationis, ita negatio negationis causa est. Quocirca vnũ occultum, multisq; ignotum aduerte, quòd licet potentiæ omnes distinguantur penes obiecta in esse formali, tamen actus species sortiuntur ab eisdem obiectis in esse rei & materiali. Exempla sunt facillima & in passiuis potentiis, quæ ad sensum & intellectum pertinent, & in actiuis, quæ vegetatiuã animam côcernunt, & sic in cęteris omnibus: vnde eadem potentia diuersorum actuum est principium intra eiusdem obiecti latitudinem, vt visus plures continet actus, vt visionis huius albi & illius, illius nigri & alterius: vt malleus ferreus & aureus, licet in ratione instrumenti eiusdem sunt speciei, non, tamẽ habent actus eiusdem speciei, sed pro naturæ diuersitate: sic visionem meam & aquilæ ex parte subiecti & naturæ elicientis oportet distinguere: similiter dispositio & habitus etsi eiusdem sunt obiecti, specie differunt, iuxta Arist. in prima specie qualitatis: quia habitus obiectum respicit secundùm esse formale, vnde est difficilè mobilis, & causas habet permanentiæ: actus autem idem obiectum respicit, sed secundùm esse materiale, & causas habet facilè mobiles, vnde transit: ita diuturnior est habitus ipsa dispositione, & habitus respicit rem ex parte obiecti: actus autẽ ex parte subiecti inde diuersum essendi modum habent. Ex eodem enim fonte nascitur, quòd licet visus quiuis in ratione obiecti ad omne est obiectum, tamen ob imperfectionem potentiæ non attingit in ratione actus: alia enim est habitudo potentiæ ad obiectum, alia autem ad actum: illa, prior & perfectior: ista, posterior & materialior. Exemplo sit vespertilio & noctua, quorum visus ad omnem colorem est obiectiuè, non tamen actualiter imperfectione potentiæ: semper enim attẽtè considerandum, quid ad rationem potẽtiæ & obiecti respiciat, quid etiam rationẽ actus & naturæ concernat: his iũge quæ infrà cap. 11. de vnitate tactus: & posita resolutione huius cap. ad sequens pergamus.

Obseruandã cõparatio inter actus & obiectũ ad quę pertinuerit ordinatur. *Simile notandum.*

CAPITIS SVMMA.

Proposita intentione, documentum inducit. Vnde infert primam cõclusionem cum sua probatione atq; distinctione quadam. Deinde secundam ponit cõclusionem cum eius deductione. Tum duas opiniones, alteram Empedoclis, alteram Democriti confutat. Vnde vnum axioma de alimento inducit, & dubitationem soluit. Atq; tertia & quarta conclusionibus positis, corolarium infert, ad quod duas addit distinctiones.

Cum dicere oporteat, quid vnumquodq; horum sit, vt quid nutritiuum & sensitiuum, &c. Dicẽdũ prius, quid sit nutrire & sentire, &c. Nam operationes, actiones vè potentiis, viribusq; priores sunt ratione: atque prius ipsa obiecta, quæ etiam definitione priora sunt, contemplari similiter oportet. ¶ Quare de alimento, generatione, animáq; vegetatiua, primò dicendum est. ¶ Quoniam nutritiua anima cæteris inest, & prima est, & maximè communis animæ vis, qua cuncta viuentia viuunt: inter cuius operationes atq; officia maximè naturale est viuentibus (quæ perfecta sunt, haud membris capta, quæq; nõ sine semine oriuntur) tale, quale ipsum est generare, vt quoad possunt diuinam assequantur naturam, cuius gratia vniuersa agere videntur. ¶ Est autẽ finis duplex, vnus, Quo, alter verò, Cuius: & cũ fieri nequeat, vt vnũquodq; numero idẽ perpetuò duret, quoad potest conatur specie vnum efficere. ¶ Est autem anima tribus modis causa. ¶ Nam est ea causa, quæ actus est atq; forma: viuere siquidem viuentium est esse: præterea corporis est actus. ¶ Patet etiam, finalem causam esse: nam vt mens, sic & natura alicuius finis gratia operatur, qui in viuẽtibus anima est, propter quam sine controuersia organa ipsius animæ sunt. ¶ At verò constat, efficientem causam esse: vnde primò principium motus ad locum accomodatus emergit, licet hæc vis in omnibus viuentibus non sit. ¶ Atq; hac in parte sententia Empedoclis est posthabenda, qui plantas incrementa suscipere minus rectè dixit: quia terra deorsum suapte natura, & ignis sursum idẽtidem pergit. ¶ Primum, non rectè accipit in plãtis dictas differentias, vtpote quæ suprà & infrà non à situ vniuersi, sed ab instrumentis, officiis & operationibus, atq; earum principii sumere oportet. Deinde si aliquid est, quod contraria elementa (ne distrahantur) contineat, id est profectò anima ipsa, non tamen elementa, quemadmodum ille putabat. ¶ Sunt autem, quibus solus ignis simpliciter nutritionis causa esse videtur. ¶ Quod verum non est, licet ignis causam committur, simpliciter causa non est: quoniam ignis sine mensura pro cõbustibiliũ, quæ apponuntur, ratione in immensum crescit. At verò quæ natura constant, qualis anima

Intentio. Documẽtum. 1. cõclu. Probatio. Distinctio. 2. conclu. Deductio causæ formalis. Deductio finalis. Deductio efficiẽtis. 1. opinio. Cõfutatio Empedoclis. 2. opinio Democri. Cõfutatio.

mata cuncta sunt, certos habēt magnitudinis suæ
atq; paruitatis terminos: non est igitur ignis, sed
anima ipsa nutritionis causa. ¶ *Cùm autem de ali*
mento determinandum prius sit, eius conditiones
Axioma. *explicemus oportet.* ¶ *Videturq; in primis alimen*
tum contrarium viuenti, ex quo augeri potest, &
Dubitatio. *incrementa suscipere.* ¶ *Verùm cùm hic locus du-*
bitationem habeat, an simile à simili, an à dissi-
Solutio. *mili potius patiatur?* ¶ *A dissimili enim videtur*
omnis mutatio; ob id quòd in oppositum est. At
enim interest planè, si nutrimentū sit id, quod cru-
dum primò ingreditur, quod contrarium & dissi-
mile est, an non hoc, sed id, quòd vltimò adiungi-
tur, & digestum est, & simile simili nutritur?
Quare constat, vtrosq; partim rectè, partim nō re-
3. conclu. *ctè sentire.* ¶ *Cùm autem nil nutriatur, quin vitā*
habeat, ad animatum corpus per se, & non per ac
4. conclu. *cidens nutrimentū referatur oportet.* ¶ *Atqui ali-*
menti diuersa ratio est, quod, vt quantum, auget:
vt substantia, nutrit: efficit præterea generationē,
Corolarium. *vti aliquid indiuiduo superfluū.* ¶ *Quare tale qui-*
dem animæ principium vis est talis, vt id conser-
uet, quod ipsam habet, ea nimirum ratione, qua ip-
1. distinctio. *sam habet.* ¶ *Atque in hoc nutriendi officio tria*
sunt, anima, quæ nutrit: corpus animatum, quod
nutritur, & ipsum alimētum, quo nutritur. Quam
vim cùm rationabile sit à fine appellare, erit pro-
fectò anima prima principium generandi tale,
2. distinctio. *id est, quod ipsam habet.* ¶ *Præterea, sicut guber-*
nator duobus nauim mouet, manu scilicet & cla-
uo, quorum aliud mouet tantùm, aliud tātum mo-
uetur, aliud mouet & mouetur: ita anima immo-
ta calore, qui mouet & mouetur, digerit alimen-
tum, quod mouetur & non mouet: de quo sic vni-
uersaliter dictum sit.

CAPVT QVINTVM DE sentiendi facultate, quæ in actū deducitur à sensibili.

Tex. 51. Eterminatis autem his, primùm de omni sensu communiter, deinde de vnoquoq; dicamus. Fit itaq; sensus, cùm mouetur, atq; patitur aliquid, vti diximus: nam ipse sensus, alteratio quædam esse videtur. Inquiunt autem quidam, & à simili simile pati. Quod quidē quonam pacto fieri potest, aut nō potest, in vniuersalibus de actione sermonibus, passioneve diximus.

De generatrice siue vegetali anima bre- *Medio et*
uibus Arist. doctrinam complexus est, quæ *et capitis*
vires habet actiuas, quas Medici meritò in- *argumen-*
ter naturales referunt, atque ab animalibus *tum ape-*
secernunt: superest igitur vt doctrinæ ordi- *ritur.*
ne de sensitiua dicamus. Absoluta igitur vi- *Tota huius*
rium naturalium tractatione, de animali- *capitis do*
bus facultatibus disceptationem Philoso- *ctrina ba*
phiæ parens Arist. exorditur, atque vt nun- *sis est ad*
quam non sibi in tradenda methodo con- *eam, quæ*
stet, sicut vegetabilium traditio prior fuit, *de intelle-*
ita nunc summatim de omni sensu in com- *ctu lib. 3.*
muni disserit, deinceps mēbratim de vno- *adducta-*
quoq; dicturus: semper enim à communio- *tur.*
ribus atq; adeò à notioribus descendit, vt
communia capita atque vniuersalia in locū
certum collocet: disceptaturus deinceps de
his, quæ sub opinionē cadunt: acturus itaq;
de cognitiuis facultatibus, de sensu disserit
priùs: quia communior est, & cæteris anima-
libus facultatibus vniuersalior, atq; de sen-
sibus in vniuersali primùm, deinde de eisdē
in particulari disputat. Est enim huius cap. *Cap. huius*
tota controuersia atq; scopus, de sensu iam *scopus in-*
disceptationem componere, sitne sensifica *quiritur,*
facultas de numero actiuarum, an passiua- *ut tex. 51*
rum potentiarum? Sunt enim potētiæ in du- *inducitur.*
plici differentia, vt. 5. lib. Met. tex. 17. quia
quædam actiuæ sunt, quædam verò passi-
uæ: ergo sensus in alterum istorum generū
incidat est necesse. Sed dices, de obiecto *Obiectio,*
priusquam de potentia agendum esse (vt *quare a-*
Arist. proximo cap. docuit) at modò idem *gat prius*
Philosophus ordinem peruertere videtur, *de sensu,*
cùm priùs de sensu, quàm de sensibili dis- *quam de*
serat? Dicendum, Aristotelem priùs de sen- *sensibili.*
sibili, quàm de sensu disputare, etsi de sensu *Solutio.*
priùs meminisse visus est, more agentium
naturalium coactus id facit, quę priùs natu-
râ contrarium expellunt, quàm formam,
quam intendunt, inducant: ideo tradenda-
rum scientiarum Artifex Arist. errores euel-
lit aduersariorum, vt deinde propriam con-
firmet sententiam. Quare cùm vnus & non
contemnendus antiquorum error esset, sen-
sum sensibile ipsum esse, id principiò di-
stinguat & euellat oportet. Dicebant sanè,
sensum ab omnino simili pati, atque adeò à
seipso (quod tex. 52. exemplo cōbustibilis
mani-

Legitima mẽs et ſcopus Ariſt. vt. patet ex text. 52. & in fine capitis huius tex. 60.

manifeſtat)quare quòd ſenſus à ſenſibili nõ differebat. Quamobrem ſi Ariſt. mentem rectè inſpiciamus, intelligemus planè, huius capitis ſcopum eſſe de ſenſibili à ſenſu diſtinguendo, quòd ſenſibile ſenſum ipſum ad actũ perducat, & ſibi ſimile faciat, veluti generans, vt ex cõtextu patebit. Quod facit mirabili arte, dum oſtẽdit, ſenſum virtutem paſsiuam eſſe, quę neceſſariò ſeparanda eſt à vegetatiua, quæ actiua eſt, vt tex. 52. dicitur. Ideo vt ad literam deſcendamus, Ariſtoteles dicit, determinandũ eſſe de ſenſu generaliter, deinceps ſingulatim de vnoquoq; dicendum, continuóq; generalem rationem atq; communem omnium ſenſuum cõditionẽ inducit: nam omnis ſenſus in eo, quod eſt moueri atq; aliquid pati, cõſiſtit: nõ igitur in mouere, producẽdo ſenſibilem ſpeciem, ſed in moueri, ſpeciem ipſam de foris ſuſcipiendo: quod breui ſanè & compendioſo ſermone manifeſtat: quia ſenſio alteratio quædam eſt (vt. 7. lib. de Phyſ. Auſcultatione cap. 2. tex. 12. definitur) quod enim alteratur, hoc item & neceſſariò patitur (ſiue ſit à ſimili, ſiue à diſſimili, in vniuerſalibus ſermonibus de agere & pati lib. 1. de gene. cap. 7. tex. 48. & ſuprà tex. 45. dictum eſt, patiens tale eſſe potẽtiâ, quale agens in actu eſt) fieri ergo oportet ſenſum potentiâ, ſenſibile actu, & ex ipſis vnum ſicut ex potentia & actu fieri: eſt enim ſenſus vis quędam ſenſibilium directè comprehenſiua. Neque Ariſt. ſenſationem propriè alterationem definit, quæ eſt inter qualitates contrarias, intenſionem, remiſſionémve ſuſcipientes, quæ aliquid de ſubſtantia abijciunt, fiúntq; in ſubiecto quanto atque corporeo (7. Phyſ. tex. 18.) hæc enim phyſica eſt & tranſmutatiua alteratio, quã corruptiuã appellant: loquitur autẽ de altera, quę eſt perfectiua (vt. 1. lib. de gener. tex. 34. atq; cap. 2. 8. lib. Phyſ. & lib. 3. de anima tex. 2. & tex. 28.) Ariſtoteli ergo vitio aut fraudi verti non debet, quòd latiùs fuerit his nominibus vſus, cùm diuerſa fuerint apud Veteres placita, his à ſimilib*, illis à diſsimilibus alterationem fieri dicentibus, & nomina poſita nõ ſunt ad has mutationes ſignificandas, quæ tamen re vera vniuocè cum reliquis alterationes nõ ſunt.

Litera textus inducitur.

Nota de alteratione.

Tex. 52. Habet autem is locus dubitationem, ambigetq; non iniuria quiſpiam, cur & ſenſuum ipſorũ ſenſus non ſit, & cur ſine ijs, quæ ſunt extrà, non efficiunt ſenſum, cùm inſit & ignis & terra, cæteraq; elementa, quorum eſt per ſe ſenſus, vel per ea, quæ ipſis accidunt. At enim patet, ſenſitiuum non eſſe actu, ſed potentia tantũ. Quapropter non ſentit, quemadmodum combuſtibile nõ vritur ipſum per ſe, ſine eo, quod ipſum vrere poteſt: vreret enim ſeipſũ, & non indigeret eius, qui actu eſt, ignis.

Ariſt. purgare inſtituit ea, quæ totum de ſenſibus ſermonem in diſcrimen adducunt atque in dubium reuocant: quare vt clariùs appareat, quod dixit, ſenſum eſſe virtutem paſsiuam, modo dubitantis rem aggreditur, propter Empedoclẽ & alios antiquos Philoſophos ponentes ſenſitiuam animam, vt omnia cognoſcat ex elemẽtis vniuerſis cõſtare, vt lib. 1. de anima tex. 25. dicitur: itaq; aſſerit, locum iſtum dubitationem habere: nam ſi ex elementis anima componeretur, elementa non cognoſceret. Expoſitio iuxta mentem S. Thomæ hęc eſt, quòd velit Ariſtoteles hoc loco antiquos reprehẽdere, qui aſſeuerabant, ſecundùm eſſe naturale ſenſibilia in ſenſibus exiſtere, Primò, quia ſic ſenſus ſe ſentirent, aut quare non? Secũdò, quia ſine exterioribus ſenſibus ſenſatio fieret, quod experimento falſum videtur. Sed meliùs hunc locum Caietanus interpretatur, vt vis rationis in hunc modũ formetur, Si patiens eſſet actiuũ, idem à ſe ipſo pateretur, quę veram habet illationem, ſiue ſit de actione immanente, ſiue de tranſeunte: quoniam in antecedẽti aſſumuntur duo: vnum eſt, quòd ſit, A, patiens: alterum eſt, quòd, A, eâdem paſsione ſit agens: ex hoc autẽ ſequitur agere, ex illo verò pati: quare ſicut conſequens (ſcilicet, quòd idem à ſeipſo pateretur) duo implicat contradictoria, ita & eius antecedens (nempe, quòd actiuũ in ſeipſum ageret) repugnãtiã inuoluit: etenim combuſtibile vri à ſeipſo per ſe, ſine eo quòd ſit ignis, qui ipſum vrere poſſit,

Conducit hic tex. ut intelligas quæ lib. 3. tex. 4. & 5. dicuntur, q recipiẽs à natura recepti denuo datur.

S. Thomæ expoſitio.

Caietanus.

sit, rationi non est consentaneum, vt aliquid sit agens ex eo, quòd patitur, patiens autem ex eo, quòd agit. Malè itaq; hūc locum interpretati sunt assetentes, hanc esse illationem, si, A, esset actiuum, in seipsum ageret: non sanè esset Aristotele digna consecutio, quando non omne agens in seipsum agit. Nec enim valet aliorum moderatio atq; restrictio, quæ dicunt, intelligendum esse de actiuo actione immanente, cùm Aristotelis exemplum, quod de combustibili est, ad actionem etiam transeuntem sese extēdat: intendit autem Arist. sensum non esse actu suum obiectum, atque adeò quòd sit virtus passiua: nam si visus ipsum esset visibile, nemo facilè rationem reddere posset, ob quā visus seipsum nō perciperet, aut ob quam sine visibili extrinseco non videret. Vnde Arist. primam differentiam inter vegetatiuas & sensitiuas facultates nanciscitur, quòd vegetatiuæ à toto genere actiuæ sunt, sensitiuæ verò passiuæ, quæ quidē non sentiunt, nisi accedat ab extrinseco aliquod obiectum: siquidem nulla potētia sensitiua, nec nostra intellectiua est actu suum obiectum, nec actu sensibilis, aut intelligibilis. Prima ergo eáq; communissima differentia est, quòd vegetatiua est de actiuis, sensitiua autem passiua est, quod nō obstat sensuum perfectioni: siquidem sensuum passio, quæ perfectiua est, sublimior est, quàm vegetatiuæ facultatis actio. Sed meliùs profectò dicemus, quòd licet apud Arist. radix dubitandi hæc sit, tamen non instar affirmatiuè arguentis (vt censet Sanctus Tho.) sed per formam soluentis dubitationem Arist. procedit, duoq; dubia inducit hoc tex. quæ etiam soluit atq; diluit. Primum est, cur sensus sua sensoria instrumenta non sentiant? cùm & illa sint corpora, quæ affectus habent, vnde sentiri possunt: nam si colores oculis conspicimus, quare oculos coloratos non intuemur? Præsertim cùm vis sentiendi animata sit, animatum autem omne se mouet, & extrinseco agitatore non eget: sentiet ergo se vis sentiendi, nullo de foris adminiculante sensibili. Perinde ac mens, quę seipsam capit, & proprias notiones assequitur. Alterum dubium est, quid opus sit extrinseco, quod ad motum vim sensitiuam impellat: siquidem cuncta elementa, quæ per se, vel per sua accidētia sentiuntur, ipsis sensibus præsentia sint. Illis verbis, *At enim patet sensitiuum, &c.* Arist. interrogationibus

Obiter quorundā expositiones notantur.

Autoris expositio huius textū inducit.

1. dubitatio.

1.

2.

3.

2. dubitatio

(quibus nunc quærebat, cur sensus non sentiāt seipsos, aut saltem sine obiecto?) respōdet eodem, quo proponebantur, ordine. Ideo prius dubium diluit, sensus seipsos nō sentire: quoniam non sunt actu, sed potentia: ideo in actum ex seipsis erumpere non possunt nisi ab eo quod est in actu excitentur, id est, à sensibili: impotens igitur est, vt in seipsum conuertat actionem, neq; alia à seipso sentire potest: quare aliud & distinctū est sensibile à sensu, quod præsenti cap. intenditur, sensitiuum & sensibile, sicut potentia & actus, distingui debent. Posteriorē dubitationem simul etiam cum priori combustibilis exemplo diluit, quòd sine igne cōburēte non cōburitur: eget igitur sensus sensibili vt efficiente, quod speciem communicet. Quare apertissimo sermone Philosophus vult, Primò, sensum potentiam esse, & non actum: deinde, virtutem esse passiuā, & non actiuam: vtrunq; tamen combustibilis exemplo dilucidauit; atq; adeò sensibile prius indagatur, quàm sensus, vt dictum est: quia sensibile actu prius est & noti*, quā sensus. Argumenta verò, quæ nos obiter induximus, postea sunt à nobis soluenda, cùm pro primo argumēto explicabimus, sensus aliquo medio indigere: vnde sensus supra sensibilia sensationem nō facit. Aliud enim non de omni motu intelligēdum est sed de motu, qui est secundùm locum. Postremò, de mente atq; intellectiua animæ parte longè diuersa ratio est, cùm immaterialis sit atque separata, vt ex lib. 3. cōstans & firmum euadet. Quocirca sensus hic nō sumitur pro organo, vt in sequentibus libris, nec pro sensione, nec pro actione reali, qua infici & fascinari quidpiam contingit: vsurpatur ergo pro vi sentiendi, id est, potentia quadam naturali, quæ ad secundam speciem qualitatis pertinet.

Solutio prioris.

Solutio posterioris.

Intentio Arist.

Ad. 1.

Ad. 2.

Ad. 3.

Quomodo sensus hic accipiatur.

At verò quoniam sentire bifariàm dicere consueuimus (nam & id, quod potentia videt, & audit, videre, audireq; dicimus, & si fortè dormiat, & id identidem, quod iam operatur) dupliciter & ipse sensus profectò dicetur, quidam vt potentia, quidam vt actu. Similiter & ipsum sentire, & quod *Tex. 53.*

& quod est potentia, & quod est actu.

Doctrina continuatur. Cùm Arist. contra antiquos declarasset, sensum connumerandum inter potentias passiuas, non tamen inter actiuas: nam si in actu ipsa esset sensibilia, à seipso pateretur; idcirco nunc declarare intendit, potentiam esse passiuam, non quancunq; sed quæ reducibilis sit ad actum. Vt ergo certum sit, à quo potentia ipsa sensifica in actũ prodeat, asserit, sentire dupliciter sumi: vno modò in potentia, vt dormiens: alio modo in actu, vt operans: nam virtus sensitiua priusquam à motore extrinseco perficiatur, in potentia est; in actu verò, quando iam inde perfecta fuerit, vt intelligas, sensum à potentia esse reducibilem in actum, ita vt primò reducatur ab obiecto in actum primum, deinde ipsa se ad actum secundum promoueat (8. Phys. cap. 4. & lib. 3. de anima tex. 8.) quanuis (vt inferius præsenti cap. & ex locis citatis constabit) sensus cùm à rebus singularibus afficiatur, non potest moueri à se, sed à rebus debet moueri: anima autem ab vniuersalibus, quæ habet in se, mouetur: ideo non est ita in nobis sentire, sicut in nostra potestate est intelligere. Eadem enim est sensuum ratio & mechanicarum artium, quæ sine materia extrinseca non prodeunt in actũ, vt infrà tex. 60. ergo sentire actio est & perfectio, sensusq; consummatio: quia recepta sensibili forma, fit in actu primo potens operari.

Tex. 54. Primùm igitur id scire oportet, nos inquam, quasi sint eadem pati, moueri, ac operari, ita nunc his vti, ac dicere. Motus enim est quidam actus, imperfectus tamen, vt in alijs diximus. Ea verò cuncta, quæ patiuntur atq; mouentur, ab actiuo, & eo, quod est actu, patiuntur atq; mouentur. Idcirco fit, vt tum à simili sibi, tum à dissimili res omnis patiatur, vt diximus. Patitur enim ea, quę est dissimilis: at cùm est passa, tum similis est, vt patet.

Statim remouet Philosophus cauillum, & id, quod dictum est, scilicet quòd sensus sit in potẽtia & in actu, & quo modo sit intelligendum declarat, cùm esse actu magis videatur ad agere attinere, quàm ad pati, atq; adeò quòd potentia actiua sit. Respondet Arist. pati, moueri atque operari idem esse, cùm 3. Phys. tex. 17. demõstratum sit, motum actum esse imperfectũ, qui in mobili per se est, atq; adeò eundem motum, eandem formam, eundemq; actum patientis esse atq; agentis: quod illis verbis insinuat, *Quasi sint eadem pati, moueri, atq; operari*, id est, ita his vtimur, acsi physicè & propriè essent vsurpanda: tantisperq;, dum explanamus, promiscuè his nobis vtendum est: nam iste motus, siue sensus immutatio, vt reperitur in sensu, passio est, & eadem, vt est ab obiecto agente, est actio. Concludit ibi, *Idcirco fit, &c.* dubitationem superiùs positam soluens; videlicet, an à simili, an à dissimili passio fiat? Respondet vtroq; modo contingere: nam à dissimili in potentia, à simili autem in actu passio fit: quoniam in principio quando fit motus, & transmutatio est in fieri, à dissimili passio nascitur: at cùm passio facta est in transmutato esse, à simili passio prouenit: quando autem est in fieri, medio modo se habet, partim similis, partim verò dissimilis: etenim sensibile, quod principiò fuerat dissimile, in fine simile est, vt locis citatis dictum est. Quibus verbis subnotare videtur eos Philosophos, qui ob id simile à simili pati dicebãt, quòd sensibilia actu in ipso sensu esse censerent: quod quidem ex his, quæ diximus, falsum esse videtur. Ex quibus constat, sensum virtutem esse passiuam, vtpore quæ ab obiecto, à quo patitur, in actum reducitur per motum siue alterationem quandam, qui actus quidam perfecti est, siue quoddã esse in actu perfecto: itaq; per passionem illam sensus efficitur similis. Ex duobus enim fit sensionis actio, quorum vnum vt sensibilé agat, alterum vt sensus patiatur: nam agit obiectum, & potẽtiam ad sui cognitionem commutat: agit ergo obiectum, vt patiatur potentia recipiendo obiecti naturam secũdùm speciei similitudinem: hæc enim est patientis natura, vt patiens est, vt in agentis conuertatur naturam: vnde sensus, qui erat dissimilis ab initio, similis relinquitur in fine: quoniam recepta specie, sensus vnum fit cum sensibili.

Perspicua resolutio, à quo fiat passio.

Mẽs Aristotelis in hoc textu.

Sẽsus virtus est passiua.

Deinde

Tex. 55. Deinde distinguẽdum est de potentia, atque actu: nunc enim de his ipsis simpliciter dicimus. Nam est hoc pacto quippiam sciens, vt si dicamus hominem esse scientem, quia homo est talis suapte natura, vt sit sciens, atque scientiam habeat. Est enim hoc pacto quippiam sciens, vt hominem eum iam dicimus esse scientem, qui Geometriam, atq; Grãmaticam habet. Atque horum vterq; non eodem modo potest, potentiæq; subijcitur: sed alter quidem ex eo, quia genus ipsum est tale, materiesvè: alter verò propterea, quòd, cùm voluerit contemplari, potest id ipsum facere, nisi quid externũ fortè prohibeat, impedimentoq; fiat.

Quoniam de actu & potentia mentio facta est, de ipsisq; simpliciter dictum, id est, vniuersaliter atq; in confuso: nunc verò de illis distinguendum esse dicit. Nam potentia quædam est remota, quam essentialem appellant, quæ est ad actum primum, qua pueri & idiotæ scientes appellantur, nimirum quòd suapte natura tales sint, quatenus natura sua ad scientiam sunt procliues. Illis autem verbis, *Est etiam hoc pacto, &c.* aliam dicit esse potentiam propinquam, quam accidentalem appellant, vt Geometriæ peritus cùm dormit aut ebrius est, in quo per accidens perturbato aut quiescente sensu, in otio ponitur sentiendi facultas. Inter quos id discriminis ab Arist. ponitur ibi, *Atq; horum vterq; &c.* quòd licet in hoc conueniant, quòd vterq; potentiã subijciatur, tamen diuerso potẽtiæ genere, cùm primus mutatione egeat atq; formæ acquisitione, alter verò solo illius formę vsu: idcirco primum appellat secundùm genus: quoniam natura sua tale est, & materiæ cõfert: secundũ verò iam particeps formæ est, qua vti potest cũ voluerit, nisi externũ aliquod adsit, quod prohibeat, atq; impedimẽto sit.

Potentia duplex.

At præter ipsos est is, qui iam contemplatur, & est actu, propriéq; sciẽs hoc A. Ambo igitur illi primi, potentia quidem sunt scientes, vt diximus: verùm vnus indiget alteratione per disciplinam, qua quidem nonnunquam etiam ex habitu contrario, dispositioneq; mutatur: altera habet quidem sensum, aut Grammaticam, sed indiget operationis, vt ex otio tandem, operationisq; vacuitate agat, ac operetur: atque hic modus potentiæ diuersus est, vt patet, ab anteà dicto. Tex. 56.

Docet Arist. præter duos dictos modos tertium dari, qui sciens dicatur nullo modo in potentia, sed qui iam actu contemplatur, atq; propriè sciens appellatur, nõ quòd ratione actus sciens dicatur, sed potiùs ratione habitus. Huiusmodi autem denominationes nõ operationem, sed habitum ipsum per se assequi videntur: sicut enim iuxta Arist. lib. 2. Eth. iustus non dicitur, qui iusta facit, sed qui iustè atq; ex habitu firmo, cõstantiq; animo operatur: tamen qui actu considerat, propriè dicitur ab Aristot. sciens, non quia scientis appellatio potiùs operationi quàm habitui debeatur, sed quia is, qui post comparationem habitus actu contemplatur atq; considerat, perfectè dicitur scire, propterea quòd habitus proprio suo actui coniungatur: quod dicit consummatam atq; completam perfectionem, ad quam ille habitus in potentia videbatur: ergo qui contemplatur, propriè sciẽs dicitur. *Hoc A.* inquit Arist. id est, ex habitu actualiter & rectè considerat certum & determinatum atque peculiare obiectum. Ibi verò, *Ambo igitur, &c.* regreditur Arist. vt rursus inter potentiã scientes differentiam statuat, vt dubitationem soluat, an vterq; illorum pati & alterari dicatur? Ad quod respondet, quòd licet conueniant in hoc, quod vterq; potentiã dicitur sciens: tamen primus, qui nec didicit, nec per inuentionẽ habuit scientiæ habitum, qui duntaxat est in potentia, habitu atque actu caret, alteratione

Occurritur obiectioni.

ratione indiget, qua per disciplinæ acquisitionem siue inuentionem, ex mera inscitia atq; ignoratione in habitum mutetur, atq; plerunq; ex habitu contrario & erroneo, vel ex dispositione contraria mutatur: quoniam contingit, opinionem vel considerationem veritati contrariã per principia malè intellecta inesse. Quare cùm is sciens dicatur cum contrarij abiectione, meritò dicetur per alterationem sciens, sicut in pueris accidit, aut in his, quæ contraria fuêre dispositione affecti, quæ erit alteratio aliquo modo corruptiua. Alter quidem, qui habitum habet, & vt propriè, perfecteq; sciat, non indiget forma, sed consideratione atq; alteratione, is non alteratur: quoniam non mutatur forma, sed exercet quam habet, & iam acquisita vtitur: omnis autem alteratio ad aliquam formam esse debet, & non tantùm formæ vsus atq; perfectio: ergo in primo alteratio est, quia nõdum habet formam: alter verò non alteratur, sed comparato iamdiu habitu vtitur, *Habet iam* (vt inquit Arist.) *sensum, aut Grãmaticam*, quę rectè in habitu sentit aut intelligit, sola indiget actuali operatione, vt ab actu primo in secundum transeat ex otio atque operationis vacuitate, vt scientiam, quam intùs possidet, extrà in vsum promat. Quare cùm qualitatem aliam non excutiat, alteratio simpliciter nuncupanda non est, sed quædã alteratio eius naturæ, quæ subiectum perficit sine vlla abiectione aut subiecti læsione. Ridendus sanè esset, qui Geometram, ex eo solùm quòd consideret, alterari assereret: nam solo vsu & ministerio vacabat. Videtur enim velle Arist. peractum secundum nouam qualitatem non acquiri, licet sit mutatio.

Tex. 57. At verò neq; ipsum pati simplex esse videtur, sed aliud est à contrario corruptio quædam; aliud est salus potiùs eius, quod est potentia, ab eo, quod est actu, simileq; perinde atque potentia sese habet ad actum. Fit enim cõtemplans, quod sciẽtiam habet: quod quidẽ aut non est alterari (in ipsum enim fit incrementum, & in actum, perfectionem-vè) aut aliud alterationis est genus.

Distinxit hactenus potentiam Philosophus, iam verò ipsum pati (quoniam multiplex est) diuidit: nam plura diuersa significat intentione: siquidem ex. 5. Met. tex. 26. deducitur, passionem propriè eam esse, quã corruptiuam, tristem & lamentabilem appellant, quæ cum remotione prçexistentis perfectionis fit, & propriè, vtpote quæ nociua mutatio est de contrario in cõtrarium. Altera passio est, quæ nullum nocumentũ infert, quam perfectiuam nuncupant: quoniam (vt dicit Arist.) salus est perfectibilis, hoc est, citra vllam corruptionem potentię est perfectio: quare cùm sit mutatio, & non cum abiectione cõtrarij, simile perinde est, ac si habitus consideratione & contemplatione perficiatur: vtrobiq; enim permutatio est perficiens citra corruptionem. Quã ob causam alteratio non est (inquit Arist.) quoniam potiùs est incrementum & perfectio potentiæ vt. 7. Phys. cap. 2. declarauit Arist. nisi velis vocabulum alterationis largè vsurpare.

Paulatim corrigit alterationis nomẽclaturam, vt proposito quadret, & ad doctrinã tertii lib. de aïa nos præparet.

Quocirca non rectè se habet, dicere ipsum sciens, cùm scit, alterari, sicut nec ædificatorem cũ ædificat. Quod igitur in actum ducit, ex eo, quod est intelligens potentia atque sciens, id non doctrinam appellare oportet, sed aliud nomen est æquum habere. Atquod ex eo, quod est potentia, discit, accipitq; scientiam ab eo, quod est actu sciens, atq; ab ipso docente, id aut non est dicẽdum pati, ac alterari, aut duos alterationis esse modos fateamur, oportet: eam, inquam, mutationem, quę ad priuatiuas est dispositiones: & eam, quæ est ad habitus, atq; naturam. Tex. 58.

Con-

Conclusio est dictorũ, qua colligit, quòd transiens ab habitu in actum propriè alterari non dicitur: sic nec propriè alteratur ignorans, cùm addiscit, nisi quòd hic secundus doceri dicitur, primus autẽ nõ: quoniã qualitatem aliquam non acquirit, sed aliud nomen æquum est habere. Infert ex mente aliorum absurdum ad hominem, vt eos cõuincat, & in viam veritatis inducat, quòd duo essent alterationis modi: vnus ad priuatiuas dispositiones, qui fit cum deperditione contrarij, & ad habitus, qui cùm naturam ipsam perficiant & naturam benè afficiant, non dicũtur alterare propriè, sed formam naturalem citra aliquam deperditionem perficere, vt hinc eos ad verã sapientiam introducat, & doceat nõ sistendum in sola corruptiua alteratione, quæ cum aliqua abiectione contrarij fit (vt in calefactione) sed alterũ esse alterationis genus, & passionis perfectiuę sine aliquo interitu, sed cum salute & perfectione eius, quod alteratur improprie, vt cùm sapiens actu considerat, aut ædificator ædificat, quæ tamen nec verè nec propriè alteratio aut passio est, quin potiùs à quiete ad actum permutatio, quod est ad perfectionem commutari: ideo non est alterari absolutè, sed quoddam alterari & pati: quia est perfici & consummari. Idem etiã est de ipsa habitus acquisitione, quæ perfectio potiùs est, potentiæq; consummatio, quàm alteratio.

Duo alterationis modi.

Tex. 59. Hæc cùm ita sint, prima quidẽ mutatio sensitiui ab eo, quod generat, fit: cùm autem ortum, ac generatũ est, habet iam sensum perinde atq; scientiam, & sentire actu simile est, ac contemplari. Differentia tamen est: nam ea, quæ actu sensum efficiunt, extra sunt, ipsum, inquam, visibile, atque audibile, & sensibilium cætera.

Rei præsenti sese Arist. applicat. Quæ hactenus dicta sunt, ad potentiam passiuam accommodaturus Philosophus docet, ita in sensu statuendum esse: nam sicut prima scientis transmutatio, quando de ignorantia ad scientiam per Doctorem transmutatur, à generante est: sic prima sensitiui transmutatio ab eo fit, qui ipsum generat: virtute enim generantis, quę in semine est, educitur anima sensitiua cum omnibus suis potentijs in actum: cùm autem iam ortum & generatum sensitiuum est, sensum iam habet, perinde ac qui scientiam habere dicitur: quando iam verò sentit secundùm actum, simile est contemplãti. Itaq; semen, vt ouum, prima immutatione sentiendi sortitur vim, simulatq; factum animal iam sensus compos est, sed actus desiderat functionem, quibus pręsentibus omnibus suis numeris absoluitur: sensus ergo vt scientia, sentire autẽ vt cõtemplari se habet. Quare sicut ex parte intellectus quispiã prius est in potentia ad scientiam, deinde scientiam possidens ad contemplari in potentia: pari quoq; ratione generatum, verbi gratia, vt ouum in potentia est ad sensum, quem cùm possidet, nõ ad sensum, sed ad sentire, id est, actũ sentiendi in potentia est: nam non impeditus medij aut organi indispositione, vel sensibilium absentia, vel fortasse quia vt sentiat, non aduertit, cõtinuò in sentiendi actum exibit. Hac posita conuenientia ibi, *Differentia tamen est, &c.* discrimẽ adducit ex obiectorum sensibilium & intelligibilium distantia: quoniam sensus extrinsecis obiectis opus habet, cùm tamen scientia intùs habeat thesauros, quos, cùm commentari libeat, promat, nempe vniuersalia, quæ sunt in anima: ob idq; necessaria est in sensu obiecti præsentia, quæ tamen in intellectu non exigitur: siquidem à materia abstrahit, & separata ipsa cõsiderat: de quo lib. 3. de anima tex. 8. quem locũ in sequenti textu explicat dicens.

Cuius causa hæc est: actu nãq; sensus singularium est, scientia verò vniuersalium est: hæc autẽ in ipsa anima quodãmodo sunt. Quapropter intelligere quidem cùm quispiam voluerit, in ipso est situm: sentire autem, nõ collocatur in ipso: necesse est enim, sensibile ipsum adesse. Pari modo res sese habet, & in scientijs sensibilium, & ob eandem vtiq; *Tex. 60.*

causam,

causam: quia sensibilia singularia sunt, & extrà, sicuti diximus, Sed vt de his exactiùs, dilucidiùsvè dicamus, dabitur nobis rursus occasio.

Proximo textu conuenientiã, atq; differentiam sensus ab intellectu tradiderat, cuius causam tex. præsenti reddit Aristoteles, videlicet, quòd sensus singulariũ sit, intellectus autem vniuersalium, quę in rebus nõ sunt, sed quodammodo sunt in ipsa anima. Quare sensus non percipit nisi singularia per materiã indiuiduata, sine cuius præsentia sensibile nullatenus apprehẽdi posset: vnde sensus de foris atq; ab extrinseco in actum reducitur: scientia tamen habitus est intellectus, qui (vt in tertio huius videbimus) immaterialis est: consequens est, vt quæ per talem actum percipiuntur, à præsentia materiæ abstrahantur, atq; adeò etiam ab omnibus, quæ formę accidunt, secundùm quòd est materia indiuidua: sunt igitur in anima nõ realiter, sed intentionaliter. Habet nanq; mẽs intus domi suę innata illa vniuersalia, quæ principiorum atque habitus intellectus seminaria sunt principia, non quòd habeat species congenitas (vt asseruit Plato) sed quòd quanuis sit sicut tabula rasa (vt. 3. huius dicit Arist. tex. 14.) illo tamen agentis intellectus lumine illustrata mens penes se habet, quo se actuet, & suum in seipsa obiectum faciat. Vnde infert Arist. in nobis atq; nostra potestate intrinseca intelligere situm esse, non tamen sentire, quod materiæ externæ præsentiam exposcit. *Obiectio, quod sensus sit vniuersaliũ.* Sed dices, hic sensus dicitur singularium tantùm esse, in fine autem Post. cap. 18. tex. 27. dicitur, sensum vniuersaliũ esse, ob idq; sensum ipsum efficere vniuersale, quatenus intellectus agens rationem illam vniuersalem à singularibus abstrahit, quod fieri non posset, nisi à sensibus ratio vniuersalium perciperetur? *Solutio, quę Arist. collisionẽ tollit.* Quod vt declaremus, aduertam' oportet, duplex esse agẽdi principium, scilicet agens ipsum & rationem sub qua agit: in proposito ergo in sensatione sunt sensibile in primis, & deinde *Distinctio.* ratio sub qua sentitur. Tũc sit prima *1. cõclu.* assertio, ratio obiecti ipsius sensus est vniuersalis: quoniam aliter potentia vna non esset, nisi sub vna ratione omnia sua obiecta apprehenderet. Secundò, si sensus non perciperet nisi singularia determinata sub ratione singularium, nõn vtiq; posset inde vniuersale abstrahi: siquidem in illis nulla ratio vniuersalis luceret. Quamobrem, sensus non tantùm Calliam, verbi gratia, aut Socratem contractè apprehendit, verùm vaga quædam singularia cognoscit, vt hũc hominem, hoc animal, ex qua vaga singularitate (quæ quędam est adumbratio vniuersalitatis) virtute agentis intellectus ipsum efficitur vniuersale. *2. conclu.* Secunda assertio sit, obiectũ sensus, quantùm ad id, quod sentitur, singulare est. Patet in primis: nã (vt postea c. 12. ostendemus) quanuis sensus susceptiuus sit specierum sine materia, non tamen sine cõditionibus eius; ergo singulare est, quod apprehendit. Deinde (vt postea explicaturi sumus) vnumquodq;, quod recipitur, ad modum recipientis recipitur: ergo cùm cognitum in cognoscente sit, per suam similitudinem sensibile in sensu erit: quare cùm sensus virtus sit corporea atque materialis, particulariter, & cùm sensibilibus materiæ conditionibus sensibilis similitudo in sensibus recipietur. *Cõcordiæ resolutio.* Quapropter haud ineptè à quibusdam dicitur, sensuum singularium esse quãtũ ad actum (vt hic dicit Aristot. & nostra secunda conclusio exponit) vniuersalium tamen quantùm ad obiectũ (vt in fine Posteriorum iuxta primam nostram assertionẽ dicit Arist.) sunt enim sensus de obiectis sub ratione communi: quanuis actus particulares sint à priuato obiecto pendentes: per quæ responsum esse arbitror propositæ obiectioni. *Corolariũ quomodo vniuersalia sint in anima.* Ex quib' sequitur, quare vniuersalia in ipsa anima sint: quia non realiter, sed intẽtionaliter recipiuntur, ad modum ipsius animæ recipientis; quæ ab omni materia corporea denudatur, & corporali instrumento minimè alligatur: recipit igitur species atq; rerum similitudines, nõ solùm absq; materia, sed etiam absq; eius vestigijs atq; conditionibus: quoniam intelligibile, quod vniuersale est, ab illis omnibus est separatũ: sensus autẽ, qui corporeus est, iuxta suum modum corporeas & quodamtenus materiales recipit species. Vnde pro arbitrio intelligere possumus, cùm volumus, non sic sentire, quod experimento cõpertum est, cùm pro libito sine rerum præsentia contemplari valeamus, sentire verò minimè: habet enim se sicut tale operari, quod circa rem singularem externam fit.

Tex.61. Nunc id ſit à nobis determinatum, cùm ſimplex, inquam, nõ ſit id, quod dicitur eſſe potentia, ſed aliquid quidem ſit vt puer, quem militare poſſe dicere licet: aliud autem vt is, qui iam ætate, militariq; arte aptus euaſit ad militandum, ſenſitiuum ſimiliter ſe habere.

Tex.62. Atque cùm ipſorum differentia nomine careat, determinatum autem ſit, ipſa eſſe diuerſa, & quo pacto diuerſa ſunt, neceſſe eſt ipſo pati, ac alterari, tanquam proprijs nominibus vti. Ipſum autem ſenſitiuum potentia tale eſt, quale iam ipſum ſenſibile eſt actu, ſicuti diximus. Patitur igitur cùm ipſum eſt nõ ſimile: at paſſum euaſit ſimile, & tale eſt, quale eſt illud.

His duobus huius capitis poſtremis textibus Philoſophus quæ dixerat colligere videtur, atque potentiæ multiplicitatẽ appoſita interpretatur ſimilitudine: nam vt puer imperfecta & remota potentia militare poteſt, aut magiſtratus creari, qui tamen iam vir factus, miles electus, aut imperator creatus, ætate, officio & arte militari potentia propinqua aptus euaſit ad militandum: ſic in ſenſitiuo rem ſeſe habere docet Ariſt. vbi remota potentia inſtar pueri, propinqua inſtar viri declaratur. Textu autem. 62. cenſet Ariſtot. innominatam eſſe hanc potentiæ differentiam: ideo nomine paſsionis atque alterationis tanquam proprijs nominibus extenſo vocabulo circunloquitur: iam tamen latini per remotam & proximam, eſſentialem atque accidẽtalem nominarunt, quando alijs (vt rem exponamus) nominibus non gaudemus. Ibi verò, *Ipſum autem ſenſitiuum, &c.* dicit, quia horũ differentiæ innominatæ ſunt, paſsionis & alterationis nomine manifeſtamus: quoniam talem eſſe ſenſum in potẽtia, quale ſenſibile in actu oportet, qua ratione diſsimilia ſunt: at cùm ipſius ſenſibilis ſimilitudinem atque ſpeciem recepit, per illam paſsionem atque perfectiuam alterationem ſimilis efficitur. Quæ ideo eſſe dicta crediderim, vt Ariſtot. doceat, totam huius capitis diſceptationem eſſe ad rationem ſenſibilis reducendam, ne documenti tex. 33. traditi obliuiſci videretur. Quare rationem, quæ methodum illam interrumpere coëgit, his paucis exponere videtur, atque obiectionem principio huius capitis à nobis propoſitam tacitè diluere: quæ ratio Ariſtotelem mouit, vt proportionem ſenſus & ſenſibilis proponeret, ad quas ſignificandas proprium nomen poſitum nõ eſt: nam illa ſenſus aſsimilatio atque ſenſibilis immutatio in contrarietate minimè fundatur. Vnde meritò propriorum nominum inopia, communibus, atque promiſcua appellatione fuit vtendum: neque enim albeſcit aut nigreſcit viſus, cùm albedinem aut nigredinem videre contingit: quoniam ſolam formam ſine materia recipit, quod proprium eſt ſenſuum, ſpecies ſine materia ſuſcipere, vt infrà c. 12. Quare hoc alterationis genus in perfectionem deſinit, tantùm abeſt, vt in contrarium abeat: alteratũ tamen eſt ipſum ſenſitiuum, quatenus ex non formato formatum fit, & ex non cognoſcente cognoſcens.

Obſerua collectionẽ mentis Ariſt. pro huius capitis collocatione.

DVBITATIO
De ſenſibilis cum ſenſu aſsimilatione.

Quæret opportunè Philoſophiæ ſtudioſus, nunquid cognitio ſenſitiua ſit aſsimilatio nuncupanda? quandoquidẽ ſenſus ſenſibili non ſit ſimilis in natura, vt patet, ſecus tamen oporteret indies in ſingulorũ naturas ſenſibilium, quæ cognoſcit, trãſmutari: neq; aſsimilatio in forma fit, quoniã in obiecto realis eſt, in potentia verò intentionalis: neq; adhuc in eſſendi modo, cùm cõſtet in obiectis rerum ſenſibilium formis non tantùm cum cõditionibus materiæ eſſe, verumetiã cum ipſa materia, à qua ſenſus ſpecies abſtrahit? Dicẽdũ, huiuſmodi ambiguitatẽm ex naturæ potẽtia eſſe ſoluendã: *Solutio.* ducitur nãq; potẽtia in actũ ſecũdũ ab aliquo, quod in actu eſt: vnde potẽtia (vt ſuprà retulimus) per actũ definitur, ad quẽ eſſẽtialem ordinem

ordinem habet: tunc igitur erit potentia assimilata, cùm eius proportio atq; ordo ad obiectum in actum perducitur: suprà enim tex. 7. docebat Arist. ex actu atque potentia seipsis absque aliquo medio (quoniam talia sunt) vnum fieri. Quare non oportet, vt agens patiens in natura sibi assimilet (vt Solis actio demonstrat) nec in forma (vt sensum operatio manifestat) nec in modo essendi (secus nec Cælum ageret in hæc inferiora caduca & corruptibilia, cùm in corruptibile sit: nec sensibile in sensum, quem in spiritali modo essendi, non tamen in reali assimilat) eatenus igitur similitudo spectãda est, quatenus est ordo proportionis potentię ad actum: siquidem actus actiuorum in patiẽte sunt dispositio. Vnde cùm sensus in potentia non sint, vt sensibilia secundùm esse reale naturę recipiantur, benè tamen secũdùm esse immateriale & spiritale: sequitur, sensus natos esse pati, perinde ac sensibilia agere apta sunt: non ergo recipientur secundùm esse naturale, sed secundùm extraneum ipsi naturæ: nam in alio altiori & eminentiori essendi ordine, vt in medio, vbi colores, verbi gratia, non recipiuntur perfectè secundùm naturæ similitudinem: ob id non recipitur forma cum materia, sed sine ipsa, vt anima omnia dicatur: quia omnium similitudines suscipit.

Obseruanda similitudo. Ratio horum pulchra est & à priori: quoniam sicut se habet materia ad formas naturales secundùm propiam suæ naturæ rationem hospitandas, sic anima, quæ in alio præstantiori genere potẽtia est, ad easdem formas sublimiùs suscipiendas in potentia est, nimirum in esse spiritali (sicut 3. lib. de Anima tex. 38. dicitur, lapis non est in anima, sed species lapidis) vt intelligamus, animas hanc naturam ex sua indiuisibilitate sortitas esse, atque quandam spiritalitatem participare. Quam ob causam 2. de Anima tex. 138. videns quodammodo colore debilitum ab Arist. asseritur: vnde fit, vt non sit sensibile in sensu, sicut forma in materia, sed sicut cognitum est in cognoscente, atq; *Species ad modũ cognoscẽtis recipitur.* adeò secũdùm modũ ipsius cognitiui: quia cognoscens fit ipsum cognitũ, in quod trãsformatur: est enim potentia cognitiua vitalis, quæ speciem susceptam viuificat, & secundùm eam operatur (vt lib. 3. de Anima & cap. 1. & 3. explico) quia ex cognoscente & cognoscibili fit magis vnum, quàm ex materia & forma: vide. 1. p. q. 12. art. 4. Nã enim aliud est species, quàm obiecti similitudo, id est, vestigium rei ab ipso sensibili sensui incussum atq; impressum, quæ, dum suscipitur, viuificatur & principium est vitalis operationis. Ideo ad argumentum in principio propositum dicendum, assimilationem esse in forma secundùm sublimius essendi genus, quo res suas influunt similitudines atq; intentionales imagines: proportionabiliter ergo ad actionem naturalem actio hæc intentionalis contingit, quæ potentiæ infunditur, vt ipsa potentia substantiam eliciat operationis: vide loca citata. *Ad arg.*

QVAESTIO.

An sensus actiua, an passiua virtus sit?

Quæstio ista ardua est atque nimium occulta, & quæ satis huic loco oportuna sit: insuper totius quinti capitis scopum continet, & vniuersi libri argumentum aperit. Primò, ex eo quod iam nunc dicebamus: quoniam si vegetatiuum inferius & ignobilius actiuum est, ergo & superius ipsum scilicet sensitiuum, quod perfectius est atq; pręstantius, agendi habebit vim? Secundò, iudicare atq; sentire agere est, sed sensus iudicat de sẽsibili, quod sentit, ergo est actiu⁹: aut sequeretur, cùm agens nobilius sit patiente (lib. 3. tex. 20.) quòd sensibile nobilius esset sensu, quod absurdũ videtur? Vnde tertium desumo argumentum, quo clarè colligitur, sensum agentem esse ponendum: quia cùm sensibilis species, vtpote quæ spiritalis aliquo modo sit, à sensibili effici non possit, quoniam eius perfectionem excedit: sequitur, aliquod actiuũ esse ponendum, quod ipsam speciem producat, quod cùm ex parte sensibilis nullum sit (est enim fictitium asserere, vnã aliquam intelligentiam sensibilibus assistere, quæ species ipsas producat, perinde ac lib. 3. cap. 5. de intellectu agente ostẽdemus) sequitur, ex parte ipsius sensus, qui agit & sentit atq; verè indicat, actiuũ aliquod esse ponendũ? Prętere a. 9. Met. tex. 16. atq; in sex principijs asseritur, sentire non solùm actionem esse, sed de genere immanentium: ergo sensus, qui sentiendi principium est, actiuus est? Confirmatur de muliere menstruum patiente, quæ solo visu speculum inficit: atq; *1. argu.* *2. argu.* *3. argu.* *4. argu.* *Conf.*

etiam de Basilisco, qui solo visu hominem interficit: & de lupo superueniente, quo viso, homini vox rauca fit: insuper de mulieribus, quæ Apollinares vocantur, quæ habent in singulo oculo pupillas duas, et si torue quenquam respiciant, illum suo visu interimunt: ideo sagittas dicuntur mittere, & noxiæ sunt: sic enim Apollo, præter lyram & Gryneum, tertium signum habebat, nempe sagittas, vt infernus etiam & noxius Deus haberetur (idem de oculorum fascinatione constat) igitur sensus actiuus est. Quod rursus rationi maximè consentaneum est: quoniam sensus, cùm forma sit & non materia, atque adeò actus & non potentia, eius potiùs agere, quàm pati erit. In oppositum tamen est Aristot. præsenti capite, qui (vt nostra commentatione diximus) sensus virtutem esse passiuam ostendit, atque hanc vnam esse potissimam differentiam, qua primò animales virtutes à vegetabilibus separat. In hac quæstione diuersi fuère opinandi modi: quidam existimarunt, agentem sensum ponendum esse, cæterùm à passiuo non distinctum, cùm potentiæ animæ adinuicem non distinguantur. Deinde alij censebant, nullum esse sensum agentem, sed quòd sensibile seu eius species sit per se principium immediatè sensationis productiuum, atq; adeò cùm sensus sit sufficienter sensibili specie informatus, vt cognoscat, & ad executum in actum secundum non est necessaria aliqua sensus actio. Quicquid alij de hac re sentiant, nostram seu potiùs Arist. sententiam in medium proferamus, vbi in primis titulus quæstionis enodàdus est. Quare cùm totus præsens sermo de virtutibus animalibus atque cognitiuis sit, extra præsens negocium est, de actione naturali & reali quæstionem tractare; iuxta id, quod in confirmatione quarti argumenti quærebatur: non ergo disputandum est de infectione & fascinatione sensuum & actione reali & physica, sed de sensatione & actione intentionali: nam (vt in libello de sensu & sensili ab Arist. asseritur) oculus, & sic de alijs sensibus, bifariam considerari potest. Primò, vt potentia est cognitiua animalis: deinde, vt tali natura & proprietate affecta est, vt per quandam naturalem euaporationem, aut similem alium modum inficere aut fascinare dicantur, propter venenosam oculi complexionem, qua non intentionaliter, sed realiter medium immutent. Modò igitur de hac loquendum non est, ne à proposito diuagari videamur, sed de intentionali: per quæ & quæstionis titulus declaratur, & confirmatio quarti argumenti soluta est. Deinde, vt certa ab incertis secernamus, apud omnes constat, sensum in prima speciei receptione passiuum esse: nam siue sentire agere sit, siue non (quod statim dilucidabimus) tamen non est sine præuia passione, quæ in speciei receptione consistit. Et qui oppositum asserere voluerit, aperto Marte cum Aristot. atque ratione pugnat, cùm tam dilucidis verbis dixit & probauit, sentire quoddam pati esse, & sensitiuum non esse actu, sed potentia tantùm, 2. quod. 3. lib. de anima cap. 1. repetit non semel, & cap. 4. tex. 28. quod etiam hic cum combustibili contulit tex. 52. & tex. 62. *Sensitiuum potentia tale est, quale iam ipsum sensibile est in actu*, quod est generatiuis illius immutatiuum. Tota igitur quæstionis controuersia est, an sensus in potentia passiua sit ad actum tam primum, quàm secundum; & non solùm ad formam, quæ est operationis principiũ, sed etiam ad ipsam operationem passiuè sese habeat, dũtaxat recipiendo, nilq; agendo: itaq; an se habeat instar nescientis, qui non solùm ad considerate, sed ad scientiam in potentia est, ità vt visus, verbi gratia, nõ solùm ad speciem coloris, sed etiam ad visionem sit in potentia: hoc est, an potentia sensus ad actum primum & secundum sit, atque an potentia sensifica sit essentialis & accidentalis ad vtrunq; actum, an tantùm accidentalis ad actum secundum? Etenim duplex est immutatio: altera, qua à sensibili ad actum primum sensus ipse, vt intellectus ad scientiam, permutatur, & sensus fit similis obiecto in actu primo, & hæc vocatur potentia essentialis, quia ad actum primum: altera ad actum secundũ, vt intellectus ad considerare, secundùm actualem tendentiam potentiæ ad obiectũ; quam vsu scholę accidentalem potentiam vocamus, quia ad actũ secundũ. Quæ duæ mutationes naturà distãt, nõ tamẽ necessũ est temporis ordine distinguantur: & prima ab obiecto fit, atq; in speciem terminatur, qua sensus sensibili relinquatur in actu primo similis: secunda autem ab ipsa anima elicitur, atq; ad sensationẽ terminatur, qua sensus formaliter dicitur sentire. Et

Conf. 2.

Diuersæ opiniones.

Prima opinio. 1.

2.

3.

Quæstionis titulus aperitur, & cõfirmatio. 4. argu. soluitur.

Distinctio de actione reali & intentionali.

In quo oẽs conueniant.

Controuersiæ nod.

Duplex sẽsus mutatio ab ipso sensibili, et duplex potẽtia, vt sup. pri tex. 2

Obseru.

Sensum in potentia accidentali esse actiuum probatur, passiuū autē in essentiali.

Et iuxta hanc secundam immutationem sensum actiuum esse dicunt: nam sentire agere est atq; actio vitalis, sicut iuxta immutationem primam passiuum esse dices. Præterea ex animæ definitione, quę principium ponitur quo viuimus atque sentimus, & consequenter sentire operatio est rei viuētis: idq; dictum est superiùs tex. 36. & 37. animam in triplici genere causæ, formalis, finalis, & efficientis. Quare licet passiua sit respectu obiecti in prima immutatione ab obiecto ad speciem, quā suscipit, actiua est respectu sensationis, vt Arist. tex. 59. dicebat, *Habet iam sensum perinde, atq; scientiam, & sentire actu simile esse, ac contemplari*, Est enim actio immanens & formæ impressæ vsus iuxta quem interpretandi modū sensitiua facultas specie iā informata atq; fœcunda prolem parit, id est, notitiam ab specie saltem modo atq; ratione differentem, qua sensus in obiectum refertur: non enim species notitia est quatenus in medio, sed vt est in sensu: neque sic prorsus quocunq; modo in sensu existat, sed quatenus ipsum sensum in obiecti cōprehensionem immutat & trahit. Quod inde confirmari potest, quòd plerunq; licet species ante oculos deferatur, non sentiamus: quoniam sunt velut in medio, aut in speculo, quia non aduertimus: necessaria igitur est animi actio atque consideratio, quæ ex aduertentia prouenit: sentire igitur agere est. Ita Themistius. 3. lib. tex. 55. notio est animi actio, & de memoria cap. 11. imaginatio non est sola nudaq; speciei impressio. Idem etiam Alexander atq; Commētator, quòd recipere aliud est, quàm iudicare siue comprehendere: nā ratione saltem & modo aliud est species ab actu sentiendi, sicut aliud est forma substantialis, quæ est actus primus, & eius operatio, quæ est actus secūdus (de actu primo & secūdo suprà exposui in definitione animę, quę est actus eius, quod in potētia est ad vitam, id est, vitales operationes) quamuis hæc actio non sit proprius alter alterationis modus: fortasse enim nullius formæ est acquisitio, nec cū cum contrarij fiet abiectione nudus videtur esse antiquę formę vsus, etsi alteratio nuncupanda est, absque abiectione contrarij), læsioneq; subiectū sit, potiùs enim cum perfectione est. Nec placet, quod Paulus ille Venetus affirmat, sensibus actionem tribuendam esse, non in ordine ad speciem aut sentiendi actum, sed

Themistius.

Alexan. Commētator.

Reiicitur Venetus.

habitudine ad internos sensus, quos susceptas ab externis sensibilibus specie commouent atq; immutant: quoniam pręsens controuersia de actione intellectus non intelligitur respectu sensuum interiorum, sed respectu propriæ sensationis. Pręterea sensus externi in ordine ad interiores habent se vt medium, quod susceptas species transmittit: non secus atq; aër speciem in auditum transfert, auditus etiam in sensum communem prouehit: quemadmodū ergo aër speciem coloris minimè producit, sed ab obiecto externo immissam ad sensum vsq; inuehit: sic proportionabiliter sensus externi se habere videntur, licet altiores sint, quia sunt facultates vitales: vnde quamuis actionem aliquam habere videantur, non tamē eam, quæ in controuersiam vocatur: quandoquidem formas ab obiectis elaboratas ad alias sensitiuas potentias transferunt, siquidem rationem quandam medij sortiuntur: at obiectum est, quod formam largitur. Non absonè igitur dixeris cum Themistio, Alexādro, Alberto, D. Thoma, atq; Commētatore, passiuos esse sensus in speciei receptione, verùm in sensationis productione actiuos. Et si quęreres, passiui an actiui potiùs appellentur? Dicerem, sensum absolutè actiuum siue operatiuum à fine appellandū (vt supra tex. 49.) quāuis actiones istæ à passionibus profluant: nam vltima sensus perfectio in sētire, id est, in actione, qua operationem exercet, cōsistit: quare à perfectiori & formaliori potiùs denominabitur actiuus, quàm passiuus. Perperàm insuper Plotinus æneade. 4. censuit, sensus à sensibili nil pati, sed sensationem ex sola cognatione & affinitate promanare, vt ij, qui antiquissimam inierunt amicitiam (amicitia sola durante) ob solam cōsuetudinem naturæ lege sese assequuntur: quia (inquit) celsi tam vastū quis videret, aut caperet? cum tamen nihil sit faciendum: hoc suum argumentum: nam species in sensu sine materia recipiuntur, vt suprà Plato in Theętetus, & 6. lib. de legibus docet, vbi species admittit dū docet speciem rerū in politis & densis corporibus, hoc est, in speculis, inscul-ptæ cernuntur, à qua specie vice ipsius obiecti atque à potentia notitia paritur: secus sensus, qui potentia est, per nullum actum actuaretur. Quare sentire non est pati formaliter, sed agere, cùm sit sensibilis comprehensio in specie suscepta (fortasse

D. Tho. Themist. Auerro. & alii.

Sciscitationis solutio, q̄ sensus magis actiuus, quā passiuus.

Plotini error.

Sētire qualitas est.

nec actio, nec passio, sed qualitas quædam, vt de intelligere dico infrà libro tertio tex. 2. in tertia & vltima difficultate.) Cui

Galenus.

opinioni quanuis Galenus lib. 7. de placitis aduersetur, qui passionem, non tamen alterationē vocat, verùm. 1. de causis Symptomatum nomē actionis eis tribuit. Quorum omnium quantumuis doctissimorum existimatio mihi minimè probatur. Primò propter Arist. testimonium, qui hac prima & potissima differentia præsenti cap. animales facultates à naturalibus seiungit, quòd istæ actiuæ sint, illæ verò à toto genere passiuæ. Præterea quia tex. 59. expressè demonstrat, vnam tantùm esse in sensu mutationem, atq; illam ad actum esse secundum, *Nam prima sensitiui mutatio ab eo, quod generat, fit. Cùm autem ortum ac generatum est, habet iam sensum perinde, atque scientiam*, & hæc mutatio naturalis est, quæ generanti debetur, de qua in præsenti sermo non est. Deinde dicit Aristot. *Sentire actu simile est, ac contemplari*, cùm hoc discrimine, *Nam ea, quæ actu sensum efficiunt, extrà sunt, ipsum, inquam, visibile, audibile, & sensibilium cætera*: ergò si hæc secunda mutatio ad sentire actu est, ita vt sensum in actu sensibilia, quæ extrà sunt, efficiāt, consequens est, sensum non solùm respectu speciei, verumetiam respectu sensationis passiuum esse, cùm iuxta Arist. non solùm species, verumetiam sensatio ab ipso fiat sensibili. Cuius rei ratio atq; fundamētum hoc esse potest: quoniam species sensibilis atq; sensatio duæ res non sunt, nec duo actus, ita vt dent duo esse: ergo si se habent sicut forma & esse formæ, sequitur, nihil aliud esse videre, quàm esse ipsius speciei visibilis (verbi gratia, in visu formaliter loquendo in genere cognoscibili & cognoscitiui) ergo sicut eadem mutatio est ad album & ad albedinem, imo priùs natura album est, quàm albedo: pari igitur ratione eadem mutatio est ad speciem visibilem & ad ipsam visionem, & priùs natura videns est, quàm sit visio: ergo sicut in receptione speciei passiuus est sensus, ita etiam in receptione sensationis, cùm vtrunq; eadem mutatione ab ipso fiat sensibili: ideo infrà tex. 65. dicam, quòd videre nil aliud est, quàm speciem esse in sensu formaliter, vbi de immutatione sensibilis communis agitur. Cōfirmatur ex eodem Arist. eodem tex. 59. asserēte, sensum perinde se habere, atq; scientiam: ergo sensus ea sola ratione in potētia dicetur, quia potest operari: sicut sciens in potentia dicitur, vt cōtempletur: ergo sicut eodem textu. 59. dicit, atq; tex. 62. sensum, qui in potētia est, à sensibili in actum duci: sequitur, sensationem à sensibili eadē immutatione fieri, & non à sensu: non est igitur sensus respectu sensationis actiuus, siquidem eam à sensibili mutuatur. Rursus sensus vltra species ipsas nullis noticijs, nulloq; alio actu opus habere videtur, sed solo ipsius speciei vsu atq; consideratione, quæ latio quædam est potentiæ, qua proprio animæ motu in ipsam rem fertur: ergo si non est nisi vnus actus, nec erit nisi vnica potentia: quoniam hæc latio atque vitalis immutatio à sensibili fit, sua specie sensum commouente, atque quasi in considerationem sensibilis mittente: necesse igitur est, in ipso pati atque alterari consistere, vt tex. 62. hanc tanquam intentam conclusionem Arist. colligit. Sed dices, Aristotelem sensum cum scientia, sentire cum contemplari conferre: ergo sicut sciens, quo actu cōsideret atq; meditetur, extrinseco non eget motore: nam quoties voluerit, contemplari poterit: igitur sentire non est ab extrinseco motore, sed ab ipso sensu? Quam obiectionem tex. 59. & 60. intuitus Arist. soluit cū dicit, differentiam esse inter sensum atq; intellectū: nam licet Geometrię peritus (quia Geometriam callet) vim habet, qua in potentia proxima considerare valeat: & sensum habens, vim habet atq; facultatem, vt potentia proxima sentiat (quoniā hæc conditio formaliter atq; per se ad naturam potētiæ mediç spectat) tamen quia sensus singularium est, sentire nō est in ipsius facultate, atq; adeò necesse est, sensibile aliquod adesse: ratione igitur materię differūt: quoniam licet vtraq; sit potentia proxima sciētiæ, intellectus tamē ratione materiæ (quia vniuersaliū est, quæ quodammodo in ipsa anima sunt) sine motore extrinseco cōsiderare potest: at in sensu potētia illa proxima ad actū sine externo obiecto nō reducitur, sed in vtraq; potētia, tā essētiali & remota, quā accidētali & proxima, simul in actu reponitur ab ipso obiecto sensibili. Itaq; hac doctrina vult Arist. quòd cùm scientia sit vniuersaliū, quæ sunt ab aīa fabricanda, necesse est, ibi esse actionē immanentē ipsius intelligibilis, quod nō est extrà: at quia sentire est singularium extrà terminantiū, fit, vt non

Caietani sententia subtiliter ab Antonio re extolli tur, quòd sentire virtus sit passiua potiùs quā actiua.

Testimonia Philosophi, quòd sentire est pati.

1. ratio quæ ex vnitate mutationis procedit.

2. ratio ad idē.

3. ratio ex vnitate actus, quia vnicus est et ab ipso sensibili.

Obiectio.

Solutio, vnde sumitur 4. alia ratio numero 4. ex differētia inter intelligere & sentire.

non contingat sentire sine aliquo sensibili ab extrinseco sensum ipsum mouente & immutante atque assimilante: ergo actio, quæ ibi est, sensibilium est, non sensitiui. Quod cautè aduertendum est, vt Arist. literam penitùs intelligas, atque vt hanc nostram commentationem Aristoteleam esse iudices: idcirco Philosophus in litera dicit, proportionalem illam similitudinem atq; conuenientiam inter sensum & scientiam simul esse cum differentia eorum, quoad habitualem obiecti præsentiam, & quoad indigentiam extrinseci actiui: præterea quoad posse pro libito operari. Quod etiam quàuis in calce tex. 60. dixisset Arist. postea exactiùs se declaraturũ, non piguit solertissimum Philosophum abstrusissimã rem accommodatissimo exemplo iuuenis atq; pueri tex. 61. explanare, vbi sensus potentiam, non pueri, sed iuuenis dicit esse, vtpote quæ in media quadam potentia atq; vt ad operandum consistat citra alicuius rei inopiam aut indigentiam, cuius puer egere videtur (vt super tex. 62. diximus) ergo sensus ipse nullam actionem habere videtur, prẹter eam, quæ sensibili debetur, quod sensum relinquit, vt iuuenem secũdùm se iam operari valentem. Dices adhuc ex Arist. 8. lib. Phys. tex. 32. potentia hæc media atq; proxima non impedita necessariò cõtinuò operabitur, quod illic Arist. de sciente atq; leui demonstrat, & in vniuersum omni naturæ conuenire docet: ergo fieri non poterit, vt sensus in potẽtia proxima sit, & accidẽtali ad actum secundũ, quin actu sentiat? quod tamen falsum est, vt patet de sensu in dormiente, atq; etiam in vigilanti, dum non aduertit. Dicendum sicut proxima ob iectione diximus, de potentiæ proximæ ratione dũtaxat esse, vt vim habeat ad exeũdum in actum secũdum: cętera verò (egere videlicet motore extrinseco & præsentia obiecti, atq; gaudere facultate ad operandum cùm velit) extrinseca esse ad rationem potentiæ: ita etiam in præsenti obiectione dicendum, de ratione potentiæ proximæ esse, quantum est de ratione ipsius, mox operari: ratione tamen materiæ atque ab extrinseco prouenit, quòd aliquo extrinseco potentia proxima egeat, vt exeat in operationem: nam ad ipsum obiectum in se realiter terminari debet: quia, vt dicitur 8. Phys. tex. 32. actio leuis est sursum esse, quod est à generante: sic actio sensibilis est sensum sistere in actu viuo, nõ imperfecto vt pueri, sed perfecto & operatiũ vt iuuenis: quia ad generans spectat dare primum esse viui, quale est sensus (vt infrà c. 6. tex. 63.) id est, non in potentia aliqua remota aut essentiali, nec adhuc accidentali, sed in vltimo actu assimilatum relinquit. Sunt enim (vt suprà diximus) potentiæ rerũ proprietates quędam non accidentales, sed substãtiales: quis actus & potentia diuidunt ens, vnde necesse est modificari atq; iuxta rerum naturas, in quibus sunt, tẽperari: ergo cùm vnus actus sit, non erit nisi vna potentia, quę (vt constat) passiua est. Quare ratio potentiæ, quæ statim exiret in actum, aliter determinatur in naturalibus ab ipsa naturæ ratione, à qua ab intrinseco ita concitatur, vt secluso obice necessariò eliciat actum. In altero autem extremo in intellectualibus, cùm à voluntate & prohęresi determinetur, quandiu vult, non quandiu est, operatur. At in sensitiuis, quæ naturæ mediæ sunt, medio etiam modo, sed cum latitudine quadam se habet, atq; ab animalitate & vi sentiendi determinatur, ita vt in sensibus exterioribus, qui propinquiores sunt rebus naturalibus, quàm interiores, fit, vt ad modum rerum naturalium determinentur, atque adeò quòd sine extrinseco obiecto in actum exire non valeant. Quare sensus nullo modo se actuat, sed ab extrinseco ad actum reducitur: est enim infima animalium potentia in cõfinio rerum merè naturalium collocata: interiores sensus videntur sese extollere & eleuare ad participandam voluntatem & ordinem rationalem.

Ex hac latitudine rerũ, quam iam nunc in Caietani fauorem adduxi, vt sensus simpliciter passiuos facerem, videtur mihi (nisi meus me fallit animus) præeligendam sententiam alteram priorem cum Sanct. Tho. & Alexand. Alberto, & Themistio, sensus esse simpliciter & absolutè actiuos. In cuius sententię fauorem repete ea omnia, quę dudum in eius explicatione adducebamus, & præter multa illa, quæ ibi dicta sunt. Arguam secundò ex adductis pro Caietano, quæ licet sat multa sint, non tamen conuincunt illæ omnes ratiocinationes, nisi quòd ex parte sensibilium actio in sensus nostros persimilis est, valdéq; propinqua rebus naturalibus: tamen ex parte ipsorũ sensuum, passiui non probantur, cùm vitales sint

Perpende differẽtiã & conuenientiã inter sentire & intelligere.

Obiectio.

Solutio, vnde sumitur. 5. ratio, cur sensus sit potẽtia naturalibus propinquissima.

Breuis et perspicua Caietani mens.

Comparatio potentiarũ, vnde sumitur sexta ratio ex distinctiõe act. et potentiæ.

Sũma dictorũ, vnde 7. ratio ex ratione rei, in qua velut in materia modificãtur actus & potentiæ.

Autoris vera & vltima resolutio, sẽsus potius esse actiuos cõtra Caietanũ.

1. ratio ex dictis à S. Tho. & aliis.

2. ratio ex doctrina eiusdẽ Caietani.

sint facultates & actiones viuæ, eorúmq; immutationes comprehensiuæ & iudicatiuæ, quæ certè non poterant eis quadrare sine expressa ipsorum sensuum actione: nec saluabis ista sola virtute passiua & receptione sensus, cùm omne, quod viuit, quatenus tale, intrinsecum habeat principiũ sui motus, vt à sese moueri & inchoare motum possit. Et Caietanus ex Arist. hoc loco nec benè nec subtiliter colligit, quòd eadẽ mutatione sensus efficitur in actu primo & in secundo: quoniam etsi benè Arist. dicat, quòd omnis actio sensus accepta debeat referri sensibili, velut generanti & danti primam formam & speciem ipsam sensibilem, tamen oportuit cõsiderasset, quòd hãc formam primam sensus à sensibili habeat, & eam habere, possidereq; possit sine sensatione: perinde ac ipsi medio contingit, vt si non aduertat sensus, aut aliundè impediatur: ideo quoad secundam formã, id est, actum sentiendi necessaria est sensus actio: quoniam inter primam formam, quæ à sensibilis immutatione de potentia essentiali habetur, & inter secundam, quæ accidentalis est, & quæ ex actu sentiendi constat, necessariò mediat sensus conuersio ad obiectum: nisi enim sensus ad sensibile sese conuerteret, etiamsi sensibilis actio in sensum præcessisset, non esset actus sentiendi, nec possideretur sensatio. Hæc est doctrina Arist. tex. 59. 61. & 62. & hoc colligit, & probant prima, secunda, & tertia ratio Caietani, & quarta similiter de potentia proxima & remota: absq; specie enim sensus est in remota, per speciem in potentia proxima, per actum autem sentiendi in actu; & sic de reliquis rationibus, quæ nil compellũt dicere, præter ea quę dicta sunt. Ideo sensus ad sensibile non se conuertit, nec potest (vt præsenti cap. docet Arist.) nisi priùs sensus ab ipso sensibili reductus esset de potentia in actum primũ, vt ipse mox valeat producere actũ secundum: hęc licet secundùm Caietanum fiant simul tempore, tamen prius natura sensibile in sensum agit, deinde sensus ad sensibile se cõuertit: & cõtingere potest, vt actio sensibilis tempore præcedat conuersionem sensus, quãdo sensus non aduertit, aut impeditur, aut non viuit, aut ab operibus vitæ aliundè detinetur. Etenim causa omnis secundùm omne genus causæ diuidi potest in esse primum & secundum (quod his verbis philosophicè appellabis in causam & causalitatem) modò species ab obiecto sensibili producta, est quidem causa formalis sensus, & forma & primus actus ipsius, non tamẽ exercet causalitatem, nisi sensus sese exerat & excitet, atq; suscepta & hausta forma agat & deferat se ad sensibile contemplandum actu secundo, cui in actu primo erat conformatus & assimilatus. Ad hæc faciũt, quæ inferius lib. 3. c. 3. q. de obiecto intellectus dicimus ad primum; dum de verbo mentis dissseritur, quòd in vniuersum omnes vitales operationes sunt immanentes, & habent terminum intrinsecum, proportionatũ & adęquatum, eumq; productum per eandem actionem: hunc autem terminum non potest producere sensibile, nec actioni sensibilis respondet, sed sensus immutationi, qui tum, postquam est in actu, se agit, vt tendat ad iudicium, sensibilisq; comprehensionem: quare sensus absolutè & simpliciter actiuus potiùs est, quàm passiuus; vnumquodq; enim est, quod principaliter est in ipso. 10. Eth. cap. 7. & principalior autem est finis, quò omnia tendunt, scilicet in sensificam operationem atq; actionem. His autem adiũge (vide quę lib. 3. c. 1. circa tex. 2. dicimus in q. 3. quæ est vltima) quòd sentire sicut & intelligere, non est pati solùm causaliter, aut agere tantùm formaliter, sed veriùs nec est pati nec agere, sed actiuè, passiuéq; vitaliter immutari, atq; adeò quòd est absoluta qualitas & iudicium: quoniam nil aliud est, quàm ipsius obiecti immanens atq; permanens comprehensio. Ex doctrina hac intelliges, apertéq; ostenditur, sensum esse actiuum potiùs quàm passiuum; & non solùm nomine actiuum (vt quidam nominalizantes dicunt) sed realiter & verè actiuus dicitur sensus ad modum explicatum: vnde factus in actu illo primo, statim potest de se exire in actum, licet (quia infima est potentia, & cum grauibus & leuibus, cæterisq; natura constantibus coniuncta) extrinseco opus habeat obiecto, vt in actum vltimum sese prouehat, sicut & intellectus ipse motionem voluntatis exposcit. Quare licet speciei receptio mera sit & nuda sensus passio, vt in genere entis consideratur, vt abstrahit à viuo, tamen vt in genere cognoscibilium vt in viuẽte & aduertente recipitur (nam in his duobus generibus eadem species reperitur) non est mera passio, sed iam principium quasi ad actionem

Dupliciter afficitur sensus, nã primo mutatur ab obiecto, mox immutatur à potentia.

Duplex potentia, et duplex actus in sensu.

Rationes Caietani resoluuntur.

Obserua.

Ois causę duplex actus.

Ois operatio sensifica vitalis & immanens est.

Sentire qualitas est.

Nominaliũ error.

Species in duplici ordine.

actionem impellens & ebulliens: inde enim experimur nos vim nactos, atq; virtutem habere ad agendum & sentiendum. Nec te conturbet, quòd idem sit actiuum & passiuũ, contra Arist. 5. Met. tex. 17. quia idem in quantum idem non potest esse principium transmutandi aliud in quãtum aliud, & vt ab eo transmutetur (intellige secundùm eandem rationem adęquatè) inadęquatè tamen & secundùm diuersas rationes nil prohibet respectu diuersorum, sensus, qui ab ipso patitur sensibili, sensationem agat, quę qualitas est, & sensificæ operationis immanentis intrinsecus terminus: sic anima principium est efficiens suarum naturalium operationum (vt cap. præcedẽti tex. 36. & 37. & cap. præsenti tex. 59. 61. & 62.) Sentire enim non est verbalis sensus latio ab omni forma destituta, sed realis, vitalisq; mutatio & sensibilis comprehensio, vbi species intelligitur transire ab actu primo ad secundum, & ab ipso entis genere ad genus cognoscibilium, hoc est, ex potentia ad vltimam actualitatẽ & terminationem, quæ est qualitatis acquisitio & aliud alterationis genus (vt tex. 57. & 58. dictum, & inferius lib. 3. tex. 28.) hæc autem qualitas acquiritur per vsum & cõplementum ipsius speciei, & hoc est animã moueri proprio animali & sensifico motu per aduertentiam obiecti, & vitalem potẽtię tendẽtiam. Sed pergamus: sat enim multa diximus, ex quibus plura potes tibi lector studiose pro quæstionis enodatione comminisci: & vt videas, hanc sententiam nostram altiorem esse & sublimiorẽ, quàm illa Caietani, & magis Philosophi dictis consonam: nõ enim est de specie loquendũ materialiter, vt est in genere entis secũdùm communem entis rationem, sed formaliter, vt est in genere cognoscibilis. Et quatuor, quæ dicit Caietanus, pauperes fefellisse, eadem ipsum subfugerunt atq; latuerunt, Primò, quoniam non distinxit hanc actionem sensuum mediam inter purè naturalia & libera: Secundò, quoniam nõ benè separauit actiones immanentes à transeuntibus: Tertiò, quòd de sensuum actione per modum actionis ipsius naturæ diiudicat: Quartò, quòd speciem sensibilem nõ collocat nisi in vno genere, nec perfectè distinguit inter speciem sensibilem & ipsum sentire, qui sunt duo effectus ab ipso sensibili ordine quodam prouenientes. Cætera,

Idẽ passiuum & actiuum diuersa ratione.

Perpẽde.

Caiet. subtiliter redarguitur.

quæ in hac quæstione desiderantur, posteriùs enodabimus, & partim in argumentorum solutione adducentur, ad quæ suo iam ordine (vt receptui canamus) sic respõdeo. Ad primum dicendum, nullius esse efficatię, cùm actiua & passiua non sint eiusdem ordinis: passiuum enim perfectioris & altioris ordinis perfectius est actiuo imperfectioris: nil igitur vetat, quòd agere vnius ordinis imperfectius sit, quàm pati alterius: agens enim ad patiens, in quod agit, comparatur. Quare cùm vegetabilia in potentiam sensitiuam non agant actione propria ipsius vegetatiuæ potentiæ, inter tale agere atq; pati comparatio non cadit: maximè, quòd agere vegetatiuæ potẽtię corruptiuũ est, pati autem sensitiuę perfectiuum, quod multis ob id nominibus præstat, illud est salus (vt Arist. dicit tex. 57.) ob id perfectius est pati perfectiuè, quàm agere corruptiuè cum detrimento etiam ipsius agentis, quia repatitur. Ad secundum modò dicebatur, cùm declarabamus, sensum iudicare atq; sentire, cùm vitaliter ab ipsa specie à sensibili missa immutatur: nam quando sensus est in transmutari atque in ipso fieri transmutationis, patitur quidem: cùm autẽ est in transmutato esse, secundùm actũ primum & speciei susceptionem, iam aliquo modo agit, quatenus de sensibili per formã impressam iudicat: quod vltimis verbis huius cap. tex. 62. dicebat Arist. *Patitur igitur cùm est non simile: at passum cum sit simile, & est tale, quale est illud*; quare tunc iudicare & discernere potent, quanuis illud iudiciũ sensui communi fortasse debeatur, quod inferiùs declarabitur. Absurdum, quod hoc argumento infertur, cum tertio argumento soluetur. Ad quod dicitur, fuisse Auerrois sententiam tex. 58. & 59. quòd licet ad sensationem causandam solum ipsum sensibile concurrat; tamen ad producendas species sensibiles, quibus sensus fit actu sentiens, vltra sensum ipsum intelligentia concurrit vt principale agens ad speciem producendam: sensibile, verbi gratia, vt color, tanquam instrumentale, quam intelligentiam dixit orbis lunę esse, quę licet speciem sensibilem producat, eam tamen de potentia ad actum secundum non educit, sicut generans graue in actu primo ipsum reponit, atque ipsum se ad actum secundum deinde promouet. Cui subscribit Albertus 6. cap. 3. tractatus, quod cõfirmare contẽdit

Ad argumenta in principio.

Ad primum.

Ad. 2.

Ad. 3. Auerroes intelligẽtiã ponit separatã ad sentiẽdum.

Albert.

ex Arist. 2. de gene. animal. cap. 3. dicente in hæc verba: *Inest enim in semine omnium, quod facit, vt fœcunda sint semina, &c. vis, quæ non ignis, non enim talis facultas est, sed spiritus, qui in semine, spumosoq; corpore continetur: & natura, quæ in eo spiritu est, proportione respondet elemento stellarum*, quare quod illic ab spiritu, hic à generante dicit. Mihi tamen asserendum videtur, sensibilia, sine motore extrinseco particulari & appropiato, ad agendum perfecta esse: inuertunt enim Philosophiam, qui, cùm proprium est actiuum, ad commune confugiunt. Præterea Arist. hoc præsenti cap. (vt cætera taceamus) bis expressè asserit, sensibile actu tale esse, qualis sensus est in potentia (semel tex. 59. & iterum tex. 61.) non igitur ab aliquo intellectu fit sensibilis speciei depuratio, sed ab ipso obiecto suapte natura sensus immutatiuo, quando agens & passum in eodem ordine necessario sunt. Quare illa speciei depuratio & spiritalizatio (vt ita dixerim) per medium suapte natura fit, dum progreditur ab obiecto in potentiam: intelligentia igitur illa nõ erit de numero vniuersalium causarum, cùm singularis effectus propria & particularis causa inuestiganda sit (lib. 2. Phys. tex. 37. & 38.) neque erit de numero particularium agentiũ, cùm sufficiat ipsum sensibile. Adde etiam, quòd plures oporteret esse intelligentias, quàm illas, quæ sunt orbium motrices: ergo sensibile seipsum in medio atq; in sensu secundùm esse intentionale & sensibile generat: quoniam esse sensibile propria passio est eius, qui per se sentitur: in secundo enim modo dicẽdi per se (vt statim iuxta Arist. videbimus à capite sequenti) sensibile velut causa est sui esse sensibilis in ipsa specie, sicut subiectũ causa dicitur propriæ passionis. Idcirco superuacaneum est quærere aliud genus, quod talem vim sensibili conferat: perinde est ac si quæreretur, quid luci vim conferat, vt lucere valeat. Ad argumentum igitur respondeo, species sensibiles spiritales aliquo modo esse: quia sine materia multiplicantur (vt cap. 12. huius, & vt probabimus ibidẽ) indiuisibiles sunt, quòd non depurantur abstractione à materia, vt facit intellectus agens, nec per extrinsecum aliquem autorem, quem intelligentiam esse fingunt Venetus, Gandensis, Niphus, Auicennas, Alpharabius, Cõmentator Auerroes, sed ex natura sua sensibile suapte natura illam speciem producit, quæ non est adeò immaterialis neq; incorporea, vt corpoream latitudinem egrediatur. Color igitur per se visibilis est, neq; alterius generis adiutorio, vt videatur, eget: vt nec homo opus habet angelo aliquo ad videndum, sed sola primi motoris & causarum vniuersalium influentia: secus naturam rerum mutares aut inuerteres. Quare sicut ex actu & potentia vnum efficitur: quia seipsis talia sunt in genere causæ formalis, ita sensibile in actu mouens est sensitiui in potẽtia: quia talia sunt in genere causæ efficientis: ergo sicut quæstio, cur ex actu & potẽtia vnum fiat, vana est, sic etiam apud viros eruditos quæstio non admittitur, quare agens agat & patiens patiatur, nisi quia illud actu, hoc verò potentia est. Sed hinc argumentum propositum maiores retinere vires videtur: & quòd sensibile, quoniam agens est, nobilius esset sensu, qui patitur, quod est absurdum: & præterea quòd ageret ipsum sensibile vltra proprium actum atque perfectionem, quæ est suus modus atq; mensura agendi: in sua igitur vi idem perseuerat argumentum, quòd aliquid vltra propriã perfectionem ageret. Inuestiganda igitur est huius argumenti solutio: nam certum esse cuicunq; Philosopho debet, ad sentiendum haud opus esse separata aliqua intelligentia: præsertim cùm sensatio actio sit nõ multùm spiritalis: atq; ad proprios effectus agẽtia natura sua constituta sint atq; determinata: vnde quanuis corporeum & incorporeum non communicent in natura atque essentia, non est hoc commercium ad agendum necessarium, sed sufficit proportionis communicatio, qualis propriæ materiæ ad propriam formam est. Talis enim est proprij agentis ad proprium patiens, & talis est proportio inter formam agentem & sensum patientem, quòd sicut sensus spiritaliter & perfectiuè patitur, ita forma sensibilis spiritaliter & perfectiuè agit. Atq; adeò sensibile nobilius est sensu: quoniam agens præstat patiente, & ipso est honorabilius: siquidẽ non obstat, quòd vno genere ignobilius est altero esse præstantius: & species, licet sint sine materia, à sensibilibus tamen efficiuntur, sicut figura, à sigillo argenteo aut aureo, sine metallo in cera recipitur. Vnde ad altiorem ordinem migrare videtur: quanuis non deserat, quem habet in ipso sensibili, non sic nudè considerato (vt hîc

Sententia Autoris cõfirmatur ex iis, quæ habes lib. 3. de anima c. 2. vbi intellect⁹ agens potentia aie non substantia separata esse probatur.

Autor ad argu. 3.

Niphus, Auicennas, & alii.

Redintegratur vis argumẽti principalis, quòd sensibile nobili⁹ sit quàm sensus.

Autor legitimè argu. tertiũ diluit.

Sensibile nobilius sensu.

Autor cō tra Granatensem & Auerroem. hîc Granatensis asserit)sed vt naturam superiorem participat,non angelicam (vt cōminiscitur Commentator) sed quatenus color,verbi gratia,lucē, quæ qualitas est corporum superiorum,participat, lux autem qualitas est colores actuans: ideo propter ipsos amplius quàm propter medium requiritur(vt infrà cap.7.definio) qui sensus si à Commentatore intentus fuit, sana est eius doctrina: nam accidens substantiam non vi propria,sed ipsius substantię virtute attingit,vt superius de calore naturali dicebamus,qui,vt ignis est instrumētum, sine mensura agit, ab anima tamen moderatur atq; tēperatur: ita de aliis, vt de semine ad animalis productionem: præsertim quòd (vt dicit Arist.lib.1.de gene. tex. 54.) non sunt qualitates,quæ agunt,sed quibus agētia producunt: sensibile ergo speciem sui producit,quæ licet videatur habere perfectiorem & abstractiorem modum essendi, absolute tamen non est perfectior, aut alterius ordinis, sed in eodem ordine, & id, quod perfectius & ipsius sensibilis formalius est,propter communionem & participationem cum natura superiori sortitur:nō secus ac phantasma in nobis spiritalius & multò efficatius est, quàm in brutis, propter coniunctionem cum intellectu,vt lib. 3.huius cap.2.Ita in proposito vnumquodq; sensibilium,in mouendo sensum, aliquid de natura superiorum participat:nam esse intentionale & spiritale non est vna ratione in omnibus sensibilibus,neque medium habent secundùm vnam & eandem naturam affectum,& ipsorum esse in medio nō est vnius rationis,cùm spiritalius sit esse coloris quàm soni, & soni quàm odoris, &c. Præterea color cùm limitatur & restringitur in ipso sensibili, ita vt cum materia sit, in medio autē sola est forma sine materia: hoc ideo est,quòd sensus tantùm est susceptiuus speciei atq; formę sine materia:ideò sensibile eo modo sine materia actiuum quoq; est: licet igitur sensibile extrà habeat esse materiale, & sensus recipiat secundùm esse spiritale: tamen talis est proportio atq; habitudo inter agens & patiens,vt sicut sensus à sensibili pati, sic sensibile in sensum agere natum sit. Hoc autem prouenit ex eo, quòd vnaquæq; res duplex esse habere videtur,naturale scilicet, & extraneum,naturale quidem in materia, extraneum autē in medio,siue in anima:& quoniam anima primò diuersa est à materia, alter est receptionis modus animæ, & alter materiæ:materiæ quidem,vt omnia naturalia recipiat formæ,vt omnia secūdùm esse extraneum admittat: habet enim materia formam lapidis,& anima speciem lapidis: ergo si quælibet res duplex esse habet in anima & extra animam,fit,vt si materia in potentia est ad formam in esse naturali,anima etiam sit in potentia ad eandem in esse spiritali. Quapropter sicut agēs transmutans materiam in esse naturali in tali esse sibi patiens assimilat, ita sensibile mouens sensum in esse spiritali ipsum per se in tali esse assimilat,nullo extrinseco cōcurrente vt proprio motore,sed vt aliquid de natura superiori participat,id est,vt habet habitudinem & proportionem ad esse extraneum atq; ad ipsam animam:nā sensibile vt sic nonnil de immaterialitate participat, & ordo sensibilium eleuatur supra ordinem naturalium rerum. Ex quibus argumentum propositum solues,si quæ diximus, probè intellexeris. Vel dicito, quòd etsi potentia sensitiua in genere entis simpliciter est perfectior, quàm suum obiectum,verbi gratia,visus quàm color,tamen color in genere coloris & sensibilis perfectior est,quàm visus:quoniam visus est potentia,vt fiat color,ideo denudatur ab omni specie coloris,quam debet suscipere:color autem actu est color:cùm igitur videre nil aliud est, quàm colorem vitaliter recipere,fieri & esse: manifestum hac ratione est,obiectum sensibus præstare;sicut anima intellectiua simpliciter est corporalib[9] perfectior, tamen vt est in potentia ad illa, in alio genere illa sunt præstantiora: ob idq; agere possunt & ipsam mouere, & de potentia ad actum reducere. Quare ipsæ res materiales habent aliquid spiritalitatis, in quantum sunt in genere rerum cognoscibilium, sicut cognoscentia, in quantum talia,ad genus immaterialium pertinent: ita etiam cognoscibilia sunt fane in eodem ordine & gradu, vnde paulatim producunt species spiritaliores magis,vt migrēt à corporeo ad spiritale esse. Quæ si non intellexisti, in tuam gratiam germane lector non grauabor, à primo fundamento vniuersam hanc quæstionem iterum erigere, atque in sua principia resoluere. Scito,te vniuersum potentiam definiri per obiectū,vt cap.precedenti habes: obiectum autem prius est atq;

Obserua sensibiliū naturam.

Capacitas sensuū ex collatione ad materiā primā exposita.

Altera Autoris solutio formalior.

Nota.

Toti[9] quæstionis primum & potissimum firmamētum.

atq; perfectius ipsa potentia, quando ordo obiectorum est ordo formæ & actus, & potentiarum ordo, præsertim passiuarum, est ordo potentiæ & materiæ. Quam ob causam proportio obiecti ab potentiam est sicut proportio perfectionis ad perfectibile: siquidem potētia perficitur per obiectum: ideo sicut intelligibile perfectius est intellectu, formaliter loquendo, abstrahendo à materia substantiæ aut accidentis: quia intelligibile perficit intellectum, & in actum deducit (ex quo intulit Arist. 12. Met. tex. 51. quòd Deus non intelligit intelligibile extrà: quia nō habet vnde perficiatur, ideo est suum esse, intelligere atq; intelligibile) ita similiter considerando sensibile & sensum ex proprijs & his, quę sensibilibus atque sensibus per se primò competunt, sensibile, vt tale, perfectio est, sensus autē perfectibile: sensibile actus est, sensus verò potentia: præstat ergo multis nominibus sensibile sensu, qui à sensibili perficitur & actuatur: quod enim sensus est in potentia, id sensibile est in actu, in eo genere & modo, quo dudum exponebam, & infrà lib. 3. in doctrina cap. 1. & ad finem. 3. in disputatione de animæ immortalitate loco. 9. vnde sunt ista absoluenda. Ex quibus sequitur primò contra Gandensem & alios, quòd quanuis intellectu agente egeamus (quia intelligibilia, quæ vniuersalia sunt, munere intellectus agētis, cùm actu re nō sint, ab anima fieri debent) sensus tamen agens nō est ponendus: quia sensibilia actu sunt, & mouere per se sēsum ipsum valēt. Quod Arist. hoc cap. intēdebat, cùm tex. 60. dicit, *Actu nanq; sensus singularium est, scientia verò vniuersalium est: hæc autem in ipsa anima quodammodo sunt. Quapropter intelligere quidem cùm quispiam voluerit, in ipso est situm: sentire autem nō collocatum in ipso: necesse est enim, sensibile ipsum adesse*, & tex. 62. *ipsum autem sensitiuum potentia tale est, quale iam ipsum sensibile est in actu*, & tex. 59. *Prima quidem mutatio sensitiui ab eo, quod generat, fit.* Sequitur etiam, perperam dicere, qui sensibilia, vt suos sensus moueant, motore extrinseco egere dicunt, non tamen intelligentia, sed luce; quoniā lux non est conditio necessaria, nisi ad visum: ergo quanuis sit qualitas cęlestis ad videndum necessaria, tamen non potest vna & eadem illa causa esse vniuersalis per omnē omnium sensibilium sensationem. Neque sola illa instrumentum animæ est ad qualitatem spiritalem generandam in alijs omnibus sensibus: nam lumē actu visibiles solos colores reddit: motus localis aërem verberans, sonos educit, calidum exhalans, odores multiplicat: humor autem penetrans linguæ neruum gustatiuum, sapores facit: nam tactum tactiles qualitates seipsis mouent: est siquidem sensuum infimus & materialissimus. Primò ergo superabundabit sensus agens, cùm potētia sit gratia actus, ad quem destinatur natura sensus & sensibilis, quæ sola sufficit. Superfluus deinde erit motor extrinsecus, cùm illud, quod potentia suapte natura recipit, suopte quoq; genio sensibile ipsum producat, vt aliquā ex qualitatibus superioribus participat, vt visibile lucem, audibile motum, quæ qualitates sunt cęlestes, odorabile calorem, qui ipsius motus cęli primarius est affectus: gustabile & tactile: quia magis materialia sunt sensibilia, magis etiā materiales habēt qualitatum motiones, semper tamen à natura superior: mediatè vel immediatè participatas: accidens enim est instrumentum substantiæ, vt assumitur ab ipsa, vt calor, qui assumptus ab anima, vitam confert, phantasia in intellectum agit saltem ministerialiter illustrata ab agente intellectu: sic de sensibilibus. Maximè, quia ista in alio esse superiori considerantur, non secūdùm esse naturale, sed extraneum, spiritale & intentionale, quo modo sensibilia sunt præstantiora: verbi gratia, color est actu color (vt de se patet) visus est potentiâ color, quia denudatur à natura recepti in genere ergo coloris color visum assimilat, sonus auditū, & ita in alijs. Vnde tandem sequitur, sensibilium actionem vniuocam esse, si secundùm illud esse extraneum considerentur agere: æquiuocam tamen, si secundùm esse proprium, & naturale. Itaq; nil mea sententia refert, quod est actu, vnoq; genere perfectius, alio sit potentiâ & imperfectius & econtrario: sicut cor agit in membra, & diuersa ratione patitur (lib. 3. cap. & tex. 55.) ita sensibilia, quæ sensu sunt simpliciter inferiora, in genere sensibilis sunt actu & perfectiora.

Gandensis reprehenditur, & alij ponētes sensum agētem.

Reiicitur falsa quædam persuasio de motore sensibilibus extrinsecus assistente.

Notanda resolutio de obiectis sensibilibus per omnē sensum.

Nullum sensibile mouet sēsum, nisi participio cælesti.

Ad quartum iam dictū superiùs est, proximus, dum soluebam argumentum, quomodo sensatio actio sit, quomodo passio, quomodo autem operatio. Et prima eius cōfirmatio principio quæstionis soluta est. Secūda autem soluitur, si aduertamus, sensum,

Ad. 4.

Ad confirmationes.

sum, qui forma est in genere naturalium, potentiam esse in genere cognoscibilium. Hæc de quæstione ardua & abstrusa nimis à nobis sat dicta sint, cuius nodum si non soluimus, certè peritioribus viam, vt resoluatur, apertè ostendimus.

SVMMA CAPITIS.

Intentione proposita distinguendi sensibile & sensum, generalem conditionē omnium sensuum statuit. Deinde dubitationē soluit duplicem. Mox cōclusionem statuit primam. Vnde tacitā diluit obiectionem, atq; corolarium infert. Tum potentiam distinguit, differentiamq; potentiæ statuit, secundamq; ponit conclusionem cum appēdice. Tandem tertiam conclusionem, propositoq; applicat quę dixerat, & differētiis inter sensum & intellectum positis, breui epilogo rationem eorum, quę dixit, reddit.

Intentio. *His determinatis, primùm de omni sensu in cōmuni, mox de vnoquoq; disserendum.* *Cōditio sēsuum generalis.* *¶ Sensus fit, cùm mouetur atq; patitur sensitiuum: etenim sensus alteratio quædam esse videtur.* *Dubitatio gemina.* *¶ Habet autem hic locus dubitationem, cur sensus non seipsos sentiant? ¶ Rursus, quare sine externis sensibilibus sensatio non fit, cùm elementa, quæ per se sunt sensibilia, intra se habeant?* *Solutio. 1.* *¶ An quia sensitiuum potentia, & non actu est.* *Solutio. 2. dubitationis.* *¶ Quapropter non sentit, sicut combustibile per se non comburitur, sed igne, vt comburatur, indiget: nam si combustibile, passiuum cùm sit, combustiui rationem actu in se haberet, seipsum combureret.* *1. conclu.* *¶ Sentire bifariàm dicere cōsueuimus, similiter & sensum potentia quedam & actu.* *Obiectionis solutio.* *¶ His enim (pati, moueri, atq; operari quasi sint eadem, nobis vtendum est: quia motus imperfecti, sentire autem perfecti actus est.* *Corolariū* *¶ Idcirco patitur res omnis à dissimili: at cùm passa est, tunc similis est.* *Distinctio potētia.* *¶ Deinde potentia duplex: nam est homo sciēs, vt puer, qui suapte natura disciplinæ est susceptiuus, & ius aper sciēs dicetur, qui iam scientiæ possidet habitum. Et primum potentiæ genus materies appellatur: est enim essentialis, atq; remota potentia. Alterum verò formæ confertur: quia proxima est, & accidentalis potentia: propterea quòd nisi externum aliquod impedimento sit, cùm voluerit, contemplari poterit, vt actu sciens dicatur.* *Differentia.* *¶ Licet ambo sciētes dicantur, verùm primus alteratione indiget, siue per solius disciplinæ susceptionem, siue (vt nonnunquam contingit) per contrarii habitus aut dispositionis abiectionem. Secundus verò, scientiam cùm possideat, non alteratur: siquidem sola indiget operatione.* *2. conclusio.* *¶ At verò neq; pati simplex esse videtur, sed bifariàm contingit: vno modo, vt à contrario corruptio quædam fit: alio modo salus potius atq; perfectio eius, quod potentia est.* *Appendix.* *¶ Quocirca sciens cùm scit, non alteratur: quoniā eum considerat, quia sciens est, atq; actu contemplatur. doctrinam & scientiam comparare non oportet: solùm enim fit in actu perfectio: igitur ibi propriè pati non est, aut duos fateamur alterationis modos oportet.* *3. con.* *¶ Quæ cùm ita sint, sensitiui prima mutatio à generante est, vt ortum & genitum sensitiuum, cùm sensum habet, perinde est ac sciens: cùm autem sentit, sicut considerans est.* *1. differentia.* *¶ Differunt tamen: nam quæ actu sensum efficiunt, externa sunt sensibilia: quoniàm sensus singularium est, scientia verò vniuersalium, quæ in anima sunt.* *2. differentia.* *¶ Quapropter intelligere, cū voluerimus, in nostra situm est potestate, non tamen sentire: nam necesse est, sensibile ipsum adesse.* *Epilogus dictorum cū reditio ne rationis.* *¶ Cùm simplex igitur non sit potentia, erit quidem sensitiuum: aliud quidem vt puer, qui militare aliquādo poterit: aliud quidem vt iuuenis, qui ætate, militariq; arte aptus ad militandum euasit. In quorum differentiis pati atq; alterari, tanquam propria nomina vsurpamus: siquidem eorum differentiæ innominatæ sunt, & iuxta conditiones passionis & alterationis manifestantur: quandoquidem sensitiuum potentia tale est, quale ipsum sensibile in actu. Patitur igitur, cùm est non simile: at cùm passum euasit, simile est atq; tale, quale ipsum sensibile: quo satisfactum est ad dubitationem principio capitis propositam, atq; nostra mens exposita.*

CAPVT SEXTVM DE triplici sensibili.

AT enim de vnoquoq; sensu deinceps à sensibilibus cuiusq; proficiscentes dicamus, oportet. *Tex. 63.* Atq; prius ipsa sensibilia distinguenda esse videntur. Sensibile itaq; trifariàm dicitur. Sensibilium enim quædam per se, quædam per accidens sentiuntur. Et illorum rursus alia sunt vniuscuiusque propria sensus, alia communia

cun-

cunctis. Atq; proprium id sensibile dico, quod alio sensu sentiri nō potest, & circa quod error fieri nequit, vt color respectu visus, & sonus auditus, & sapor gustus. Tactus autem plures differentias habet quidem, iudicat tamen de illis vt cæterorum sensuū quisq; de suo sensibili, & nō decipitur. Visus enim non errat esse colorem, aut auditus esse sonum: sed quid sit id, quod est infectum colore, vel vbi, aut quid sit id, quod sonat, aut vbi: huiuscemodi enim sensibilia dicūtur vniuscuiusq; propria sensus.

Arist. propositū & ratio ordinis exponitur.

Priuatim de vnoquoq; sensu in particulari disputationē aggreditur: determinaturus ergo Arist. de sensibiliū actione in sensus ipsos, inchoatam in proximo capite determinationem præsenti complere atq; perficere instituit: est enim obiectum secūdùm rationem potentia prius. Idcirco vt rationē sensuum sumat, sensibile secundùm proprium & commune distinguit, vt distributo sensibili, expeditiùs doctrina sensuū enucleetur: atq; priùs de actu, siquidem sensibile ipsum per se per actionē, quam ipsum sensibile in potentiam sensitiuam exercet, definiendum est: quod ratio methodi exposcit, ne ab incertis procedat. Itaq; sensibile bifariàm, primò in per se, & per accidens partitur: atq; id, quod per se sensibile est, mox in proprium atq; commune secat. Definit autem Arist. membra harum diuisionum ibi, *Atq; propriū id sensibile dico, &c.* Quas vt intelligamus, aduertere oportet, id sensibile per se appellari, ad quod natura sensus accommodatur: tunc autem accommodantur, cùm ab ipso sensibili sensus patitur, atq; aliquid suscipit ad functionē perficiendam, vt color, magnitudo, & id genus alia: assumit autem sibi notionem sensibilis per se ex cap. 5. præcedenti: nimirū, quod sensum mouet, & in actum deducit. Per accidens ergo sensibile est, à quo sensus formam non recipit, sed per alienam speciem

Quid sensibil.

Per se & per accidens.

deprehendit, vt cùm Sortem, hominem, & substantiam: cum ipsis accidentium formis sensus rimatur. Quibus positis, expeditiùs ad proprij & communis sensibilis definitiones interpretandas accedemus: in sensibilis proprij definitione duas eius prærogatiuas atq; proprias conditiones insinuat, quibus sensibilis proprij ratio absoluitur. Prior est, quòd non contingit ab alio sensu sentiri, quod de exteriori intelligēdum est, veluti color ab oculo tantùm, sonus ab auditu, odor ab odoratu, sapor à gustu, tactiles qualitates à tactu percipiuntur. Posterior autem, circa quod non contingit errare, sicuti auditus in sonorum perfectione non decipitur: siquidem sonos percipit, & nil apprehendere potest, quod non participet rationem soni: ita oculus se habet ad colores, & reliqui sensus ad propria sensibilia, qui circa communia sensibilia nonnunquam decipiuntur. Illis tamen verbis, *Tactus autem plures differentias, &c.* inquit, eandem esse tactus & cæterorum sensuum rationem, qui, licet plures rerum differentias percipiat (quæ vtrum ad vnum commune genus reduci debeant, infrà capite de tactu declarabitur) de illis tamen citra deceptionem eodem modo iudicat: sicut alij sensus omnes de proprijs obiectis, quæ vnā duntaxat rationem habere videntur: ob id vnū esse tactum definiemus, etiā in specie specialissima: vide cap. 11.

Sensibilis proprij conditiones.

DVBIVM

De diuiso huius trimembris diuisionis in sensibile commune, proprium & per accidens.

Duæ tamē sunt in hoc textu dubitatiunculæ, prior de natura diuisionis, posterior de explicatione posterioris particulę in definitione proprij sensibilis positæ: nam in diuisione dubium est, si diuisum absolutè & communiter sumatur, vt id, quod à sensibus exterioribus & interioribus percipitur, diuidatur, cùm substantia nullatenus à sensibus externis, sed nec ab internis, sed à solo intellectu percipitur. Cùm tamen Arist. de sensili non absolutè, sed duntaxat in ordine ad exteriores sensus consideret (quod mihi vero simile fit) ita vt sensibile

Diuisum est sensibile absolutè & in

absolutè

communi sumptum formaliter in ordine ad externos sensus.

absolutè in ordine ad exteriores sensus dividatur: hoc autem probat iam nunc posita ratio. Deinde quòd Arist. in sensibus externis duntaxat exempla posuit, & commune proprium sensibile non nisi in sensibus exterioribus intelligi possunt: secus nullum exterius sensibile esset proprium, siquidem omne exterius sensibile sentitur à sensu communi, & quidem per se sentitur. Argumentum autem in oppositum tex. 65. soluetur, vbi dicemus, quonã modo sensibile per accidens sentiatur, nempe quoniam accidit alicui sensibili per se, & non quia sentiatur à sensu communi vel à cogitatiua, vt cùm insensatas species è sensatis elicimus, species insensatæ, quæ per accidens cadunt sub sensum externum, per se ipsius cogitatiuæ sunt obiecta: ergo Aristoteles non restrinxit sensibile per accidens ad id, quod cogitatiua percipitur, sed solùm quia accidit sensibili extrinseco, & insuper ipsi potentiæ & virtuti sensitiuę accidit, quòd illud cognoscat.

DVBITATIO

Vtrum sensus circa proprium sensibile decipiatur?

Aliud autem, quod proposui, dubitationem habere videtur, cùm sensuum iudicia falsa esse contingat, vt visus in iridis coloribus decipiatur, atque in colorum varietate, qui in collo columbæ repræsentantur. Verum Arist. id nõ negat, cùm expressè in textu asserat, visum in coloribus visione non decipi, nec auditum circa sonos, &c. benè tamen circa subiectum coloris atq; locũ, &c. quæ non sunt ipsius sensus propria, & adęquata obiecta: vnde si circa album & nigrum decipitur, albus aut niger color non sunt propria & adęquata visus obiecta. Similiter sonus proprium est atq; adęquatũ obiectum auditus, & non grauis vel acutus: ergo non solùm circa vbi atq; circa subiectum, quod colore infectum est, sensum decipi contingit, sed etiam circa sensibilis proprij partes subiectiuas: quia etsi visus videre nequeat nisi colorem, falli tamẽ poterit, si color iste alb[9] sit, aut niger, rubeus, aut fuscus, &c. Tametsi circa hæc per se atque ex natura sua non fallitur, nisi fortasse per accidens, atq; apposito aliquo impedimẽto. Vnde (vt expressit Themistius Alexandri abreuiator) seruatis atque appositis tribus conditionibus, sensus, vt non decipitur circa proprium & adęquatum obiectũ, (vt visus circa colorem) ita nec circa proprium, sed inadęquatum obiectum (vt visus circa albedinem) sensus enim verè iudicat simpliciter. 3. Top. cap. 2. iudicare genus, & ipsum sentire: quia verò distinguit, & quandoq; peruersè: incidunt tamen aliquando causæ, ex quibus sensus nõ solùm circa communia, sed circa sensibilia propria decipiatur.

Solutio, quod sensus adhibitis trib[9] limitib[9] nõ decipitur.

Et prima sit, vt organum incolume sit, syncerum, minimèq; læsum, aut aliquo perturbatum defectu. 1.
Deinde, medium serenum sit, atque dispositum, quod omni offensione vacet, atque tumultu. 2.
Postremò, quòd mediocris sit, atq; temperata distantia: non enim ex omni spatio sensilia sentiri valent. 3.
Profectò physicæ omnes sententiæ de his rebus omnibus sunt intelligendæ, quæ optimè iuxta suam naturam sese habent: ergo cùm dicit Arist. sensum rectè iudicare sine errore de proprijs sensibilibus, de sensu intelligatur oportet, qui est incolumis, nulloq; vel organi, vel interualli, vel situs impedimento cohibitus, secus non rectè iudicabit. Neq; oportet attẽtionem addere; quoniã virtus sensifica distracta, quę sunt ante oculos, nõ sentit: ergo (vt dicitur) ista non est quarta cõditio, cùm sensus aduertentia in illa Themistij prima conditione contineatur: quandoquidẽ perturbatur sensus in illa sua distractione; teuocato ad altiora sensu communi, atq; spiritibus ad inferiora conuersis: item quia motus maiores minores quidem impediunt: quare nullo modo circa proprium sensibile decipietur. Certò igitur statuũt, de suisq; decernunt obiectis proprijs: quia est naturalis propensio in propria & adęquata obiecta, & præter propensionem natiuã quædam est consensionam febricitans, qui omnia amara iudicat, non in amaritudine, sed in eius subiecto fallitur, quæ cùm in saliua sit, in ipso cibo atq; sapore ob organi infectionem apparet: similiter qui iudicat arbores in littore moueri, non fallitur in colore; qui proprium est obiectum, sed in motu & vbi, quæ communia sunt. Quorum omnium vna pulchra est atque adnotanda ratio, vbi quam necessariò in propriorum sensibiliũ iudicio sensus minimè decipiantur: eadẽq; causa & ratio vna manifestat, vnde contingat in communium sensibiliũ perceptione exci-

4. cõditio de aduertetia, quæ non est necessaria, quia in prima cõtinetur.

Ratio optima ex collatione sensitiuæ & intellectiuæ facultatis.

externos sensus falli, nempe quòd propria sensibilia in ordine ad sensum sunt veluti prima principia in ordine ad intellectum, quæ cùm ianua sint atq; introitus ad scientiã, circa illa certissimus est intellectus, nec decipitur: aliàs in illis, veluti sciētiarum seminibus à Deo datis, deciperemur: ergo nō est vitium, mendaciúmve, quia peccatum in fundamento naturæ esset. Quapropter in sensibilibus proprijs certum est sensuum iudicium, vtpote quod de primis atq; proprissimis fundamētis sit, in quibus si hallucinari contingeret, in fontibus atque principijs esset peccatū (vt Arist. cap. 18. 1. post. & cap. 7. 1. Eth. ad Nicho.) vnde necessum esset fateri, sensificam facultatem propriam nunquam adipisci perfectionem, sed naturam ipsam mendacem esse atq; fallacē. At sensilia ipsa communia ab hac proprietate degenerant & declinant (vtpote quæ sentiri est impossibile, nisi sensibilib⁹ proprijs affecta atq; delibuta, sensificæ facultati offerantur) ergo vt intellectus certissimus de principijs, in conclusionibus sæpe errat, sic sanè sensus in principiorum notione atque in propriorum sensibiliū discretione minimè fallitur, cùm in cōmunib⁹ eum experiamur hallucinari: quia (cap. præcedēti à tex. 59. vsq; ad finem capitis) sensibile generat, & assimilat sensum sibi: ergo nō decipitur. Rursum sensibile & sensus relata sunt, sicut scibile & scientia. 5. Met. quia sicut potentia ad actū & perfectionem tota naturaliter dirigitur, ita sensibile in sensum agit, ipse autē sensus patitur: ex alterius ergo ratione alterum est explicandum, ergo sensus non decipitur: aliàs cùm omnis philosophica disputatio in omni scientifica doctrina magnum momētum sumat ex his, quæ per sensus explorat & accidentibus inuestigat (2. Post. cap. vltimo & lib. 1. de Anima tex. 11.) oportuit ergo naturā sensuum ita instutui, vt certis & nunquam fallentibus initijs deducat atq; confirmet: aliàs quæ esset in scientijs firmitas? sanè nulla, nulláq; cōstantia, si scientiæ omnes initijs & fundamentis fallibilibus & mendacibus innitrentur. Meritò igitur nostra disputatione priùs cōstituentur certa & vera principia, ne incidāt & surrepant aliqua, quæ nos decipere, & à vero deflectere valeant, aut aliqua ratione perturbent. Præterea, nulla potentia fertur nisi in rem, quæ sui obiecti rationē participat: secus obiecti cōditionem, à quo speciem ipsa trahit potentia, egrederetur, atq; extra obiectorum propriorū rationes sensus diuagari contingeret, hoc est, rem sub alia, quàm sui obiecti ratione, percipere: quod quidem experimētum negat, & ratio ipsa vetat: nil siquidem potētia potest, nisi sub ratione sui obiecti, ad quod essentialem (vt diximus) ordinē habet, à quo etiam speciem nanciscitur, extra quod non se diffundit, & sub ipso nil comprehendit, nisi ratione ipsius: quare sicut intellectus in esse non fallitur, sed in eius compositione (lib. 3. huius tex. 26.) sic sanè sensus ad eundem modum sese habere videtur. Ex quibus & dubitatio exposita est, & argumenta soluta. Missam prudens facio discussionem, si in sensu sit veritas aut falsitas? quia cùm non sit compositio aut diuisio, non est veritas compositionis aut diuisionis, est tamē veritas simplex, id est, naturalis quędā conformitas ad rem, hoc est, ipsum sensile, dū monet sensum, ipsum afficit, atq; actuat, quem sibi conformat.

Cōmunia verò sunt hæc, motus, quies, numerus, figura, & magnitudo: talia nāq; nullius sunt propria sensus, sed omnibus cōmunia sunt. Etenim tactu motus quidā sensibilis est, atq; visu: per se igitur sensibilia hæc sunt. *Tex. 64.*

Communia recenset Arist. sensibilia, quę breui quadam enumeratione numero quinario comprehendi docet, sunt videlicet, motus, quies, numerus, figura, magnitudo: nam cùm proprium sensibile duabus (vt retulimus) conditionibus absoluatur, earundem negatione commune constituitur, vt communia illa sensilia cēseantur, quæ cùm nullius solius sensus propriæ sint, in eorum discretione atque iudicio errare contingit. Sed dices iuxta doctrinam Halancis, & Vitellionis, Alchindi, reliquorúmq; Perspectiuorū, plura sunt quàm prędicta quinq; cōmunia sensibilia, videlicet distātia, situs, corporeitas, cōtinuitas, discretio, asperitas, lenitas, raritas, diaphanitas, densitas, spissitudo, soliditas, pulchritudo, turpitudo, similitudo, dissimilitudo, & nonnulla alia, quæ sub his continentur, vt sub figura, rectitudo & curuitas: sub numero, multitudo & paucitas.

Sensibilia cōmunia quinq;.

Obiectio, quòd non tantū sint quinq; sensibilia cōmunia.

tas:sub similitudine,æqualitas:sub dissimilitudine,excessus & id genus plura,quorum quædam Arist.hoc.2.lib.cap.13.vel (iuxta aliorum diuisionem & partitionem illorũ librorum) cap.13.libri ponit? Dicendum, velle Arist. sensibilia communia,quæ præcipua sunt,connumerare, in quibus principaliter sensibilia propria fundantur, ad quæ cætera,vt ad quinq; communia capita,reducuntur, quorum vnum in aliud reduci non potest, cum Perspectiui singulas sensilium differentias expendant,quod ex radiorum reflexione atque refractione,rectitudine aut curuitate diuersorũ aspectuũ causam reddant:quod ad nos minimè spectat, qui sensilia communia,quatenus suis certis & præfinitis rationibus sensum mouent, contemplamur. Asperum igitur & lene ad figuram, rectitudo & curuitas ad magnitudinem,distantia, situs,similitudo, dissimilitudo,æqualitas & inæqualitas,aut sunt relationes, quæ ideo non sentiuntur, nisi ministerio sensuum exteriorum, fortassè à potentia superiori:aut si materialiter considerentur,ad figuram sunt reducenda: sunt enim isthæc omnia figuræ quædam, vt rarum & densum, de quibus Aristot. in quarta specie qualitatis. Quæ si notaueris, & calumniam in Arist.declinabis, & controuersiam cum Perspectiuis definies, videlicet, quòd quinq; sunt sensilium omniũ capita,quorum nullum in aliud reducitur, & omnia reuocantur ad ipsa: quòd autem quinq; tantùm sint,si non vt res,sed vt sensibilia sub ratione formali considerentur.

Solutio, quod omnia sensibilia communia ad quinq; capita reducuntur.

Nota concordiam.

Sufficientia sensibilium communium.

Sic colligitur,omne,quod proprium sensibile censetur,aut obijcitur sensui vt vnũ,aut vt plura: si vt plura, numerus est:si vt vnũ, magnitudo,quo enim magnitudo est,continua est atque vna, hæc autem moueatur aut quiescat est necesse: quorum vnum si admittas,motus sumitur: si alterum,quies intelligitur: cùm autem omnis magnitudo sensibilis sit,atq; (vt.3.de Physica Auscul. probatum est,atq; vt.1.de Cælo demõstrauimus) necessariò sit finita,colligitur aliud commune sensibile, quod est figura. Quorum tria priora (vt ordinem collocationis eorum attendas) motus scilicet,quies atq; numerus sensationẽ ad minus cõfusa (teste Themistio) ab omnibus sensibus sentiuntur,non tamen distincta(autore Auerroe) magnitudo tamen atq; figura distinctius à visu & tactu percipiuntur.

DVBIVM

Sitne tempus sensibile commune?

Sed de tempore dubitatio est,quod (vt dicitur. 4.Physico.tex.98.) sub sensum cadit:est siquidẽ sensibile & non per accidẽs, erit igitur per se atq; commune, cùm proprium non sit? Et præterea dubium erit,ad quod illorum quinq;,quæ proximo textu posuimus,tempus reducatur? Dicendũ,sensibile esse per se,commune tamẽ,quod sub motu cõprehenditur:quando enim motus nõ percipitur,neq; sentitur tẽpus (vt.11.c.4.lib.Physi.docet Arist.) vnde dormientibus nihil esse tẽporis transactũ videtur:febricitantibus autem apparet,quoniam animũm in tẽpore patiuntur,vt eodẽ.4.Phys. tex.potissimùm.113.nam in alijs textibus eiusdem cap.idem docetur. Sed tũc fortior erit redargutio,quòd sicut tempus à motu non seiungitur,ita nec figura à magnitudine,cùm idem sit.finita magnitudo & figurata magnitudo, atq; adeò non duo erunt sensibilia? Dicendum,magnitudinem atq; figuram diuersorum generum esse,cùm figura qualitas sit tertiæ speciei, magnitudo autem in genere quantitatis est, motus tamen & tẽpus non sunt prorsus extra quantitatem,neq; propriè motus in aliquo prædicamento est, aut quantitas est. Obijciet quispiam,tenebras non sentiri, quoniã nil sunt nisi quædam lucis priuatio: ergo neq; quies sentietur,vtpote quæ motus sit carẽrentia? Dicendum,Aristotelem quietẽ non vsurpare formaliter,vt à re quiescente abstrahit,& nudam atq; puram priuationem dicit, sed quatenus ipsa quies habet in se quiescentem suæ sensibilitatis causam; colorem scilicet, aut stantem odorem, &c. quod tenebra ipsa non dicit, vt quæ simplex quædam sit & nuda priuatio: quies sanè in positiuo fundatur. Præterea, vt tenebra priuatio est,ad visibile proprium reducitur:nam vt tex.71.Arist.dicit, lucis atque tenebræ visus est: ita etiam quies,qua pura priuatio, sub motu est & ad motũ reducitur, non tamen quatenus materialiter cõsiderata,causam suæ quietis innoluit: meritò igitur distinctum ponitur sensibile. Illud tamen,quod hic dicit Caietanus,non intelligo,quòd sentire visu in plus est quàm videre,& sentire tactu in plus est quàm tangere.

De figura & magnitudine.

Obiectio de priuationũ cognitione. Solutio.

Vide de cognitione priuationum infrà tex. 71. & 103. & lib.3. c. 3.tex.25 & .26.

Caietanus. gere. Nam rogo, qui potest fieri, vt visus actionem habeat intentionalem, quæ non sit visio? aut sensatio esset in genere & in nulla specie, quod ratio ipsa vetat. Vnde controuersia, quæ hîc inter viros grauissimos versatur, sitne verum, quòd sensibile commune ab omnibus sensibus percipiatur? facilè componitur: nam Commentator exponit, omnib⁹, id est, pluribus: Simplicius verò magnitudinem & figuram visui atq; tactui obijci dicit, non tamen cæteris. Quibus subscribit Philoponus, qui dicit, cæteros sensus hæc non nisi metaphoricè percipere: præsertim cùm soni magnitudo cum corporis aut figuræ magnitudine non proportionetur: similiter & odor, quando horum sensuum magnitudo non in mole, sed in qualitate est: gustus autem, qui quidam tactus est, magnitudinem percipit: quia saporem non gustat, nisi mole terminatum. Dicerem tamen, vt paulò superiùs dixi, esse differentiam in cognosci confusè & distinctè: & præterea quia experimur, magnitudinem omniũ sensuum esse, quando omnis sensus finitorum est atq; quantorum, ergo figuratorum. Quare quod ab illis doctissimis viris contenditur, verum est: quoniam non est eadẽ magnitudo omnium sensuum, aut non exactè atque perfectè, sed exiliter atq; confusè. Et quod opponebat Philoponus de metaphorica magnitudine, nil profectò colligit, cùm licet in sono atq; odore magnitudo potiùs metaphorica sit, ex illa tamen sensus conijcit, quanta sit sonabilis atq; odorabilis magnitudo. In quo sensilium propriorum & communium discrimine voluit Aristot. vt profundissimus Philosophus docere nos, essentialem esse differentiam, quòd propria ab vno sensu sentiantur, eò quòd eius speciem constituunt: communia verò ab omnibus attinguntur, eò quòd ab illis nullus sensuum exteriorũ speciem trahit, aut differentiam sumit. Quocirca rectè figura à magnitudine distinguitur, cùm sit diuersorum prædicamentorum: figura enim qualitas est tertię speciei, magnitudo verò quãtitas, motus etiam & tempus nõ sunt extra quantitatem.

Num sensibile cõmune ab omnibus sensib⁹ exterioribus sentiatur?

Tex. 65. Per accidens autem sensibile dicitur, vt si album Diaris filius sit: per accidens enim hoc sentit, quia albo, quod sentitur, id accidit. Quapropter & nihil ipse sensus ab huiuscemodi sensibilibus patitur, vt talia sunt. Eorum autẽ, quę per se sentiuntur, illa sunt propriè sensibilia, quæ propria sunt, & ad quæ substantia vniuscuiusq; sensus est apta.

Definit Aristot. sensibile per accidens, ad quod duo requirũtur, Primum, q̃ sensibili per se accidat, Secundum, quòd non statim apprehendatur, sensibili per se apprehenso. Exemplum Aristotelis est de albo, quod per se sentitur: inde autem quasi per accidens, quòd sit Diaris filius, aut quòd hoc nigrum illex sit, carbo, aut Aethiops: nõ enim est de essentia coloris, vt visibilis est, quòd sit in lapide, vel in ligno, &c. quoniam licet ei non accidat inesse, accidit tamen huic vel illi inesse: non enim potest sine subiecto immutare, benè tamen potest sine hoc vel illo subiecto. Quod benè vt declaremus, dicendum, interesse inter sensibile propriũ, commune, & per accidens: nam cùm agẽs passionem cuilibet patienti minimè inferat, sed solùm proprio patienti atque disposito, fit, vt cùm sentire in quodam pati consistat, sensus ab ipso sensibili per se alterationem atque sensationem suscipere: quod bifariàm contingere dicimus: & quia per propriam speciem sensum immutat, vt sensibile proprium: & insuper quia per se ad immutationem ipsius sensus facit, vel ad modum immutationis, vt commune sensibile. Quicquid enim passionem sensui infert, aut speciem aut speciei modum inferat est necesse: neutrũ horũ sensibile per accidens per se facit, cùm de se sentientem lateret, & nullo modo per sensum exteriorem apprehẽderetur, nisi accideret, aliquod sensibile per se ibidem adesse, vel vim aliã cognitiuam interiorem, qualis est æstimatiua, cogitatiua, aut veriùs intellectiua. De sensu igitur exẽplo sit dulce, quod per accidẽs sentitur à visu in lacte & melle: de ęstimatiua, vt ouis, cùm hoc coloratum, lupũ scilicet videt, ex colore & figura inimicitię elicit intentionẽ: de cogitatiua, vt viso colorato, quod sit Diaris filius, ex collectione proprietatũ percipim⁹: de intellectu tandẽ, vt

Requisita ad sensibile per accidens.

Nota differentiam inter illa sensibilia.

vt cùm quidpiã à seipso moueri videmus, mente assequimur, vitam habere, & substãtiam ipsam penetramus, quam nullo sensuum assequimur: ergo cùm sensibilia per se ea sint, à quibus aliquam patitur sensus impressionem, per accidens illud erit, quod nullam passionem infert: nimirum vt substantia, quæ alterius prouinciæ atq; districti cùm sit, ad intellectum potiùs pertinet, quàm ad sensum. Insuper vniuersalia neq; per se, neque per accidens sentiuntur, cùm rebus secundùm se non accidant, neque actu sint, sed tantùm in ratione sunt secùdùm potentiam obiectiuam, quę ideo lõgo rationis & attentissimo discursu apprehenduntur. Vt sit aliquod sensibile per accidens, censendum oportet, vt continuò viso sensibili per se, facilè apprehẽdi possit. Neque obstat, substãtiam esse id, quod agit, & non accidens, cùm hic non de agentibus, Quod, sed de ratione agendi, Quo, disceptetur: ignis enim, cùm calefacit, non semper ignem ponit, neq; semper sui speciem imprimit: cùm tamen sensibilia per se sui speciem aut modum speciei conferant, &c.

QVAESTIO

Cur dicantur & sint sensibilia communia per se, hoc est, an quidpiam imprimant in sensum?

Acris hæc controuersia est, atq; dubitandi occasio est manifesta. Primò, nam si magnitudo, verbi gratia, expoliata & exuta omnibus alijs qualitatibus nõ sentitur, neq; propriam imprimit speciem: erit ergo per accidẽs sensibilis? Deinde, si imprimere speciem propriam dicas, iam igitur visus (gratia exempli, ita enim dices de alijs sensibus atq; sensibilibus) colorẽ percipiet propria ipsius coloris specie, magnitudinem verò alia specie: pluribus ergo distinctisq; visionib⁹ sentirentur: neq; fieri posset, vt quispiã parietẽ è regione atq; prospectu meo existentẽ vnica visione perciperet? Adde iuxta Arist. definitionẽ, si Diaris filius per accidẽs sentitur, quia accidit albo, ita magnitudo & cetera cõmunia sensibilia accidũt proprijs sensibilibus: nõ igitur sunt sensibilia per se, sed per accidens: cõueniunt enim sensibilia communia & per accidens in hoc, quod neutra sentiri possunt nisi mediantibus proprijs sensibilibus? Tandẽ, quia cùm sensibilia cõmunia & propria nõ ex ęquo per se sentiãtur, necessum est, vt alterũ per se primò, alterum per se secũdò sentiatur: sed sensibilia cõmunia non dicentur per se secundò sentiri, quia egent proprijs vt sentiantur: tum, quia etiã propria absq; cõmunibus sentiri nõ possũt (nullũ sentitur sensibile propriũ nisi cõmuni modificatũ) tum etiã, quia sensibile cõmune non esset per se sensibile in secũdo modo per se: nã cùm forma superaddita indigeat vt sentiatur, in se suę sensibilitatis sufficientẽ causam non cõtinet? In oppositum tamen est Arist. præsenti cap. atq; vniuersa Doctorum schola, quæ ista sensibilia per se esse docet. In hac igitur contentione & pulcherrima lite tot sententias reperio, quot capita: non enim est vnus & certus dicẽdi modus, nimirum quod in principijs erretur, quorum vel minimus error vniuersam solet labefactare disciplinã. In primis refert S. Tho. quendã tacito nomine (quod in Appollinario legisse mihi contigit, quãuis antiquiorem citet ille aliquẽ Doctorẽ) asserẽtem, sensibilia communia esse quidẽ per se, nõ respectu exterioris sensus, sed potiùs respectu sensus cõmunis interioris: delusus fortasse nominum accommodatione, vt sicuti sensilia propria ad proprios sensus, ita communia ad communem sensum referantur: itaq; respectu sensus communis sensibilia sunt per se. Tamen hæc positio cum Arist. pugnat, qui (vt diximus) sensibile pręsenti loco respectu sensus exterioris sumit, & tex. 64. de tactu atq; visu exemplum ponit. Quid? quòd sensibilia externa sensus interioris obiecta esse nequeunt: nã, licet sensus communis iudex arbiter sit operationũ & functionũ ipsorum exteriorũ sensuum, immediatè nõ aduertit sẽsilia externa, neq; in ipsa fertur, sed in sensuũ operationes. Et præterea, quia sensibilia cõmunia nõ priùs sensum cõmunem, quàm sensum particulam immutare valent: ob idq; cõmunis ille sensus, qui inter sensus exteriores creatus est à Deo atq; constitutus iudex, non priùs aliquid sibi arripit diiudicãdũ, quin sit antè per sensus exterioris apprehensionem subministratum: quoniã ipsius cõmunis sensus obiectũ sunt sensiones exteriorũ sẽsuum: quã de re inferiùs tractatu de sensu cõmuni dilucidiùs disputabitur. Gandensis & Buridanus sentiunt, speciem esse diuersam proprij & communis sensibilis, quod falsum esse

Margin notes: 1. argu. — 2. argu. — Conf. — 3. argu. — Prima opinio impugnatur. — 2. opinio Gãdẽsis, et Burida ni reiicitur.

esse inde apparet: quia tunc res vna multis visionibus videretur: mox sensibile commune sine proprio sentiri posset, quod à seculo non est auditum, cùm (vt paulò superiùs probabamus) nil possit potentia percipere, nisi sub speciali sui obiecti ratione. Auicennas.6.natural.cap.de tactu, proprij & communis sensibilis vnam speciem esse dicit, tamen visiones & sensationes plures. Quod tamen figmento persimile esse videtur: nam si vna est species, quare multiplicantur sensationes? aut vice versa, si sensationes distinguuntur, quare species plures non sunt? præsertim cùm proximo cap. docuerimus, speciem sensibilē atq; sensationem esse, non sit duo entia esse, vt dent duo esse, sed concipere oportet velut vnā eandemq; rem, vt formam atque esse eiusdem, & nihil aliud videre est, quā ipsum esse speciei sensibilis in sensu formaliter existētis, mouentis & immutātis. Volo dicere, quòd fieri nequit, vt specie existente vna, duę sint sensationes, aut si duæ illę sint, possibile nō est, quin etiam duæ species sint. Iandunus diuersa ratione idipsum tractauit cùm asseruit, sensibile proprium non esse formale principium, quo sensibile commune sentiatur, sed esse dispositiones ad speciem sensibilis communis recipiendam, ita quòd neq; sit causa effectiua, neque formalis (cōtra Arist. & ipsam Philosophiam) sed duntaxat (vt ipse sibi fingit) causa sit dispositiua. Quicquid tamen isti delirent, aliter à nobis cum Philosopho asserendum: nam pondus & quęstionis momentum est, nunquid sensilia communia speciem influant ab ea, quam propria sensibilia producūt, distinctam? In primis imprimere quid supponimus, cùm hoc à sensibilibus per accidens iuxta Arist. separentur, vt ex ratione sensibilis per se patet, à quo sensus ipse per se patitur: & deinde cùm (vt argumentis & impugnationibus aliorum constat) non liceat asserere, diuersas esse species, supereſt, vnam atque eandem speciem influant, quę tamen modificatur & temperatur à communi: est enim sensibile propriū, quod mouet ipsum sensum, sed non nisi à communi determinatum, hoc est, iuxta distributionē positam sensibilium per se, nullum sēsibile proprium sensum afficit, nisi determinatū & modificatum per vnum ex illis quinq; communib⁹, videlicet, vt sensibile nisi motum ratione motus, aut quiescens ratione quietis, aut iteratum ratione numeri, aut solidum & corpulentū ratione magnitudinis, aut circunscriptū ob figuram: nisi enim his modis afficiantur, sensibilia propria minimè sentientur: ideo sensibilia propria sine cōmunibus non mouent, nec cōmunia nisi cum proprijs coniūcta: atq; simul sentiuntur. Quod facilè probabitur ex eo, quòd ad negationē & remotionem sensibilis per se solùm sufficiat, ꝙ ab ipso sensus nihil omnino patiatur: atq; adeo ad constitutionem & affirmationem sensibilis per se exigitur, quòd ab ipso sensus aliquid patiatur: siquidem in quodā pati sensus cōsistere videtur: & tex.65. Arist. illa sola ratione aliquid sensibile per accidens docet esse, ꝙ ab ipso sensus externus nil omnino patiatur: per se autem sensibilis ratio cōsistit in actiua immutatione ipsius sensus, sicut sensus in passiua receptione passionis & impressionis ab ipso sensibili illatę. Quare non tātùm naturā, sed propriam etiam vocem sensibilis per se ignorant ij, qui cùm sensibilia cōmunia de numero eorū, quæ sunt per se, dicant, nihil tamen sensibus imprimere censeant: manifestā enim inuoluit repugnantiā: nam cùm ordo sensibilis ad sensum actionis sit, sicut sensus ad sensibile habitudo est passionis, efficitur, vt quod est per se sēsibile, in se necessariò suæ sensationis causam includat: est enim per se idem, quod necessarium: per se igitur sensibile necessariò erit alicui⁹ in ipsum sensum impressiuum, intentionis scilicet, aut modificationis: nam non solùm ipsius sensus immutatiuum est id, quod formam aliquam influit aut immutat, verumetiam illud, quod per se ad modificandam illam speciem concurrit: sensus ergo à sensibili transmutatur in sensibilis naturam. Hoc enim est quod tex.65. Arist. dicebat, *Ad quæ substantia vniuscuiusq; sensus est apta*, quoniam agentis proprium est, patiens trahere in propriam naturam agentis, illā specificando & sibi assimilando: ideo per accidens sensibile est, à quo sensus non trahitur, id est, nil patitur: quies enim licet nullam speciem sensui imprimat, tamen modū speciei coloris ponit, cùm colorem ipsum stabilē & absq; mutatione aliqua quiescentem repræsentat. Figura etiam, quamuis Caietano propriam speciem influere videatur, tamen non nisi modum coloris atque terminationē imprimit, cùm ratione figuræ coloris similitudo certis terminis atque limi-

Auicennas refellitur.

Suprà c. 5. q. de sensu agente id declaratur.

Iādunus dānatur.

Autor.

Modificationes sensilium cōmunium.

Quo sensus et sensibile in propro esse constituātur.

Sensibilia propria imprimūt species vt specificātes.

Caietanus corrigitur.

limitibus finita & coarctata siue circũscripta obijciatur; sicut ratione motùs fluens ostenditur, ratione numeri iterata, ratione magnitudinis solida & corpulẽta: ergo cõmunia sensibilia sensibus non cõferunt species, quatenus species sunt, sed quatenus modi specierum sunt. Vnde sensibilia communia medium quoddam sunt inter sensibilia propria & sensibilia per accidens: nam à sensibilibus proprijs differunt, eò quòd ista proprias ingerũt sensibus similitudines (vt vltimis verbis tex. 65. Arist. dicit, ibi, *Ad quæ substantia vniuscuiusq; sensus est apta*) quę sunt species ipsorũ sensuum operationes specificantes, cùm sint sensuũ propriæ formæ, & própria principia seusuum specificatiua. Sensibile autem commune, quatenus tale est, non imprimit suam similitudinẽ, nisi vt speciei sensibilis propriæ modũ, quatenus effectiuè sensibile commune modificat proprij sensibilis speciem. A sensibilibus autem per accidens eò cõmunia sensibilia distant; quòd illa nihil omnino sensibus imprimunt, neq; vt speciẽ, nec vt speciei modum, nulloq; pacto immutationem ipsam determinant, aut diuersam faciunt: ergo per se sentire, cùm in per se pati consistat, per se sensibile in per se agere, ita vt proprium sensibile ad propriam speciem, commune autem ad modum ipsius per se facere videantur. Sed dices, ex dictis sequi, quòd sensibilia propria per se primò non sentirentur, sicut nec sensibilia communia: tum, quia (vt dictum est) vtrunq; per se facit ad immutationem: tum etiam, quia sicut sensibile commune non sentitur sine proprio, ita proprium nisi coniungatur cõmuni nequaquam sentietur? Dicẽdum, sensibile proprium (vt iam nunc ex Arist. probabamus) est, quod ad substantiam ipsius sensus confert, atque adeò penes quod primò sensibilitas sumitur: quia ipsum primò virtutem habet sufficientem ad per se immutandum, & non per aliud. Vnde cætera omnia sensibilia suę immutationis rationẽ formalem agendi trahunt: sensus enim primò & per se propriũ sensibile respicit, tanquam obiectum proprium, penes quod discriminatur: propria igitur à cõmunibus rationem immutandi non trahũt, licet necessariò sint coniũcta illis, in quibus exerceãt, & cum quibus sentiendi actum producãt. Mutua ergo opera ad immutationẽ sensus proprium & cõmune sensibile se iuuãt, sed communia per se nõ primò: quia nulli sensui propria sunt, atq; adeò cùm pluribꝰ sensibus conueniant; sensui secundũ propriã substantiam non competunt, nisi secũdùm rationẽ generis: non enim conueniunt vniuersaliter secũdùm ꝙ ipsum, quamuis per se conueniant: at propria sensibilia nõ solùm necessariò & per se, sed etiam vniuersaliter & secundùm quòd ipsum (vt cap. 4. 1. Post. Arist. docet) ergo nõ ex eo quòd neutrum sine altero immutet (vt argumentum contendebat) colligendum est, ex ęquo illa immutare, cùm diuersa ratione cõcurrant, commune in ratione materiæ atq; generis, propria in ratione formæ atq; speciei: ob idq; nullum sensibile commune sensationis alicuius est productiuum, nisi mediante proprio sensibili. Nullus enim visu rotundum aut quadratum percipere poterit, nisi per speciem à luce vel colore productam: atq; adeò communis comprehensio à sensibilis proprij sensatione nunquam absoluetur: siquidem priùs natura apprehensa species proprij quàm communis est repræsentatiua, atq; posterius à priori absolui minimè potest: & quamuis nunquam sensibile proprium sine communi possit sentire, tamen cùm posteriùs natura sentiatur: quoniam per se secundò nihil vetat, mente sensibilis proprij immutationem sine immutatione communis deprehendere: nam prius esse vel concipi potest sine posteriori. Quibus non obstantibus, non diuersa immutatione, sed eadem vtraq; sensibilia & communia & propria sensum ipsum immutãt atq; mouent: eadem igitur sensatione, qua per se primò proprium sentitur, per se secũdò sentitur commune: proprium quidem specificatiuè sensum mouet: cõmune autẽ vt speciei modificatiuũ. Quare cõmunia proprijs indigent sensibilibus vt formis prioribus atq; rationibus agendi, quas modificare & determinare debeant: propria verò opus habent communibus, non à quibus actiones mendicent & quasi precariò sumãt, sed in quibus proprias operationes exerceant: est enim inter ipsa proportio atq; habitudo, quæ est inter causam atq; modum eius. Ex quibus omnibus colligitur, aliter communia, & aliter propria immutare: quamuis eadẽ immutatione & actione (quia cõmune vt materia; proprium vt forma) sed formæ & materiæ vnica est actio, ergo vt vnum mouet: igitur vnica actione vnicam speciem

Sensibilia communia media inter per se & per accidens. S. Tho. 1. p. q. 78. artic. 3. ad 2. ...

Obiectio, quòd sensibile proprium & commune non differant.

Solutio.

Sensibilia per se cõnexa sũt.

ſpeciem influunt: eſt ſiquidem omnis magnitudo figura, & cętera etiam communia ſenſibilia, quia ſūt propriorū fundamēta, vt vnum mouent at verò ſubſtantia, etſi quātùm ad rem vt vnum ſe habeat cum ſenſibilibus, tamen quantùm ad ſenſibilitatem vt duo ſe habent, & per accidens, nō vt materia & forma: quod ſacratiſsimum Eucharistiæ myſterium clarum fecit, vbi non minùs accidentia ſentimus, quàm ſi in aliquo eſſent recepta ſubiecto: non eſt igitur ipſa ſubſtantia ad ſentiendum neceſſaria: quia non tranſmutat ſenſum intentionaliter, ſicut ſenſibilia per ſe, quæ paſsionem ipſis ſenſibus inferunt, à quibus per ſe ſenſibilibus ſenſus per ſe alterantur recipiendo ſpeciem, aut eius diuerſitatem & modū: quoniam propria, quæ ſunt ſpecificatiua ſenſuum, à communibus modificantur & determinantur: ergo propria agunt, vt modificantur à communibus: ſicut materia & forma in naturalibus ad idem eſſe: genus & differentia ad eandem eſſentiam in metaphyſicalibus: ſubiectum & forma ad eandem actionem, cuius calor, verbi gratia, eſt formale & ſpecificatiuum principium, atq; ſubiectum eſt modificatiuum: verbi gratia, ferrum candens, aqua calida, & ignis diuerſo modo agunt & calefaciunt pro diuerſitate materiæ & ſubiecti, in quo calor reperitur, calor eſt per quem illa agunt: ſimiliter in propoſito ſe habet color, per quem videtur magnitudo: ergo commune ſenſibile exercet ſenſibilis actionem, non vt actuatur & formatur à proprio, ſed proprium indeterminatum contrahitur & modificatur à communi: cauſa igitur & modus cauſæ vnam cauſam integrant. Idcirco ſic communia ſenſilia ab iis, quæ ſunt ex accidenti, diſtinguuntur, non quia primò & per ſe mouent, ſed quia motum & actionem ſenſilium propriorū determināt & modificant, vt diuerſitatem in mouendo efficiant. Ratio omnium horum eſt (vti innuimus) quia formæ debetur actio, materiæ modus: ſenſilia autem propria ratione formæ ſentiuntur, communia verò ratione materiæ: quare ex vtroque ſimul conſummatur actio: etenim nec materia ſine forma eſt actiua, nec forma ſeparata à materia agit, ſed ſimul vtrunq; coniunctim ſecundùm propriam rationem. Sic in noſtro ꝓpoſitò accidere intelligas, vt vnā ſpeciem, actionem, ſenſionem atq; immutationem à cōmuni & proprio ſemper expectes, & non fingas duas: actio enim eſt ratione formę, modus eiuſdem ratione materiæ, ad cuius menſuram recipitur: ergo commune ſpecificat & mouet per ſe ſecūdò ratione modi, proprium autem per ſe primò ratione formę: quando autem ſentitur commune ſine proprio (vt dicitur de tactu Cæli) infrà diluemus, eò quòd non ſolùm ſenſibile proprium eſt affirmatum, ſed etiam negatum: quia idem ſenſus eſt contrariorum, ſenſibilis & inſenſibilis. Ex his adeò clara eſt argumentorum ſolutio, vt ſuperuacaneum repetere iudicem, niſi me tyronum amor ad id impuliſſet: quam ob cauſam ipſi paucis accipiant. Ad primū argumētum dictum eſt, ſenſibile per ſe à ſenſibili per accidēs diſcriminari, quòd ſenſile per accidens non agat in ſenſum, per ſe autem agit, vt ſentiri poſsit afficiendo ſenſum, quem nimirum ad ſentiendum in actum & operationem deducunt. Eſt adhuc inter ipſa ſenſibilia per ſe diſcrimen: quia propriū per propriam ſpeciem ſenſum immutat, & velut actuat atq; perficit collocādo in propria ſpecie: at verò cōmune per ſe quidem, non tamen per propriam ſpeciem, ſed alienā, quaſi vt determinans & modificās mouendi modum: itaq; vtrunq; per ſe, non tamen ex ęquo: quia propriū per ſe primò in ratione ſpeciei at cōmune per ſe ſecūdò in ratione generis, hoc eſt, propriū mouet ſpecificādo ſenſum, cōmune verò ſpeciē determinādo ad receptionē: & ob id etſi vtrūq; ſimul tempore moueat, tamē propriū priùs natura: quia in ratione formæ per propriā ſpeciem non aliunde acceptam: at commune ſenſile per ſe ſecundò, quatenus per ſpeciem ſenſilis proprij modificatam, & ſuis circunſtantijs & finibus cōprehenſam: modus enim rei modificat & dearticulat ipſam rem, & modus cauſæ ipſā cauſam determinat: ob id ſenſibilia communia eandē influunt actionem & ſpeciem modificatā, tamen & coarctatam ad talem modum. Prior ſanè eſt ratio & forma, per quam fit actio, quàm ipſe agendi modus, ſicut forma magis natura eſt quàm materia, & actus præſtantior potētia, & omnis rei modus ipſam rem præſupponit: ergo vtrunq; ſenſile per ſe, propriū & commune, habet agendi rationē ex ſe, ſed proprium propriā immittendo ſpeciem, cuius modum habet ex cōparatione & coniunctione ad ſenſile com-

Notanda reſolutio e cemplis illuſtrata.

Ratio elegans.

Ad argumenta.

Ad primum.

Diſcrimē ſenſilium per ſe.

commune: sensile ergo per se aliquo pacto afficit per se sensum. Omne enim sensibile proprium, siue adęquatũ vt color, siue inadęquatum vt albedo, habet rationem mouendi per speciem propriam: ideo hac via per se primò mouet: sensibile autem commune per se secundò: si autem albedo cum colore conferatur, per se secundò, non quia non imprimat speciem, sed quia non ratione formæ adæquatæ: sensibile propriũ, quodcunq; sit, habet ex se rationem agendi: at verò sensibile commune non nisi determinationem & modum. Itaq; diuerso modo participatur sensibilitas per se: quoniam ab inadęquatis sensibilibus vt in parte subiectiua, perinde ac albedo coloris est pars: in sensibili communi vt in modo causæ, qui ipsam causam naturaliter comitatur. Id verò, quod per accidens dicitur, nullo pacto immutat, aut afficit sensum, nec formã nec modum formæ imprimit, cùm potius indiuiduæ substantiæ potentiã intellectiua per se percipiatur, vt tex. 3. huius latiùs disseremus, quòd nullus sensus per se percipit substantiam, sed solùm accidentia, percipit tamen substantiam per accidens: quia quid circũscriptum accidẽtibus, quod eis subsistit, intellectui subministrat: ergo licet re vera ex accidẽti sint sensibilia, sensum per se nullo pacto mouent nec immutant, tamen sentiuntur, licet per accidens. Vt sic intelligas, qua via in phantasmate (illustrante intellectu agente) reluceat quidditas rei materialis latens: etiam quod cogitatiua non cognoscit singulare substantiæ, sed id, quod proprietatibus indiuidualibus circunscribitur & determinatur: substantiæ autem cognitio per se intellectui reseruata est: sed de hoc infrà lib. 3. cap. 2. q. de intellectu agente, & cap. 3. q. de obiecto intellectus.

Attende, quòd duplex est sensibile propriũ.

Vsus sensibilis per accidens.

Ad 2. Ad secundum satis ex principio & tota quęstionis decisione dictum arbitror: vsqueadeò sentiri non possunt diuersis, aut speciebus, aut sensationibus, vt nec sensibile commune seorsum separatum ab omni sensili proprio sentiri valeat. Vnde fit, si quis manu tãgat Cælum, sentire quidem extẽsioni manus aliquid obsistere, non tamen quia commune sensile sine proprio immutet, sed quia sentit absentiam proprij sensibilis: sequentibus enim capitib⁹ de vnoquoq; sensu pronuntiandum est, sensum sensibilis & insensibilis esse (vt visus cap. 7. est visibilis & inuisibilis, & latiùs lib. 3. hui⁹ tex. 25. & 26.) ergo in casu posito sẽtitur Cęli magnitudo per intangibile. Est enim meo iudicio hic locus Arist. sic interpretandus, vt sensibile commune sine proprio non sentiatur, sine proprio quidem affirmato aut negato: sentitur semper per se sensibile commune per proprium, affirmatum, aut negatum. Ideo cessat argumentum quorundam de tangẽte Cęli concauã superficiem (qui sentit obstaculum) & de eleuante manum super cõuexam (sentiet nil obstare, vacuumq; esse) hęc accidũt, quia sensus per se sẽtit absentiã sui obiecti, sicut obiectum percipit affirmatum & negatum (vt infra lib. 3. tex. 25.) sed diuerso modo, quia supra Cælum, vacuum ex mera negatione, infrà ad partem concauam, ex communi modo negationis, seu priuationis proprij sensibilis: vtrobiq; tamen percipitur intangibile, sicut inuisibile videtur & tenebræ. Et sic patet, quòd non ex ęquo competit sensibili proprio & communi sensum mouere, nec ęquè primò, sed diuersa ratione, vt causa & modus immutationis: propria sanè, vt causa specificans, cõcurrunt: communia autem, vt modus determinans: causã autem sine modo, nec modus sine causa nunquam exercet actionem. Et si queras, vtrum sẽsibile prius moueat proprium, an cõmune? Respondebo facilè per hanc distinctionem, quòd proprium prius in ratione formæ, sed commune prius in ratione materię: vnde in diuerso genere causæ vtrunq; à reliquo mendicare videtur, tametsi sese contineantur ad vnum & eundẽ immutationis actũ: impossibile est causare sine modo, item & impossibile modificare sine causatione: quoniam modus exigit causam vt rationem causandi, causa autem modum exposcit vt causę determinationem. Ad confirmationem iam dictũ est, nisi quòd vnum aduertas, quòd etsi sensile commune proprio in ratione rei per accidens coniungatur, tamen ad actionẽ & ad sensationem per se non afficiunt aliquo pacto sensum, nisi modificata: sicut nec agere potest ignis nisi approximatus: qua via in actione per se coniunguntur, vt Sol & homo, quæ in ratione sunt species disparatæ, tamen in ratione rei agentis vniuersalis & particularis coëunt in rationem vnius agentis, vt dixit Arist. lib. 2. Phys. tex. 26. Sol & homo generant hominem. Ad tertium iam patet, quomodo ex æquo aut inæqualiter concurrant, tam in motione, quàm in for-

Sẽsilis negatio quatenus sentiatur.

Tex. 56.

S. sile proprium & commune à se inuicem pendent.

Ad cõf.

Ad. 3.

ma inducta, atq; in tēporis ordine: adunātur autē in ratione materiæ & formæ: quæ vsq; ad nauseam in corpore quæstionis huius inculcauimus.

Summam cōsulto relinquo, quia breuis est & perspicua.

CAPVT SEPTIMVM

de Visu.

Prius de visus obiecto disserit, posterius de medio & videndi modo, vt ex his ipsis visoria potentia enucleetur.

Tex. 66. CVius igitur visus est perceptiuus, id est visibile. Visibile verò est color, & id, quod oratione quidē explicare, ac dicere licet, nomine autē caret, atq; idipsū maximè patebit, cū vlterius ꝓcedemus. Visibile igitur est color: hic autē est id, quod est in eo, quod ꝑ se visibile est: ꝑ se verò nō ratione, sed quia in se causā habet, vt sit visibile.

Ratio ordinis in cōmuni. Vniuersim autē de sensibilibus, quę relata sunt ad sensus: de ijsdem ipsis sigillatim rursus sermonem instituit Arist. atq; ad singulos eorum descēdens, ipsorum affectiones & functiones prosequitur: sunt enim veluti quidam speculatores, qui rerum externarū conditiones sensibus internis ingerunt, vt à rebus externis susceptas rerum imagines ipsi rationali animæ renuntient: quamuis substantiā ipsam ex accidenti doceant. Exorditur igitur à visu, & visili eius obiecto (semper enim Philosophus potētiā ipsam ex obiecto expēdit) cū sint (vti sæpe diximus) quadam ratione correlatiua, fere cognata: sensum nanq; potentiā id esse dicimus, quod sensile in actu: quoniam sensus similis fit sensibili, cùm obiecti imaginem atq; speciem recipit, vt lignum recepto calore igni simile fit: nanq; quadam tenus coloratus est oculus, cùm coloris imaginem in se suscipit, colore est delibutus.

Cur priùs de visu, quàm alijs sensibus.

Sed offensione non vacat, quòd collocationis & seriei ordo minimè Aristoteleç methodo cōueniat, cùm docuit statim sub initio librorū Physi. Auscultationis c. 1. à cōmunioribus esse doctrinę progressum: idq; præsenti libro præstitit, cùm de vegetatiuo gradu (quia communior & aliorum fundamentum sit, quódq; ab alijs viuentiū gradibus seiūctum reperiatur) disseruerit. Quā ob causam dicendum fuit priùs de sensu tactus, vtpote qui communior, priórq; omnibus alijs sensibus sit: & siue eius naturā expectes, siue quatuor illas qualitates primas tactiles, quæ illi obijciuntur, ipsorum etiam omniū sensuum est fundamētum. Quas ob causas Auicennas. 6. natural. & Plinius lib. 10. cap. 69. ante omnes sensus tactum contemplati sunt. *Auicennas, Plinius.* Verùm Philosophorū Princeps dignitatis & perfectionis rationē considerās, visum omnium sensuum externorum principem priùs sibi considerandū arripuit: excellit nanq; visus obiecti pręstantia, nobilitate immuntadi, tum organi, tum situs dignitate: rursus extensione plures nobis rerum differentias subministrat (vt Arist. proœmio primæ Philosophiæ docet, & Plato in Timæo) & ita de sensu & sensili idipsum dicitur cap. 1. visum sensum esse disciplinæ ad inueniendum aptissimum: auditum autem per accidens ad acquisitionem accommodatum. *Solutio, ꝙ prius de visu, quā alijs sensibus.* Qua de causa sicut hæc scientia omnes alias naturales excellit obiecti dignitate, & fortasse demonstrationis certitudine: sic visus cæteris est insignior, qui corruptibilia & æterna certissimè complectitur: vsqueadeo vt cùm aliquid affirmando asseuerare contendimus, his oculis tanquam certissimis testibus excepisse testemur, & pluris esse oculatum vnum testem, quàm auritos decē. Vel possemus dicere, priorem esse tactum in ratione sensitiui, quatenus ad animalis constitutionem & vitam expectat, qua ratione visus postremum locum sortitur: quia tantùm ad benè esse animalis tributus est: tamen in ratione cognoscentis ordo inuersus est: quàobrem hîc prior cum Arist. à nobis expenditur: quoniam non iam de sensibus esse animalis, sed ipsum cognoscere cōcernētibus agere instituat Arist. *Cōciliatio opinionū, et qua ratione tactꝰ prius considerādus.* quod enim est primum & perfectissimū in vnoquoq; genere, causa est & ratio reliquorum, quæ in eodē genere sunt. 2. Met. tex. 4. ergo Arist. meritò viam dignitatis & naturę ingressus, priùs de visu, quàm de cæteris determinat Aui-

Auicennas verò & Plinius, aliiq; Philosophi viam generationis sequuti sunt. Postremò tamen, quia semper vrget ratio illa de ordine doctrinæ, videtur mihi dicendum, de visu agendum priùs necessariò fuisse, ex eo quòd eius obiectum & perfectius, notius atq; cõmunius sit: perfectius quidem, quoniam visibile sub se lumen, quod qualitas cælestis est, comprehẽdit: communius, cùm corruptibilia & æterna complectatur: ergo cùm omnia corpora participent colore, id est, lumine, meritò notius est visibile. Addo tamen, immutandi modum spiritaliorem esse: quoniam sine motu aut alteratione aliqua visio fit. Hæc de ratione ordinis: modò ad Aristotelis literam regrediamur, quę à ratione obiecti pendet.

Autor pro methodo Arist. quòd visus sit prior.

De obiecto visus.

Quod & quale sit obiectum visus.

Quoniam sensus omnis ex obiecto explicandus est, potentiam enim obiectũ mouet, atq; vt fiat cognitio, ipsam afficit: non abs re priùs Arist. de obiecto visus disquirit, vt potentiam visoriam elucidet. Horum sanè coniuncta est tractatio, cùm visile obiectum sit, quod mouet potẽtiam visoriam: visus autem est vis atque facultas ad visile obiectum percipiendum, quod ipsi accommodatur, vt ab ipso & affici possit & pati. Quod distinguẽs Arist. tam latè patere docet, vt non solus color visibilis sit, sed etiam quædam innominata, quæ in tenebris lucent, vt cicindelæ, quas nitedulas siue noctilucas appellant, & lucernula herba, quæ à Plinio flaminea vocatur, Hispanè Candilejo, squamæ piscium, oculi catorum: itaq; color est obiectum visibile adęquatum visus, non sub ratione coloris priuata & propria, sed vt in vniuersum comprehendit lumen, etiam qua ratione intelligendum est illud Arist. testimonium de sensu & sensili cap. 3. quòd omnia colore participãt, & ita color obiectum etiam visus dicitur. Vel (si placet) distinguamus obiectum potentię, quod trifariàm dicitur: aliud est, quod cõmunitate & amplitudine prædicationis obijcitur, vt ens respectu intellectus, quod comprehendit quęcunq; ab intellectu cõsiderari possũt, de quibus etiam prædicatur: in quo ordine visibile cõtemplaberis habitudine ad visum. Deinde, formalitate rationis obiectalis, vt verum ad intellectũ, ita lumẽ ad visum: quia ratio, sub qua ens mouet, est verum, sicut color visibilis est, quatenus illuminatur. Tãdem proprietate & appropriatione dicitur obiectum, vt quidditas rei materialis, & sic color est cuy appropriatur ratio obiecti: nam contrarietas visus est contrarietas albi & nigri, quæ est positiua, non tenebrosi & lucidi, quæ est priuatiua. Duplex enim est ratio obiecti, vna, Quæ, & altera, Qua: illa est obiectum vt res est, verbi gratia, color: ista est ipsius ratio, sub qua à potẽtia attingitur, vt lumẽ, à quo est color visibilis. Inter has duas differt: quoniã prior ratio, Quę, terminat actũ potẽtię, & ipsam mouet directè: ratio autem, Qua, nec mouet nec terminat directè & primariò, sed sub quadam reflexione. Ratio huius distinctionis est: quia habitus & potentiæ non habent vnitatẽ ab obiectis, vt res sunt, sed vt formaliter in ratione scibilis, aut sensibilis ponuntur: ideo hæc ratio, Qua, si est adęquata, principaliùs specificat potẽtiam: ratio verò, Quæ, nõ specificat, nisi vt est sub altera: de quo. 1. p. q. 1. art. 3. & 7. plura dixi, vt quæ optimè, sed subobscurè, Caietanus ibi dicit, illustrarem. Ex quibus patet sensus verborum, quæ in calce huius tex. ponũtur, nimirũ quòd visibile, id est, ratio visibilis est in eo, quod est per se visibile, hoc est, in colore, qui, vt appropiatur, obiectũ visus est & quidẽ per se visibilis, nõn ratione, id est, primo modo dicendi per se, vbi oportet prædicatum esse rationem, vel de ratione subiecti: sed quia in se causam habet, vt sit visibile, id est, in secũdo modo dicendi per se, vbi subiectum causa est passionis, vt ipse color causa est visibilitatis: habet enim color in seipso causam vt videatur. Qua de re fortasse nonnihil dicemus posteriùs, cùm de natura coloris & visibilis hoc eodem cap. disputabimus. Hęc enim expositio nostra D. Tho. est, multũq; accommodata præsenti textui atque sequẽti, vbi Arist. definit colorem motiuum esse diaphani: ergo color sui naturâ visibilis est, quòd causam habeat mouendi perspicuum in accommodato medio. Ab scopo igitur aberrauerũt Neoterici quidam, qui Gręcos sequuti, non ad colorem, sed ad superficiem hunc locum inuitum trahunt. Certum enim est, de colore loqui Arist. non de superficie: superficies tamen, etiamsi gestet colorem, secundùm se neq; primo, neque secundo modo visibilis est, sed per accidens: sicut enim non habet in se causam visibilitatis, neque in genere

Triplex obiectũ.

Pro literæ textus, color per se visibilis, superficies per aliud.

Superficies, ut ratis, in nullo ex quatuor modis dicendi

di per se est per se visibilis. causæ efficiētis est per se, vt Medicus sanat, iugulatus interijt: neque in ratione proprij subiecti materialiter: quoniam in seipsa (vt inquit Arist.) nō habet ipsa superficies vnde videatur. Quamobrem ineptum existimo horum commētum, colorem esse in superficie, quæ colore videtur, quòd ratione extremæ superficiei colores omnes videantur: id certè non est esse per se aliquo modo, vt superficies colori causa sit visibilitatis. *Expende diligentius.* Melius fortasse adhuc dicemus, colorem bifariàm esse per se visibilem in primo modo dicendi per se, vt includit intimè & formaliter luminis vim, & quandam perspicuitatem, vt est extremitas perspicui terminati secundo modo dicendi per se visibilis, vt extrinsecè lumini coniunctus, est motiuus diaphani: de quo infrà, cùm de natura luminis disputetur, ostēdemus, vtroq; modo colorem à lumine perfici, & sequitur in tex. 67.

Tex. 67. Color autem omnis motiuus est eius, quod est perspicuū actu, & id est ipsius natura. Quapropter non est visibile absq; luce, sed omnis vniuscuiusq; color in lumine sanè videtur. Quamobrem quidnam sit ipsum lumen, priùs dicere, declarareq; oportet. Est igitur aliquid perspicuū.

Coloris natura sine lumine. Propria ratio obiecti in motione potentiæ sita est, sicut cognitionis ratio ex passione potentiæ perficitur: ergo vt id, quod proximo tex. dicebamus, exponeret Arist. atq; gradum faceret ad potentiæ explicationē, vtrunq; connectit dum dicit, colorem mouere visum per medium, non quodcunq;, sed lumine illustratum: non enim color motiuus est nisi diaphani, vt diaphanum est actu, cuius color est motiuus motu alterationis intentionalis. Quo fit, quòd etsi color & visibile subiecto idem sint, color tamen absolutam rem dicit, visibile autem relatiuam ad visum: quod insinuabat Arist. in calce præcedentis textus, & modò sibi assumit, vt de natura luminis priùs disputet, quàm de natura coloris, cùm color sine lumine non videatur, sine quo non potest esse actus & perfectio perspicui. Vbi duo *Quæstio de natura coloris.* nota apud Arist. Primum est, colorem natura sua in tenebris habere aptitudinem ad mouendū diaphanū actualiter illuminatū, nō tamen prius mouet visum color, quàm medium ipsum iam actu translucens afficiat: & hanc vocat ipsius coloris naturam, scilicet medium transparens illuminatum immutare: ergo quòd color sit motiuus diaphani in actu, est natura & quodquid est coloris, aptitudine quidem in tenebris, actu autem dum illustratus fit actu visibilis. Secundum, quod ratio ordinis exposcit, vt priùs de lumine disserendùm sit, sine quo & obiectum & mediū inepta sunt ad perficiendam sensationem: vnde videtur lumen non tantùm medij, sed colorum atq; adeò etiam ipsius potentiæ perfectio, cùm. 3. huius tex. 17. expressè lumen dicatur facere colores actu. Quare in hoc loco sedem habet quæstio illa (quam in hoc capite post textus expositionem elucidabimus) an lumen requiratur propter colorē, an propter medium, an propter vtrunq;? *Quæstio de necessitate luminis.* Discordia igitur est, & in subiecto luminis, & in essentia coloris, in actiuitate & sensibilitate eiusdem, atq; in causa requisiti luminis, de quibus omnibus infrà disputabitur: nunc ad Aristotelem redeo.

Perspicuum autem id dico, quod est quidem visibile, non est autem, vt simpliciter dicam, per se, sed per alienum colorem visibile. Atque res talis est aër, & aqua, & solidorum complura, vt vitrum, & glacies, & huiusmodi corpora. Nō enim aqua, vel aër, vt est aqua, vel aër, perspicuum est: sed quia natura eadem inest in his vtrisq;, & in perpetuo supero corpore. *Tex. 68.*

Acturus Arist. de ipso lumine, diaphanū definit: quia lumen actus est diaphani, omnis autem actus in subiecto, cuius est perfectio, se prodit & manifestat: ergo naturam luminis ex proprio subiecto expēdere aggreditur. *Perspicuum* (inquit) *quod est quidem visibile, non autem simpliciter per se, sed per alienum colorem visibile*, vbi naturam perspicui expo- *Iā de medio, quod est perspicuum.*

exponit, deinde exemplis manifestat. Itaq; perspicuum (quod Græci diaphanum vocant, nos peruium, transparens, pellucidum appellamus) illud est, quod alieno colore visibile est, quatenus non per se & simpliciter ab innato aliquo insito aut infixo colore, sed extraneo & aduentitio ex præsentia corporis lucentis, & ope coloris externi videtur, hoc est, perspicuum nō videtur per se, neq; in primo neque in secundo modo; quia nullam habet formam propriam, per quam videatur, sed extrinsecùs illatam formam recipit, alienam quidem & ex præsentia corporis lucentis pendentem. Exemplo & figura multa corpora diaphana connumerat Arist. videlicet aërē & aquā: at Cęlos & ignem prætermisit, quæ etiam perspicua sunt, tamen lucida per se: secus si perspicua non essent, superiorum Cælorum sydera per inferiores Cælos minimè apparerēt: inter solida autem & mista corpora vitrum & glaciem ponit: crystallū nos addamus, & preciosos lapillos non paucos: quibus cum his omnibus perspicuitatis natura & affectio communis est. Idipsum eleganter tissimè vnico verbo insinuat Arist. cùm dicit, aërem & aquam minimè perspicua esse de se secundùm propriam naturam particularem, sed secundum affectionem & rationem communem ijs corruptibilibus, & corpori cælesti perpetuo atque incorruptibili, in quibus perspicuitas & hæc natura communis per priùs in superiorib⁹, & postea in istis inferioribus (vt benè dixit Albertus) reperitur, mediante qua communi natura hæc corpora peruia afficiuntur, & propria luminis subiecta. Quo loco disputare nolo, an materia Cæli, & horum inferiorum sit eadem (de quo in lib. 1. de Cælo cap. 3. satis latè dixi) & an aliquid commune detur perpetuo & corruptibili? quæ quæstio est magis metaphysica, quàm philosophica: sat est affectionem perspicuitatis in Cælo & elementis quibusdam atque solidis corporibus reperiri. Et quanuis Cōmentator in tractatu de substantia orbis dixerit, nihil posse esse vniuocum superioribus & inferioribus: videtur tamen mihi, nō esse æquiuocam omnino, nec omnino vniuocam, sed analogam esse perspicuitatis rationem, illa analogia, quæ non tollit rationem generis aut speciei: sanè per priùs diaphanitas est in cælestibus, ex quibus deriuatur ad hæc inferiora, quæ per illius rationis & affectionis communionem perspicua redduntur: quod hîc Arist. dixit illis verbis, *Natura eadem inest in his vtrisq;* & *in perpetuo superò corpore.* Minùs aptè disputatur hoc loco, si aër videatur in se, vel in obiecto, aut in se suscipiat colores realiter, vel intentionaliter? cùm Arist. solùm doceat, perspicuum per se non vidiri, sed per alienum colorem esse visibile, quod non tollit per se posse videri, cùm colore afficitur: vult tamen Arist. diaphanum, quod mediū est ad suscipiendos & trāsferendos omnes colores, nullum colorem habere debere, ne intus existens extraneum prohiberet, & ita dicitur color nō insitus & proprius, sed extraneus & aduentitius: efficiuntur igitur omnia perspicua visibilia, non de suo aliquo colore, sed alieno, quem imbibūt. Vana est ergo concertatio inter Philoponum & Commentatorem, si videatur, vel non videatur? cùm medius Arist. incedens doceat, non simpliciter, sed per extraneum colorem videri: quoniam à coloris natura denudatur: per ipsa perspicua colores penetrant, atq; ad oculum vsq; transmeant, vbi color transeunter est, & veluti color peregrinus, qui similitudine quadam color dicitur, & permanenter non inhæret. Quo fit, diaphanitatem in omnibus his corporibus perspicuis quasi naturalem quandam esse potentiam ad recipiendum lumē, cuius recipiendi corpora opaca naturalem habent impotentiam.

Perspicuitas quatenus superioribus, et inferioribus cōmunis reperiatur.

Aer an videatur?

Diaphanitas in secunda specie qualitatis.

Lumen autem actus est huiusce perspicui, ea nimirum ratione, qua perspicuum est. At id est potentia, in quo nūc idipsum inest, nunc tenebræ. Atq; lumen quasi perspicui color est, cùm est perspicuum actu ab igne, vel ab huiuscemodi corpore, quale est ipsum superū corpus: nam huic inest aliquid vnū & idem. Quid igitur est perspicuum, diximus, & quid etiam lumen: nam neq; ignis est, nec omnino corpus, neque corporis est vllius defluxus (esset enim quoddam hoc *Tex. 69.*

quoq;

quoq; pacto profectò corpus) sed est ignis; vel huiuscemodi cuiusdam in perspicuo præsentia corporis. Fieri nanq; non potest, vt in eodem sint duo corpora simul.

Natura luminis.

Definit lumē actum esse perspicui, quatenus perspicuum est, hoc est, sicut color est forma colorati, ita lumen actus perspicui: etsi non vndiq; quadret similitudo: nam color est in corpore terminato, sicut sigillum in cera superficie tenus; apparens enim color non semper & necessariò penetrat in profundum: diaphanum verò sic lumine perfunditur, vt nō in sola superficie sit, sed etiam in ipsa profunditate. Probat Arist. à contrario: quia contraria nata sunt fieri circa idem, atqui perspicuum in vniuersum absente lumine tenebris offuscatur: ergo præsente lumine illustrabitur: idem enim est luminis & tenebrarum subiectum. Vbi nota, diaphanitatem subiectum esse, Quo; non tamen, Quod, sicut solemus dicere de quantitate respectu qualitatum corporalium: & ideo diaphanitas non sumitur pro actu, sed pro aptitudine, vt risibilitas. Quocirca quo modo priùs diaphanum subiectum est luminis, illustratum autem habile colorum subiectū reddatur? intelligit præscindendo, aut in sensu formali, sicut suprà de animę definitione docuimus. Insuper illam Platonis trimembrem diuisionem luminis (in Dialogo. 7. de iusto, vt aliud visibile, aliud intelligibile, aliud supra intellectum, quod diuinum est) multùm video cōformem, nō solùm Philosophiæ, sed etiam Theologiæ: nam visibile lumen est, de quo modò disputamus, necessarium ad videndum: de intelligibili autem sermo erit in 3. lib. de intellectu agenti, de quo intelligo illud Psal. 4. quis ostendet nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui domine: de lumine autem diuino S. Tho. 1. p. q. 12. ar. 5. differit, & colligit necessarium esse ex illo Psal. 35. in lumine tuo videbimus lumen: & clariùs concilio Vienēsi sub Clemente. 5. vt refertur Clementina ad nostrum de hæreticis errore. 5. ergo diaphanū est, quod aliquando potest obscurari, & cōparatur ad lumē, sicut materia ad formam: nam etiam ipsum cælum secundùm aliquā sui partem obscuratur, vt docet ipsa Lunæ eclipsis: Luna sanè, quamuis non sit tota transparens, lucida est, & sic omnis Planeta & Stella. Vnde patet, omne transparens esse lucidum, sed nō conuerti, vt Luna manifestat: perspicuū enim omne luminis est receptiuum, & sic oculus est perspicuus, licet non sit transparens, est tamen diaphanus: est igitur omne perspicuum tanquam genus ad transparens & lucidum. Insuper Arist. docet, lumen qualitatem esse & non ignem, secūdùm alios, qui tres species ignis faciebant, carbonem scilicet, flammam, & lumen. Similiter reijcit Democriti positionem, qui corpus aut corporis defluxū esse dicebat: vtrumuis dederis, duo corpora simul se penetrarent in eodē loco, contra id, quod Arist. 4. lib. Phys. tex. 76. ergo nō est ignis, aut aliquid aliud corpus, aut totum aërem minimè penetraret & illustraret, sed maneret aliquibus suis partibus tenebrosus, & non æqualiter diaphanus.

Diaphanitas subiectū est luminis et coloris.

Lumē triformis diuiditur.

Quid discriminis sit inter perspicuū transparēs et lucidū.

Democriti positio reijcitur, quòd lumē sit corpus.

Videtur autem tenebris contrarium esse lumen: at tenebræ priuatio sunt talis habitus, atq; ignis, vel corporis talis absentia à perspicuo: quare patet, huiusce præsentiam esse lumen. Atq; nō rectè dixit Empedocles, & si quis itidem censuit, lumen ferri, atque extendi tandem inter terrā & cōtinens, nosq; idipsum latere. Hoc enim & rationis metas egreditur, & est præter ea nimirū, quę apparent: in paruo nanq; spatio motus fortasse lateret, sed ab ortu Solis ad occasum tanti corporis motum latere, magna nimirum profectò est postulatio. *Tex. 70.*

Lumē nō est corpus.

Rursus idem colligit ex natura tenebrarum, quæ lumini contrariantur: nam si tenebræ sunt priuatio & absentia luminis in diaphano, habitus & præsentia erit lumen, atq; adeò erit in diaphano secundùm omnem dimensionem: non igitur erit corpus: nam & aërem diuideret, & duo corpora

dimensa

dimensa simul eundem occuparent locum. Item si lumen corpus esset, aut simplex, aut compositum: si simplex, secundùm rectum, aut sursum, aut deorsum moueretur: non ergo diffunderetur lumen in orbem. Idem sequetur, si mistum esse dicas, quod, iuxta Arist. sententiam, dominantis simplicis motu cieatur, quod subinde densari & incrassari posset, quæ sunt à luminis natura aliena. Quo fit, non rectè dixisse Empedoclem, lumen moueri, sed subitò imperceptibiliter, ob idq; nos ipsos latere. *Et si quis itidem alius censuit*, propter Platonem addit, qui in Thimęo videtur, lumen fecisse corpus: sed expresśè potiùs in Empedoclem, quàm contra Platonem disputationem dirigit: quia ille in duob' errabat: priùs, dum lumen corpus esse docet: posteriùs, quòd multiplicari & moueri in tempore asseueret, *Quod magnam* (inquit Arist.) *habet postulationem*, id est, disceptationem non facilè defensabilem, quòd sit multis obiectionibus peruia & exposita, eo quòd omnes & sensus & rationis metas egrediatur: experimento nanq; sensus contrariũ didicimus, & absonum atq; irrationabile, siue ab omni veritate alienum esse videtur: in tanta sanè distantia, quãta Sol totum orbem suo lumine replet, fieri non posset, quin huius multiplicationis successionem perspiceremus: nam & in paruo spatio admirabile esset: igitur lumen per se sine motu diffunditur. Quam Empedoclis sententiam, saltem in eo quod docet, lumen esse corpus, malè Neothericus quidam D. Aurelio Aug. imponit. 4. super Gene. ad literam cap. vltimo & lib. 12. cap. 16. siquidem priori loco fermè nihil dicit: posteriori autem quædã ponit satis obscurè, in quibus platonizare videtur, quæ tu videas obsecro. Dixi enim, lumen per se sine motu diffundi: quoniam per accidens nihil vetat, successiuè medium illuminari, vel quia luminosum successiuè mouetur, aut ipsum luminis susceptiuum lucenti corpori cum successione admouetur; quæ (quoniam extrinseca sunt & accidentaria) non tollũt, quominus lumen per se, non solùm subitò in tempore imperceptibili, sed instantaneè moueatur. Nec valet cõmunis illa & vulgata obiectio, quòd corpus luminosum infinitæ esset virtutis, quando illuminatio & productio luminis in instanti est sine contrarietate atque sine aliqua resistẽtia, vt Arist. lib. 5. Phys. tex. 9. insinuat, similiter lib. 4. Phys. tex. 71. sicut & generatio substantiæ per solam mutationem in non tempore fit lib. 8. Phys. tex. 69. Ratio huius est: quoniã mutatio inter terminos positiuos in primis est cum resistentia alterius termini sese conseruantis. Deinde transitus ex vno ad aliud partibilis est: quoniam & ipsum positiuum, quod mutari contenditur, tale aliquid continuum est: in hac tamen oppositione priuatiua, sicut nec in oppositione contradictoria, nullum est medium: quam ob causam priuationẽ ipsam in momẽto totam simul aboleri est necesse: quid igitur mirũ est, vt absente extremo, quod resistat, atq; nullo existẽte medio, nulla successione opus sit? Quas ob rationes vulgata illa calculatio nõ magis colligit virtutem infinitam in corpore luminoso, perspicuum in momento temporis illustrante, quàm cõcludat vim infinitam in gradu, si per vacuum subitò descenderet.

Empedoclis sententia de natura luminis refellitur.

Expende D. Augustinum.

Lumẽ in instãti diffunditur.

Soluitur obiectio ex calculatione cõmuni.

Illuminatio cur instãtanea.

Atqui coloris quidem id est susceptiuum, quod colore vacat: soni autem id, quod sono. Vacat autem colore perspicuũ ipsum, & inuisibile, vel id, quod vix tãdem videtur, quale id esse videtur, quod tenebris est affectum: atq; tale est ipsum, vt patet, perspicuum: attamen non cùm est perspicuum actu, sed cùm potentia. Eadem enim natura modò est tenebræ, modò lumen.

Tex. 71.

Quomodo perspicuum se habet ad colores, & visibile sit vel inuisibile, proponit: ni mirum, quòd cùm ipsum perspicuum omnis coloris sit susceptiuum, nullum colorẽ habet, vt omnibus legitimè affici possit, quo aptum sit medium ad omnes colores percipiendos: recipiens nanq; carere debet natura recepti, non locus ac materia prima, quæ suo in gremio suscipit formas omnes, omnibusq; priuatur: ergo in vniuersũ nihil recipit id, quod habet: & sic patet, quòd susceptiuum coloris est sine colore, similiter & soni receptiuum sono vacat. Ita in omnibus alijs si induxeris, verum reperies: nã & artifices vascula magis odorifera facere

Recipiens denudatur à natura recepti, in lib. 3. cap. 1. tex. 4. & 5. expeditur diligẽter.

cupien-

cupientes, in massa, nullam odoris affectionem habente, res miscent odoriferas, quæ proprias naturas obseruare valeant: intus enim existens solet prohibere extraneum. Simili etiam modo periti coqui ad condiendos sapores cibum ferme insipidum eligūt, vt varias possint formas gustui placentes superinducere. Quare aër luminis & coloris omnis susceptiuus sua natura tenebrosus, hoc est, luminis expers, vt illuminatus colores imbibat, quibus vacat: per lumen enim aër habile fit medium, & quasi virtutem suscipit ad recipiendos & transmittēdos colores. Hæc autem propositio (quā hîc Arist. tanquam principium assumit, nimirum, omne recipiens denudari à natura recepti) posteriùs post omnium sensuū tractationem examinabitur, vel lib. 3. cap. 1. Nunc verò sat sit, vel quòd communis sit animi conceptio, aut certè sensibili experimēto comperta in ipsa ceræ sigillatione, quæ exactiùs formam sigilli refert, si nullā habuerit priorem figuram. Deinde docet Arist. visum inuisibile quoq; videre: inuisibile trifariàm dicitur, Primò, perspicuum ipsum, quod nullum habeat innatum colorem, sed extrinsecùs aduenientem. Secundò, ipsum etiam diaphanum tenebris affectum: nam cùm potentia eadem sit contrariorum, facultas visoria, quæ obiecti visibilis est; eadem quoq; erit & inuisibilis, vbi Arist. primo modo inuisibile dicit diaphanum actu, secundo modo diaphanum in potentiâ, quod est tenebrosum in actu. An verò visus inuisibile percipiat solùm vi externa, an potiùs adminiculo & concursu mentis, aut alterius cuiusuis facultatis interioris? posteà discutiēdum relinquo: sunt enim hæc omnibus sensibus communia, & lib. 3. de anima tex. 25. tandem absoluetur. Addendum tamen Aristoteli, tertio modo inuisibile dici, præter id, quod videri non potest vt tenebræ, aut vix videtur vt atomi, id etiam inuisibile fit, quod suo excessu visus est corruptiuum, vt excellēs visibile, quale est Sol: quem enim in sua rota incōniuentibus oculis aspicere non valemus, quin visus detrimentum patiatur.

Inuisibile multipliciter.

Tex. 72. At verò non vniuersa visibilia in lumine sunt visibilia, sed solùm vniuscuiusq; proprius color. Nonnulla nanq; in lumine quidem non videntur, in tenebris autem efficiunt sensum: vt ea, quæ apparent ignea, atq; splēdent. Hæc autem nomine carent vno, vt fungus, cornu, pisciū capita, squamæ, oculi, sed nullius horum proprius color videtur. Atq; quam ob causam hæc visibilia sunt, alia ratio est.

Hæc determinata sunt de colore, qui solùm in lumine videtur extrinseco: alias duas docet visibilis species eorum, quę proprio lumine videntur, de quibus, quasi per quandam dictorum breuem summam, cōmētationem instituit: communicant siquidem cuncta visibilia hoc, quòd nata sunt (etsi diuersimodè) in lumine videri; nam præter illa, quæ lumine alieno videntur, lumine proprio conspiciuntur quædam, quæ innominata ab Arist. vocantur, qualia sunt, fungus, oculi catorum, luporum, leonum, cicindelæ, & pleraq; id genus alia, quæ nomine generali ignea possimus appellare, q in medijs tenebris lucere videantur, vt visus sensum faciant: non quòd naturam Cœli participent, vt quidam Sosigenes sibi persuadebat, sed ignis potiùs participia sunt, nullum tamen nomen habent proprium, propinquum atque specificum: quia neque alba, nec nigra, neq; alio determinato colore nominantur, sed genere valde remoto lucentia, inter quæ quædam sunt mista, quę in tenebris & lumine videre contingit: in tenebris sanè, lumine proprio, quod sufficit ipsum diaphanum vtcunq; afficere, & lumine proprio illuminare: interdiu autem, alieno iam non sub ratione lucis propriæ, quæ à maiori lumine offuscatur, sed sub innato & insito colore videntur. Vnde intelliget quisq; ex lumine omnia videri, fieriq; medium accommodatum, vt visibilis motio ad visum vsq; deferatur. Exemplo sint incensi & igniti carbones, qui cùm noctu splendere, proprioq; lumine micare videantur, interdiu tamen non refulgent, sed candida, aut alba, aut alio simili colore affecta conspiciuntur: vt meritò dicere posses, in tenebris omnia lucentia esse, in lumine

Præter colorē, alia duo sunt visibilia.

mine verò colorata. De his cicindelis meminit Plinius lib. 18. cap. 26. & de lucernæ piſce, cuius lingua ignea eſt, mentionem fecit lib. 9. cap. 27. Quam autem ob cauſam luceant noctu, & faciant medium actu diaphanum, quàtùm ſufficiat, vt ipſa proprio lumine videre queant, non poſſumus aliam rationem exhibere commodiorem, quàm quòd lucidum ignis, quod in his eſt, & diaphanum aëris atq; aquæ per opacum terræ non comprehendantur aut ſuperentur, ita vt omnino tollantur, ſed manet aptum, vt illuſtretur illorũ lumine. Rurſum cùm iſtorum omnium lux debilis ſit, in lumine maiori non poteſt perfectè immutare ipſum perſpicuum, ſicut ſtellæ interdiu à præſentia maioris ſolaris luminis offuſcatæ non

Summa. apparent. Quare hæc in lumine, vt lucentia, non videntur, ſed duntaxat quatenus colorata: ediuerſo in tenebris, vbi non colorata, ſed lucentia apparent. Argumentum autem eſt debilis & infimæ lucis: quia ſub eorum luce, neq; ipſorum neq; aliorum color appareat: nam etſi lux horum efficatior ſit ad mouendum diaphanum, quàm color, tamen medium ita exiliter ea luce illuſtratur, vt color non ſit illius diaphani motiuus: exactior diſquiſitio ad libros de ſenſu & ſenſili referenda eſt cap. 2. & 3.

Tex.73. Nunc tãtùm patet, id, inquã, quod in lumine videtur, eſſe colorem: quocirca ſine lumine nõ videtur. Hæc eſt enim ſanè coloris ratio, eſſe, inquam, eius motiuum, quod eſt perſpicuũ actu. Actus autem perſpicui lumẽ eſt, vti diximus. Id ita eſſe ex eo, tanquam è manifeſto ſigno patere poteſt; nam ſi quiſpiam id, quod habet colorem, ſuper ipſum viſum poſuerit, non ſanè videbit. Sed color quidem mouet perſpicuum, vt aërem, ab hoc autem, cùm ſit continuus, ſenſus inſtrumentum mouetur.

Colligit quædã, quæ hactenus dicta ſunt, Primùm, colorem eſſe id, quod in lumine videtur: deinde ſine lumine non videri colorem. Reddit rationem: quia hæc eſt ratio coloris, vt mouere poſsit & perficere diaphanum: nam idem eſt colorem eſſe diaphani motiuũ, & eiuſdem eſſe perfectiuũ: quandoquidem color non mouet perſpicuum tenebroſum, niſi antè illuſtretur. Quamobrem non malè dicit Philoponus ex Simplicio, colorem nõ mouere diaphanum, qua color, ſed quà viſibilis eſt: nam in tenebris color ſanè eſt, & tamen non mouet: ſed de his in quæſtione de natura coloris. *Sunt enim actus agentium in eo, quod patitur*, vt ſuperiùs hoc lib. dixit Ariſt. tex. 24. atqui lumen ipſius perſpicui actus eſt: ergo lumen, ſiue habitum largiatur coloribus, ſiue tantùm diſpoſitiuè concurrat ad mediũ, neceſſarium eſt, vt colores ipſi videantur. Prętereà colligit medium eſſe neceſſariũ, vt color videatur: quoniam color ſupra viſum poſitus non videtur, ſed priùs mouet diaphanum, quod motum alterat ipſum viſum. Cuius rationem facilè percipies, ſi conſideres, actionem iſtam agere contactu non phyſico & materiali, cùm ſit actio immaterialis & ſpiritalis, ſed contactu virtuali & intentionali actione: oportet ergo imagineris, ſpecies ab obiecto prouenientes quaſi denudari & ſpiritaliores fieri, vt aptæ ſint & proportionatæ, vt in ipſo ſenſu recipiantur: vbi rectè Commentator docet, obiectũ eſſe mouens & non motum, potentiã motam & non mouentem: at verò aër ipſe medius, cùm ſit vnus & continuus, ab obiecto mouetur, vbi quaſi præparantur ſpecies, vt deinceps moueat potentiam: eſt ergo medium mouens motum, vt infrà lib. 3. tex. 65. eleganter Ariſt. manifeſtum facit.

Obſerua quid interſit inter colorẽ eſſe motiuum diaphani & eſſe viſibilem, quod declaratur infrà tex. 125. 126. 127. 142. ſed lib. 3. tex. 54. abſoluitur eleganter.

Non enim hoc loco rectè ſentire videtur Democritus, qui quidem putat, ſi medium ſpatiũ vacuum fiat, formicam, etiamſi ſit in cælo, exactè, perfecteq; videri. Etenim idipſum fieri non poteſt. Viſio nanq; fit, patiente aliquid ſenſitiuo: at vt patiatur ab ipſo colore, qui videtur, fieri nequit: reſtat igitur, vt à medio. Quare neceſſe eſt, aliquod eſſe *Tex.74.*

me-

medium inter colorem ipsum, & visum: quòd si id vacuum fiat, non modò non exactè, sed neque quicquam omnino videbitur. Quam igitur ob causam necesse est, in lumine colorem videri, vt diximus. At ignis in vtrisq; planè videtur, in tenebris, inquam, atq; lumine, id autem necessariò accidit. Ipsum enim perspicuũ, ab hoc perspicuum fit.

Visio non fit per vacuum, contra Democritum.

Democritum reijcit affirmantem, meliùs per vacuum visionem fieri, ex eo quòd vbi non est medium, quod moueatur, nullus erit sensus: præterquam quòd ipsa natura vacuũ aborrere videatur (vt Arist. 4. Phys. cap. 6. 7. 8. & 9. ostendit) ergo per vacuum nulla erit operatio, igitur neque luminis illustratio: quare neq; coloris motio aut sensus perfectio. Nulla enim existenti media substantia, quæ actum velut materia suscipiat, impossibile erit, sensum aliquid videre, nedum rectè, perfectè & exactè (vt dogmatizabat Democritus) restat igitur vt à medio patiatur & illuminetur (vt satis iã dictum est) sensus ergo realiter tangitur à medio, & formaliter siue spiritualiter ab ipso colore, non immediatè sed mediante sua specie spirituali. Vbi nota, Aristotelem non probare hoc tex. medij necessitatem, sed tantùm intendit Democriti opinionem redarguere, quòd fieri non possit, vt visio fiat in vacuo: certum enim est, quòd si visibilia distent à visu, nullo existenti medio non videri, et si ponantur supra sensum, nõ facere sensationẽ. Probat ergo Arist. quòd color necessariò distet à visu, cũ supra sensum positus non videatur, & quòd nullo existenti medio, non tantùm distinctè, sed neq; videri contingat. Itaq; ad probãdum per vacuum nõ videri, assumit Arist. quòd nihil videtur nisi per medium: quod probat duplici signo, Primò, quia color positus supra sensum non videtur, Secundò, quia color non videtur sine lumine, vt colligas, medium potiùs requiri & quasi per priùs ex parte visibilis, quàm potentiæ visiuæ: fieri enim non potest, vt color visum moueat, nisi priùs medium affecerit: huius causam

Aristotelis mens.

generalem hîc damus, propriam tamen & specialem post omnium sensuum exteriorum tractationem, quibus hoc dubium cõmune est, assignabimus, & tandem lib. 3. loco dudum citato explicat Aristoteles.

Eadem autem est & de sono, & de odore etiã ratio: nihil enim ipsorum sensus instrumentum tangens efficit sensum, sed ab odore quidem, & sono mouetur medium, ab hoc autem vtrunq; sensuum instrumẽtum. Quòd si quispiã super ipsum instrumentum sensus, vel id, quod sonat, vel id quod olet, posuerit, nullus profectò sẽsus efficietur. Simili modo res sese habet in tactu, & etiã gustu, sed non apparet, quam autem ob causam, posteà dicetur, ac patebit. *Tex. 75.*

Ex proximi textus cõmentatione, istius satis est aperta expositio: eandem enim docet esse in omnibus sensibus rationem, vt quemadmodum ad videndum necessaria est visibilis aliqua distantia, atque aliquod intercedere medium, ita in reliquis omnibus sensibus sensibile supra sensum positũ non sentiatur, & medium etiam esse necessariũ, etsi in gustu & tactu, quę medio vtũtur intraneo, id non apparet.

Atque medium quidem in sonis est aẽr, in odoribus autem no mine vacat. Nam vt perspicuum in colore communis est quidam affectus in aëre, atque aqua, sic alius quidã in odoribus est affectus, qui quidẽ inest in his vtrisque, in aëre, inquam, & aqua. Videntur enim & animalium ea, quæ versantur in aquis, sensum odoris habere. Verùm homo, cæteraq; animantia, quæ degunt in terra, *Tex. 76.*

terra, atque respirant, nequeunt sine respiratione olfacere. Et causa etiam huiusce, posterius explicabitur.

Quib⁹ mediis quisque sensuum sentiat.

Quasi ad tacitam respődet obiectionem aduertens, in auditu & olfatu medium esse innominatum, quod declarat ex perspicuitate, quæ multis mistis & tribus elementis atque orbibus cęlestibus est communis: sic in aëre & aqua ad odorandum similis est affectio, quam Græcè Diosmos, Latinè verò Perolatia, quasi affectio habilis ad odorandum: similiter aëri atq; aquæ affectio alia communis est; quæ Diechen appellatur, quam personiam dixeris, hoc est, affectum ad sonos percipiẽdos aptum: vbi Arist. docet, pisces etiam odorare, quanuis non respirando vt homo, odorant nanq; absq; anhelitu & respiratione: multi enim vermes olfaciunt non respirãtes. Posset tamen quispiam non ineptè censere, talẽ esse proportionem piscium & eorum aquatilium animalium, quæ sub aquis degunt, ad ipsa terrestria animalia, quæ respirant, qualis est aquæ ad aërem: ergo sicut terrestria in aëre respirant, ita aquatilia in aqua, & ita respiratio non erit in solo aëre. Verum est, in aqua neque eodem modo, neque fine, neq; instrumentis respirationem fieri, sed analoga quadam ratione, de qua alibi dicemus: nunc verò post literæ Aristotelex illustrationem, ad quæstiones, quas obiter elucidandas polliciti sumus, descendamus.

Methodus tractandi quæstiones.

Sunt in hoc capite pulcherrimæ, magnęq; quęstiones, quas prętermittere absq; nota nemo poterit: præsertim, cùm non solùm pro Arist. sententia enodanda, verùm pro ipsius veritatis & Philosophiæ cognitione plurimum facere videantur. Tu tamen, benigne lector, boni cősule nostrum hunc laborem & qualemcunq; industriam: nam in tuam gratiam quęstiones hunc locum accommodatas aptè distribuendas, simulq; commodiorem occasionem rei etiam illas, quæ de medij necessitate & sensibilis distantia sese offerebant, vtpote quæ sine exacta cognitione omnium sensuum ad amussim pertractari nequeant. Primùm igitur omnium discutiendum videtur de natura coloris: Deinde verò de ratione luminis, nam his absoluitur visibile, vt potentiã ipsam mouere valeat. Quibus peractis, tertio loco de speciebus & imaginibus, quibus ipsum sensorium perficitur, disputabitur, vt demum de videndi modo nonnihil disseramus. Quæ methodus satis est peripatetica, cùm non solùm ex obiecto enucleetur, sed etiam definiatur potentia, vt supra cap. 4. huius dictum est; atqui ipsius visus obiectum est color, qui sine lumine nec videri potest, nec diaphanum ipsum mouere: meritò ergo duæ priores quæstiones de colore sunt, quem lumen requirit vt materiam, quam actuet atque perficiat, vt deinceps de speciebus & imaginib⁹, quibus obiectum visibile potentiam & medium mouet, vt tandem ex his omnibus colligatur & absoluatur, qua via & modo visio perficiatur. In his autem omnibus pertractandis Philosophiæ metas minimè egrediemur: non etenim miscebimus plura perperam, ex anatome sine dissectione petita, nulla ex alijs locis indigesta & quasi inuita atq; repugnantia adducemus: liceat tamen modò, Philosophum duntaxat agere, & Philosophiæ principijs insistere, quæ si percall uerimus, cętera nullius sanè vel saltèm minimę erunt difficultatis: porrò non sunt omnia omnibus in locis adducenda, aut miscenda, sed quæq; suis locis accommodatè tractanda: nã (vt scitè dixit Arist. lib. & cap. 1. de sensu & sensib.) vbi definit Physicus inde & Medicus incipit: habent profectò disciplinæ suum proprium & adæquatum subiectum (quod attributionis vocant) quare quæ ex anatome, aut ex medendi facultate, siue ex alijs posterioribus libris ipsius Arist. à quibusdam in hũc locum infarciuntur, à me nő expectes, omnia suum tempus habent & locum: sed & nos etiam habeamus modum; quoniam sat mihi certus sum, ex his paucis (modò probè intelliga) omnia illa futura tibi peruia & aperta. Sed ad rem veniamus.

Quæstiones huius loci propriæ.

Quæstiones ab hoc loco alienæ.

CONTROVERSIA

De natura coloris.

Cõtrouersia igitur de natura coloris meritò

ritò in hac parte primas obtinet: quia color visoriæ facultatis obiectū ponitur, vt mox exquisitius luminis explorata natura, visus, eiusq; functio innotescat. *1. argu.* Cùm ergo visibile vnam rationem habere debeat cōmunem his omnibus quæ videntur, principiò negotiū facessit, quia color non est id omne, quod visu est perceptibile: ergo color non est visus adæquatum obiectum: Cōsequentia nota est, quia lux & lumē colores non sunt, conspiciuntur tamen: ergo color non erit adęquatum obiectum visus, siquidem alia à colore vidētur. Deinde vrget, φ *2. argu.* quędam appareant & videantur colorata, quæ re vera non sunt, vt iridis colores varij, maris etiam, coli insuper colūbæ ex irradiatione Solis, aut cristæ Indi Pauonis: ergo color nō est aliquid existens, sed duntaxat *3. argu.* apparens in natura. Tum etiam tertiò, quoniam Aristoteles pręsenti hoc cap. colorem dicit esse diaphani motiuū, cùm tamen lib. de sensu & sensili pręsertim c. 3. doceat, extremitatem esse perspicui in corpore terminato: cùm igitur vnius eiusdémq; rei nō sit multiplex sed vna natura, sequitur, colorē *Conf.* non habere naturam diaphani motiuā. Cōfirmatur, quia color non tantùm est in externa superficie, sed etiam in internis superficiebus: quoniā eadē est in omnib' primarum qualitatum commistio, vnde color resultat, & similiter color vbicunq; fuerit, suā retinebit naturam: ergo in tenebris motiu' erit diaphani: quare istæ definitiones non exactè explicant coloris naturam. Tādem *4. argu.* color natura sua est obiectum visus, igitur & visibilis sine alterius rei adminiculo, ergo etiam sine lumine erit visibilis: non igitur lumen necessarium erit propter ipsos colores, sed solùm propter medium & ipsum perspicuum, cujus est actus. In oppositum videtur esse Arist. hîc & in libello de coloribus, & ferè vniuersa Peripateticorū *Quæstionis difficultas.* schola. Iamdiu inter Peripateticos & Academicos de natura coloris cōtrouersum video, & disceptatio ista adhuc sub iudice manet, cùm non tātùm Aristotelis interpretes minimè ignobiles variè sentiant, sed etiam *Opiniones de natura coloris.* Arist. ipse (vt in 3. cōtendebamus argumento) à seipso diuersus esse videretur: ergo (vt rem pro nostra vtili exponemus) proferendæ sunt in medium sententiæ, quibus collisis & examinatis, exquisitam (vt arbitror) habebimus de natura coloris cognitionem. Principiò Pythagorei superficiem, id est, epiphaniam & externam quandam apparentiam colorem docebant. Plato autem Thimęus flāmulas & lumina quędā colorem esse dicebat. Arist. verò Philosophorū omniū facilè Princeps, inter hos duos extremos dicendi modos neq; superficiē esse dicit, neq; lumē, sed terminū esse corporis, nō qua corpus est (sic enim cum Pythagora esset superficies) sed perspicui corporis, neq; actū esse corporis interminati & diaphani (sic enim lumen esset, veluti Platoni visum est) est ergo extremitas perspicui in corpore terminato: sicut enim lumē actus est interminati corporis, sic & color actus est & perfectio terminati: nā sicut propriū est perspicui ex alieno lumine illustrari & visibile esse, vt mediū sit ad omnes colores percipiendos (quod præsenti cap. docuit Arist.) sic terminati corporis proprium est, non in vniuersum aut omni ex parte, sed in extrema tantùm superficie apparere & videri & quasi perspicuum esse, vbi tantùm recipit lumen non in intimis partibus, quæ propter opacitatem illustrari nequeunt: itaq; lumē est quasi color perspicui, quod Arist. dixit hîc tex. 68. & 69. *Atque lumen quasi perspicui color est, &c.* In omnibus autē qualitatibus tria sunt summoperè aduertenda. Primò, ipsum subiectum, extra quod non habet esse, cùm accidentis esse sit inesse, ex Arist. 7. Met. tex. 4. & 16. in proprio enim subiecto omne accidens conseruatur, & ideò 3. Phys. cap. 3. tex. 1 & dicit, motum esse actum mobilis: Deinde etiam facultas ipsa & quasi vis atque operationis principium, quæ est ipsa accidentis ratio: Postremò ipsa functio & operatio: nam cùm nihil sit à natura otiosum (vt c. 8. 2. de Phys. Auscul.) sed quicquid est, propter aliquem finem est, atq; adeò propter suam operationem, vt 2. lib. de Cælo tex. 17. docet Arist. sic quoq; hæc tria in colore expectare & expendere licebit, cuius subiectum est ipsa extrema superficies corporis terminati: facultas autem seu ratio est ipsa perspicuitas siue apparentia, quatenus vim habet mouendi visum: est enim illa perspicuitas aptitudo ad recipiendos colores, functio autem & operatio est, vt moueat diaphanum: itaque perspicuitas est ratio, ob quam subiectum est coloratum, & facultas illa, vt est subiectum, quo recipiūtur colores, dicitur superficies: vt autē iam est colorata facultas ad mouendum diaphanū

Marginalia (right column): *Sola relatione trium opinionū Arist. sententia dēpāter distinguitur.* — *Comparatur perspicuum ad corpus terminatū.* — *3. obseruā de colore.* — *Tria in colore.*

accincta

accincta & proxima, dicitur operari, seu operationis proximum principiũ. Rursus sicut in corpore terminato hęc perspicuitas aptitudo est ad recipiẽdos colores, ita quoq; in corpore interminato ista perspicuitas siue diaphanitas ex æquo semper est aptitudo ad lumẽ & tenebras suscipiendas: sola ergo differentia est (quod attinet ad id, quod versamus) quod terminatum corpus ex illa aptitudine tãtùm in externa superficie recipit colores, interminatũ verò vndiq; & ex omni parte: itaq; color, vt recipitur in subiecto, à perspicuitate habet vt moueat: similiter mediũ se habet, vt recipiat lumẽ. Præterea, quoniã color vltimũ suũ actum habet à lumine, necessum est, de natura luminis vnũ aut alterum verbum prælibare, quantũ sat fuerit ad coloris notitiam habendã. Notandum tamẽ est ex Alberto, hæc inter se differre, luminare, lux, lumẽ, lucidum, radius, splendor: nã luminare corpus dicitur, quod in se lumen habet, queãdmodũ Sol & Stellæ, lux quidem forma dicitur luminaris, lumen actus diaphani, lucidũ corpus lumen aliunde habens, vt Luna, ignis, carbũculus. Itaq; lux videtur affectio affixa luminari, lumen autẽ qualitas fluẽs in mediũ & quasi quędã lucis species, radius verò lumẽ dicitur, quod secundùm rectã lineam in mediũ cadit, splendor verò lumen ex reuerberatione radij ad corpus luminosum creatum. Quare etsi lumen quoddam cõmune sit ad omnem talem effectũ in diaphano, verùm lumen propriè sumptum est id, quod à corpore luminoso pendet, impropriè autem quod à corpore lucido, vt lumen putridæ quercus atq; oculi: lumen igitur, vt cõsideratur affectio primi subiecti, sic sanè à luce non distinguitur: at verò vt ad corpus diaphanum interminatum refertur, illius act9 est, quo fit primò actu perspicuum, vbi aër est veluti materia & subiectum, lumẽ verò actus & forma, tenebrę tamen priuatio. Atqui tertiò, vt consideratur lumen respectu colorũ adhærentiũ perspicui extremitati, illorũ etiã dicitur vltimus actus & quasi postrema perfectio, quatenus color extremitatis & superficiei actus erit, nõ tamen ex se potẽs mouere mediũ, nisi priùs à lumine vi accepta, qua visum monet. Vim igitur actiuam lumen confert coloribus, quos ita perficit & facit actu visibiles, vt possint diaphanum mouere: sicq; intelliges illã collationẽ Arist. lib. 3. de Anima tex. 18. vbi dicit, intellectũ agẽtem facere actu intelligibilia, quemadmodum lumen colores, qui sunt in potentia, quodammodo actu facit: nam intellectus agens non solùm principiũ est ad intelligendum, sed etiam ipse est intelligibilis, non secus ac intellectus agens latentia intelligibilia, illustrãdo phãtasmata, ostẽdit: sic lumen in tenebris & in obscuro tacentes colores apparere & micare facit: sed de hac comparatione habes plura infrà lib. 3. cap. 2. Postremò adnotabis, colores veros esse, qui ex primarum qualitatum actione generãtur, ac diuersa mistura substantiarum elementarium, ad quã reduci diuersitatem colorũ necessum est: nam si ad solas ipsas primas qualitates agẽtes eos reduxeris, nũquam profectò satis intelliges, quare in quibusdã valde calidis pręstet color albus & etiã in quibusdã frigidis: calx calida & alba, nix frigida & alba: melãcholia frigida & nigra, piper valde calidum sed nigrũ. Sed à proposito videbor digredi, si colorũ naturas, variásq; diuisiones in extremos & medios induxero, cum pręsentis negotij sit, libros de anima exponere, nostraq; modò nõ intersit, libellum Arist. de coloribus interpretari, in quẽ egregia scholia fecit Simon Portius Neapolitanus, quo ex loco constabit diuersa colorum extremorũ atq; mediorũ natura: nos (inquam) tantùm coloris naturam in genere tractamus. Alij autem colores sunt apparentes, vel ex varia radiorum solarium refractione, vt in iride, vel ex eorundem extremorum verorum colorum mistione medij fiũt colores, qui non veri sed apparentes sunt. Quo genere colorum pictores inopia verorũ vtũtur: nam in illa mistione color, qui qualitas est, non ita miscetur, vt subiectum dimittat & in aliud migret: ergo ex sola hac mistione per partium comminutionem & subactionem, non accedente qualitatũ primarum actione, apparentes non veri colores resultabunt, quales etiam sunt illi, qui in humana facie propter verecundiam ex albo & rubro accidunt, ergo, &c. His omissis, vt indubitata ab his, quę in controuersiã ducuntur, separemus, sermo pręsens nõ est de coloribus apparentibus, illis præsertim, qui ex vario luminis aspectu oriũtur, vt in iride: horum autem omnium essentiã lumine non differt. Vnde statim sequitur, colores veros ex mistione qualitatum primarum prouenientes, diuersam habere à luce natu-

Marginal notes: 2. idẽ obseruandũ de lumine. — Differentia inter luminare, lucẽ, splẽdorem, lumen, radium. — Lumen. — Lumẽ ex termĩ cũ lumine intellectus agẽtis cõfertur. — 3. obserua de distinctione colorum. — Autoris intentio. — Pictorũ colores apparẽtes. — 1. Corol. — 2. Corol.

ram: Patet ex his, quæ suprà dicta sunt: nã lux aut lumen non fit ex actione qualitatum primarum, ex qua colorum diversitates oriri necessum est: ob id colori aliquid est contrarium, album & nigrum contraria sunt: luci autem aut lumini nihil ponitur contrarium positiuum, maximè, cùm lux qualitas sit cælestis, quæ ob id etiam à contrario immunis est, vt cælum (quod docet Arist. lib. 1. de Cęlo cap. 3.) prętereà colores acquiruntur in tempore & per alterationem (vt lib. 5. Phys. cap. 2.) at verò illuminatio non est motus, quia in tempore non fit, sed subito & in instanti (vt. 3. Phys. cap. 7.) Ex his igitur constat, lumen esse de essentia apparentium colorum, non tamen verorum: aliàs colores non essent in obscũ ro secundùm se & per se visibiles, neq; essent formæ permanentes & stabiles, sed variabiles continua variatione & fluxu Solis: & quod amplius est, solùm differrent secundùm magis & minus de participatione lucis, atq; adeò non esset differentia specifica colorum, sicut neq; est inter maiorem & minorem lucem, magis autem & minus non variant speciem. Sit igitur conclusio, qua respondemus quæstioni, de natura coloris esse qualitatem diaphani motiuam in extremo perspicui terminati. Hæc conclusio nõ solùm probatur ex Arist. cuius duas de colore definitiones, tanquam materialẽ & formalem in vnam coniungit, verùm ex discrimine ipsi⁹ à Platone & Pythagora manifestatur: eo enim quòd color motiuus est diaphani, ad Platonem accedit, qui colores emicantes à corporibus flammas docebat: eo autem quòd extremum perspicui colorem definiuit, ad Pythagoram inclinat, qui superficiem aut epiphaniam ipsos colores tradebat: differt tamen à Platone magistro suo, quòd color non sit solùm lumen aut flamma, siue aliqua qualitas emicans & fluens, sed stabilis & inhęrens corpori ipsi terminato, ex primorum corporũ atq; qualitatum primarum actione prouenìens: differt etiam à Pythagora, quoniam color non est ipsa superficies, quæ vltimũ est corporis, qua corpus est, sed color est illa qualitas, quæ in hac superficie tanquã in subiecto est, quæ est vltimum perspicui terminati, id est, nõ trãsparentis. Vtrunq; sanè reperies in eodem perspicuo, & superficiẽ, quę vltimũ est terminati corporis, & extremitatem perspicui, quę color est: non tamẽ sunt idem sed differunt, cùm certissimũ sit, perspicuũ ipsum superficie quidem terminari, coloro verò non: quoniã perspicuũ debet esse medium aptum ad suscipiendos & perferendos omnes colores: quare corporibus terminatis color inest⁹ est atq; propri⁹, corporibus verò interminatis & perspicuis lumen non est color, cùm non sit insitũ ipsi perspicuo, est tamẽ impropriè quasi color, vt Arist. docet tex. 69. Atq; hęc differentia inter Arist. & Pythagorã est sommopere cõsiderãda: nã superficies prior quidẽ est ipso colore, cùm eius sit subiectũ: color autẽ est in ipsa superficie atq; extremitate, nõ sicut alia accidẽtia (sic enim nihil haberet color, quo à cęteris accidẽtibus, quę in superficie recipiũtur, distingueretur) sed per materialem quandã attributionẽ, nõ remotã & cõmunem omnib⁹ sensibilibus, sed proximã & propriam coloribus, quæ est ipsa perspicuitas, quæ (vt diximus) aptitudo quędam est corporis vt coloretur: sicut enim augmẽtabile significat subiectũ & facultatem recipiendi augmentũ ab anima, ita etiã in colorib⁹ colorabile significabit subiectũ, quod possit recipere colores à perspicuitate: ergo in ipso colorabili subiectũ remotũ, Quod, superficies est, id est, latitudo, quę vltimum est corporis, qua corpus est: proximũ verò subiectũ, Quo, est ipsa perspicuitas, quę facultas & aptitudo est ad recipiẽdos colores. Nõ tamen sequitur, omnes colores esse idẽ, propter argumẽtum Arist. lib. 3. Phys. tex. 10. nam si esset idem subiectũ & aptitodo ad sanitatem & ęgritudinem, idem esset sanitas & ęgritudo: quoniã Arist. solùm intẽdit declarare definitionẽ motus, atq; docere subiectum ipsum in quantũ est in actu, ratione differre à seipso vt est in potẽtia: prætereà mens Arist. est (vt dico infrà in lib. 3. de Aia c. 1.) quòd actus sunt in diuersa potẽtia (vt ibi dico de albedine & dulcedine in lacte) ergo illa superficies cũ alia aptitudine in vltima est dispositione & potentia ad colorum receptionem & non saporum: itaq; color ex mistione primarũ qualitatum proximam habet materiam, ex perspicuitate autem corporis terminati aptitudo est ad lumen & tenebras. Quare duo tribuimus colori ex Arist. sententia: Prius, ꝙ accidens sit verũ & existens in corporibus naturalib⁹: Posterius, ꝙ sit actu visibilis: & sicut prius habet ex qualitatũ primarũ certa mistione, ita posteri⁹ à lumine ipso nan-

Lumẽ extra essentiam verorũ colorum est.

Conclusio Arist. media inter Platonem & Pythagoram.

A Pythagora Arist. differt.

Expende & obserua.

Duo habet color.

nanciscitur: sine lumine enim non est motiuus diaphani, quod nō mouet, nisi cùm est actu perspicuum: est ergo lumen veluti coloris forma, quæ non est propriè & formaliter insita, sed obiectiuè tātùm determinat ad esse visibilis, quatenus tribuit vim mouē di visum: formæ nanque propriū est determinare atque in specie cōstituere, vt mouere & agere possit. Quare licet color in tenebris sit actu color, non tamen in actu sufficienti ad mouendum diaphanū motione spiritali, & propter hoc non est actu visibilis, cū esse visibile non cōueniat colori in tenebris, nisi in potentia & fundamētaliter, nō secundū actū cōpletum: cōpletur nāque & absoluitur color, cùm actu illuminatur, ita vt ex lumine & colore fiat vnū obiectū visus, in quo formale à lumine visum mouet: materiale verò color est à primis qualitatibus resultans (ita Caietanus hîc, & Ferrar. 1. cōt. gēt. c. 76. Albertus summa de homine tractatu de lumine. q. 1. & S. Tho. 1. 2. q. 12. art. 4. in corp. Auicēnas. 6. natural.) quia color, cū sit actus, habet agēdi principiū, non tamē nisi extrinsecùs adiuuetur à lumine: & meritò, quia (vt dicitur in. 2. Met. tex. 4.) primū in vnoquoque genere causa est eorū, quę in illo genere cōueniunt: cùm ergo lux sit primū visibile, quod sine colore videtur, color autem nō sine ipso, meritò igitur lumen efficiet colores actu visibiles, & ex lumine & colore visibile integratur, quādo color est ratio, Quę, videtur, lumen autē ratio, Qua. Quare si in tenebris nō videntur colores, argumentū non est, eos nō esse natura sua visibiles, aut diaphani motiuos atque perfectiuos, sed nō videri actu aut mouere propter medij indispositionem & defectum. Actio enim & functio illa coloris purior est atque simplicior, quàm in medio tenebricoso recipi valeat: ergo color, vt habet esse permanens & stabile in subiecto ex primis qualitatibus resultans, sub tenebris quidē est, atque ipsum suum subiectū actuat & perficit, ex cuius cōpositione pro varia elementorū atque primarum qualitatum temperie in ipsomet resultat: at verò vt habet esse visibile, ad mediū ipsum atque facultatē visoriam refertur, à luceque completur & perficitur. Quod Aristotelem sequuti dicunt, Auicēnas. 6. lib. natural. c. 3. Alpharabius Auēpache, quos Cōmentator Auerroes tex. 63. citat, vt intelligas, colorem non solùm ex perspicuo & lucido precisè nō cōstare, sed

Color quomodo in tenebris visibilis.

Lumen et color vni cū visus obiectū.

neque adhuc ex qualitatibus primis cōponi: quia cùm forma simplex sit, ex illarū actione resultat potiùs quàm ex temperie atque contemperamento cōponatur: quod mihi visus est Arist. libello de coloribus sentire. Vnde vtroque modo visibilis est in secundo modo dicendi per se, nisi quod priori modo (vt est extremitas perspicui) remotè & quasi in potentia visibilis est: posteriori autē modo (vt est diaphani motiuus) in potētia proxima videri potest, quatenus lucis illustratione in actum reducitur completum, per quē propriam affectionem (quæ est diaphanum mouere, & visum afficere) manifestat. Quæ duo si iungas, inuicémque cōponas, integrā & absolutam coloris definitionem constitues, vt color sit vltimū perspicui terminati, diaphani motiuū, vbi prius videtur ratio nem generis habere, posteriùs autem differentiæ. Coloris autem definitio datur per concretum (quia est proprius modus definiendi accidētia) tamen explicanda est per abstractū, vt sic intelligatur nō in obliquo sed in recto extrema perspicuitas corporis terminati, diaphani motiua: & ob id nō sūt duo sed vnus color, vt tex. 73. diximus, colorē facultatē esse, quę ex ipso subiecto nata, diaphani est motiua: ergo vnicū visibile obiectū visus cōpletur, vt inde vnicā esse potētiā intelligam⁹, vt posteriùs in hoc eodē libro Arist. docet tex. 107. *Omnis enim sēsus, vnius cōtrarietatis esse videtur, vt visus, albi, nigrique, &c.* tacet lucis & tenebrarū cōtrarietatem, quæ priuatiua est, & in illa positiua intelligitur, quę veluti materia subijcitur alteri vt formæ: colores enim actu integram visibilis rationē nanciscūtur, cùm illustrantur. In quē sensum alludit Arist. de sensu & sensili cap. 3. dum dicit, omnia corpora colore participare, vbi color sub se lumen tāquam coloris complementum comprehēdit: lumen sanè (vt sæpe dictum est) vim cōfert colorib⁹ ad mouendū sine alterius motoris extrinseci indigētia, vt deceptus Auerroes existimauit. Lumē enim cū colore vnū visibile facit, ita tamē vt cōiungātur & copulētur dupliciter: Primo modo, intrinsecè, quatenus de ratione omnis coloris est perspicuitas in genere causæ formalis: quia colores sunt quędā offuscata lumina. Secūdo modo, extrinsecè in genere causæ efficientis, vt in expositione tex. 66. diximus: color enim est stabile accidens perspicui terminati, id est, opaci, vt habet quidpiam perspi cui-

Quomodo resultet color ex lucido, quomodo autem ex elemētis.

Sensus superioris tex. 66.

Vide lib. 3. tex. 54

Coloris natura egregiè explicata.

Ex colore & lumine vnicum visibile.

Lumē & color dupliciter vniūtur.

euitatis. At lumen est fluens & variabile accidens ipsius perspicui interminati, id est, diaphani vt pellucida sunt, in quorũ intima etiã superficie ipsorum recipitur lumẽ: ergo penetrantur & perfunduntur, & vndiq; omni ex parte illuminata apparent. Sic *Attende.* enim lucida terminata, id est, corpora colorata colorem recipiunt, qui tamen in sola superficie externa habet apparentiam diaphani motiuam: quoniam sola illa extrema superficies perspicuitatem participat. Quo fit, vt adeò color & lumen sint vnum obiectum visus, quòd lumen secundùm se non sit visibile, nisi occurrat colori (vt infrà expono) color autem sine lumine nullatenus videatur: ergo vtrunq; simul est vnum integrum visibile, modis iam explicatis. Ex quibus sequitur, quo modo accipiẽdum sit dictum Alexan. cap. de sensibili per accidens, cuius postremis ferè verbis affirmat, corpus habere semper superficiem, sed nõ semper habere colorẽ, nisi cùm illustratur: non enim nomen respexit, sed rem, id est, corpus, quod in tenebris semper habet extremum, hoc est, terminum, nõ tamen semper habet colorem, id est, id, quod actu mouet diaphanum, nisi vbi illustretur. Quasi significare velit, colorẽ in tenebris non esse in ratione actu visibilis: quoniam lumẽ est, quod quasi extremam coloribus manum imponit, & causa sit, vt moueat, afficiatq; visum: à corpore sanè quasi emicat color, qui suam sumit postremã facultatem à lumine: sicut illustratio phãtasmatis facit aliquid elaboratum in genere intelligibilis, sic lumen circa colores in genere sensibilis. Finem igitur dicendi faciamus: nam cõclusio, qua quæstioni satisfacimus, aperta iam est, quam repetere placet, vt sub alijs fortasse verbis eadem sententia clariùs elucescat. Primum omnium color non est sui perficies, quæ sine colore apparere non potest: nec terminatum corpus cõspicitur aliquãdo, nisi coloretur (quo excludimus Pythagoram) mox color lumen non est aut lucens color, cùm lumen actus sit diaphani, quo accedente prodeunt colores, abeunte verò occultantur, quod dum fluit atq; refluit, color stabilis est atq; in ipso subiecto permanet (quo Plato reijcitur) color insuper sicut lumen non est, ita neq; de eius essentia lumen est, nisi quatenus quędam luminis vis & perspicuitas colorum naturas cõplet: est enim per se etiam in tenebris de potentia remota visibilis (quo Platonis & etiam Alberti secludimus sentẽtiam) est ergo color qualitas in extremo perspicui terminati, quæ, vt visibilis est, actum vltimum & functionẽ à lumine mutuatur: color igitur materialiter, vt subiectum respicit, dicit coloris naturã: at verò vt illustratur lumine, ad potentiã visoriã sese refert & prodit visibilis, & externa illa corporis terminati perspicuitas est, quę diaphanũ mouet: quod declaratur infrà tex. 126. & lib. 3. tex. 54.

Defenditur Alexander.

Lumẽ videtur colores perficere & consumare.

Pulcitra c.llusio.

De coloris natura breuis sũma, quæstio cõplectitur.

QVAESTIO ALTERA appendix.

An lumen requiratur propter mediũ, an propter colores?

Ex quibus omnibus facilis est solutu illa controuersia, an lumen propter mediũ disponendum requiratur, an potiùs necessarium sit propter colores ipsos actuandos? Auicennas in primis. 6. natural. p. 3. c. 1. lumen ratione obiecti tantùm esse necessariũ existimat, cùm noctu experiamur, illustratos colores à nobis etiã in obscuro existentibus videri: & præterea, quia lumẽ vltimũ actum confert coloribus, sine quo nequaquam mouerent diaphanum: constituũtur igitur per ipsum formaliter & completè in ratione visibilis: ergo videtur color à lumine quasi fauorẽ postulare. Sed S. Tho. 1. p. q. 79. ar. 3. ad. 2. & hìc, quòd lumen ratione medij sit necessarium, ex eo quòd de se color sat visibilis est atq; satis diaphani motiuus, cùm sit per se sensibile: igitur per se poterit mouere, vt proximo cap. 6. ostendebamus: atq; adeò cum Arist. doceat, colorẽ visibilitatem acceptam debere ipsi lumini, intelligendum est actu: nam aptitudine à se habet, neq; sic pẽdet ab aliquo extrinseco. Præterea quia proprium subiectum ipsius luminis diaphanum est, cuius est quasi quidam color: ergo color per se est visibilis & in se habet causam visibilitatis: aut da, quã dispositionem lumen inducat in ipsos colores? Mea igitur sententia, propter ambo requiri lumẽ intelligo: nam sine lumine neq; mouebitur diaphanum, neq; color vltimã habebit perfectionem. Lumen igitur ratione vtriusq;, coloris scilicet & medij necessarium esse videtur, cùm idem lumen & medium actuet, & colores perficiat: color enim in ratione visibilis lumine indiget, quod ipsi cõpletam rationẽ det: ideo lumẽ

1. opinio, lumẽ propter colores requiri.

2. opinio S. Tho. propter mediũ ponit lumẽ necessarium.

Autoris opinio.

1. assertio lumẽ propter vtrũque requiri.

ex hac relatiua ratione ad visum propter colores est, in ratione tamen coloris atque naturæ propter medium, quod complet & in actu constituit: est igitur quasi color diaphani. Et si roges, an sit ex æquo propter vtrunq;,an per priùs conferat medio, an colori? Ex his,quę iam nunc dicebamus, solutum est hoc dubium: non enim æqualiter se habet lumen ad medium & colores,cùm actualitatem medio conferat, deducendo de potentia ad actum & cuius est forma, & vt hîc Arist. dixit tex. 79. quasi color: qua via & ratione aut non requiritur propter colores, aut saltem minus necessarium, cùm tantùm extrinsecè se habeat per solùm quendam contactum & vnionem secundum vim actiuam: lumine enim color fit potens actu ad mouendum diaphanum:igitur lumen non est formaliter in colore, sicut est in medio, sed vnitur colori obiectiuè,dum vim & efficatiam confert ad agendum:at medio vnitur formaliter. Habent se igitur sicut excedens & excessum: nam quod attinet ad perfectionem & complementum,ratione obiecti priùs est necessarium, quòd priùs concurrat cū colore,vt moueat ipsum diaphanum,quia est mouens immotum; nam (vt diximus superiùs)lumē,quanuis nō actuet colores,ipsis postremam facultatem & perfectionem tribuit, qua possint & diaphanum mouere, & visum afficere: obiectiuè ergo per priùs lumen necessarium est propter colores, quos apparere facit, tametsi magis vniatur medio, quod non sic obiectiuè sed formaliter actuat atque ei magis vnitur:& ideo quantùm medium magis distat ab actu perspicui, tantò magis lumine indiget: non enim habet naturam perspicui sine lumine,nisi in potentia: color autē actu suam habet naturam etiam sine lumine visibilem, quanuis non contingat sine lumine colorem videri. Et si rursus instes & vrgeas,vtra maior est necessitas & luminis indigentia,absolutè loquendo,medij,an coloris? Facilis est ex his,quæ iam nunc dicebamus,solutio,nēpe quod magis necessarium lumen est propter ipsum mediū:nam est velut eius esse,forma atq; actus,& magis intimè vnitur, & ita magis vnum facit, & easdem ob causas magis deducit & separat à potētialitate: cùm ergo formaliter cū medio vniatur,obiectiuè tamen & efficiēter cum colore, minùs requiritur lumen

2. assertio in qua ratione necessarium sit lumen, quia propter medium formaliter, et propter colores obiectiuè.

3. assertio magis propter medium vis exequutionis.

propter colores ipsa exequutione & exercitio actus. Quāuis verum sit,neutrum posse mouere visum sine luminis adiutorio: porrò lumen continet fontem & primā visibilitatis originem, quam his ordine quodam cōmunicat: dum enim mediū actuat, ipsum disponit,vt illustratus color obiectiuè possit diaphanum mouere,& sua intentionali actione visum perficere:qua ratione cùm vis omnis mouendi visum à lumine in colorem & medium deriuetur, intentione naturæ priùs dirigitur ad illustrandum obiectū,quod est quasi generans,& cuius motio per speciem prior est, & antecedit saltē naturâ perspicui motionem:est enim luminis quędam participatio non tantùm in coloris essentiâ,sed colores ipsos ad cōefficiētiam lumē iuuat,atq; veluti pręcursor,qui pręparat viam: ideo principaliùs ob colores,ad quos viam præparat & disponit medium,quô progredi valeant ad potentiam, quæ etiam ab ipso lumine præparatur:ergo ex parte medij vt causa disponens, ex parte obiecti & coloris vt efficiens formā: ideo priùs intentione ex parte obiecti,formaliter autem ex parte medij. Reliquum est,vt lumen necessarium etiam sit ex parte finis,nempe ex parte potētiæ visiuæ,quę sine lumine actu diaphana non est nec perspicua, vt visionem absoluere & perficere queat: color autē nō est motiuus nisi diaphani(vt tex.67.cū Arist.diximus)ergo nisi oculus per lumē reddatur actu perspicuus, visio non cōsummabitur(hanc luminis externi efficientiā siue concursum expendas oportet,si cupis indigētiam luminis interni percipere,& concursum intellectus agentis penetrare lib.3.c.2.in quęst.de intellectu agēte in confirmatione.1. circa solutionem ad 3.) Etenim sicut aër visibiles species sine lumine nō recipit,sic quoq; nec visus imagine ipsius visibilis afficietur, nisi priùs per luminis externi illustrationem capax efficiatur: idcirco tex.74.dicebat Aristot. *Visio nanq; fit patiente aliquid sensitiuo*(& post pauca) *Quam igitur ob causam necesse est, colorem in lumine videri*:sensitiuū ergo pati à colore nō potest,nisi medio,ipsoq; sēsitiuo illustratis, quare potētia ipsa visiua illuminari debet lumine externo:quoniā (vt infrà tex.162. dicitur)sine lumine visio fieri nequit. Et si dicas,sufficere propriū & natiuū lumen ipsius visus,atq; adeò quod superuacaneè ponitur luminis externi influentia atq; concursus?

4. assertio intentione naturæ propter obiectū magis requiritur.

5. assertio lumen ex parte finis in potentia visiua collocatur.

Obiectio.

Soluitur cóclusio-ne, eiusq; declaratione. Respondebo, hanc esse meam sententiam, quòd non sufficiat lumen internum potentiæ visiuæ, sed quòd necessarium etiam est lumen ipsum externum, quod, dum visum afficit, non tātùm ipsum illustrat, sed etiam habilem efficit: tum, ad visibilis imaginem suscipiēdam: tum etiam, ad ipsius visionem eliciendam. *Conclusio probatur primò Philosophi autoritate.* In primis sententia ista peripatetica est, & antiquissimorum, grauissimorumq; Philosophorum (non est sanè à me conficta, neq; domi meæ nata, licet iamdiu sepultam exsepelire & in mediam lucem depromere videar) Arist. lib. de sensu & sensili docens, oculum aqueum esse, quia & aqua perspicua est, his verbis sententiam hanc tenet, *Vt autem extrà non sine lumine videtur, sic intrà* (& paucis interiectis) *Non enim animæ sensorium in oculi est extremo, sed in parte, vt patet, interna existit. Quamobrem necesse est, vt pars oculi interior perlucida, & luminis exceptiua sit.* A pertè ergo pro nobis pronūtiat Philosophorum Princeps: nam semel dicit, oculum non videre sine lumine intrà, & vt cesset euasio dicentium, oculū suapte natura lucidum, & quia viuit, lumen habere natiuum (hoc sanè verum est, & ingenuè fatemur, sed hoc lumen internum non sufficere contendimus) iterum se explicans subdit, quòd pars oculi interior non tātùm pellucida est, sed etiam luminis exceptiua, & expressè distinguit inter lumen exterius & interius, & affirmat, quòd vltra hoc internum & proprium lumen, oculus exceptiuus est luminis externi: secus profectò nunquam continget videre. *Lumē necessarium ex parte potentiæ.* Huius autem ratio (nisi mea me fallit opinio) hæc est: quoniam oculus secundùm se consideratus cum illo suo interno lumine & natiua perspicuitate non est in vltimo actu, sed adhuc est in potentia, quæ per ipsius luminis vim ad actum redigitur. *2. ex parte formæ & speciei.* Rursum ex parte speciei visibilis, quæ forma est, quæ nunquam recipitur nisi in subiecto capaci, hoc est, actu diaphano: vnde sicut aër speciei visibilis non est susceptiuus, nisi priùs recepto lumine actu fiat diaphanus, sic oculus imaginis visibilis capax non est, nisi visus ipse priùs fiat per lumen externum actu perspicuus. In quem sensum oportet extendere, quæ Arist. dicit tex. 67. vt non tantùm de medio, sed de potentia ipsa intelligantur verba illa, *Color autem omnis motiuus eius est, quod est perspicuum actu, & id est ipsius natura. Quapropter non est visibile absq; luce, sed omnis vniuscuiusq; color in lumine sanè videtur* (nonnulla deinceps subdit in definitione perspicui & luminis ratione, quæ hanc sententiam iuuare quoq; videntur) ergo color si aërem actu mouet atque oculum afficit, oportet, vt per lumen (quod actus est perspicui) priùs illustrentur: est ergo lumē actus & forma, quæ habilitatem & capacitatem donat ad species visibiles suscipiendas. *3. ex parte efficientis et actiui principii.* Præterea est mihi ratio (meo iudicio) demonstratoria, quæ desumitur ex parte ipsius obiecti & actiui principij, nempe quia in omni actione doctrina hæc peripatetica perpetuò obseruatur, vt omnis effectus atq; actio ad primum agens in illo genere, atq; ad mouēs in illo ordine primum referatur (receptissima est hæc maior) at in functionibus visibilium atque visionis, ipsiusq; visiuę potentiæ lux est primum mouens & generans, atq; prima visibilitatis radix: ergo cùm causa prima magis intimè & priùs influat quàm secunda, fateamur est necesse, non solùm ad visibilis motionem necessarium esse lumen ex parte obiecti, pręterea & ex parte medij, sed rursum etiā ex parte potentiæ visiuæ: nam omnem visibilis actionem actio, ipsiúsq; lucis influētia præire videtur: siquidem in hoc genere color est mouens, motum tamē à luce, lux autem mouens est immotum. *4. ex parte modi immutandi.* Accedit ad hæc, quòd sicut lux omnes pręit colores, quos facit visibiles, & ipsam quoq; potentiam præibit & præueniet, vt faciat visibilis speciei perceptiuam atq; capacem: maximè, quia (vt infrà in quæst. de natura luminis dicemus) lumen non solùm qualitas realis est, verumetiam intentionalis, quod est dicere, lumen & lucem non videri per speciem distinctam, sed per ipsammet lucē, quæ ad modum speciei visui vnitur: quare si lux non videtur media aliqua specie, sed seipsa, ergo ipsa per se non solùm actuat visum, sed promouet etiam, atque ad perficiendam visionem idoneum ipsum facit. *Lux seipsa videtur.* S. Tho. autor est, lucem non videri per speciem distinctam à se, quod probat ex ratione lucis, cùm respectu oculi nihil sit immaterialius ipsa luce, vt dixi. 1. p. q. 12. artic. 2. & desumpsi ex eadem. 1. p. q. 56. ar. 3. in corp. & in. 2. d. 13, art. 3. in fine corporis &. d. 23. q. 2. ar. 1. in corp. de verit. q. 8. ar. 3. ad. 17. & q. 14. art. 8. ad. 4. & Caietanus locis citatis super. 1. p. & hic super Aristotelē, quòd lumē intrà in oculo recipitur, & propterea *Visita hęc loca sancti Thomæ et Caietani.*

pterea dicit, quòd lux videtur per seipsam: quia lumen est velut species lucis: de verit. q. 10. artic. 8. & de potentia. q. 1. ad. 6. & S.Tho. in. 2. d. 13. q. 1. art. 3. in fine corp. citat D.Aug. in hanc sententiã, quòd lumen medium sit in omni sensu, sed in visu primò & immediatè: nimirum significans, in visu lumẽ formaliter recipi: & ita expressè affirmat S.Tho. quòd lumẽ non solùm coloribus dat vim mouendi & medio vim recipiẽdi & immutandi visum, sed etiam organo dat virtutem & recipiendi & agendi, iuxta D.Dionysium, quem citat etiã cap. 1. de Angelica Hierarchia, lumen esse primũ & simplex in essentia, multiplex autem in efficatia: & ita in. 3. d. 14. q. 1. art. 1. quęstiun cul. 2. in corp. docet, vniuersaliter nullã potentiam exire posse in actum suum, nisi per formam sui primi actiui, per quam fit in actu, compleatur, quando nil operatur, nisi vt est in actu, & omne, quod mouetur, à primo in illo genere, tanquam à generãte excitatũ, mouetur. Quocirca eadem doctrina de intellectu possibili & agente confirmatur: quoniam licet intellectus possibilis lumen quoddam sit, tamen quia est potentiale, indiget intellectus agentis illustratione, vt fiat in actu: vnde sicut ex lumine & specie intelligibili conficitur vnus habitus & forma intelligibilis actualis, sic in visu ex lumine externo & specie visibili fit vnus actus & forma visus: aliàs non esset passio secundùm impressionem & dispositionem primi actiui: profectò sicut intellectio fit secundùm impressionem luminis intellectualis intellectus agentis, sic visio secundùm impressionem luminis externi. Qua de causa lumen glorię (vt docet S.Tho. 1. p. q. 12. art. 5.) ponitur vt requisitum, vt intellectus creatus fiat capax ad recipiendam speciem diuinitatis, quæ ipsamet essentia diuina est, quo lumine etiam confortatur ad visionem beatificam eliciendam: ergo (vt hîc tex. 70. docet S.Tho.) visus vnus est, & visibile vnum erit, & per rationem vnam videtur: vnum autem non esset, nisi per vnicam rationem luminis videretur. Et post pauca cõcludit, colorem habere virtutem imperfectam: quia non potest perfectè sui participationem inducere in susceptibili, cùm color sit lux quædam obscurata: ob id non potest facere medium susceptiuum coloris, quod tamen potest facere lux pura, quæ vt sit dispositio ad colores suscipiẽdos, seipsam communicat & imprimit. Itaq; sententia nostra S.Tho. est & peripatetica & rationi consentanea, scilicet, lumen non solùm propter obiectum atque medium rationibus dictis requiri, sed etiam propter ipsum visum disponendum & actuandum in genere causæ formalis, & vt etiam ipsum confortet, vt perducatur ad visionis perfectionem. Hæc, optime lector, tuæ cõmitto grauiori censuræ, atq; exactiori tuę limæ: non enim mihi licuit pro mei ingenij tenuitate atq; varijs occupationibus distractò, hæc perficere aut ampliùs illustrare, sat mihi fuerit, sapienti viam commõstrasse. Ex quibus argumenta quæcunq; adduci possunt in hac appendice quæstione, satis erunt ex his, quę pro vtraq; parte diximus, soluta. Solùm notes obsecro in illo experimento Auicennę, medium, etiamsi non appareat, illuminari ab illustrato nanq; colore, inde successione quadam totum deinceps medium afficitur, vt reddatur accommodatum ad ferendam visibilis motionem ad visum vsq;: non ergo asserimus, lumẽ illud insensibile esse, vt censet Caietanus, qui nihil audet definire, sed quòd non percipiatur, eo quòd (vt in sequenti quæstione dicemus) lumen in perspicuo non sentitur, nisi occurrat corpori alicui terminato, tunc enim lumen visibilis sortitur rationem: sicut nec oculus fungetur speculi officio, nisi etiam sicut ipsum speculum postica sui parte aliquo opaco & tenebroso illineretur, vt plumbo: sic quoq; oculus quasi quoddam vitrum speculi officio certam recipit imaginem, quam retinet: quia humorem habet, qui altera ex parte obsistat, vt hæc luminis irradiatio & visibilis motio terminetur. Si ergo perspicuum, aut speculum, aut oculus vndiq; sine termino aliquo transparerent, nusquam posset visio perfici: ideo sicut speculum (vt Alberto placuit) oculus est mortuus, ita quoq; oculus speculum est animatum: quare sicut speculum oblatas formarum imagines dissipari, diffũdiq; non sinit ob subiectum plumbum, quod illius terminat perspicuitatem, ita in oculo euenire intelligimus: similiter & in ipso perspicuo contingere non immeritò dicemus: ergo lumen est in quocũq; medio, vbi fit visio, sed non videtur: quia non occurrit alicui terminato corpori. Quid? quòd est imperfectè illuminatus ille aërmedius. Sed iam tandem finem dicendi faciamus, nõ enim potuimus tam

D. Aug. *S. Diony.* *5. à simili deducitur.* *Modestè ab Autore resumi turcõclusio.* *Notanda doctrina cum pulchra perspicui, speculi, & oculi collatione.* *Caietan⁹.* *Excusatio prolixitatis.*

tam multa & tam abstrusa paucioribus cōprehendere: & vtinam breuitas difficillimę huic quęstioni nouam difficultatem & obscuritatem non intulerit. Iam ergo receptui canentes argumēta in principio cōtra naturam coloris proposita diluamus, quæ improbare nitebātur, coloris naturam aliquā esse, quam tamen nos asseruimus esse quidem qualitatem innatam pro ipsius subiecti alia & alia ratione temperati, quæ illustrata diaphanum mouet, vt visum perficiat: quæ fuit sententia Aristotelis, qua, quę Pythagoras & Plato obscuriùs pronuntiarunt, subtiliter ipse & planiùs atque veriùs expressit, cuius sententiæ omnia consonāt.

Ad 1. Ad primum igitur argumentum satis per discursum quęstionis responsum est, maximè, vbi ex colore & lumine vnicum visibile cōstituebamus: deinde color comprehendit sub se lumen, quòd Arist. hîc appellet, lumen esse ipsius perspicui quasi colorem, & de sensu & sensili, omnia colore participare: vbi in priori solutione color sumitur propriè, sed non nisi vt inuestitur lumine, quod affert primam visibilitatis rationem & originem: in posteriori verò solutione color sumitur communiter ac largè.

Ad 2. argumentū. Secundum facilius multò est: quoniam hîc disputatum est de veris, non de apparentibus coloribꝰ, qui solo aduētu luminis procreātur eius refractione ad visum, vt de iride docet Arist. 3. Metheoro. c. 4. quę in tota nube est, licet nō appareat nisi in circunferētia illa, cuius centrū est oculus iridē videntis: de quibus verū illud est, ꝙ colores nihil aliud sunt, quàm lumina colorata, aut colores illuminati, aut lumina refracta & per nubes transeuntia, ipsásq; irradiantia. Veri sanè colores non sic abeunt, & cum lumine veniunt, etiamsi pereat claritas, aut nūquā luceat Sol, veri colores sunt in suis subiectis, etiam in tenebris: nō enim sunt soluti, sicut lumen in diaphano, neq; lumen est ligatum in coloribus (vt quibusdam placuit) habēt profectò essentiā distinctā à lumine: si tamē colores luminaria dicūtur, hoc ideo est, quia claritatem participant, vel quia lumen confert ipsis vltimam perfectionē visibilitatis: vel color dicatur aliquod lumen, secundùm quòd quodam tenus apparentiam efficit: ergo lumen esse de essentia coloris, intelligendum simpliciter est de apparentibus, & secundùm quid de veris. Vel dic, quia perspicuitas sit aptitudo subiecti, vt colores recipiat (vt suprà latè dictum est) tā in medio, quàm in subiecto & in potentia visiua.

Lumē differēti modo se habet ad veros & ad apparētes colores.

Ad 3. argumentū. Tertium pluries est in corpore quæstionis solutum, cùm istæ duæ definitiones incompletæ sint, ex quibus integra coagmentatur, sicut superiùs de materiali & formali animæ definitione cap. 2. diximus, & lib. 1. Post. cap. 2. de duplici demōstrationis definitione: imo in hac definitionum adunatione quasi ex materiali & formali, concordia opinionum sita est, & inde pendet legitima Arist. sententia, atq; expectanda vera coloris natura: nam color, secundùm quòd est extremum perspicui terminati, dicit naturam quandam absolutam ex temperie & actione primarum qualitatum resultantem. Id autem, quod additur, vt sit motiuus diaphani, habet à lumine in ratione visibilis, & per quandam relationē ad propriam operationem & functionem, propter quam vnumquodq; dicitur esse (2. de Cælo tex. 17.) quoniam color & est qualitas, quæ permanenter apparet in extremo perspicui terminati, tanquam in proprio & stabili subiecto, & facultas quędam ad perficiendum visum per propriam functionem: color tamen non est motiuus diaphani, nisi perspicui: intellige etiam ipsius oculi, qui sine lumine non est actu diaphanus, atq; adeò nec colorum & intētionum susceptiuus, vt tex. 72. & 73.

De modo cōponēdi extremas opiniones circa definitionem coloris.

Ad conf. cur color dicatur extremitas. Corroboratio istius argumenti exhausta est in quęstione, præter id, quod de nouo petit, quare color sit in extrema superficie corporis perspicui terminati, & non in intima? Ad quod respōdeo distinguendo de colore, qui, vt est qualitas permanens, in tertia specie, quæ passio vel passibilis qualitas est, & resultat ex qualitatum primarum actione, in toto corpore colorato est, tam in extrinseca, quàm in intrinseca superficie: tamen vt est visibilis, non potest in perspicuo terminato apparere intrinseca & interna superficies: nam color potentiā coniuncta actui in extremo perspicui terminati illustrari potest & mouere diaphanum, non autem in intima, vbi potentiā satis remota videri potest ille color: nam, vt videatur (sicut dictum est) necessarium est lumen, lumen autem non est actus opaci, sed diaphani: nunquam ergo poterit apparere in intimo terminati corporis: igitur color extremitas est corporis, non absolutè, sed qua perspicui, non simpliciter, sed vt terminati & opaci, quod in extremo

extremo

Ad vltimum. extremo eius apparet. Vltima ratio iam est soluta in quæstione appendice: requiritur enim lumen propter vtrunq;,& ratione obiecti,& ratione medij: quãuis non ex æquo, vt per nostras assertiones ibi diximus. Et hæc pro hac quæstione sufficerẽt, nisi illud restaret argumẽtum, quod euidens pleriq; existimant: nam cùm lumẽ actus & forma in ratione visibilis sit, omnes visiones in nobis eiusdem rationis esse deberent, & per consequens eadem ratione nulla diuersitas specifica esset in coloribus. Vtraq; pars consequentis ostenditur ex eo, quòd species & ratio alicuius actionis semper sumitur ex parte formæ,& non ex parte materiæ: ergo vbi est eadem forma, nempe lumen, etiamsi susceptiua aut subiectiua sint diuersa, actio & effectus sunt idem & eiusdem rationis, vt patet de calore existẽte in aqua, vel in igne. Porrò isti naturam coloris non penetrantinã quamuis respectu perspicui lumen se habet vt forma & actus, atque adeò persimilem habeat effectũ pro varietate perspicui, tamẽ in ordine ad ipsos colores non est forma actuans, ita quòd inhæreat, sed obiectiuè & efficienter admouetur coloribus, vt ipsi iuxta proprias naturas mouere possint diaphanum, & visum perficere: vnde sicut diuersi sunt colores in se, diuersę quoq; erũt visiones & actiones. Vt enim actus & habitus, qui circa idẽ obiectum versantur, differunt specie, quia habitus ab obiectis secundùm rationem formalem distinguuntur, actus autem ab eisdẽ obiectis secundùm rationem materialem: sic in proposito visiones omnes rationem formalem sumunt, non à ratione formali obiecti, Quæ, vnde specificatur potentia visiua, sed à ratione materiali, Quæ, diuersorum colorum, quia in indiuiduo versantur circa singulos colores: sed de hoc suprà cap.4. plura & explicatiora.

Visiones differunt specie.

DVBIVM

De hominibus lynceos oculos habentibus, resoluitur, quos vulgò appellamus Zahoris.

Ex dictis in hac quæstione, sed maximè in responsione ad confirmationem tertij argumenti, sequitur, quid sit dicendum de lynceis quorundam hominum oculis, quibus trans parietem videre se dicunt, & quæ sunt abscondita in visceribus terræ manifestant. In primis enim superstitiosum iudicarem, quòd in feria tertia & sexta, non tamen in alijs diebus sic videre contingat: & sextis ferijs ideo non audeant rem diuinam audire, quia mortuorum imaginibus terrentur: fieri sanè potest, vt quis diu quàm noctu, aut vno die quàm altero melius disponatur ad videndũ, sed quòd id fiat certis & determinatis diebus, vanum est & à ratione alienum. Similiter non est qui ambigat, quempiam nostrùm ad certã distantiam visione pertingere, ad quam alter nõ perueniat: insuper vt per aliquod diaphanum medium vnus videat, per quod alter nullatenus aut ęgerrimè videat: tamẽ quòd certis & statis diebus hãc habeant functionem, & non alijs, credibile non fit, sed superstitione plenum est. Mox certum est ex Arist. schola, non videri colorem, nisi qui est extremitas perspicui, & ita color secundùm extimã superficiem motiuus est diaphani: ergo nõ mouet nec afficit opacum, à quo discursus specierum & radiorum visualium impeditur (siue visio intramittendo siue extramittendo fiat, ad veritatem, quam tractamus, nil refert) vt speculũ ostẽdit, quod ideo rerum imagines refert, quia occurrunt obstaculo plumbi, quo à parte posteriori speculum illinitur: apparet ergo, quòd visio fit per diaphanum secundùm omnes Philosophos: quomodo ergo isti possunt sine diaphano videre? & species rei trans parietem existentis aut inclusę intra viscera terræ qua via & ratione poterit vsque ad oculum per opacum & non diaphanum medium permeare? qua vi terrã perforabunt? aut qua virtute lapides penetrabunt? Etenim natura radiorum visualium rectà tendit, & in occursu solidi corporis opaci reflectitur, vlteriùs non pergit: quod speculorum experimentum notum facit. Antiphõ ille (vt autor est Arist. 3. Metheo. cap.4.) aëre vice medij atq; speculi vtebatur, & propter debilitatem visus per aërem videbat subtiles suæ propriæ imaginis refractiones, vel (vt idem Arist. de memoria & reminiscentia cap.1.) phantasmata sic accipiebat, acsi essent externæ res realiter & veræ existentes: quod Caietanus 1.2.q.80. art.2. cum S.Tho. in mulierularum apparitionibus notauit. Et mihi huiusmodi visiones *Antiphõ.*

siones propter tenuem oculorum virtutē contingunt, maximè cùm infirmitates superare & euadere incipio, non tamen quòd intra viscera terræ quidpiā videre possim: nam non videtur nisi color, & is externa superficie, secundùm quam est diaphani motiuus: præsertim, quia nullum contingit videri colorem, nisi priùs lumine illustretur: at lumen opaca corpora nō penetrat. Si dicas, per poros terræ pertransire? Principiò, terra non habet poros: Deinde, etiamsi habeat, tamen non rectos, vt luminis natura desiderat, quod secundùm rectas pyramides multiplicatur: ergo non potest fieri visio, qua parte non fit illuminatio, quæ fit per diaphanum & per incessum rectum: rectitudo pororum ex vniformitate in raritate & dēsitate prouenit: at terra est difformiter densa, & rursum natura sua est densissima & opacissima, & omnium corporū naturalium minimè porosa. Insuper crediderim, hoc fabulosum esse & desumptum ex Ouidio in Fastis, qui quendam ex Argonautis, ob hāc virtutem ei adscriptam, lynceum meritò appellauit, vt qui singulari acrimonia in videndo præditus esset. Fictitium esse, autor est Albertus Mag. rerū naturalium diligētissimus & acerrimus indagator lib. 22. de animal. c. de lynce tract. 6. vbi lyncem describit similem lupo, paululùm tamen minorem, vbi reddit causam, cur vltra parietem dicatur videre: quia scilicet est singularis odoratus, quo sentit & discernit inter cibos vltra parietem existentes: inde fabulæ est initium. Ad hæc dico, ꝙ si ista verè, vt vulgus existimat, accidūt, non contingunt secūdùm principium Philosophię & naturaliter, sed aliqua peculiari virtute (de qua maximè dubito, & non minùs voluntarium & fabulosum credo) seu quòd veriùs mihi videtur arte & illusione dęmonum ad miseram multitudinem hominum inescandam. Miror, quòd audio, quosdam reperisse viros probos, qui hac vi dendi acrimonia pollerent: profectò non facilè assentiar, eos probos esse, aut faciliùs dicam, me huius rei causam ignorare: quoniā longè aliter fit iste videndi modus, quàm ab Arist. nobis in præsenti præscribatur, ꝙ visio omnis per medium diaphanum, idq; actu illuminatū fiat, & omnes Perspectiui, visionem fieri per radios rectos & pyramidales, nos docent. Postremò non probo, ꝙ dicunt alij, id fieri: quia cùm actione Solis

Terra parùm porosa.

Lynx.

continua fiat euaporatio, istos videri vapores ascendentes, vnde de aquis iudicāt atq; de metallis ratione colorū: nam quo modo de distantia aquæ iudicare possent? Dicunt, quia habent oculos tuberosos & quibusdam affectos nubeculis, vnde refrangūtur species. Benè, sit ita, & vt Antiphon sic perspiciāt ista: nō tamen statim inde cōsequens est, vt aquas cognoscant, distinguant eorum distantias, metalla & thesauros deprehendant, & mortuorum corpora atque eorum stigmata & cicatrices: non enim certum & exactum esset iudicium, sed diuinatorium. Experimentū autem, quod isti adducunt de panno rubeo, qui si opponatur Soli in loco, quo est aqua, statim conspiciūtur vapores huiusmodi ab aqua eleuati, fallax est, quando exhalationes, quæ radijs solaribus permiscentur, has euaporationum apparitiones causare possunt: & quando ita cōtingeret, quî fieri poterit, vt hominis iam emortui & sepulti non solùm putrescentes carnes & vermibus scatentes videant isti, sed etiam cicatrices & figuram? Sed valeāt isti præstigiatores, de quibus aliorum sit iudiciū: & absoluta quæstione de natura coloris, iam de luminis essentia dicamus.

De natura luminis, vt de re notissima, occultissima est controuersia.

De luminis natura ratio ordinis & necessitas determinare compellit: est enim alterum visus obiectum, vel saltem visibilis ratio atq; perfectio & complementum. Cuiꝰ explicationem non cum mediocri timore aggredior, nec cum multis alijs (quæ manifestissima sunt naturæ) mihi etiam in luminis penetranda essentia hallucinari contingat: video profectò, nihil notius esse ipso lumine, cuius tamē natura quàm paucissimis sit nota. Plures etenim sunt de hac re sententiæ & opiniones quàm capita, quarum aliquas in præsentiarum recēsebo, quod & ad naturam luminis explicandam conducet, & nobis pro quęstionis agitatione subseruiet, quæ, hinc inde scholastico more ad ductis argumētis, fieri cōsueuit. Primū omniū Democritus (ad quē accedebat Empedocles, referente Arist. præsenti hoc cap.) corpus esse asserebat, quod & Arist. sectione. 11. problem. 33. approbare videtur, cū inter-

1. opinio Democriti, ꝙ sit ignei corp' reijcitur.

interdiu peiùs quàm noctu audiamus, q aër plenus sit igne atq; luminis radijs, quæ corpora esse dixeris. Tamen est hæc senteñtia, vt prima, ita omnium falsissima (quod tex. 70. hic reprobat Arist.) quomodo enim si corpus esset, tam subito (vt contingere videmus) momento vnico lumen in vniuersam plagam ab oriente in occidens diffunderetur? præterquam quòd lumē, si corpus esset, vel ipsum aërem diuideret, vel saltem penetraret, essétq; duo simul corpora dimensa in eodem loco. Adhęc, si corpus esset, simplex esset aut compositum, atqui neq; rectâ vt elementa, neq; circulo agitur vt cęlum: non ergo aliquod ex simplicibus corporibus ponendum est, neq; ex mistis, quæ ad motum dominantis elementi mouentur. Hanc autem sententiam pluribus rationibus S. Tho. persequitur. 1. p. q. 67. art. 2. vt ex natura motus, quæ nō est in instanti, atq; ex natura susceptiui, & tandem ex conditione corporis, quod aliquo motu mouetur determinato, & non sicut lumen in omnem positionis differentiam, colligit lumen non esse corpus. Ad hanc opinionē accedere videbantur existimantes, lumen esse defluxum corporum, qui eisdem rationibus redarguuntur: & rursus, quia corpora illa lucentia magna ex parte absumpta fuissent & diminuta. Illud autē, quod ex Arist. in problem. adducitur, non est, quòd quempiam moueat: quoniā Arist. eo loco non approbat illam priorem solutionem tanquam veram: ob idq; propositum problema aliter soluit, quasi illa prior solutio vulgaris potiùs fuerit, quàm vera: maximè, quoniam Arist. sententia ex illis libris, qui Auscultatorij sunt, est requirenda, vbi demonstrationes exactioribus ratiocinationibus concluduntur: alia autem ad populares & vulgares homines spectare vidētur. Secunda opinio Alberto ascribitur, qui lumen licet corpus posuerit, tamen ita simplex, vt indiuisibile esse censuerit, vt & moueri subito possit, & cum quolibet alio corpore in eodem loco citra penetrationem esse propter suam formalitatem: nam sicut materiæ primæ, quòd corporea sit, nō obstat, vt vbiq; ponatur tanquam subiectum vt moueatur, ita lumen forma corporea & actus, vt moueat & afficiat, statuitur, tanquam forma, quę cum quouis alio corpore eundem admittit locum. Suadere etiam nititur, eo quòd lumen instrumentum sit ad varias substantias producendas, ad quas, si lumen qualitas esset, non concurreret. Sed hæc etiam opinio falsa est, & cōminisci videtur, lumen corpus esse quoddam phantasticum & imaginarium, cui nullus neque motus, neq; locus esset natura determinatus: nihil enim tā naturale corpori est, quā vbi, situs, atque motus. Et quia hæc opinio videtur aliud insinuare, videlicet, lumen esse formam substantialem corpoream, impugnatur à D. Tho. vbi suprà. 1. p. q. 67. art. 3. quòd iam lumen non esset per se sensibile & visibile, cùm sentiri & videri substātiæ per accidens contingat. Quid? quòd si forma substantialis esset, aër recedente lumine corrūperetur, & quoties accederet, generaretur. Et si quispiam dicat, substantiam esse Solis, non aëris? Is enim neq; loquitur ad rem, cùm sermo sit de lumine, vt est forma diaphani, & quę facit colores actu: prętereà nec philosophicè, quādo (iuxta Arist. lib. 1. Phys. tex. 27.) quod uerè est, nulli accidit: ergo quod vni est substantia vel accidens, semper erit substantia vel accidens. Huic proxima est Galeni sententia, quam approbat Christophorus à Vega vir præstantissimus lib. 2. de arte medendi ad Carolum serenissimum Hispaniarum Principem fol. 140. quæ ponit lumen substātiam quandam spiritalem: nam cùm corpus non sit (vt probatum est) neque possit esse accidens (vt dudum dicebam, & ibidem probat) videtur enim colligi, substantiam esse spiritalem: nam lumen manifestè motū reperitur, quod accidenti negatur: quia necessum esset, natura accidentis vetante, de subiecto transire & migrare in subiectum. Rursum videmus aëre moto lumen consistere, quod est signum, ipsum non esse accidens, quod semper est à subiecto pendens, sed potiùs substantiam per se existentem, non corporeā, ergo spiritalem. Quæ opinio eisdem rationibus qua præcedēs euellitur: respondebimus tamen posteriùs ad ea absurda, quæ inducit, si accidens esse dixerimus. Extrema est & singularis illa Auicennæ opinio statuentis, lumen secundùm se nihil esse, nisi quendam formaliorem colorem & nobiliorem inter colores, quem vocat coloris spiritum, euidentiam, siue manifestationem. In quam deceptionem incidit illo argumēto delusus: quoniam visus, qui verè sensus vnus est, vnum debeat habere genus & obiectum, quod cùm ab omnibus

S. Tho.

Quo modo accipiēda Aristot. testimonia.

2. opinio Alberti lumē esse corpus indiuisibile.

3. opinio, lumē forma substātialis.

4 opinio, lumē substātia spiritalis.

5. opinio, lumē formalius ipsius coloris.

nibus afferatur esse color: ergo lumen, si videtur, vnum est cum colore, tanquam actus spiritus & aia coloris. Sed proxima quæstione hoc debile eius fundamentum non solùm elusimus, sed funditùs euulsimus, vbi color & lumē vnum visibile statuimus, ea nimirum ratione, qua lumen colores perficit, obiectiuè tamē & non formaliter: nam forma est & actus ipsius perspicui, non coloris: ergo lumen distinctam naturam habet à colore. Rogare possemus insuper ab Auicenna, si lumen est color, igitur vel in genere, vel in specie: si in specie, albedo esset aut nigredo, aut quiuis alius color, ergo lumini aliquid contrarium, sicut colori: si in genere, genus non est, nisi in specie coloris, cui aliquid etiam esset contrarium: eodem igitur incommodo se inuolueret Auicennas. Sed iam ad nostrates Theologos descendamus, qui vnà asseuerare videntur, lumen qualitatem esse, quia est sensibile per se, nulla autē substantia sentitur per se: conueniunt etiam non esse quātitatem, cùm sit sensibile proprium, quæ à solo visu percipitur, quantitas autem commune sensibile est: differunt tamen, quia S. Tho. 1. p. q. 67. art. 3. qualitatem esse docet realem, cùm Scotus. 2. d. 13. q. vnica qualitatē dicat esse intentionalem: sed Duran. ibidem q. 2. Scotum interpretari & moderari nititur, sicut & Caietanus ibidem supra S. Tho. art. 3. inter quos discrimē posteriùs statuemus, sed priùs veniamus ad Scotum & S. Thomā. Omnes ergo quotquot sunt opiniones in duas acies diuiduntur, vt hi substantiam, illi verò accidens esse asserāt. Quibus omnib⁹ etiam commune est (vt ex certis & his, quæ ab omnibus recipiuntur, progrediamur) lumen sensibile esse, colores ad videndum perficiens: quod in vniuersum de omni lumine verum est, siue de sensibili respectu colorum, aut intelligibili respectu phantasmatum, aut de lumine gloriæ respectu diuinorum, quæ lumina proportionabiliter sua perficiunt & manifestāt obiecta: atque adeò conueniunt omnes in munere luminis, quod est perficere, manifestare atq; eleuare. Secundò cōueniunt in illis acceptionibus, quas superiùs posuimus de luminari, lucido, luce, & lumine, splendore atq; radio: vide præcedenti q. quia ipsa participatio & effectus lucis in diaphano lumen vocatur, & si fit secundùm lineā rectam, radius dicitur: si autem ex reuerberatione fiat, splendor: lumen autem commune est splendori & radio. Sed S. Tho. lumen qualitatem docet tertiæ speciei & cœlestem, quia non est ex actione primarum qualitatum, de quibus modò non dubitamus, sed de hoc quòd dicit esse realem, Primò, quia dat denominationem realem aëri, qui ob luminis præsentiam perspicuus & actu luminosus dicitur, quia lumē est quasi perspicui color: lumen ergo est realis qualitas & non intentionalis. Mox effectū habet realem propter multigenos effect⁹, qui ex luminis præsentia prouenire videntur (de quibus fortassis infrà.) Confirmatur à simili: quia sicut calor forma est actiua consequens substantiam ignis, ita lux in Sole qualitas est actiua substantiam Solis consequens, vnde per defluxum in perspicuū lumen deriuatur: ex quibus confectum, putat S. Tho. non esse qualitatem spiritalem, quia sentitur: nihil autem spiritale est per se sensibile, aut aliqua ratione cadit sub sensu. Ex his ergo, eisdémq; argumentis collectum putat, non esse intentionalem formā: quia intentiones & species nō præbent denominationem realem, neq; effectum realem inducunt. In hac tamen perplexa ac tenebrosa de natura luminis quæstione, videtur mihi persuaderi opinio Scoti, quam Cō pluti, dum eius primariam Cathedram moderarer, meis discipulis exposui: bona igitur venia Doctoris sancti, cuius nūc primariam Cathedram Seguntí obtineo, liceat mihi in hoc saltem cum Scoto sentire: est enim (meo iudicio) Scoti sententia hac in parte maximè philosophica, & veritas semper est amplectenda, à quocunq; dicatur, neq; permittere debemus, vt hęc sententia deinceps exibiletur. Conclusio ergo subtilissimi D. est, lumen in medio & esse qualitatem realem & intentionalem. Pro qua re explicanda, ibidem distinguit qualitatem: quędam enim est, quæ solùm est intentionalis, id est, ratio & formale principiū, per quod cognitiua potentia tendat in obiectū suum, vt sunt intentiones illæ, quas species vocamus, quibus color motiuus est & perfectiuus diaphani: alia qualitas est realis & res tantùm, quæ, cùm habeat esse naturale in re, non potest esse signū & ratio cognoscēdi: alia verò est media, quæ habet vtrūque, & quòd res sit, quæ sentiatur, & ratio etiam & principium formale cognoscendi, qualem ponit lumen esse. Sed ne in incertum

Marginalia:

6. opinio Theologorū, esse lumen qualitatem.

Omnium opinionū ad certa capita reuocatio.

Prima omniū cōueniētia, q omne lumē perficiat.

2. cōueniētia in acceptionibus nominū, & rectā diffusione.

Sancti Thomæ, lumē qualitas est realis.

Opinio Scoti subtiliter exponitur.

Conclusio lumen est qualitas realis, & intentionalis. Diuisio.

tum laboremus, antequam ad conclusionis probationem descendā, quæstionis sensum elucidare oportet, vt quò tendat conclusio percipiamus. Trifariam enim cōtingit lumen esse visibile. Primùm omnium, vt dicitur lux in lucenti corpore, de quo in præsenti nulla est cōtrouersia: videtur sanè per propriam lucem, perinde ac alia colorata proprio colore; quod noctu experimur de Stellis & de igne maximè remoto, de cicindelis etiam, quæ cùm videantur, sanè non habent eam illuminandi vim, vt tantam medij intercapedinem illustrent: quæ tamen, si per lumen proprium videri deberent, necessarium esset vt perciperentur: quoniam non solū physica actio, sed etiam sensibilium actio contactum requirit (vt Arist. lib. 1. de ortu & interitu tex. 45. manifestat) cùm igitur non fiat cōiunctio per lucis ipsius diffusionem & multiplicationem, fateamur ergo necesse est, intercedēte specie & similitudine lucis, visionem perfici, cùm aliter contactus non sit intelligibilis: igitur hæc corpora lucētia luce propria, insita atq; inhærente tanquam colore proprio cōspiciuntur. Mox lumē visibile erit, vt est actus perspicui indefiniti atq; interminati: de quo memini me proxima quæstione dixisse, videri non posse, nisi ad corpus aliquod opacum terminetur, quod quidem exponebamus collatione illa facta ad oculū & speculum. Addimus modò, neq; ipsos solares radios visibiles esse, nisi ad aliquod opacum desinentur, vsquedeo vt atomi & insectilia illa corpuscula in solaribus radijs apparentia plurimum conducāt, vt ipsum lumen & perspicuum videri possit: quia ad ipsa qualiscunq; reuerberatio fit & terminatio. Quod mihi visus est Arist. insinuare in hoc præsenti cap. tex. 68. vbi præter alios sensus, quos ibi tradidimus, iste fortasse magis erit germanus & genuinus, perspicuū scilicet non esse per se visibile simpliciter, sed per alienum colorem, vnimirū, quia ad ipsū definitur & terminatur. Quod manifesto, euidentiq; experimento cōstat, cùm radijs solares, qui noctu intercipiuntur inter nos & Cælum supra conum & verticem pyramidalis vmbræ ipsius terræ, neq; ad latus neq; ad caput ipsius vmbræ videātur: vnde si medium vndiq; perspicuum & transparens sine aliquo termino esset illuminatum, proculdubiò non videretur nisi terminatum ad corpus aliquod opacum,

Quæstionis sensus elucidatur ex triplici lumine, vt in corpore lucido, vbi lux dicitur, & in medio, vbi actus diaphani, & in obiecto, cui est actus. Lux in lucido corpore est visibile eius cō bar.

Pulchra pro Scoto & germana Arist. expositio: de lumine in medio; quod, nisi occurrat opaco, nō est visibile.

quod dicit Arist. per alienum colorem visibile: & ipsa etiam specula ostendunt, quæ nunquam renuntiarent imagines, neq; proprios nostros vultus referrent, nisi ipsa motio & diffusio speciei occurreret opaco, & plūbeo corpori, quod à posteriori speculi parte positum est; quales igitur sunt species, talis est natura luminis. Adhæc, ex Philopono sensibile aliud adducere possumus experimentum de olla, cuius pars superior perforata est, vt eo foramine lumen candelæ egrediatur, & in perumum occurrat aërē foramini imminentem, vt contingit in camino ignis noctu ardentis: & quantùs attētiùs inspexeris, certè aër illustratus non apparebit, nisi lumen solido alicui occurrat corpori, vt sic perspicuum per alienum colorem videri queat. Quo fit iam tertiò, lumen comparari, vt visibile est, quatenus reflectitur ad aliquod corpus, vel vt est actus ipsius coloris & perfectio vltima visibilis, quo modo necessariò intelligitur quæstio: nec enim esse potest alius sensus quæstionis: quandoquidem non contingit lumen nisi his tribus modis cōparari, & duo priores meritò sunt reiecti, cùm non agamus de lumine vt est in ipso lucido, nec de lumine vt est in ipso visibili & non apparet, sed de ipso vt per contactum ad colores terminat visum. Iste ergo tertius est admittendus, & conclusio erit, quòd lumen qualitas sit realis & intentionalis: quia non solùm afficit medium realiter, sed principiū est & ratio videndi. Et ne memoria excidat, primū sit argumentum ex vnico visus obiecto, quod ex colore & lumine modo suprà dicto adunatur: vbi est vnū visibile & sensibile, vnicā est species & ratio videndi: antecedens huius consequentiæ proxima quæstione probatum est: consequentia autem manifesta fit ex his, quæ proximo capite de immutatione sensibus cōmunis & proprij definita sunt, nēpe sensibilis cōmunis & proprij nō esse diuersam sed vnicā speciē quā vnus modus sit diuersus: ergo cū color & lumen vnicum constituant sensibile proprium, necesse est fateamur vnicam etiā integram speciem: vbi enim vnicum sensibile admittimus, & vnicā etiā rationem sentiēdi: ergo species: modò visibilis luminis & coloris nō [illegible]. Probo consequentiā, quia color sine lumine non est visibilis: perspicuum etiam actu illuminatum (vt iam nunc ostendebamus) nisi ad opacum corpus terminetur, nō est

Lumē visibile, vt reflectitur ad corpus.

Sēsus, quo probatur conclusio.

1. ratio ex vnione obiecti; quia est vnum et per modū vnius species immutāt lumē & color.

est visibile; igitur si seorsum vnū ab altero in ratione visibilis nō seiungitur, ergo neq; in specie & ratione videndi separabuntur. Quod argumentum potentissimum & palmariū pro Scoto mihi videtur, & quòd aperit non tantùm suam sententiam, sed multa Philosophiæ huius principia; quæ ei quadrant, vt liceat colligere, veram sententiam esse: vero nanq; vera omnia consonāt: vno enim modo & per modum vnius se adunant & vniunt color & lumen in ipso obiecto: ergo eodem modo diffundentur & multiplicabūtur in medio. Nolo intelligas, coloris & luminis vnam speciem simpliciter esse, cùm constet distingui, nec speciem esse coloris & modū esse luminis (vt suprà de sensibili proprio & cōmuni dictum est) sunt enim distinctæ species, siquidem colores per proprias & defluxas species videntur, lumen autē per seipsum: quia eius non datur species, sed intellige per vnam speciem, id est, vnitè simul coniunctim & non diuisim, sicut materiale & formale coniunguntur ad vnum sensibile perficiendum & vnam visionem consummandā. Rursum à simili, species coloris in oculo non videtur; sed est ratio videndi: tamen si terminetur species in speculo, iam videtur ipsa intentio & imago: cùm igitur eandem rationem habeat lumen, quod non terminatum non videtur, nisi contingat actum esse coloris ad aliquod corpus reflexum: ergo quid mirum, quòd lumen sit species lucis, & natura ei tribuerit esse intētionale? quibus omnibus fabrica hæc Scoti subtilissimi satis ingeniosè est constructa. Ad cuius corroborationem & firmitatem maiorem accedat illud suum firmamentū ex hoc loco Arist. petitū, sensibile supra sensum non facit sensationem tex. 75. sed lumen ingreditur sensum visus, quem actuat & videtur per seipsum; lumen igitur non tantùm est sensibile & res quędam, sed etiam species & ratio sentiendi. Quocirca benè Commentator lib. 2. de Anima tex. 73. & 75. dixit, nō tantùm lumen visionem non impedire, sed in oculo necessarium esse, vt colorum speciebus afficiatur, non minùs quàm in medio, vt à colore moueatur: modus autē philosophandi singularis est & subtilissimus, & qui aperiat multa, quæ in hoc argumēto de visibili & visu valde sunt necessaria. Etenim cùm lux & visibilis fons & origo sit visibilitatis omnis, naturaliter est prius; colore, ad cuius visionem necessariò præerequiritur: species igitur lucis (quę à luce non est distincta) naturaliter est prior specie coloris: Patet consequentia; quia sicut se habet res ad rem, ita species ad speciem: igitur sicut species lucis tam in perficiendo medium, quàm potentiam naturaliter præcedit colores: & sicut lux coloribus visibilitatem & motionem & actiuam quandam vim ad propriam functionem tribuit, ita & species luminis speciebus coloris (hactenus proceditur, acsi illa vt diuersa mouerent) sed (vt ostēsum est) ex lumine & colore ad mouendum fit vnum, ergo ex speciebus (si distinguerentur) vnum fiet ad repręsentandū: quare lumen in ipso perspicuo esse habet intentionale. Et illa obiectio, quòd lumen non sit species lucis, neq; habeat esse intentionale ex eo, quòd visibile sit, vt satis notum est, & item in motionibus & oculorum suffusionibus micat, nihil cōtra D. subtilē colligit, Primò, quia conceditur de ipso, vt res est: Secundò, non est verū, quod supponitur, species scilicet non apparere, cùm iam satis ostensum sit, non apparere, nisi occurrāt corpori denso, quòd si obsistat, sentiuntur sanè in speculis atque adeò eadem est de lumine & speciebus ratio. Imo hoc erit vnicùm argumentū ad probandas species de Sole ingrediente per fenestram vitream, & manifestante in opposito pariete vitri varios colores: quod ars in vitro prædicto manifestat, & priùs natura declarauit in Chamæleonte; de quo Plinius lib. 8. naturalis Historiæ cap. 33. narrat, mirabilem esse naturā coloris, quem mutat oculis, cauda & toto corpore, redditq; semper colorem, quem proximè attingit præter rubrū & candidum: neq; mirùm, non alio quàm aëris alimento vtitur, & ita perspicuitatem aëris refert: sed quia partem habet opacam & terream, non est ita peruius & transparens: propter illam ergo terminationem & magis opacam perspicuitatem, cui obsistūt, species colorum apparere & videri incipiunt, cùm tamen, quantum est ex natura coloris, non moueat aliter aërē, quàm Chamæleontē. Sic ergo de lumine, quod videtur, quando cōtingit ad opacum terminari, vt in suffusionibus & motionibus oculorū, vbi intelligere oportet, reflexionem fieri & terminationem ad oculi partem terreā & opacam: ergo si perpetuò colorum intētiones & lumina easdem obseruant conditiones,

Obserua attentè.

2. ratio à simili de specie coloris ad lumen.

3. ratio ex proprietate sensibilis.

Auerroes

4. ratio sumitur ex ordine lucis ad colores.

Ex solutione obiectionis potest sumi quinta ratio, aut cōfirmatio præcedētium.

6. alia ratio ex natura Chamæleontis, conditioneque ipsarū specierum.

tiones: Rogo, qua ratione lumini negetur esse intentionale, si perficitur ipsum lumen & absoluitur, vt re vera completur, cùm per alienū colorem terminatur: quid mirum, ꝙ per contiguationē (vt ita dicam) ad aliquod corpus perfectionē nanciscatur, vt videri possit, quod quādo debile est, solùm habet rationem speciei & intentionis.

Intētionis nomen expenditur. Ne cōtingat propter huius nominis (intentio) ambiguitatem incurrere, obserua diligenter obsecro, quòd intētio non sumitur, vt apud Logicos, pro intentione generis & speciei, vt ipsi dicunt: neque adhuc, vt apud Philosophos, pro reb⁹ successiuis motu scilicet & tēpore aut volūtatis fine, sed intētio sumitur pro qualitate, quæ à natura dirigitur & intenditur ad aliquam intētionalem functionē: tales sunt omnes species & imagines rerum, quæ rationes potiùs sunt repręsentandi ipsas res, quàm transmutandi realiter: ob idq; id cōmune omnes habent, vt pendeant à præsentia eius rei, cuius sunt intentiones & imagines, non solùm in fieri, sed etiā in facto esse. Præterea in his omnibus intentionalibus qualitatibus perpetuū est, vt à propria natura deficiant: ob idq; semper recipiútur sine materia & sine reali transmutatione: quæ sanè omnia cùm in lumine non minùs exacta, quàm in reliquis speciebus reperiantur: mirum profectò est, ꝙ S. Tho. intentionalem qualitatem esse negauerit. In hanc libentiùs addućor sententiam, ꝙ videam etiam Durandū in eam inclinantem, similiter & Caietanum, qui nec realem, nec intētionalem ponit, sed mediā quandā, quæ virtute vtrāq; contineat eminenter: peculiare tamen Caietano est, semper ad eminentiā alicuius qualitatis, aut alterius rei recurrere: quanuis Duran. eadem d. 13.2.q.2. non ita apertè fateri velit, lumē intentionem esse, nisi ea duntaxat ratione, qua visus per illud tēdit: quo modo putat se nouam attulisse sententiam, cùm tamen ferè eadē sit cum Scotica. Caietanus autē 1.p.q.67.art.3. cōmentum illud dum confingit sibi familiare de qualitate media, virtute & eminentia extremas continente, suis tamen qualibuscunq; differentijs D. subtilis sententiam probabilem facit: tametsi quod eminēter est tale, est in altiori genere & nobiliori esse, per quod excluditur formalitas eius, quod eminenter continetur: quapropter nec formaliter esset realis qualitas, nec formaliter intentionalis, sed altior

Caiet. & Durād⁹.

Caiet. refellitur.

quædam: quod est somnium ad eludenda argumenta & doctrinam eneruandam, valeat ergo illa sua chimęrica licet plausibilis distinctio. Illa tamen duo argumenta S. Thomæ, quæ tanti ab omnibus fiunt, ab Scoti sententia me remouere non valent, nempe de reali denominatione, quam lumen ipsi tribuit perspicuo: atq; etiam quòd realem & naturalem, verámq; transmutationem inducat, vt calefactionem, quam frequentissimè à lumine prouenire experimur, & nonnunquam veram ignis productionem, vt ex concauo speculo, aut vase vitreo non solùm docet Perspectiua, sed experientia teste compertum est. Hinc enim tantus Doctor adduci non debuit, vt esse intentionale lumini negaret: quoniā illud de denominatione reali locum nō habet, cùm intentiones qualitates sint reales in natura existentes, à quibus diaphanum & mouetur & perficitur: quod hîc Arist. tex. 67. declarat cùm dicit, *Color omnis motiuus est eius, quod est perspicuum actu, & id est ipsius natura*, ergo immutatiuū & trāsmutatiuum & realiter, perfectiuè tamen, id est, per reale accidens seclusa operatione intellectus, quanuis sine transmutatione corruptiua materiæ. Nihil igitur mirū videri debet, si asseruerimus denominationē etiā realem ipsi perspicuo tribuere, sed quia nomina nō sunt posita, quibus alba, aut colorata appellemus, hāc denominationē voce aliqua speciali & certa declarare nō valemus: nam si verum illud est, quod Arist. docuit tex. 69. *Atque lumen quasi perspicui color est*, cur & nobis ipsas intētiones, quib⁹ diaphanum à colore mouetur & perficitur, quasi colores appellare nō licebit? vbi dictio illa (quasi) consideranda est, cùm diminutionē & imperfectionē quandā insinuet: sanè colores in medio imperfectū esse habent, ita potiùs quasi colores, quàm colores appellantur. Et eadē est de lumine ratio, ea duntaxat differētia excepta, quia à lumine nomenclatura deducta est, vnde aër illuminatus & illustrat⁹ appellatur: cui⁹ ratio est in prōptu, ꝙ sit lumē perfectius, & ob id magis in medio apparēs, quàm alię colorū species, quarū est actus. Ad quā solutionē Duran. inclinat, dū loco citato asserit, intentiones nō denominare mediū propter esse imperfectum, quod habet pendens & fluens à subiecto, cui insunt & inhęrēt: eadē quoq; ratione neq; dicitur lucidum, quanuis dicatur

Ad arg. S. Thomę

An intētiones denominēt suū subiectum.

tur illuminatum:nam lux qualitas est corporis lucentis,à qua lumen in ipsum mediū deriuatur & secundū esse imperfectius diffunditur,ita tamē vt reflexum ad colorem alienum (per quem perspicuū est visibile) lumen etiam medij videatur, non minùs quàm colorum intentiones,cùm ad speculum artificiale aut naturale vt in aquis reflexę & quasi terminatę videntur,& parietes ad virides plantas & ad rubrū aliquod colorantur: quod superiùs exemplo radij solaris,vitrum coloratum penetrantis,fecimus manifestum:nam iidem ipsius vitri colores in opposito pariete relucent tāquam in opaco terminati,qui in ipso perspicuo videri non poterāt,sicut nec lumen conspicitur. Vana enim est eorū solutio,qui hos colores duntaxat apparentes docent, quales in iride ex aspectu Solis superiùs docuim⁹: quoniam in iride solùm ex luminis cōmistione pendent. Isti autem à lumine ortum nō habēt,nisi sicut à manifestāte vitri colores & affectiones in medio atq; perspicuo ipso:necdū in ipso vitro:nā rogo,quare ex hac fenestra vitrea rubeus, ex illa viridis, ex alia puniceus repręsentatur ab eodē Sole;nisi propter varias vitri functiones, variosq; colores?inde ergo solùm pendet,ꝙ varię appareāt intentiones. Addo ego quidem, intentiones in medio ipso perspicuo denominationem aliquam non habere,nisi ad opacū illuminatū terminetur,vnde omnis apparētia & denominatio exoritur. Occasionē huic solutioni prębet S.Tho. ibidem ad primū dum affirmat,lumen in medio imperfectum esse habere,vtpote quod à lucente corpore fluat,atq; ab eius pēdeat pręsentia,vt sit in medio perspicuo per inchoationē,sine aliqua reali transmutatione receptum rursum & sine ordine ad aliquā formā:non enim lumē recipitur in medio cum aliqua materię trāsmutatione ad successionē formę substātialis. Quę idcirco adduxi,vt hāc esse rationē intentionis & speciei intelligatur,& ita lumen species sit siue lucis siue corporis lucentis repręsentatiua, quod si afficit & denominat medium sine transmutatione aliqua reali,quę ad essentialem formā eius,cuius est producendam, non destinatur:ipsum ergo lumen qualitas est in medio,cui minimè repugnat,intētionem esse lucis existētis in corpore,atq; per se sensibile esse. Aliud verò de effectis physicis ipsius luminis facilè refellitur à D.sub-

Obserua, quomodo lumen videatur, videri quoque species.

Nota differētiā inter iridem & lumē.

Ex dictis S.Thomę colligitur ratio speciei,atque per consequens lumē in medio pręter reale esse, habere etiā intentionale.

tili:quia lux etiā est & res,& ita,qua res est, transmutationē naturalem inducere valet, nō verò quatenus est intentio,id est,principiū formale & ratio repræsentādi,siue obiecti naturalis similitudo:non ergo lumen vnicam tantùm habet rationem, qua signum est & principium tendendi in obiectum,sed aliam habet etiam,qua effectum realem ponit: non immeritò ergo lucem qualitatem actiuam corporis lucentis dicimus, lumen verò affectum eius in medio, quia est lucis quædam participatio & species: vtrunq; enim habet ad diuersa, & ꝙ sit realis respectu subiecti,quod afficit, & quòd sit intentionalis respectu potentiæ, quam immutat. Quòd autem lumen cælorum instrumētum sit ad agendum, eodem ferè modo intelligendū est, ac superiùs diximus de calore naturali, qui varios affectus inducit,quòd animæ sit instrumentū. Adderem ego libentissimè,nisi nomen nouitatis,quod mihi est odiosissimum,nō me terreret, lumē solùm habere esse intentionale,vt aliæ imagines atq; species colorū. Primū,quoniā hoc, quod est denominare realiter atq; efficere,nō probat,lumen qualitatem esse realem, sed solùm perfectiorē speciem, & exactiorem esse intentionem, propter quod peculiares aliquot prærogatiuas atq; excellētias supra cæteras species sortiatur. Secundò,ꝙ perfectioris corporis non tātùm sit defluxus, verùm etiam instrumentū:quam ob causam lumen solùm est visibile,vt perfectio colorum,quorū cōtactu ipsum quoq; lumen cum colore videatur:sicut intentiones colorū cōtactu & occursu opaci corporis reflexè relucent. Rursum quamuis species,omnésq; intentiones in vniuersum primariò ad res, quarū sunt, manifestādas sua natura destinētur,ipsis tamen adimere omnē realē actionem nō debemus, ad quam secūdariò nihil prohibet suapte natura directas esse affirmare:certū enim est vt minimū,ad animalem ordinari transmutationem. Vnde exortū est,vt qui viderit alium comedentem,quòd saporem habet ex acerbo acidum, in stuporem incidat dentiū:& qui videt alios mingentes aut oscitātes,ad mingendū quoq; & oscitandū excitatur:nam imaginatio,dum per has intentiones & species conceperit, mirabilem habet earū virtute vim ad proprium corpus mutandum,& nonnūquam ad alienum. Superbit etenim gallina,ac sibi calcaria

Si intentiones efficiāt physicè.

Autor,ꝙ lumen solū habeat esse intentionale.

Vim specierum in imaginatiua.

ria ex solo interno affectu producit, cùm gallum deuicerit: mulier quoq;, quæ in venereo actu nigram rem imaginatur, nigrã generat prolẽ delato humore nigro & melancholico ad generationis locum. Quam doctrinam firmam & stabilẽ sacræ scripturæ declarãt Gene. 30. vbi oues Iacob, dum conciperent intuentes in canalibus amygdalinas virgas ex parte decorticatas, pariebant maculosos fœtus atq; agnos punctis, notis, maculis, ac diuersis colorib⁹ aspersos. Quamuis ergo intẽtiones istæ primæua naturæ intentione non destinentur, vt essentialem formam & naturam eius, cuius sunt, producant (quia lumẽ lucentis corporis essentialem formam non producit) non tamẽ ob id negare debemus, secundariò habere aliam physicã actionẽ atq; realem transmutationem: non secus ac lumen in concauo speculo in puncto reflexionis vnitum, ignẽ producere potest: sic & istæ intẽtiones adunatæ saltem in ipsa imaginatione, aliquem effectum faciũt & realem transmutationẽ. Nec enim dubito, præter animalẽ & vitalẽ immutationem, aliã habere verẽ physicã, qualis est calefactio & ignis productio: aliud mihi modò non occurrit, fortasse in aliorũ sensuũ tractatione sese offeret.

Ex variis conditionibus intentionis vnicũ colligitur cõsequẽs, scilicet, lumen intẽtionẽ esse. Primũ antecedens.

Quare si lumen in medio non habet esse permanens, sed depẽdens atq; imperfectè in perspicuo
2. receptũ. Si vacat contrario & absq; resistẽ-
3. tia in instanti diffunditur. Si lumen toties denuò in perspicuo, quoties corpus lucens, mutatur, neq; ab vno in aliud corpus siue locũ circũfertur: quoniã absente luminoso, medium statim lumine euanescente obte-
4. nebrescit. Insuper si ad formam non disponit corporis lucentis, cùm ingenitum sit &
5. immortale (.1. de Cælo c. 3.) Si ad diuisionem aeris illuminati non diuiditur, cùm lumen non sit forma perspicui in se, vt lux
6. ponitur in ipso lucenti. Præterea si lumina plurima in eodem medio sint impermista & numero distincta, ita vt sint discretione coniuncta & vnione discreta, nulloq; modo confusa, & totum sit in toto medio, & totum in qualibet parte sine aliqua mistione insertum, vt intẽtionem deferat naturæ, id est, ipsam imaginem & esse, vt principiũ
7. & semẽ ipsius in alio genere. Et si videtur propter reflexionem ad opacũ, sicut imago
8. relucet ex reflexione speculi. Et tandem si nunquam directè videtur, sed reflexè sicut species, fit, ex vniuersis his omnibusq; antecedẽtibus atq; singulis eorum (quę omnes vel plures conditiones specierum & intentionũ enumerant, cũm omnes reperiantur in lumine) lumen intentionem esse, & rationem continere imaginis atq; speciei: cui enim conueniunt conditiones & proprietates alicuius rei, hęc ellum est ipsam rei naturam concedamus.

Cõclusio, quæ ex prædictis octo antecedentibus colligitur.

Igitur opinio Scoti omnium est probabilissima, & argumenta, quibus nitebatur S. Thomam improbare, soluimus: quia vtramq; ratione non eminter (vt Caietan⁹) sed formaliter cũ Scoto lumen habet vt perfectio & ratio speciei atq; forma aliarum omniũ, quæ videntur.

Ad soluendũ firmamentũ secundæ opinionis accidens est instrumentum substãtiæ & virtus eius.

Vnũ secũdę opinionis oportet euellere scrupulum, videlicet, qua ratione lumẽ, cùm accidens sit, ad productionem substantiarũ attingat? Respõdendum, rem esse facilem & triuialem: quia vt instrumentũ est substantię, in virtute illius poterit quidẽ illud efficere, vt superiùs tex. 50. de calore expositimus, qui instrumentum est animæ ad nutriendũ, quę mutatio est substantialis: quoniam omne instrumentum virtutem habet quasi deriuatum à principali agente: nihil ergo omnino vetat, quòd quamuis accidens sit, ad generationem substantiæ concurrat. Quòd si instes metaphysicè vrgendo & roges, quęnam sit illa virtus? Respõdetur, nihil, quod ab ipso accidente distinguatur, præter ipsam accidẽtis naturam: sunt enim accidentia secundùm se quædam substantiæ virtutes (quod Arist. vnico verbo dixit lib. 7. Met. tex. 2. accidens non est ens, sed entis ens) & ideò instrumenta sunt ipsius substantiæ, & agere dicuntur in virtute substantiæ, id est, tanquam virtus substantiæ: sicut artificum instrumenta agunt vt mota ab artifice; vt apertè sectio serræ demonstrat, &. 2. lib. de gene. tex. 55. docet Arist. & lib. 1. cap. 4. & cap. 6. vanum tamen est, aliam virtutem distinctam ab ipso accidenti comminisci: res enim omnes sicut se habent ad esse, ita ad operari: ergo accidens agere in virtute substantiæ, est assumi à substantia, sicut instrumentum ab artifice etiam eleuari, vt participet influxum, ipsiúsq; substantiæ motionem: vnde si accidens daretur separatum ad modum substantiæ, ageret etiam ad modum substantiæ: cui enim datur modus existendi substantiæ, subinde communicatur & modus essendi substantiæ (.1. p. q. 56. art. 1.) calor autem separatus, si esset per se sub-

Accidẽs separatũ virtus est ad substãtiam producendã.

subsistens, nō minùs calefaceret quàm inhaerens, id est, secundùm eundem gradum, quoniam vtroq; modo operaretur: & 1. de gene. c. 9. ad finem dicebamus, cessante proximo & particulari agente, primum agens aut Caelum ipsum agentis vicem supplere, vt ibidem fusiùs ostendebam. In quarta opinione lumen non esse accidens ostendebatur, aut quia migraret de subiecto in subiectum, aut aëre moto (vt contingit quoties vento agitatur aër) lumen sine subiecto cōsisteret, quod accidenti natura prohibuit. Principio illud argumentū de transitu de subiecto in subiectū non est in lumine peculiare, cùm eadem sit de omnibus intētionibus & speciebus ratio, vt ex hoc etiā deprehēdamus, lumen intentionē esse. Deinde species omnes atq; intentiones & lumē etiam ipsum, qua respicit subiectum, pēdet ab ipso, quoniam accidentis esse est inesse: variato igitur subiecto, nouum lumen & nouae intentiones producuntur, siquidem qua respicit ipsū corpus, à quo fluit & producitur, pendet in fieri & esse: ideo toties quoties subiectum mutatur, aliae producūtur intentiones, similiter & aliud lumen. Eadem est ratio de mutatione & de variatione producentis corporis: quoties enim lucens corpus mutatur, aut ab vno in aliud locum circunfertur, lumen variatur. Similiter dicito de ipso colorato respectu intentionum coloris: nec enim timendum est, ad praesentiam Solis propter motionem aëris lumen aut intentiones defectum iri: quia natura in hoc prouida fuit, vt luminis multiplicatio in instanti fieret: vnde tam subitò ac euanescit, reproducitur, & vt lib. 8. Phys. tex. 69. de generatione dicitur, quòd instās generationis attribuitur posteriori passioni, quia primum esse geniti est primum nō esse corrupti: ergo in eodem instanti indiuisibili temporis absq; vlla tēporis mora imperceptibiliter omnino accidit vnius luminis generatio & alterius corruptio: falsum igitur in argumento supponebatur, variato subiecto idem lumen in medio perseuerare, quod corrumpi aut abire non deprehēdatur, vulgare profectò argumentum. Et si substantiā adhuc esse cōtendas, dicito sicut moto aëre idē manet lumē, quare abeunte Sole non manet? Idcirco Perspectiui de intentionibus colorum atq; ipso lumine in medio easdem ponunt postulationes & petitiones, vnde mirabiles deducunt conclusiones, quas quisq; breui negotio apud Archiepiscopum Canthuariensem, Halacen, Alchindū & alios Perspectiuos videre poterit: meum tamen modò non est nisi Philosophiae principia expendere: igitur neq; probatur lumē migrare de subiecto in subiectum, neq; manere sine subiecto: qua de re vide quę diximus prius hoc lib. 2. cap. 2. cùm de animae indiuisibilitate sermonem habuimus: talis enim est & proportionabilis luminis & intentionum natura, quam fortè ampliùs exponemus hoc cap. si commentator Arist. ab huiusmodi quaestionibus non reuocauerit. Aduerte tamen, me nō capere quae Granatensis dicit, cùm hoc argumentum illum vrgeret: dicebat enim in hac quęst. fol. 139. col. 1. lumen non esse in aëre aut in aqua, vt talia sunt, sed vt diaphana, atq; adeò ꝙ moto aëre & aqua, manet lumē in diaphano. Mirabiliter ꝑfectò lapsus est: quia motis nobis mouētur omnia, quae in nobis sunt, & in praedicamēto substātiae dixit Arist. corruptis primis substātijs, corrumpūtur omnia alia, quae in ipsis sunt: ergo cùm diaphanitas siue perspicuitas non sit natura cōmunis & separata (vt ipse paulò antè fol. 137. col. 2. dixerat) sed sit peculiaris & singularis affectio ipsius aëris atq; aquae, diaphanitas non manebit aëre atq; aqua motis: nō stāte ergo diaphano & motis aëre atq; aqua, vrgeretur incōmodo ab ista quarta opinione inducto, nempe aut ꝙ lumen trāsiliret de subiecto in subiectum, aut si maneret, iam accidens separatum esset à subiecto. Idem in eadem quęstione. 2. de natura luminis fol. 140. col. 3. vbi peiùs videtur asserere, lumen neque diuidi, neque moueri moto aut diuiso diaphano, videtur itaq; sibi contrarius & non constaret: accidens sanè indiuisibile (quale est lumen & caeterę intētiones) etsi non diuidatur ad diuisionem subiecti (quoniam, vt habet vna Perspectiuae postulatio, in quolibet pūcto medij terminatur pyramidis & radij visualis conus) atq; etiam etsi non moueatur ad motionē aëris (quoniā non est fixus & insitus affectus, sed vt à luminosi praesentia pēdet lumē, sicut à sensibili intētiones & imagines) tamē accidens est, quod cùm non sequatur motum subiecti propter dependētiam necessariam ab agente, fateamur necesse est, ipsum modo praedicto instantaneè corrumpi, ideoq; perpetuò esse in continuo fluxu: non enim fit per motum, neque

Pro. 4. opinione luminis et intentiones inhaerēt subiecto dependenter à producē.

Attende.

Obserua.

Reprehēditur Granatensis, quòd dicat lumē nō esse in aëre aut aqua.

Attende, quò Autoris sententia [illegible] dat.

Qua via illuminatio disponat ad motionem, et colorū receptionē.

Caietan' reprehenditur.

neque est alteratió, et si esset, tantùm est perfectiua & non corruptiua. Dubitatio est de modo agendi coloris & luminis: quia cùm à toto genere nobilior sit agēdi quàm patiendi ratio; si color non est diaphani motiuus, nisi sit perspicuus & illuminatus: igitur aëris illuminatio erit ratio patiendi ab ipso colore, atque adeò ignobilior illuminatio quàm coloris actio. Etsi Caietanus, vt huic satisfaciat dubitationi, hoc loco fingat distinctionem inter diaphanum in actu (quale est aër in tenebris) & diaphanum illuminatum (cùm iam lumine afficitur) vt colorem faciat nobiliorem diaphano in actu, id est, transparenti, non tamen nobiliorē diaphano iam illuminato: est tamen distinctio si non voluntaria, tamen proposito impertinens, petit enim manifestè principium: quia ratio dubitandi est, quomodo ordo naturæ non confundatur, cùm illuminatio, quæ est in perspicuo ratio patiendi, nobilior sit quàm motio coloris, quæ est ratio agendi? Nec valet quod secundò addit, illuminationem non esse primaria intentione institutam ad suscipiendos colores, sed ad influentiam vniuersalem vniuersi: siquidem in hac actione & motione coloris ratio agendi ignobilior esset, quod nec ratio, nec naturæ ordo fert.

Autoris resolutio.

Idcirco respondetur primùm, verum est, absolutè præstare rationem agendi ratione patiēdi: Deinde verum est, colorē nō mouere nisi medium, quod est illuminatū & diaphanum: nam in tenebris non sunt intentiones colorum. Tertiò, prætermissis plurimis solutionibus vanis & inutilibus, vnico verbo iuxta nostram sententiam dico, quòd cùm lumen requiratur modo exposito propter colores & propter mediū, cum vtroq; cōcurret (vt superius diximus) cùm sit qualitas vniuersalior & superioris ordinis, & cum colore agendo, & cum aëre recipiendo: & nullum est incommodū, ibidem illuminationem aëris actu perspicui rationem esse patiendi & suscipiendi intētiones colorum, cùm prius natura obiectiuè & quasi in genere causæ efficientis sese vnit cum colore, vim actiuam illi conferēs ad mouendum diaphanum, vnde nobilitas in coloris actione ab ipso lumine deriuatur: quid ergò mirum, quòd in actione perfectiua agens idem suam etiam disponit materiam ad propriam suam actionem? præsertim cùm primariò se teneat ex parte causæ agentis, secundariò ex parte causæ materialis, quatenus ea via medium est ad superiorem finem, id est, actionem, nempe vitalem visus operationem, quæ altior simpliciter est ipsa illuminatione: qua de causa lumen exigitur ex parte medij ad constituendum diaphanum in esse transparenti in actu per luminis inhæsionem, vnde perspicuum visibilium intentionum capax sit. Denique resolutio nostra est, quòd ratio & naturæ ordo non inuertitur, si ratio patiēdi præster, quādo ratio agēdi & patiendi ab eodē sunt, & absolutè & per priùs ad agendum quàm patiendum concurrit lumen. Parua nonnulla dubia erant de luce, lumine, splendore, si eiusdem sint, an diuersæ speciei? & an lumen producatur difformiter vel vniformiter in medio, vel potiùs vt res se habet vniformiter aut difformiter? quæ cum alijs multis prętereo, ne commētatio nostra de visu in immensum vsq; ad vmbilicum crescat: sat fuerit res adeò claras & quoad esse manifestas, colorem scilicet & lumen (quanuis de natura ignotas & paucissimis exploratas) in medium protulisse: quoniam his statutis duob' principijs tempus instat, vt ad visionis modum exponendum pergamus & properemus. Nam quæstionem illam de existentia specierum consultò reijcimus in caput. 12. vbi ratio methodi exposcere videtur, vt de existētia & natura specierum differatur. Vltimā igitur manum huic de visu disputationi apponemus, si suppositis speciebus de videndi modo, nonnihil differuerimus: qua in re in immensum cresceret commentatio & tempus nos deficeret, si singulatim omnes diuersos modos referremus, & minutatim omnia persequi vellemus: sat igitur erit, ad duo præcipua capita omnes quotquot sunt de hac re existimationes reuocare, Platonis scilicet & Arist. quos fontes expendere & examinare (relictis multorum sequacium riuulis) magnum operæpretium habere videtur.

Quæstio de necessitate, existentia, et natura specierū in c. 12. differtur: vide 3. de ais pluribus locis etiam tex. 65.

DVBITATIO
De modo quo fiat visio.

Platoni, visió fit extramittendo.

Plato igitur, quem sequutus est Galenus lib. 7. de placitis Hippocratis & Platonis, & lib. 10. de vsu part. & lib. 1. prognost. visionem extramissione radiorum fieri docuit, quatenus sicut nerui optici illuminan-

tur à cerebro, cui copulantur: sic & aër si nihil obstet opacum, aut tenebrosus aër ab oculo illuminatur: vbi vtrunq; lumen, externum scilicet, & internum vniuntur, vt ita fiat aptum videndi instrumentum. Spiritus enim animalis, aut lumen oculi egrediens visibilia tangit, palpat & explorat, vbi quasi tinguntur atq; inuestiuntur specie visibili ipsi' obiecti, & duo illa coëunt, vt vnam celebrent visionem (nihil enim aliud visio esse dicitur, quàm visibilis perceptio obiecti) non secus ac cæci solent baculo experiri viam, aut periculum facere, atq; qua eundum sit explorare: item quędam paruula animalia & insecta, vt limax & id genus alia, cornibus quasi conto quodam vtuntur, vt nautæ pertica ad locum nauibus oportunum explorādum: sic etiā spiritus isti, siue lumina visoria ab oculis emicantia, tactis & exploratis visionibus quasi reuocantur & reuertuntur, quando sensio & visio illo contactu celebratur atq; perficitur. Ad hanc rem confirmandam nō

1. ratio ex quātitate obiecti. desunt rationes aliquæ. In primis, quoniam secus magnitudines valde latæ & vastissimæ per angustissimum oculi neruum, vt videātur, subintrare non possent. Mox

2. ratio à multitudine specierum. cùm contigat, vnam eandemq; magnitudinem ab innumeris ferè videri, fieret igitur, vt innumeras similitudines à se emitteret: quod quidē statim dum auditur, im-

3. ratio experimēto speculi. possibile videtur. Tum etiam, quoniam Galenus inquit, in speculo res visa conspicitur atque eiusdem figura: at figuram ab speculo ad oculum vsque peruenire est impossibile, quoniam in ea reflexione non seruaretur ea partium concinnitas, quæ in humana facie conspicitur, quemadmodum si lumen effundatur: quamobrem. 4. & 3. de locis patientibus Galenus docet, neruos molles factos ad agendum (quales sunt optici) alios verò duros ad patiendum.

4. ratio ex testimonio Arist. Pro Platone atque Galeno ipse etiam adducitur Aristot. qui quasi ab ipsa veritate coactus est sibi dissentire, lib. 3. Metheor. multis in locis, visum ab oculis procedere testatur & cap. 3. dicit, nubes est, à qua Solem versus frangitur aspectus, & cap. 4. eandem sententiam confirmans, quendam

Antiphō. refert Antiphonem, cui ob visus imbecillitatem visus refrangebatur, & cùm molliter & minimè acutè videret, accidebat dum ambulabat, vt sui simulachrum aduersa fronte ante se præcedere videret (cuius rei rationem subdit) quoniam, inquit, illi contingebat, visionem ad ipsum reflecti: nam præ languore adeò imbecilla, tenuisq; modis omnibus erat visoriæ facultas, vt propinquus aër speculi vicem præstaret, & proinde aër remotus densus esset, & tenebrarum, plumbiq; atque opaci officium gereret. Eodem etiam cap. refert de habentibus oculos humidos, qui per hyemem flante austro circa lucernam iridem conspiciunt: quoniam (inquit) eorum aspectus præ imbecillitate celeriter refrangitur: & subdit, nihil interesse aut referre, cōspectus extrà moueatur & prodeat visus, an res conspectui obuia sit, sit enim ratione vtralibet, vt idem eueniat: ergo si vtrumuis afferamus, ad aspectum & visionis certitudinem nihil refert: varius igitur videtur Arist. atque adeò immeritò Platonem taxat. Quibus omnibus accedit, quod dicit sect. 31. problem. problem. 16. dum quærit, quare lusci contractis palpebris videant? Respondet, id sanè facere, *Vt radius per locum sese depromens angustiorem, congestior profluat, ne protinus ex patulo proficiscens distrahatur*: videt autem is acutiùs, qui collectior frequentiórque prodierit: quibus ex locis videtur Aristot. vel placiti sui tam celebrati aliquantulùm oblitus, aut ob aliquam absurditatem dissimulanter & callidè propriam sententiam præterijsse aut neglexisse. Verùm est hæc sententia minùs philosophica quàm tantos viros deceret. Principiò, *Impugnatur opinio Platonis & Galeni.*

si visionis instrumentum in aëre versaretur, fieri profectò non posset, vt quouis flante vento non distraheretur? interrumperetur proculdubio ipsa visio distractis visorijs radijs, quod minimè euenire experimur. *1. ratio.*

Deinde, res à longe sitæ minores non apparerent: nam radij totam ipsam *2. ratio.* magnitudinem tangerent, atque palparent, cuius veram magnitudinem renunciarent, quod experimento non videmus contingere: cùm tamen ex peripatetica sententia ratio in promptu sit, quia distantioris rei angulus pyramidis oculum ingrediens minor est & eo acutior, quo longiùs iacet. Præterea, quod ab oculo egreditur, *3. ratio.* si substantia corporea vel incorporea sit, quare non absumuntur & diminuuntur oculi tanta substantiæ profusione, vt videant cælum, quod tanto distat interuallo? & si corporea sit atque dimensa? aërem

sanè

sanè diuideret, vel penetraret, vel sensim & successiuè & non subitò & in instanti, vt videmus, procederet: si accidens esse dixeris? eisdem absurdis innodaberis, & præterea Cælum à nostris oculis pateretur, cùm in Cælum vsque suam visus protendat actionem. Adhæc, vel radij ab oculis egredientes, redeunt ad ipsos, vel non: si non regredi concesseris? igitur nec renuntiare poterunt quæ palpant & tangunt, neque aliqua ratione rei visæ notitiam tradere: si redeunt? tum sanè corpora tersa atque polita videri poterunt, vnde contingit reflexionem fieri, & magnus mons neque longè, neque propè situs videretur, quòd non sit tersus neque aptus, vt reflectantur inde radij visorij.

4. ratio.

5. ratio. Rursum statim, vt auditur, fictitium esse videtur, ad visionem perficiendam lumen ab oculo egredi & cum ipso aëre vniri, ipsumq; suæ naturæ contactu ad proprietatem suæ naturæ alterare & sic immutare, vt continuò visus instrumentum efficiatur: imo vnicum videndi organum ex oculo & aëre coagmentari: quod tamen asseuerat Galenus in Platonis defensione lib. 7. de placitis cap. 9. & 17. ad finem, & lib. 1. de methodo medendi, &. 2. lib. de causis symptomat. & lib. 1. Prognost. sententia. 19. & lib. 7. de decretis cap. 16. asserit, & non solùm aërem sed etiam solarem fulgorem, vt nervum ipsum opticum, sensifica facit.

Conf. Rogare tamen ab his grauissimis viris libet, quare aër non videat, cùm sensificum sit instrumentum & organum? Nec valet si dicant, radios hos visorios ab oculis egredientes non celebrare visionem in aëre, sed remeare ad eandem in visu perficiendam: quoniam nemo asserit, liberè atq; à proposito regredi, cùm solùm naturaliter moueantur. Præterea vel regrediuntur vacui, vel speciebus onusti? si vacuos reuerti dixeris? certè oculus non habebit vnde visione perficiatur: si autem oneratos dixeris? sequitur, visionem fieri intus susceptione. Insuper superuacanea esset huiusmodi radiorum egressio, siquidem illæ species à colore promanantes ipsis non indigent, nec vt vehiculo, nec vt auriga: quibus sat est, quòd per medium ex luminis illustratione actu perspicuum diffundantur: ergo fictitium est, visum ad rem visam progredi, cùm non tantùm superuacaneum esse videatur, sed etiam fateri necessum sit, sentiendi organa vsqueadeò exterminari, vt prorsus aboleantur.

6. ratio. Tandem, ne multis vos morer, hanc sententiam præstantissimi istu Philosophi, experientia reclamante, defendere conantur: cùm contingat in aëre claro atque sereno eisdem nos affici coloribus, quibus idem aër perfectus est: porrò si quis sub aëre infecto incubuerit, colore totius aëris perfunditur (quod de radio solari vitrum coloratum penetrante & pertranseunte superiùs docuimus) ergo si illa immutatio ab obiecto nascitur, qui fieri potest, vt alia non sit superuacanea? maximè cùm visio iuxta naturam obiecti, cuius est perfectio, celebranda sit: & Arist. dicat, ipsaq; natura demonstret, frustra fieri per plura, quæ fieri possunt per pauciora: quare tota Philosophiæ ratio destruitur, si cùm agens sit ipsum sensibile, actionem sensui referamus.

Opinio Arist. Pro Aristot. tamen hæc sufficerent fundamenta, quibus Platonis opinionem deturbare contendebamus (ad eam Greg. ille Nisen. lib. 4. vbi de viribus animæ disserit, inclinare videbatur) in hoc enim cap. expresse dicit tex. 74. *Visio nanq; fit patiente aliquid ipso sensitiuo*, & tex. 67. *Color omnis est motiuus eius, quod est perspicuum in actu*, & tex. 1. 1. & per totum cap. 12. & lib. 3. tex. 1. &. 2. &. 3. *Sentire est quoddam pati*, expressiùs tex. 65. & lib. de sensu & sensato cap. 2. quibus in locis ex professo determinat de hac re, ostendens, visionem fieri intus susceptione & passione.

Sententia Aristot. vnde petenda. Vnde fit, vt opinio & propria Aristot. sententia ex his locis petenda sit, vbi de proposito rem tractat & versat, non autem ex alijs locis, vbi re nondum excussa & determinata secundùm aliorum placita loquitur: ob idque recepta vtitur sententia sua, præsertim nondum confirmata: maximè, quoniam Alexander dicit & etiam ipse Arist. expresse affirmat, nihil interesse ad proposita problemata diluenda, vtramuis partem accepturus.

Antiphō. Aduertendum etiam est, quòd Arist. de illo Antiphonte (seu quiuis alius esset, cui præ visus imbecillitate simulachrum anteibat) rationem reddit: quia propinquus aër speculi vicem peritide atq; remotus præstabat: ergo per species ab ipso obiecto prouenientes, etiam in illo loco tenuit Aristot. visionem fieri. Nolo hoc in

Pro Aristot. ad rationes Platonis. loco cum quibusdam has sententias omnino contrarias concordare, & in vnũ coniungere; etenim ij (quibus semper animus est alios omnes conciliandi, quamuis ipsi sibimetipsis repugnent, sanè scioli sunt & veluti interpunij) omnia planè confundunt, cuncta dum miscent, & ad quandam temperiem reducere conantur, funditùs euertunt: quod eorum placita satis produnt atque manifestant. *Ad. 1.* Primum argumentum debile est & infirmũ: nam (vt cap. 12. ostẽdemus) cõmune est omni sensui, rerũ species sine materia suscipere, & (vt illic etiam ostendemus) sunt indiuisibiles; atque ob id Perspectiui ostendunt, omnes radios pyramidis rei visibilis indiuisibiliter concurrere: quid ergo mirum erit, si vastissima quæq; res sine materia indiuisibiliter & intentionaliter per oculum ingrediatur? ad modum exponendum infrà cap. 12. vbi de hac specierum indiuisibilitate meam sententiam dicam. *Ad. 2.* Ex eodem fonte diluitur secunda ratio: quia etsi non sit nisi vnica rei intentio & imago, tamen in quolibet puncto medij attingi potest: sicut etiam quilibet medij punctus potest esse angulus pyramidem ab ipso corpore egredientem terminans, quod ex Perspectiua & Geometria compertum est. *Ad. 3.* Nihil habet eruditionis tertia ratio, quæ tantos sapiat & redoleat autores; quoniam specierũ proprium est, non tantùm res ipsas manifestare, sed etiam distantiam, locum atq; situm: quod experimento in speculis compertum est, vbi creditur, res esse in extremitate linearum radialiũ. Idcirco species mouens oculum, non solùm visui obiectum ostẽdit colorem, sed etiam medium radium, cuius ipsa species est extremum: constat enim, nam si speculũ admoueris, imago ipsa propinquior fit; si autem amoueris, distantior fit: vnde fit, vt Perspectiui probent, imagines apparere in cõcursu radij visualis cum catheto, id est, cum linea perpẽdiculari. Ex quo inferunt, altitudines & situs oppositos apparere, quod docent arbores in fluminũ ripis existentes, vbi euersæ repræsentantur; quia propinquiores sunt radices ipsi aquæ, quàm rami, est enim aqua speculum naturale: ergo seruatur debita concinnitas partium in apparentia & ostensione speculorum. Obsecro videas demõstrationes Perspectiuorum, quas consultò prætereo, non enim sunt huius loci, reperies faciliùs apud Petrum Ciruelum Darocensem lib. 2. Perspectiuæ cap. 3. propositione. 1. & 3. & in alijs antiquioribus Perspectiuis, quos suprà citaui. *Ad. 4.* Ad quartum sufficiãt, quæ diximus in principio opinionis Aristot. in hac quæstione, & proxima etiam quæst. de modo intelligendi Arist. testimonia, quæ requirẽda est ex locis, vbi exactè & de proposito rem expendit, non ex locis, vbi vulgariter loquitur: quã ob causam videor mihi, meritò amplecti peripateticam sententiam visionem passione fieri & perfici. *Problema de visione in nebula.* Vnde pro Arist. terminatur illud problema, quod tãti fit ab aliquibus platonizãtibus, quid causæ sit, quòd quis in nebuloso aere degens, proximam nebulam non videat, distãtem verò conspiciat? Existimant enim, visorios radios, dum egrediuntur, præualere posse in partem propinquam atq; in proximam, non tamen sic penetrare queant remotam, quę est veluti corpus opacum: ob id visum ipsum terminat, quia cùm penetrare ob densitatem non possit, est vti color terminatus: quoniam ex mistione tenebrarum quædam tanquam opacitas resultat. Miror profectò, quod non videant isti, quòd pars illa propinqua lumine accommodante se manifestat, cùm manifestare se non possit remota: ob idque quod distat, est considerãdum vt tenebrosum & opacum aliquod corpus terminans; quia in propinquo peruia est & quasi pellucida. Vnde infero, quod si ea proportione, quia est nebula distãtior, vniformiter & difformiter magis esset illuminata, non sic videretur: modò autem videtur, quia visus (vt in fine huius cap. dicemus) non tantùm est visibilis, sed ipsius etiam inuisibilis, est ergo tenebrarum: mouent igitur à distanti tenebræ ipsum visum: quia cùm lumen debile sit, & occultetur visibile, inuisibile ipsum videtur. *Problema de visione per diuersa media diuersè rarata aut densa.* Pari dicendi methodo solues illud aliud problema de visibili, quod ad definitam & certam distantiam non videtur, & tamen si augeatur rei magnitudo, videatur, cùm non sit aucta facultas visoria, neq; medium magis illuminatum, nec potentia, facultas, neque attentio. Respondetur, id neminẽ mouere debere; quia ad extensionem basis lõgior efficitur radius pyramidis, quoniam dilatatur, & in maiorem se protendit locũ, idq; sensibilibus demonstrari potest: nam denarius existens extra aquam, vbi non videtur sine aliqua variatione, nisi scutella

im-

impleatur aqua sine alteratione alia medij atq; variatione potentiæ, statim videtur, non ob aliud, nisi quia intentio & imago denarij egrediens ab aqua tanquam à medio densiori, occurrens medio rariori, cùm in rectum non possit porrigi, ob medij diuersitatem incuruatur, atq; adeò frangitur à perpendiculari: quia cùm medium sit rarius & magis luminis susceptiuum, naturaliter diuertit à perpendiculo: qua ratione basis dilatatur, & incipit visum sua pyrami de attingere. Consentiunt igitur Arist. & Plato in duobus, Primùm conueniunt, quòd medium lucidum & perspicuum esse oporteat: similiter consentiunt, quòd colorem inhærentem astruant. Sola tamen dissensio est de lumine ab oculis emisso, cùm ab obiecto diffundi simulachra & imagines censeat Arist. Philosophorum omnium facilè Princeps: non ergo opus est à lucente oculo, lucem emicare, quæ & medium & visibile alteret, & inde effecta alteratione, quasi in momento facta, ac per reflexionē ad oculum regrediatur: quæ liberè & voluntariè asseruntur, vt plura alia à Galeno locis citatis: legite Gelium lib. 5. cap. 7. Priscianum lydum lib. de phantasmatibus, Alcinoum lib. de decretis Platonis. Tripudiant atq; exultant Galenistæ illius problematis dissolutione, quare quidam res propè sitas aut modicè distantes non videant, & longiùs dissitas videant? Quod in causa esse existimāt radiorū emissionē, quæ in propinquo est efficacior: actiones enim rerum naturaliū in propinquo magis quā in remoto perficiuntur. Sed hi in re alioqui apertissima hallucinātur, cùm eius causa non sit illa Platonis ab oculo emicatio, sed potiùs irradiatio, siue obiecti motio, quæ quia mouetur spiritaliter, ad debitam actionem atq; accommodatam proportionem aliqua distantia est necessaria: nam spiritus oculi imbecillus est, si paucus est atq; purus, propinquiora velut magis materialia probè non discernit: si autem multus sit spiritus & crassus, distantia quoq; cōspicit, licet non exactè discernat, quod nō tollit, propinqua quoq; videri. Sed respondeāt nobis ad illud de senibus dubium, qui distātiora non tātùm videant, sed exactiùs quoq; quàm propinquiora discernāt: quotidiana nanq; est eorum experientia, qui ad bicubitalem distantiam literas legunt, quas non possunt ad cubitalem intercapedinem distinguere: quod erat moderatius & ad diuidendum magis accommodatum spatium. Et illud certum hac in re mihi est, causam huiusce rei non esse spirituū emissionem, aut luminis emicationem, aut quòd visus alia quacunq; ratione prodeat: sed quia vitio ætatis imbecillus in illis cùm sit, paucum habet spiritum & illum quidem impurum & senescentem, qui in distantiora peiùs sanè atq; exiliùs, quā in propinquiora sese gereret: in causa igitur erit, quòd visus iam fatiscens, à multo lumine quasi offuscetur, atq; ab specie ob propinquitatem crassiori, materialiorią; dissipetur atq; dissoluatur, cùm tamen in distans lumen temperatiùs agat, quatenus obiecti intentio atq; motio magis attenuetur & spiritalior reddatur: tenuiores ergo redditæ atq; effectæ species illæ, factæ sunt, quàm vt inseruire possint visioni senum: etenim ob debilitatem visus fortem immutationem à visibili ex propinquo factam tollerare nequeunt, etiamsi verum illud sit, quòd hebetata potentia, potentiori egeat immutante in realibus & physicis actionibus: quantò enim magis est in potentia, tantò magis distat ab actu, & efficaciori & potentiori agente indiget: sed tamen in his spiritalibus actionibus, vbi debet esse vitalis immutatio, oportet sit certa quadam proportione attemperata, vt coagere possit potentia, atque motioni obiecti correspondere. Quod quidem demonstrant oculis optimè valentes, qui purissimè videntes & syncerissimam quoq; nacti videndi facultatem, res propè se sitas atq; ad tres, verbi gratia, digitos positas nō vident, secus verò obiectas ad bicubitalem aut tricubitalem distantiam conspiciunt: certè in causa illud est, quòd requiratur illa attenuatio atq; (vt ita dixerim) spiritalizatio, vt actio, quæ vitalis est, sit proportionata. Vnde profluxit illud Aristot. dogma in his libris atq; hoc cap. tam celebratum, Sēsibile positum supra sensum non facit sensationem: quoniam semper est necessaria medij intercapedo: quia color priùs est diaphani motiuus, & color ipsius visus non videtur. Ratio autem huius est ex naturaliori dine transitus ab esse materiali & physico ad esse spiritale & vitale: nam cùm habeat omnino esse materiale in obiecto, non potest continuò fieri atq; constitui in illo spiritalitatis gradu, vt sensum mouere valeat ex naturali ordine trāsitus ab esse materiali ad

Platonis & Arist. consensio atq; dissensio.

Problema, proximè sitas quare improbè videantur.

Obserua.

Cur sensibile supra sensū non facit sensationem, infrà ad finē c. 12.

Sensibile supra sensum nō facit sensationem.

ad spiritale,& ex naturali cognatione sensus in actu ad sensatum in actu:opus igitur est medio desiccante,attenuante,vt quasi per ductus quosdam ducta ipsa rei imitatio sensum,& gradatim immaterialior efficiatur, comparetq; quosdam seorsim & paulatim maiores atq; maiores spiritalitatis gradus: vsqueadeo quòd ascendere valeat,vt intellectui immediata fiat,vt ei subseruire possit:naturalis ergo ordo gradatim procedit: idcirco non potest sensus in actu,qui spiritalis est,immediatè speciem quancunq; recipere,nisi suę spiritalitati conformem atq; commensuratam:non igitur sensus mouetur ab omnino materiali neq; ab omnino spiritali:de hoc enim polliciti sumus,latiùs posteriùs disputationem habituros: sed quod ad negotium præsens attinet,moderatam oportet esse & commensuratam distantiam. Minùs iuuat, quod quidam pro Platonis dogmate pugnantes adducunt,similem esse sentiendi motionem motuum impulsioni à ballista,quę rem lōgiùs semotam vehementiùs percutit,quàm propè iacentem,quasi facultas impellat lumina visoria impetu quodam, qui ipso acquiritur motu (iuxta nostrum philosophandi modum.1.lib.de Cælo tex.88.)cùm commodius multò sit, vt ista actio ab ipso proueniat visibili atq; sensibili(quòd potentiam in suam naturam transmutare debeat, illámq; actuare) quàm à potentia, quæ nec immutat neq; alterat obiectum,sed ipsum videt, quatenus ab ipso afficitur & similis redditur. Deinde quanam ratione languida vidēdi facultas maiori egeret spatio ad impetum comparādum,vt dum pellitur,vim illam atq; impetum nanciscatur? certè manifesta est repugnantia.

DVBITATIO

Quare vna res à duobus oculis visa, gemina non appareat?

Sed cōmunis est iam dubitatio,cur duobus existentibus oculis, vnius rei non sint duæ visiones? hoc est, cur vna res duobus conspecta oculis, duæ non appareat? nam quidam referunt,opticos neruos cancellatos esse & sese intersecantes, simillimósq; esse. X. Græco charactere:& quia visio in media cōiunctionis parte fit,ob id vna res duplex non apparet. Sed id certè non probatur à Vesalio lib. 4. de fabrica corporis humani c.4.cui cōsentit Balberdus lib.7.de fabrica corporis humani c.3. ergo ex dissectione certum non est,eos ita se cancellare & intersecare,vt de rei vnitate certificatio fiat. Illud tamen in hac re certum est; in medio se adunare,& quasi corpus quoddā quadratum constituere, ita tamen vt sinister in sinistrum prodeat non in dextrum, & dexter in dextrum non in contrarium: quod ex anatome & dissectione satis est manifestum:fit tamen illa cōiunctio ob visus firmitatem,complementi & abundantię gratia,vt altero clauso oculo spiritus animalis, qui ad duos ferebatur oculos, vniuersus ad vnum fluat, non tamen vt visibile vnum appareat:nam si ita esset,profectò non paruam postulationem haberet, quare, duas aures cùm habeamus atq; audiendi gemineutur organa,quæ minimè in vnum concurrunt,vnus sonus duplex non appareat? Alij ad vnam referunt phantasiam,cuius vnitate,visus de vnitate rei certior redditur. Hi tamē fallūtur,cùm de externo sensu sermo fit non de interno, & phantasia ipsa nunquam aduuat & recipit externas imagines in se: pendet igitur ex oculorum situ, quem vbi oculi naturalem non seruauerint (aut à prima generatione, aut nobis ipsis consultò & de proposito distorquentibus,aut morbi ratione,ita vt alterius pupilla sublimior collocetur,vt vnica axium superficies seruari nō possit, nec in vnam basim pyramides coincidant) necessum sit,vnam rem geminatam & duplicatā apparere:quare ediuerso vbi axes pyramidum visualium in vnam basim coincidunt & in vnam conueniunt superficiem, duobus oculis vna res conspecta simplex (vt est)& non duplex apparet. Etenim pupillis oculorum æqualem retinentibus situm, vt neutra sit altior aut humilior, necesse est, idem visibile simplex apparere: quia (vt ostēdunt Perspectiui,vt apud Ciruelum reperies lib. 1.c.6.&.7.) acies duorum oculorum & axes conorum pyramidum in idem punctum connectuntur: necesse igitur erit, eandem magnitudinem vtriq; oculo similiter proponi: secus erit si altera pupilla deprimatur,altera sublimior sit,quo tempore nihil simplex,sed geminū apparebit. Qua de causa lusci,dum vident, grauissimè offenduntur, plurimúmq; laborant,

Vesalius.

Nerui optici qua de causa connectātur.

borant, dum caput distorquendo nituntur, pupillas æquales cōstituere, vt exactè possint videre: sic ergo confectum est, vt vnio neruorum opticorum sit veluti mediata, materialis & remota causa, similiter & facultatum oculorum vnitas. Sed has sequitur & proximè determinat debitus oculorum situs atq; positus, ob quem axium atque pyramidum coni in vnicam cadunt superficiem atq; basis vnitatem, quam immediatè sequitur rei vnius phantasia, vbi ad supremam virtutem admota facultas visoria, non tantùm reintegratur, sed perficitur & magis determinatur. Oculorum compositionem ex varijs tunicis & humorib⁹ determinare, Medicorum potiùs interest, quā Philosophorum: ad illos vos remitto, cuia refert de hac re exactiùs disquirere atq; definire: maximè, cùm ex dissectione plurima prodeant, quæ neq; est nostri muneris, neq; huius temporis neque loci. Similiter cui⁹ naturæ sit oculus, ignis, aëris, an aquæ? supponendum est hîc ex Arist. lib. 1. de sensu & sensili cap. 2. & 3. sat ergo fuerit, si cōstet Aristoteli, visionem fieri ex motione coloris in ipsum perspicuum, quæ vitaliter in pupilla perficitur. Actum igitur est de potentia visoria, de natura eius obiecti, coloris scilicet & luminis, de medio quatenus perspicuum actu est, multis alijs circa sensoriam naturam in anatomen aut alios libros reiectis: habent omnes quæstiones sua loca propria & peculiares autores.

Quæstiones aliquot cur relictæ.

DVBIVM

De visione tenebrarum lib. 3. tex. 25. exactiùs.

Paruula tamen superest dubitatio, sed verè necessaria, nempe quomodo visus tenebras cognoscere valeat? Ratio dubitationis hæc est: quoniam si visio fit intus suscipiendo ex motione obiecti, atqui tenebræ sunt mera priuatio, igitur non poterunt agere: si autem visio fiat extramittendo, visus nō potest suum obiectum cognoscere, nisi intercedat species & similitudo naturalis obiecti, cum qua coalescat lumen ab oculo egrediens: at tenebrarum nulla potest esse naturalis similitudo aut species, cùm nihil omnino sint: ergo tertio modo fiet visio tenebrarum. In oppositum veritas est peripatetica & Arist. sententia hoc cap. præsenti, quam de singulis sensibus alijs capitibus repetit atq; resumit, nēpe vnumquenq; sensum sui naturalis esse obiecti atq; oppositi, ex ea ratione generali & communi, quia potentia est oppositorum: igitur quæ conspicit visibile, inuisibile etiam percipit, vt auditus soni etiam est atq; silentij, ita visus lucis atq; tenebrarum: quoniam (4. Met. tex. 4.) vnius est opposita specularis; quia omnis scientia, similiter & potentia vnius est generis subiecti (1. Post. cap. 23.) opposita, inquit, ad idem genus pertinēt & eiusdem sunt considerationis. Lata tamen est differentia in modo cognoscendi: nam obiectum vnaquæq; potentia per naturalem similitudinem deprehendit, & cum eo fit vnum per se: itaq; visus (ad eundem modū loquèris de quouis alio sensu) per se suum obiectum, colorem scilicet aut lumen, per modum affirmationis sentit: contrariū verò siue oppositum, vt tenebras sub eadem lucis ratione quasi ex accidenti quodam cognoscit ipsa visoria facultas, quatenus cognoscit obiectum proprium, negatum vel priuatum, & per eandem obiecti affirmati speciem cognoscit priuationem, & ita potiùs per aliud quàm per accidens, quatenus potentia deprehendit suam quietem & ab obiecto nō moueri: fit ergo per aliud nō tamen ex accidenti: eadē enim species obiecti primarij & affirmati causa est cognoscendi illud, non quasi sit principiū repræsentatiuum, cùm naturalis lucis similitudo non possit esse imago tenebrarum, sed ex illatione & per modum consequentiæ: illo videlicet philosophandi modo, quo omnes affirmant, priuationem in prædicamento sui habitus reponendam, priuationem ex habitibus deprehendi, cognosci atq; definiri: cognoscitur enim vnumquodq; sicuti est, priuatio autē non habet aliud esse, prçterquam quòd habitum priuat. Vnde soluta sunt proposita argumenta: quia nec agit obiectum negatum, neq; per se ex propria similitudine cognoscitur, sed per aliud quasi ex accidenti per speciem primarij & & affirmati obiecti, quatenus sentit quiescere se, nō moueri aut afficī: exactior enim huius rei resolutio habetur lib. 3. tex. 25. & 26.

Sēsus exterior priuationem sui proprii obiecti nō cognoscit per accidens.

SVMMA CAPITIS septimi.

Duabus absoluitur partibus, priori de visus

sus obiecto, posteriori de potentia: & continet sex conclusiones, ad primam duas definitiones, ad sextam duo corollaria.

1. conclu. *Visus obiectum est visibile, vt color, sub quo*
1. Definitio. *comprehenditur id, quod innominatum est.* ¶ *Color autem motiuus eius est, quod est actu perspi-*
2. Definitio. *cuum, quæ est ipsius natura.* ¶ *Perspicuum, quod non simpliciter, sed per alienum colorem visibile est, per lumē scilicet, quod est actus diaphani, & quasi quidam eius color, cuius priuatio sunt tene-*
2. conclu. *bræ.* ¶ *Lumen non est corpus, neq; defluxus vllius corporis: diuideret aërem, aut penetraret, neq; instanti (vt percipitur) medium illuminaretur.*
3. conclu. ¶ *Perspicuum, quia est coloris susceptiuum, colore vacare debet: omne recipiens denudatur à na-*
4. conclu. *tura recepti.* ¶ *Vniuersa visibilia, quæ in lumine videntur, in tenebris non efficiunt sensum, nisi*
5. conclu. *propter proprium fulgorem.* ¶ *Color enim positus supra sensum non efficit sensationem, quia priùs*
6. conclu. *est motiuus perspicui.* ¶ *Idcirco viso fit visu patiente per intus susceptionem, quare necesse est esse*
Primū corollariū. *medium.* ¶ *Eadē est de omnibus aliis sensibus ratio, quamuis in tactu & gustu non ita appareat.*
2. corol. ¶ *Medium, quod in visu est perspicuum, in sonis est aër, in odoribus nomine vacat: persimilis est natura, atq; proportionalis affectus, ac ipsa perspicuitas.*

CAPVT OCTAVVM

De auditu & sono, eius obiecto, atque de voce.

Tex. 77. NVnc autem post hæc de sono, & auditu determinemus oportet. Est itaq; sonus duplex: quidam enim est actu, quidam potentia sonus. Nā corporum quædam non habere dicimus sonum, vt spongiam, lanam, & huiuscemodi: quædā habere, vt æs, & quæcunq; solida, leuiaq; sunt: quia possunt sonare, id est, inter se, & auditum, sonum efficere.

Auditoria facultas visoriæ iurè succedit. Ordinis ratio, quæ proximo cap. exposita est, exposcit, vt post visoriam facultatem ad auditoriam accedamus, quæ meritò post illam perfectione, secundum obtinet locum: nam sicut visus obiectum cōmunicat cum supercælestibus corporibus (quod obiectis sensibilibus tactus, gustus atq; olfact⁹ naturâ prohibitū est) ita quoq; sonus, qui obiectum est auditus, ex motu locali gignitur, qui superioribus illis cælestibus corporibus secundùm Arist. sententiam cōmunis est: ergo visui, qui inter omnes sensus altior & dignior est, auditus naturæ propinquitate accedit: deinde spiritalior est auditus immutatio, quàm sit ea, quę ab olfactu, gustu & tactu prouenit: quoniā in auditu immutatio fit per modum intentionis, & non per modum naturalis formę, vt in gustu, tactu & olfactu, quib⁹ alteratio quædam est naturalis: fit enim coloris immutatio cum quadam fumali euaporatione: qua de causa hi duo sensus maximè fūt spiritales, & soli ad disciplinas percipiendas accommodati. Qua in re adhuc visus præstat: quoniam ad inuentionem & disciplinę acquisitionem per se, quatenus rerum plures differentias ostendit, vtilior multò est, nisi quòd ex accidenti, si breues vitæ nostræ ac perexiguas metas contemplemur, auditus nobilior est, pluráq; ostendere videatur: cùm semper aliena opera vtēdum nobis sit, & externo magisterio & auxilio egeamus: non secus ac homo equo dignior est, sed ad iter peragendum equus commodior est: sic dicitote de visu & auditu. Et præterea quòd licet audiendo quàm vidēdo plura addiscamus, exactiùs tamē & certiùs visu quàm auditu: ob idq; exactior atque perfectior est illa cognitio, quæ visu habetur, eâ, quæ ex auditu. Multa sunt, quę suo debito ordine Arist. pręsenti persequitur cap. vbi primum omnium de obiecto, deinde de operatione, de formis & differentijs atq; de instrumentis audiendi disserit. Principiò ab hoc præsenti tex. à sono exorditur, qui auditus obiectum est, à quo auditoria facultas affecta, in propriam deducitur & prodit operationem: est igitur sonus alter actu, alter potentia, vterq; ab Aristot. declaratur ex causis efficientibus, atq; ex propria materia illustratur: non solùm potentia est, cùm corpora, quæ sonare possent, in aëre non se collidunt, sed sonus actu est, cùm percutiuntur. Sunt enim quædam corpora (inquit Arist.) quæ neutro modo sonū habent, vt spongia & lana, & id genus alia: quædam verò, quæ habet, *Visus auditu præstantior.*

qualia

qualia sunt quædam leuia solidáq; corpora; vt cymbala. Sed quæres, qua ratione Arist. sonum actu & potentia diuisit, non autem colorem? In promptu est solutio: quoniam alia omnia sensibilia, prout sunt in proprijs suis subiectis, actu permanenter sunt, prout color in colorato corpore, odor in odorifero, sapor in sapido: at verò in corpore sonante vt cymbalo, ære, argento, cythara, monochordo, nō est nisi in potentia, quatenus sonus non habet permanentem & stabilem naturam, sed in motu positam & de generantis actione pendentem, vt tunc dicatur auditum mouere, cùm sit. Ex quo deducitur, quare Aristot. hoc in loco determinauerit de soni generatione, & non in paruis naturalibus, contrà quàm de colore, cuius generationem in parua naturalia & libellum de colore reiecit? nimirum, quòd sonus non habeat (vt iam nunc dicebamus) esse aliquod permanens, sed fluens, vtpote quod in motu circūferatur: atq; adeò opus fuit hic causam tangere soni, quæ ex aliarum tāgibilium qualitatum generatione non pendet: ergo cùm alia sensibilia permaneant & fiant per veram alterationem ex primis qualitatibus (lib. de sensu & sensili de his determinatur) soni autem generationem (quæ fluit & minimè permanet, neq; ex alteratione primarū qualitatum pendet) opus erat statim definire & determinare, cùm non habeat actu aliud aliquod esse, nisi quatenus se refert, vt immutet & potentiam perficiat. Itaq; bifariàm sensibilia considerantur: vno modo vt in se habent aliquod esse absolutum & permanens, & sic ad alios libros eorum generatio referenda est: alio verò modo vt sensibilia sunt, & sic erat natura eorū præsenti loco exponenda. Quod Arist. exactissimè & subtilissimè insinuauit in illa huius tex. diuisione, sonus, alius actu, alius potentia: & tria ostendit corporū genera, aut trifariàm se habere corpora ad sonum. Primo modo priuatiuè, quæ neq; actu neque potentia sonare possunt, vt spongia & lana, & quæcunq; mollia sunt, quæ nullum sanè, aut debilem, aut obtusum edunt sonum. Alio modo positiuè, quod dupliciter contingit, in actu & potentia, vt dictum est (in quo autem sit sonus formaliter, aut effectiuè, id est, in quo sit tanquam in subiecto aut efficienti, et si in propinquis realiter, in remotis tantùm intentionaliter, statim dicemus.) Quocirca sonus accidēs, omnium sententia, cùm sit, non est aliqua ex primis quatuor qualitatibus, sed potiùs secunda qualitas, quæ tamen ab his quatuor primis ortum non ducat: nam etsi secundā qualitatem esse non inficiamur, tamen non existimamus, omnes secundas qualitates à primis illis ortum immediatè habere: dura enim corpora sola sua collisione sonum efficiunt nullo accedente primarum qualitatum concursu. Qua de re rectè dicebamus, sonum actum illum primum & propriam naturam in subiecto, quod sonum efficere potest, nunquam habere, nisi dum actu mouet medium aërem, & in ipso subiecto potentia tantùm est: ergò etsi dum non sentitur, sonus in medio sit & habeat actum primum & non secundum, quatenus sensibile est, tamen cùm non habeat aliam generationem neq; aliud esse quàm fieri, non pēdet à qualitatibus primis: de eius generatione hîc esse determinandum, meritò docemus, posteà verò exactiùs definiemus, si habeat esse permanens & quale sit atq; in quo subiecto.

Sonus alter actu, alter potētia, cur inducatur, & nō de aliis sēsibilibus.

Soni generatio cur ab Arist. hoc loco proponatur, & nō alteri⁹ sēsibilis.

Obserua.

Corporū triplex differentia ad sonum.

Sonus nec est qualitas prima, nec ex ipsis effecta.

Fit autem actu sonus, alicuius semper ad aliquid, & in aliquo. Ictus est enim, qui sonum efficit ipsum. Quapropter fieri nō potest, vt si vnum sit corpus, sonus efficiatur: quippe cū aliud sit id, quod verberat, aliud, quod verberatur: quare id, quod sonat, ad aliquid sonat. Sine autem latione nūquam efficitur ictus, atq; vti diximus, nō quorumuis ictus corporum sine vllo discrimine sonus est. Nullum enim efficit sonum, si percussa fuerit lana: sed æs, & quæcunq; sunt leuia, cōcauaq;. Aes quidem, quia corpus est leue: concaua verò, quia per reflexionem complures post primū efficiunt ictus: quippe cùm non possit aër motus, ac agitatus exire. *Tex. 78.*

Enu-

Quinque ad sonum cōcurrūt.

Enumerat Arist. quæ ad soni generationem vt in plurimum concurrant & exigantur, & quot singulla corpora, qualia, & in quo, quomodóq; collidantur, vt sonus edatur. Quod manifestat dicens, agens & patiens atq; medium necessaria esse, *Nam sonus* (inquit) *alicuius est ad aliquid, & in aliquo: ictus enim est, qui sonū efficit ipsum*: ergo si ictus, qui sonum efficit, in soni generatione est, duo corpora adesse oportet, quorum alterum agat dum percutit, alterū verò patiatur dum percutitur: similiter & ratione actionis & passionis duo corpora cōcurrant est necesse, vt. 1. lib. de gene. cap. 7. diximus. Rursum ex ipsa motus ratione, qui ad ictum est necessarius, colligitur, mouens debere esse & mobile, in quo motus à mouente profectus recipiatur (vt. 3. Phys. tex. 17.) ex quibus etiam colligitur, ad sonum aere opus esse: quia ictus non est sine motu, cùm latio quædam sit, motus autem in vacuo esse non potest (.4. Phys. cap. 8.) ergo ad soni generationem quinq; ista concurrunt, percutiens, percussum, medium, quod recipit sonum, motus localis, atque ictus.

Qualibus corporib. meli' edatur sonus.

Declarat præterea qualia oporteat esse corpora, quæ sonare valeant, nempe vt leuia sint, cōcaua atq; dura: talia enim, quæ sunt per reflexionem, post primum complures efficiunt ictus, cùm nō posit aer intus agitatus exire: mollia igitur, vt lana, sonare non possunt, quia facilè cedunt prementi, & ob raritatem facilè transmittitur aer, vt nō posit percussionem referre, quæ proxima est soni causa: si autem inæqualia sint, vnam non habebunt superficiem, vnde vnus & continuus resiliat aer, quod ad sonum valde est necessarium propter eminentias & varios superficiei anfractus: aer etiam (qui valde fragilis est) facilè defluit, dispergitur atq; dissipatur. Ipsa etiam figura plurimùm conducit ad soni generationem, vt tintinabula & cymbala ostendunt, quæ propter cauas altitudines iteratis repercussionibus plures faciunt ictus: quia aer intus exagitatus non valet exire: idcirco tinnunt, constantem quēdam & diu permanentem sonū efficientia: ergo in durorum corporum collisione intermedius aër vehementiùs impellitur, maximè, si caua sint, in quibus plurimùm vndiq; concutitur, & vehementer corporis latera inuadit, quę diuersos admodum pro corporum differentia sonos efficiunt: nimirum, si elaborata sint & leuiores assequantur superficies, vt vehementiùs possint aerem colli dere, atq; ad orarum marginem propellere, quę in mollibus corporibus aut inęqualibus veluti debilitantur & hebescunt: idcirco in illis nullus est in virtute & potentia sonus. Diuersitas autem sonorum atque differentiæ ex varia corporum figura, natura atq; ictu & collisione pendet, de quibus sequenti tex. fortasse verba faciemus.

Præterea, auditur quidem sonus & in aëre, & in aqua, at verò nec aër est autor soni, nec aqua, sed opus est, vt inter sese solidorum corporum, atq; ad aerē ictus fiat. Quod quidem tum fit, cùm aër percussus permanet, neque diffunditur. Quapropter si citò, vehementerq; percutiatur, sonat. Opus est enim vt percutiētis motus diffusionem pręueniat aëris, perinde atq; si cumulum, aut aceruum arenæ cùm fertur, velociter quispiam verberet. *Tex. 79.*

Medium ad sonum aër & aqua.

Medium ad generationem soni esse aërem declarat, intendens manifestare, quòd licet sonus in aëre & aqua fiat, nunquam tamen aër vt aër, siue aqua vt aqua, causa est soni: quoniam (vt in proximo tex. dictum est) nō efficitur nisi à corporibus duris, qualia aër aut aqua non sunt: ideo dicit, in aëre audiri tāquam in medio, & meliùs quàm in aqua, vbi sonus hebetatur & quasi obraucescit atq; obtusus fit. Quare significat Arist. apertè, ad soni generationem solùm aërem aut aquam non sufficere sine alio autore aut causa soni efficienti: siquidem necessarius est ictus ad ipsum aërem factus, & non qualiscunq;, sed repentinus, vt motus percutientis pręueniat aëris dissipationem & diffusionem. *Attende.* Quod aperto exemplo & visibili similitudine acerui arenæ declarat, qui, si velociter latus sit & verberatus, sonat, si verò leuiter & paulatim, non sonat, vt si sensim labatur, aut sensim percutiatur: quia dissipatur arena ante ictum. Idem accidit in aëre, qui faciliùs dissol-

dissoluitur atq; dissipatur:ideo sonus aëris est prius percussi quàm soluti: quapropter sonus in aëre est, nô vt aër, sed vt fluxibilis est, & qui percussus ante suam solutionem resiliat, vt interclusus intra percutiêtia corpora sonet. Huc tendit simile de cumulo lapidum, qui, quandiu vnitus per aëra fertur, si percutiatur, sonat, non autem si diuidatur iuxta proprias inclinationes partiũ: sic aër, quandiu ex adunatis partibus constat, sonum recipit, quatenus dissolutionẽ partium præuenit.

DVBITATIO
De concurrentibus ad soni generationem?

Si tria semper cõcurrãt ad soni generationem.

Est in hoc loco dissoluenda dubitatio, quæ his textibus est valde accommodata, nempe si illa omnia, quæ apposita sunt, cõcurrãt necessariò in soni generatione: quoniam videtur in sono effecto ex percussione virgæ in aëre tantùm duo concurrere, aërem scilicet percussum, & virgam percutientem, neq; ibi esse corpora dura plura: similiter pannus, qui corpus molle est, si vehementer & fortiter scindatur, acutum valde generat sonum: præterea venti, qui corpora solida non sunt, non tãtùm sonum non edunt, sed plerunq; maximum atque valde horribilem, quod æstuanti & feruenti mari experimur, atque de ipso etiam tonante Cælo: ergo non sunt illa omnia ad sonum necessaria. Vnica cõclusione respondeamus, illa quidem omnia formaliter aut virtualiter semper concurrere: quia sunt duo sese percutientia corpora, & est aër, in quo tanquam in subiecto & medio ictus fit: & si in exẽplis positis duo duntaxat appareant, aër tamen vicem gerit duorum: nã ob illam celebrem percusionem, quę aeris dissipationem præuenit, & duri & percussi corporis rationem subit aer: in scisione autem panni, vel ligni diffisione aer trahitur ad locum replendum, ne vacuum admittatur, quod vsqueadeo natura abhorret, vt per hyperbolem ausus fuerit dicere Auicennas, quòd ipsum etiam Cælum traheret ad loci exinanitionem tollẽdam. Est igitur iste tractus valde fortis & vehementior multô, quàm sit vaporis eleuatio à calido, aut grandinis descensio: cùm igitur ligni atque panni partes violenta & veloci scisione aperiuntur, aëris portiones, quæ ad ipsa latera panni scisi & ligni assistebant, vehementiùs conueniunt, & tãta violentia concurrunt, vt sese inuicem collidãt, ex qua collisione sonus causatur: atque ob id ipsa scisio panni vel fractio ligni non est soni causa per se, nisi fortasse remota, sed ipsa vehemens & cita aeris collisio, quę habet vicem ictus & percusionis: similiter ipsa virga aut corrigia, quæ diuidit aerem, causa est soni remota & quasi per accidens, velut aperiens fenestram causa est illuminationis: percusio igitur & causa est soni proxima & immediata, vt in chorda citharæ percusio partium lateralium ipsius aeris, se inuicem ad latera chordę collidẽtium, causa est soni: & quia chorda percussa pluries tremit, spissiùs & subtiliùs plures & frequentiores ictus multiplicat, vnde consonantiùs sonat, sicut in campana, ita & in corpore citharæ: intus quasi tumultuat aer, & ad latera continuò pluries inuadit atque pluries percutitur, & sonum quasi stabilẽ & permanentem edit, cùm concauum corpus instrumenti in vno latere percussum tremat, & in alio latere sonus diutiùs retineatur: ergo aer ille fractus & congregatus (qui semper fungitur ratione medij) nonnunquam etiam sortitur rationem duorum, medij scilicet atq; percussi corporis, vt cùm virga celeriter & vehementer percutitur: aliquando etiam tria corpora supplere potest, cùm præter hęc, quæ diximus, conditionem percutientis assequatur: nam in ipsa ligni aut panni scisione, cùm vehementer ad vacui repletionem mouetur, rationem habet percutientis: igitur tria illa in virtute habere potest aer. Similiter dicendum est de sono à ventis edito, vbi vna exhalatio percutiẽtis habet rationem, alia verò percussi, & aer medium est: & in feruescenti & æstuanti mari exhalatio percutit, à mari autem repercutitur, & sic ambo collisa in aerem sonum reddunt. Tonitrui etiam sonus ad percusionem & scisionem exhalationis, quæ inclusa in nube exitum quærit, persimilis est sono edito in scisione panni, aut fractione ligni: ergo tria formaliter concurrunt corpora, vt in sono cymbali aut virtualiter, vt in scisione panni & scissura ligni, vbi violenta aeris subintratio ad tollendum inane sonum educit: aut etiam collisione aeris ad corpus durũ, vt in voce: aut constrictione, vt in folijs, aut fistu-

Aër percutientis, percussi & medij rationem habere potest.

Considerã bos modos, quib⁹ sonus variè efficitur.

fistularum varijs generibus: præterea etiã in inundatione aquarum, ac proinde aëris agitatione accedente, præsertim magna exhalationum siue ventorum copia, quæ aërẽ diffindit & dissipat, qui tenuem cùm habeat substantiam, quid murmuri atq; sibilo simile erit. Dubitant nonnulli de crepitu, an diuersus sit soni modus, qui aliam videatur habere generationis viam, quàm ab Arist. scripta sit, atq; à nobis ipsis tradita: nam sal inspersus igni cum sonitu exilire solet, vbi nulla videntur se collidere corpora: insuper castaneæ salientes, oua etiam dum assantur, veluti instrumenta bellica ignem fundentia, valide sonant? Certè non aliam crepitus huius oportet comminisci causam, præter eam, quam iam nunc probauimus, nempe aërem posse collisi corporis vicem gerere atq; sonum recipere: ob idq; insitus sali humor ab igne extenuatus rarior redditur, vsqueadeo vt salem disrũpat, atq; celeriter exiens externum concutiat aërem & sonũ faciat: simili quoq; modo disrupto cortice oua sonant atq; castaneæ, cùm flatus ex humore intus genitus, & leuior, amplior q; factus, hæc ipsa disrũpat, aërémq; percutiat: nõ secus ac ipsa exhalatio ventorum vehementiùs agitata aërem diffindens sonum edit: indéq; sonant, crepitant, & pro diuersa corporum ratione diuersos sonos atq; crepitus edunt. Ad hãc horum problematum solutionem accumulare possemus aliam à nobis traditam, nẽpe quòd aeris partes hinc egredientes, illinc ingredientes in disruptione castaneç etiam se collidant ad vacui repletionem, sicut de scissione panni dicebamus.

An crepitus sit idẽ φ sonus.

DVBITATIO

Si soni generatio naturalis sit, an potiùs violenta?

Ex quibus omnibus sequitur alterius dubitationis solutio, nempe, an generatio soni naturalis sit, an violenta? Nam omnes circunstantes conditiones violentæ esse videntur: etenim percussum, percutiens, & ipsa aëris fractio atq; ictus violentiam indicant atq; sapiunt. Rursum soni generatio naturam & speciem à generatione motus violenti trahere videtur: sunt autẽ eius, quod ab alio vi mouetur, species quatuor (.7.phys. cap. 2. tex. 10.) nempe tractus, vectio, impulsus, & vertigo: atqui sonus, qui est, à percutiente & percusso impelli videtur: in fortibus etiam suspirijs sonus per aëris tractionem, & qui est in tympano vel fistula fit per vectionem, & qui est in echo per vertiginem contingit, vbi aër circũuoluitur vt sphęra. Adhæc, sonus in fine tardior est atque debilior quàm in principio, quod est violenti motus proprium (vt dicitur lib. 1. de Cælo cap. 2. & lib. 4. cap. 3. tex. 21.) Tandem quia percutiens, qui educit & generat sonum, nihil sanè imprimit: quia neq; formam ligni, neq; ferri, neque aliquod accidens naturale videtur: igitur soni generatio esset violẽta. Tamen cõclusio opposita vera est & peripatetica, nempe soni generationem naturalem esse: Ratio autem manifesta est, qua id ostendatur à fine: nam ad sonum percipiendum à natura ipsa nobis auditoria facultas tributa est, tanquam naturalis quædam facultas ad sonos percipiendos & distinguendos: ergo si nullum esset naturale agens, quod naturaliter ederet & efficeret sonum, proculdubio iã natura ipsa aliquod naturale passiuum effecisset, ad quod nullũ esset institutum naturale actiuũ, cùm omni potentię passiuæ respõdeat actiua lib. 3. tex. 17. atq; adeò auditus ad aliquam naturalem perfectionem ordinaretur, quam tota natura illi naturaliter tribuere non posset: esset igitur frustra, manca atq; vacua natura, quæ certè frustra abominaretur & abhorreret vacuum. Oportet igitur statuamus aliquam naturam, quę naturaliter compleat & absoluat potentiam auditiuam, quę naturaliter perficitur in soni receptione: soni ergo generatio naturalis est, non tamen violenta: quoniam sicut aliæ potentiæ naturaliter à suis obiectis perficiuntur, ita quoq; & auditoria facultas perfici debet. Deinde sonus ipse est res naturalis, quatenus quicquid de potentia materiæ educitur, naturale est: quod deducitur ex definitione violenti, quam ponit Arist. 3. Eth. cap. 1. cuius principium extrà est patiente nullam conferente vim: modò tamen sonus esse non potest tanquam violentum aliquid extra naturã (vt dicitur. 5. Phys. tex. 58.) nã præterquã φ causam habet naturaliter efficiẽtem, passum confert vim: ergo quanuis collisio duorum corporum violentiã fiat, soni autem eductio naturalis est. Ad hæc accedũt rationes illæ, quib⁹ lib. 1. de generatio. cap. 10.

Rationes, φ sonus sit violẽtus. 1. 2. 3.

3.

4.

Conclusio quòd soni generatio sit naturalis.

cap. 10. probabamus, mistionem esse naturalem: nam licet elementa corrumpantur, quandam tamen suam perfectionem assequuntur dum miscentur: ita etiam sonantia corpora dum sonant, suam functionem exercent, propter quam erant. Ob idque Aristot. cautè & scitè admodum principio huius cap. & sonum actu & potentia posuit; nam quod est in potentia intrinseca naturæ, proculdubiò violentum esse non potest: atque sonus, qui aerem tanquā medium & subiectum, in quo fiat, habet à natura propositum, quî fieri potest, vt sit res violenta? Idcirco ad primum argumentum dico, sonum non habere conditiones omnes ex parte patientis & recipientis violentas, quod ab omnibus recipitur, tametsi ego non probem, quod quidam asserunt, soni generationem ex parte efficientis violentam esse: certè illud natura non admittit, vt violenter efficiat agens, quod naturaliter recipit patiens. Illud simile de mistione valde appositum est ad huius rei declarationem. Ad secundum, quòd species sonorum distinguantur secūdùm species motus violenti, non admittitur: licet enim aliquid violentiæ misceatur secundùm particularem naturam, secundùm communem & secundùm vltimam speciem motus naturalis debet censeri. Illud autem, quod tertio loco additur, quòd tardior sit soni generatio in fine, nonnihil habet apparentiæ: tamen nec illud euenit, eo quod violentus sit sonus, sed ex eo quòd non habet esse permanens, sed fluens, quod à motu pendeat, sine quo non habet esse: maximè, quòd illud signum non sufficit, vt sit motus violentus, cùm alias rationes habeat, ex quibus colligimus, soni generationem naturalem esse. Ad vltimum, non oportet, quòd imprimat vel formam vel aliquod accidens, sat est, quòd imprimat & influat aeri transmutationem & motum, vt actus sonandi edatur, quæ actio non est patientis vt tale est, sed vt ab agente, quod mouet & transmutat, cuius vi aer, ne diuidatur, sui dissipationi resistit, quam ob causam vnitur, condensatur atque contrahitur, vnde vices plurium sortitur: non secus ac cùm corpora dura inter se aerem collidunt & quasi comminuunt. Porrò nulla corpora dura plana immediatè se possunt tangere: quod intelligendum est de corporibus duris, solidis atque minimè liquidis, nam oleum lapidi immediatè adhæret: similiter etiam intelligendum est de mistis, quoniam corpora cælestia, quæ simplicia sunt, sibi inuicem sine aliquo medio sunt contigua, atq; de discontinuis propter duas eiusdem rei medietates: ergo corpora duo sicca, dura atque solida in aere vel aqua immediatè non se possunt tāgere: cuius ratio est, quoniam in separatione necessariò vacuum esset, aut motum in instanti concederemus, cùm aer ad medium illorum corporū tam citò præsens esset, quàm ad extremum: Patet, si sint illa corpora circularia, quadrata aut plana: idem etiam erit, quancunq; aliam figuram dederis. Quòd si obijcias, si corpora duo non possunt simpliciter esse immediata, sequitur primò, frustrari lapidis appetitum, dum terram (quæ eius est locus naturalis) per semetipsam immediatè tangere non valeat, & prima causa deficeret, illuc grauiora omnia dirigendo? Rursum leuiora non appeterent esse supra grauiora, cùm parua illa aeris portio mediare debeat inter corpora illa dura, quamobrem appeteret esse extra locum suum naturalē? quæ sanè omnia absurda sunt & maximè inconuenientia. Nihilominus tamen semper est illa Aristotelica propositio (& cap. 11. rursus repetemus) vera: quoniam ob appetitum vniuersalem, ne detur vacuum, illa minora admittuntur incommoda, quia hoc magis repugnat: neque opus habemus alia solutione interim, quòd ad illum locum deuenimus, cuius est hæc difficultas propria.

Obseruandus Aristot. sensus. — *Argumenta soluuntur.* — *Ad 1.* — *Ad 2.* — *Ad 3.* — *Ad 4.* — *Obiter quomodo duo cor-* — *pora non possunt esse immediata, vt infrà cap. 11. ex professo.*

ALIA DVBITATIO

Quare auditus tardiùs quàm visus suū percipiat obiectū?

Quocirca, vt Arist. in hoc loco manifestè insinuat, sonus non est sine ictu: quam ob causam necessum est asseramus, à motu pendere, sine quo neque sonus est neque multiplicatur, aut audiri vlla ratione pòtest. Vnde diluitur illud problema, quòd visus præueniat & anticipet auditum: quod in tonitruo, eiúsque coruscatione constat, quod contingit, eo quòd visus functio sine aliquo motu est, auditus autē operatio sine motu atq; adeò sine temporis successione esse non potest: idcirco toni-

O truo

truo & corruscatione simul euenientibus, citiùs sentitur corruscatio, quàm tonitruũ audiatur:quo fit,vt sonus per ventum impediatur,quod de illuminatione non cõtingit.Illud tamen silentio prætereundum nõ est,q; Arist.etsi ad calcem cap.præcedentis tex.76.aërem medium soni esse dixit,iam nũc re pleniùs excussa & examinata quasi in proprio loco docet, non solùm aërem sed aquam etiam mediũ esse,quanuis aqua hebetiùs & obtusiùs sonum recipiat: plus enim aër quàm aqua sono ipsi conferre videtur,per aerem tamen & aquam effunditur.Non ergo erat, cur Caietanus dubitaret,si in aqua audirent pisces, nec si haberent organa auditus, aut auditus esset aëreus, vt aër ille intrinsecus extrinseco cõgeneus esset?Quod Arist.lib.4.de Hist.animal. c. 8.(Plinius subscribit pisces audire lib. 10. Historiæ natural. cap. 69. &. 70.) ex professo docebat, quibus animalibus insit sentiendi vis, & sentit, pisces audire atque olfacere, cùm sonos immodicos fugere visuntur atque intra sua stabula capiuntur. Idq; de captura Delphinorum manifestum est, cùm piscatores repentè alueis vniuersum Delphinorum gregem circũdederint,iidem in mare obstrepentes efficiunt, vt territi erumpant vniuersi in littora, capiantúrque tentato atque grauato capite præ strepitus nimietate, & tamen in Delphinis nulla est manifesta pars, quæ sensum ministret audiendi. Nonnulla alia experimenta adducit eo loco Arist. ex his, quæ assiduè in mari versantur: quoniam qui rem piscatoriam percallent, pisces silentio inuadunt, & antequam fugiant, ex interuallis coniectantes retia iniiciunt: igitur audiendi non sunt, qui negant in aqua nullum sonum esse: certum enim est, aptiùs & accommodatiùs subiectum aërem esse, vt qui neq; ita facilè fugiat & elabatur ac ignis, nec ita tardè ac difficilè sicut aqua: mediam ergo habet & quasi temperatam naturam, quæ neque ita fluit & flexibilis est vt ignis in sua sphera & naturali dispositione, neque tam difficilè cedit ac aqua:solus ergo aer truditur atque resilit vt subiectum habile ad sonum excipiendum: od idq; magis percipitur sonus, quem potiùs parùm in aerem emergentes pisces suis branchijs edunt, quàm sub aquis natantes: et si saxum magnum terram fortiter & vehementer percutiat, sub aquis sonus percipitur: ergo sicut aqua patitur colores, ita & potest sonos excipere. Trifariàm enim considerantur aer atque aqua, Primò, vt diaphana sunt, & sic sunt medium visus: Secundò, vt corpora faciliter secundùm locum mobilia, vt fluxibilia & frangibilia, & sic sunt medium auditus: Postremò, vt alterabilia, & sunt medium olfactus:aer enim soni subiectum non est qua aer est,sed qua percussus dissoluitur atque vehementer dissipatur inter corpora dura & solida: ergo cùm flexibilitas atque mobilitas, & facilè posse cedere, non solùm aeri, sed etiam aquæ competat, igitur ratio medij non est ei deneganda. De igne nihil Arist.in hoc cap.dicit, nec quòd ego legerim in alio eius operum: at verò & si experimento res vacet,ratione tamen omnino non destituitur: quoniam ob easdem quas aer sortitur rationes, licet propter subtilitatem & raritatem debiliùs audiatur, sed acutiùs, vt contrà in aqua hebetiùs & obtusiùs: crediderim sanè ad ignis etiam regionem tonittrua sonum suum multiplicare, vbi si diuina potentiâ homo existeret, non dubito, quin perciperet: imo in ipso orbe Lunæ si adesset,tonitrua audiret. Solùm enim discrimen est, quòd nihil vetat, sonum realiter & per motum realem in aere,aqua & igne esse,in Cęlo autem solùm intentionaliter multiplicaretur:in terra non crediderim vllo modo sonum esse, quia contrarias habet omnino & oppositas rationes cæteris elementis, ipsa enim neque frangitur neque dissipatur facilè,vt soni capax sit,nec adhuc illi[9] soni,quẽ exploratores tempore belli percipiunt, cùm subterraneas excauationes timẽtes,aurem terræ affigunt, & iter agentes à lõge aut excauantes,vt suffodiant vrbes,arcesq; deinde bẽt,appositis tympanis audiri solẽt. Quicquid de hac re sit, certè in terra sonus non est,sed in aere intra ipsius terrę poros inclusso,aut ipsa terra trementi,aer ipsi cõtiguus mouetur & frangitur, & ita sonum percipimus in aere non in terra recepti minon secus ac longissimæ trabis extrema parte percussa, si alteri extremæ aurem admoueris, sonum quidem percipies, qui, quanuis per lignũ effundi videatur, in ipso tamen non est, sed in extrema aeris superficie, quæ,cùm ad lignum repercutiatur, sonat,non tamen quòd in ipso ligno subiectiuè

Medium soni nõ solũ est aër, sed aqua, et fortassè ignis, terra autẽ quadã tenus.

Caietan[9].

Expẽde.

Aëris & aquæ triplex consideratio.

Ignis medium ad audiendũ et soni subiectum.

Cælum soni subiectum.

Terra non est subiectũ soni.

ctiuè ponatur. Non est ergo audiendus vir præstantissimus Christophorus à Vega lib. 1. de arte medendi fol. 145. vbi docet, terram posse esse subiectum soni: prætereà etiam reijcienda est sententia Granatensis hoc loco asserentis, sonum sub aquis non audiri, nisi aër tenuissimus includatur (quam dicit esse sententiam Philoponi) quia fractio aquæ sonum non facit, sed potiùs hebetat & fractiones aëris relaxat, cùm aëris agitatio ipsam aquam percutit: fallitur tamē, & in ipsum Arist. in hoc loco & lib. 4. de Hist. animal. cap. 8. impingit, in aqua sonum audiri asserentem: quod Auicennas, Themistius & plures alij hoc loco affirmant, at Caietanus dubius est: tamen rationes superiùs positæ manifestè ostendunt, nam ad ipsam aquā est percussio sufficiēs vt soluatur, quia fluxibilis & cessibilis est atque mobilis: sed iam tandem vlteriùs pergamus.

Christophorus à Vega & Granatēsis reiiciūtur.

Caietan'.

Tex. 80. Fit autem echo, sonitus, inquā is, qui post sonum resultat, cùm aër factus vnus ob vas, vel locū, qui terminauit ipsum, atq; dissolui prohibuit, inde resilit, veluti pila, repulsus. Videtur autē talis sonitus fieri semper, sed non semper clarus efficitur: nā & in sono perinde, atq; in lumine fit. Lumen autem semper refrangitur, alioquin non fieret lumē vbiq;, sed esset extra locum eum tenebræ, quò radij Solis perueniunt. Verùm nō ita semper refrangitur, vt vmbram efficiat, qua terminare lumē solemus: quod quidē tum fit, cùm ab aqua, vel aëre, cæterisq; leuibus, vt patet, reflectitur.

Granatēsio echo pluribus similitudinib' declaratur.

De recto sono atque directo & primario actum est, nūc autem agere instituit Arist. de sono reflexo atque reciproco, qui inuariata & inflexibili voce apud Latinos & Græcos echo dicitur: declarat enim pręsenti rex. quoddam soni accidens (quod echo appellatur) per reflexionem fieri, eiúsque generationem ostendit. Primò dicit, semper echo esse, quoties sonus editur, licet non semper audiatur, quoniam imbecilla reflexio non auditur: manifestat ex lumine, quod semper reflectitur, nō tamen semper vmbram facit: sic quoq; in echo contingit, qui, etsi in quocunq; eueniat sono, non tamen cōtingit semper eius magnitudinis, vt percipi possit. Exemplum est Arist. de pila, quæ ab obiecto corpore repulsa resilit: sic quoq; in aëre medio, antequam lumen ad corpora pertingat opaca, vbi funditùs impeditur, aliquā reflexionē patitur: sic in ipso quoq; aëre sonus cùm funditur, reflexionē patietur proculdubiò, etsi iste sonus ob paruitatem nō audiatur, qui verò auditur, maior est, & à corporib' solidis & cauis vt domibus & specubus repercussus: cū enim liberè præcurrendi cāpus non concedatur, regreditur repercussus, veluti obstante corpore dissultat pila: in quem modum echo æmulas illas edit voces. Sed clariùs & sensibiliùs atq; accōmodatiùs possumus ponere exemplum de aqua, quæ in stagno, iacto lapide, circulationibus & inundationibus vsque ad littoris orā mouetur, cuius marginibus & finibus occurrēs reciproco motu, ad punctū ictus & percussionis redeunt: pari igitur sensu intelligamus oportet, sonū inūdatione se effundere ad aliquod spatiū aëre commoto, & sic per orbes & circulationes donec corpori occurrat vnde repercutiatur: si enim semper in directū tēderet, fortasse nemo se loquentē audiret: semper ergo fit reflexio, etsi prę exilitate sensum effugiat: quando autem debitæ est magnitudinis, percipitur, etsi fiat à cauis & leuigatis tersis & æquali superficie corporibus, non tantùm sonos sed voces quasdā æmulas refert echo. Inter omnia exempla præstantius multò est de illa cōmotione aquę propter lapidis iactum in vndas & circulos agitatę, quod est Boetij simile. 1. lib. Musicæ, vbi saxum vndam in paruissimum orbem collidit, deinde maioribus orbibus vndarum globos spargit, atque eousque dum fatigatus motus ab efficiendis fluctibus cōquiescat: semper enim posterior & maior vnda pulsu debiliori diffunditur, nam circulationes gradatim à centro egrediuntur, à quo, quo magis distant, debiliores efficiuntur, vt tandem euanescant: nisi contin-

gat motam vndam ad obstaculum aliquod repercuti, vnde necessum sit gyrationes retrocedere. Similes in aëre intelligamus circulationes ex ictu, vbi ex centro prouenientes, aër primò pulsus facit sonum, & pellit alium proximum,& sic ille alium vsque dum ad auditum perueniat, in quo fit sensatio (neque putamus, sonum sola aëris dimotione realiter & naturaliter fundi, quod ad aliquod tantùm spatium verum licet sit, quia sonus, qui effunditur, longiùs alterum illa repercussione sibi similem generare poterit; tamen posteà docebimus, ad aurem non semper peruenire realem sed duntaxat intentionalem sonum, de quo inferiùs: modò ad rem regrediamur.) Si illæ aëris circulationes & inundationes non exiliter & remissè repercutiantur sed intensè, continget echo generari, & sonum reflexè audiri, quod maximè continget ob cauum aliquem locum & specum aut vas, aut simile aliquod aliud corpus, quod vnam habeat, id est, æqualem & leuem superficiem, vt vnus ille motus sine dissolutione retrocedat & remittatur, quod in porticu olympiæ, cui nomen Heptaphonon, memoria proditum est contigisse, septies eandem vocem reddente. Non secus ac cymbala, quæ non septies, sed eo pluries reflexiones & congeminationes per iteratas repercussiones remittunt, habéntq; ad id elaboratas superficies, vt idem aër à superficie æquali repercussus, continenter atque æquabiliter vnus ingrediatur, regrediatúrq;, & semper eadem æquabilitate seruatâ incolumis, integérq; cõmeet. Parum autem refert, quoniam nec modò disputo, an soni generatio vnico duntaxat fiat ictu, vt placet Simplicio, qui totum aërem vnica repercussione quati docet, perinde ac si fundamentum domus quatias, totam domum tremere est necesse: an potiùs (& quod veriùs esse censeo, vt posteà ostendam) non vno ictu nec motu, sed plurimis commotionibus & repercussionibus repetitis, vt de inundationibus paulò antè diximus. Quod & Alexander & Themistius approbant: nam aër non est vnicum corpus solidum perinde ac domus, sed solubile & dissipabile & flexile, ob idq; totus vnico ictu non mouetur, sed ista portio primò mota continuum aërem commouet, qui subinde alium excitat instar vndarum, quas in fluctibus cernimus, vbi vna alteram trudit, donec deficiant. Ex quo sequitur, echo sonum esse reflexum atque adeò à directo distinctum: nam si causatur per reflexionem, necesse est, mediam quietem interuenire (vt lib. 8. Phys. cap. 8. ostendit Arist.) gressus enim & regressus pilæ cõtinuari non possunt, sicut nec ascensus descensui, quos motus longo naturæ interuallo distare cognoscimus. Quare cùm necesse sit quietem esse mediam, distinguuntur & disiunguntur illi motus, aliàs simul accederet & recederet, motibúsq; contrarijs agitaretur: igitur echo non est idem sonus sed similis, sicut nec est idem motus continuus sed discontinuus, vbi non negamus eundem esse aërem, sicut fatemur eandem esse pilam tendentem & regredientem, negamus tamen eundem esse motum, eadémq; ratione neque esse eundem sonum. Quam ob causam Paulus Venetus echo vocis (id est, vocem reflexam) non esse vocem docet: quoniam non causatur ab animali secundùm eas rationes, quas Aristot. in hoc cap. ponit: echo igitur vocis sonus est atque voci persimilis, atque iteratio soni est sua semper conseruata figura, nimirùm quoad fieri potest, vnicâ demptâ numerica vnitate & continuitate, adeò primo sono similis est, & in omnibus primæ naturæ à conditione respondens, vt sensus vnum & continuum esse iudicet. Fit etiam, vt nunquam contingat, eundem sonum ab eodem directè & reflexè audiri, quod de colore contingit in propria natura directè atque in speculo reflexè visa, vide quæ tex. 82. dicuntur: sed quia plus æquo immorari videor, ad sequentia properemus.

Aër non mouetur simul totus vnico motu.

Echo distingui tur à sono directo.

Echo vocis nõ est vox.

Attende.

Rectè autem à Veteribus audiendi vacuo tribuitur authoritas; nam aër vacuum esse videtur. Is autem est, qui audire facit, cùm continuus, vnusque fuerit agitatus. Verùm quia fragilis est, non personat, nisi id, quod est percussum, sit leue. Tum etiam vnus ipse simul ob planitiem ipsam euadit: leuis Tex. 81.

nanq;

nanque corporis planum est vnum.

Ex vulgari Antiquorum opinione, qui in vacuo sonum fieri dicebant, colligit Aristot. aërem audiendi & soni medium esse: nam aëris locus vulgo vacuus apparet, & sic vulgari nomine dicitur & appellatur vacuum, quia mente potius quàm sensu constat: tamen continuus vnusq; est, & si agitetur, audire facit, nam non interrumpitur, & ob id agitatus sonum continere potest, quem ad aurem vsq; defert: ad quæ necessaria est vnitas & continuitas, cùm vnus sonus vnum habeat motum, vnum deferens, vnum corpus repercussum, quod ex repercussione notum euadit: nam ex superficie aspera & habente eminentias, non fit vna & equalis repercussio: atq; adeò minus benè sonus reflexus redditur, qui tamen optimè reflectitur ab vna superficie cõtinua & regulari. Similiter & in luminis reflexione. Arist. hoc loco vacuum non affirmat esse, quod, 4. Phys. negauit; sed argumentum sumit ex falsa aliorum sententia & vulgi deceptione, & quasi animi cõmuni conceptione probetur, medium audiẽdi aërem esse, ideo sequitur.

Vacuum cur ab Aristot. hic asseratur.

Tex. 82.

Id igitur sonum efficit, quod mouet vsque ad auditum continuatione aërem vnum. Inest autem auditui quidam insitus aër, atque cùm auditus in aëre sit, cùm externus aër mouetur, & internus mouetur, ac agitatur. Quapropter animal non omni audit ex parte, neque quouis aer pertransit, & penetrat: quippe cùm animatum non habeat aërem vbique, quo posit quauis sua parte moueri.

Si vn⁹ numero sonus audiatur.

Dubitari solet, si vnus numero sonus audiatur, hoc est, si sonatiuũ moueat medium vsque ad auditum, vt color est motiuus diaphani vsque ad visum, aut si diuersi sint soni, sicut & diuersæ sunt inundationes aëris atque motus, quomodo idẽ sonus numero à pluribus auditur? Respõdet Aristot. in præsenti tex. quod sonat atque efficit sonum, mouere aërem vnum, non simpliciter sed continuatione, vt vnus sonus sit ratione fundamenti. Quælibet enim pars illius soni immutat sub ratione totius & principaliùs, quàm sub ratione partis (sicut de tangente vnicam ignis portionem, dicitur totum tetigisse, & videns vnam partem Solis, totum dicitur videre, licet non adæquatè secundùm totum) quocirca si Petrus & Paulus eundem sonum audiant, alter intensiùs (quoniam præstantiori auditu præditus est, aut quia est in propinquo) alter verò remissiùs (quòd sit in remoto, aut debiliorem auditum habeat) fit, vt tametsi partes diuersas quantitate atque numero percipiant, eundem sonum numero audiant. Nulla sanè est illa consequutio, audiunt diuersos sonos, ergo non audiunt eundem sonum numero: illa enim diuersitas est in ratione partium posita, sed vnitas ex ratione totius pendet: ergo quamuis sonus non adeò vnus sit ac color, tamen à fundamento vnus est color & vnus est sonus: & sicut à Sole plures multiplicantur radij, quorum quilibet totius Solis est repræsentatiuus, ita à sono vno in medio multiplicantur species variæ ipsum repræsentantes. Præterea ex ratione Aristot. quia vsque ad aurem mouet aërem vnum & continuum: nam si aër totus continuus non esset, sed aliqua sui parte interruptus atque abscissus, subiectum non posset esse, in quo sonus deficere posset. Diximus enim paulò antè, aërem semel pulsum atque percussum obiter sequentem impellere, similiq; plaga figurare atque formare, qua & ipse fuerat informatus, & ita gradatim continuata efficitur serie, donec accedat ad aërem naturalem & insitum atque cauitatibus auditus inclusum, & in locis diuersis & à multis vnus idemque sonus auditur magis ac minus pro cuiusque vi audiendi, distandique ratione, aut quo magis fuerit agitationi coniunctus, seiunctúsve. Dices, vnum aërem esse continuum atque vnum motum, proinde & sonum continuum, perinde ac fluuium vnum, vnumque hominem (variata etiam materia) dicimus: sic sonus vnus, quia eadem est soni qualitas, quæ diuersis auditibus obijcitur, sicut idem color diuersis aspectibus: sat ergo

Obserua.

est, aërem, qui maximè omnium frangibilis est; sic vnum vsque ad auditum continuari, non necessariò realiter, sed sat est intentionaliter; quoniam quamuis sonus non sit qualitas fixa, sed quæ labitur, tamen partes sequentes priores reparant simili figura, vt in fluuio sic in aëre se substituentes, aliæ enim sunt aquæ, & tamen est idem flumus; similiter nouæ sunt aëris partes, soni atque motus, tamen idem est aër, idem sonus, & idem dicitur motus propter fundamenti vnitatem, aëris scilicet continuitatem atq; propter vnum semper & continuum impulsum. Similis etiam est in lumine vicissitudo atque luminis nouitas continua (vt cap. proximo diximus) quæ non tollit, visionem esse vnam, nisi quia nõ sentitur, nec illa vicissitudo percipitur: simili etiam modo philosophandum est in præsentia. Vel distinguamus, circa corpus sonans vnam esse percussionem & inundationem, atque adeò vnum & motum & sonum, qui tamen inde in orbes & circulos diffunditur, atque vt varias afficit põtentias, non est simpliciter vnus: vt manus nostra, qua coniungitur brachio, vna est, at verò qua in plures digitos distribuitur, nihil vetat, plures dicatur: sic de sono atque de colore, quia multi per diuersas species mouentur, quarum aliæ ad dexteram, aliæ ad sinistram, & sic orbiculariter secundùm omnem differentiam positionis. Quare sicut in quolibet puncto medij terminatur conus pyramidis visualis eiusdem coloris, sic etiam in qualibet portiuncula ipsius medij esse potest immutatio soni: ergo hac ratione vnus sonus à pluribus audiri posset.

Variatur lumē & color sicut son⁹.

Hec est summa et vera resolutio.

In hoc eodem tex. Arist. operationem ipsius auditus declarat, quæ nihil aliud est, quàm soni perceptio in proprio instrumēto, quam accommodatè Arist. per instrumentum & organũ auditus enodat & proponit, nempe in auditu præter externum aerem, qui mouetur, internum, insitum & naturalem esse docet, quo audimus, cùm ab externo mouetur ac agitatur: quã ob causam ea solùm parte audimus & nõ vniuerso corpore: hic nanq; aer in illa solũ parte à natura situs est, sicut humidũ glaciale pupillæ sua quoq; parte ad videndum: itaq; natura organum auditus prope cerebrum collocauit. Quod rectè cum Galeno lib. 1. de causis Symptom. internum quendam meatum aurium (qua parte neruum ibidē dispersum tangit) esse docuit, vbi eandem rationem habet in auribus interna illa auditorij meatus extremitas, vbi dilatatum neruum attingit, quam habet humor crystalloides in oculis; neruus ergo proprius est, quo audimus ea eius parte aërea secundùm naturam, vt lib. 4. de locis patient. c. 3. & lib. 7. de placitis Hippocratis & Platonis, quod auditioni seruit aëreum est: idem lib. 8. de vsu partium cap. 6. & Arist. hoc loco aerem intra membranam contentum ab aere externo sonante agitari, quam agitationem neruus ille sentit, quemadmodũ & eam quam à causis internis fieri sentimus laborantibus capite & auribus, aut ventriculo vaporē sursum mittente: sunt ergo (vt Alberto etiã placuit) circa latera auris intrinseca dura, vt in eis iuxta os spõgiosum fiat accommodata repercussio, cui applicatur mēbrana quædam meninx appellata, quæ intra se instar tympani aerem illũ naturalem & insitum continet, qui sicut dicitur commoueri à motu aeris exterioris, sic ipse internus neruum illic sparsum tangit & fit auditio. Est autem iste aer natiuus, in quo fit auditio, ab ipso naturæ autore mirabili quadam curuatione & varijs anfractib⁹ protectus, vt aer via recta minimè ingrediatur, ne vehemētiùs quàm par est, aerem internum mouens, auditum lædat aut destruat, atq; adeò per illos quasi anfractus transit, vt antequam ad organum perueniat, mãsuescat, vt ipsum lenius & sine violētia suauius tangat. Idcirco auris exterius cartilaginosa facta est, vt sine fractura impetum aeris excipiat: deinde anfractuosa, vt maiorem, quàm auditus ferre posit, tēperet violentiam. Quã via paulo ante dicebamus, aerem externum agitatum ad aurem vsq; sonum deferre, ibiq; in principio cauitatis continuari: nam vt aqua aquæ, sic aer continuus est & nunquam cõtiguus, & ita moueri aerem vsq; ad auditũ cõtinuatione vna: sanè in cauitate auris duplex est aer, alter simplex & elemētaris, qui medijs auris gyrationibus tanquã ostiarius adhæret: vnde nunquam dimouetur nec animatus est, sed iste alterum intra membranam & meningem contentum mouet, ad cuius munimentũ & tutelam ille alius positus est, vt palpebræ & supercilia oculis. Est ergo aer ille siue potiùs humor aereus animatus, quoniam sentit & sonos percipit, & is tantùm potest immutari & affici ab

Operatio auditus.

Organũ auditus.

Auris figura cur anfractuosa.

Animatus est aëreus humor, quo audimus.

ab illius ſpecie: ergo aër dicitur, non quia ſimplex ſit corpus, ſed à prædominio: itaq; prior ille aër in principio auris poſitus, medium eſt ad deferendas formas ſonorum: alius verò interior membrana comprehẽſus, qui animatus eſt, inſtrumentum aut organum ſentiendi ab omnibus Peripateticis aſſeritur, & iſte nunquam effluit foras ſicut alius, qui ſimplex corpus eſt. Vbi aduertendum eſt, Granatenſem plura hoc loco aſſerere, quàm par ſit, præſertim quòd falſò exiſtimet, aërem illum internum inanimatum eſſe perinde ac externum: nam quomodo, rogo, audiret & ſentiret, maximè cùm animalis ſit pars & præcipua atque vitalis? igitur (vt Philoſophorum & Medicorum affirmat doctiſsima turba) neceſſum eſt aſſeramus, aërem animatum eſſe, conſignatum & pellicula illa obſeruatum. Andreas Veſalius (vt Franciſcus Valeſius lib. de controuerſijs. 2. cap. 23. refert): primus duo reperit oſsicula, quæ omnes alios latuerant: vnum ſimile incudi & molari denti poſteriori: alterum autem malleolo & dẽti interiori perſimile eſſe dicit, vnde autor ille peritiſsimus conjectat, ex oſsium figuris inſtrumentum eſſe auditus, & vnum pro incude, alterum pro malleolo pulſando ſonum facere ſimilem ſuæ immutationi, vnde gratos aut ingratos, harmonicos aut peſsimos reddi ipſos ſonos. Cæterùm quàuis pro diligentia viro doctiſsimo, vſum illarũ partium indaganti, gratiam habeamus, non tamen ſtatim certum eſt, qua ratione malleolus, dum incudem cædit, tam diſtinctas & exactas edere poſsit voces atque harmonias. Adde etiam, quòd (vt ex diſſectione conſtat) illa duo oſſa vertebras non habeant, quibus ſe vertant, ſed alligata ſunt vt malleolus ſecundùm capitulum, aliud autem os ea parte, qua incudem refert, ferire & tangere aut percutere poſsit, vt ſonũ edat: ſed hæc ad Medicos referamus, nos verò ad Ariſt. noſtrum regrediamur.

Granatẽ. reprehenſus.

Andre. Veſ. Frãciſcus Valeſ. repulſi.

Tex. 83. Ipſe igitur aër vacat ex ſe ſono, quia facilè diſpergitur, ac diſſoluitur: verùm cùm prohibetur diſſolui, tum motio ipſius eſt ſonus. At is aër, qui in auribus eſt collocatus, intus eſt cõditus, vt ſit immobilis, atque hoc, vt exactè ſentiat differentias omnes motus. Et propter hoc in aqua etiam audimus, quia non ingreditur in ipſum inſitum aërem, nec in aurem ob obliquitates ipſius, aqua. Quod ſi acciderit, non audimus, nec item ſi ægrotauerit ipſa membrana. Quemadmodum etiam non videmus, cũ ea pellis ægrotat, quæ pupillam complectitur.

Tex. 84. At enim ſignum id eſt audiẽdi, vel non audiendi, nam auris ſemper ſonat perinde, ac cornu. Semper enim aër inſitus, motu ſuo quodam in auribus agitatur, verùm ipſe ſonus alienus eſt, & non proprius. Et propterea Veteres vacuo nos inquiunt audire, ac perſonante, quia audimus eo, quod determinatũ aërem habet. *alias eò quod*

His duobus textibus Ariſt. & aërem ſono vacare, vt omnes ſonos recipiat, & intra aurem contineri docet: ſono, inquit, vacat aër, vt omnis ſoni ſit perceptiuus, quia aër facilè diſpergitur atq; diſſoluitur: non ergò habet reſiſtentiam diſſoluendi, ſed potius cùm prohibetur diſſolui, tunc motio ipſius eſt ſonus, id eſt, merito ſuæ diſſolutionis & fractionis (quæ violenta ſibi eſt, cùm moueatur & agitetur) actionem illam ſonoram defert ad auditum: quod intelligendum dicit de aëre externo, qui ad omnes impreſsiones facile patiens eſt, neſciens reſiſtere: facilè ergo omnium ſonorum receptiuus cedit, & exactè atque perfectè ad auditum vſq; diſtinctè omnes defert ſonos: nam internus, qui in auribus collocatur, omnino eſt immobilis, vt exactè ipſo audiamus. Et hęc eſt vna cauſa, propter quã ſub aquis nos audimus mirũ, quia

non ingreditur ipsa aqua, neq; tangit insitum aerem, ob aërem alium atq; ob cauitates ipsius auris & specus subterraneas: nam si ingrederetur, non audiremus perinde ac ægrotante ipsa membrana, sicut neq; videmus malè se habente pellicula, quę tegit oculos. Notandum tamen est, aërem externum immobilem omnino nõ esse: nam ad Solis radios patefiunt ramenta, quæ agitantur & volitant, & aëris scobes motum ostendunt, vel ob aëris commotionem vel ob vapores & fumos, qui ipsum agitant: sic quoq; si aure digito obturata sentitur internus quidã sonus & tinnitus, instar bõbi, quod signum non est, aërem ipsum internum & animatum à se moueri, sed potiùs quòd ille alius aer exterior & inanimatus moueatur à calore ab ipso corde ad caput vsq; ascendente & per aures spirante, vel à reliquis vaporibus, qui in aurem incurrentes, aerem illum extraneum ad aereum humorem, qui auditioni deseruit, agitant: ergo sonus ille instar est cornu sonantis aut sibili aut bombi, pro fumorum varia agitatione eueniens: quod quidem non est signum, animatum aërem moueri, sed argumentum potiùs incolumis & salui auditus, qui optimè constitutus sonum illum quantumuis minimum percipit; ergo meritò nullum habet à se sonũ, vt omnes sonos possit excipere: nam is ipse, quẽ percipit auri manu admota, alienus est strepitus, qui intus in auribus excitatur, & non proprius. Neq; recuso Pauli Veneti interpretationem, qui hoc loco docet, Arist. probare, aerem non naturalem dari & intra aurem contineri, duobus experimentis, & existentium sub aquis, & ægrotantium: insuper ob bombum perceptum intra aurem, quam natura nimis callidè anfractuosam & obliquam facit, vt externus ille aër ad tutelam interni præparatus difficiliùs difflueret & meliùs contineretur, neq; facilis esset aditus nociuis ipsius auditus: sit ergo auditio sicut visio, non in membrana aut osse, sed in neruo ibidẽ disseminato iuxta foramen, quod cęcum appellatur, vtpote quod peruium non sit. Et si dicas, quòd si auditus est de natura aeris, ergo nobilior erit & præstantior visu, quantò aer aquã præstat, de cuius natura ponitur visus? Respondetur, non sequi, quod si aer aqua est præstãtior, mistum aereum aqueo præstet: nam plures sanguinem, qui de natura est aëris, spiritibus pręstantiorem dicunt, qui tamen sunt de natura ignis. Similiter contingit, duo corpora esse de natura eiusdem elementi, vt stannum & argentum, quæ de natura aquæ intelliguntur, quòd vtrunq; liquefactibile sit, & in liquidum aqueum resolubile, & tamen argentum est stano perfectius & nobilius. Simili etiam ratione de auro & plumbo, quæ sunt de natura terrę, tamen quòd alterum altero pręstet atq; nobilius sit, ex ratione diuersitatis prouenit ipsius mistionis, quæ (vt diximus lib. 1. de gene. cap. 10.) ad formam mediam terminatur, quæ est quasi modus substantiæ, actioni & passioni elementorũ respondens: sed de his alibi latiùs disserendum est.

Veneus.

Obiectioni occurritur de nobilitate visus.

Sed vtrum horũ duorum sonet, vtrum id, quod verberatur, an id, quod verberat? At constat, vtrunq; sonare, modo autem diuerso. Sonus enim, motio est eius, quod eo motu moueri potest, quo mouentur ea, quæ resiliunt à corporibus leuibus, cùm quispiam percutit. Nec omne quoduis, tam verberatum, quàm verberans, sonum efficit, vt diximus, Non enim, vt patet, sonus efficitur, si acus feriat acum: sed opus est, vt id, quod verberatur, sit planum; quo simul aër inde resiliat, totusve concutiatur. *Tex. 85.*

Cùm in sono percutiens cõcurrat & percussum, & vtrunq; sonet diuerso tamen modo, quærit, vtri potiùs sonus accept[us] referendus sit? Respõdet Arist. vtriq; deberi & percutienti & percusso: percutiẽti enim, vt ei, à quo origo est & motionis sonũ: percusso verò, non solùm vt ab eo, in quo est motio & actio (motus enim actus est mobilis. 3. Phys. tex. 17.) sed vt à resistente (percussa enim quasi per reactionem repercutiendo sonant) ideo vtrunq; actiuè concurrit, licet principale sit percutiẽs, & ita Sãct. Thom. sensit. Quod ego verum esse credo, atq;

Quæst. de subiectio soni.

atq; adeò percutiens & percussum actionem exercere circa aërem medium, quem collidunt & cui sonum imprimunt: semper tamen magis ipsum percutiens & agẽs sonat, quia caput est & origo totius actionis. An tamen sonus, qui à verberãte & verberato eliditur, in vtroq; sit aut in altero, an potiùs in neutro, sed formaliter & subiectiuè in aëre? posteà dicemus, fortasse subiectiuè in aëre collocabim⁹, effectiuè in percutiente & percusso: & quanuis sonus aërẽ non indicet, sed causam effectiuã, cui actualiter coniungitur, tamen non est eiusdem actus, cuius est potentia, si simul non sit effectiua & receptiua potẽtia: sed de his posteà, cætera in tex. clara sunt.

Tex. 86. At differentiæ sonorum, actu sono manifestæ fieri solent: nam vt absque lumine non videntur colores, sic neq; acutum, graueq; sine sono discernitur. Hæc autem à tangibilibus translatione dicũtur: acutum namq; multum in breui tempore sensum mouet, graue verò longo in tempore parum. Non igitur idem est acutum, & velox, neque graue, tardumq;: sed fit alterius quidem motus propter velocitatem talis, alterius autem talis ob tarditatem. Et similia esse videntur acuto, atque obtuso, quæ sunt in tactu: nam acutum quidem quasi pungit, obtusum autem quasi pellit: quia illud in pauco, hoc in multo tempore mouet. Quare fit, vt illud sit velox, hoc tardum.

Soni differentias inuestigat, & primò quomodo percipiantur docet, manifestatque ex lumine, quod ita actum esse colorum proximo cap. docuimus, vt sine ipso colores videri sit impossibile: sic in præsenti Arist. sonum ad acutum & graue se habere contendit, sine quo non discernas, vt sine lumine colores videri est impossibile. Iste locus si cum Commentatore & quibusdam Neothericis esset à nobis explicandus, diceremus, sicut lumen actus est colorum, ita ex sono actu differentiæ sonorum colligantur, & ita nihil omnino diceret Arist. frustratorium namq; est, quòd sicut colores non percipiuntur, nisi ad luminis præsentiam, ita neq; soni differentiæ nisi ad præsentiam soni actu: nam quis hoc neget? nemo nugatorium esse non videt. Præterea abundè magnum esset argumentum, vt colligeremus, sicut sonus est de essentia suarum differentiarum & specierũ, ita quoq; lumen de essentia esset colorum: quod superius falsum esse ostendimus, & tamen asserere esset necesse, aut fateri opus esset, argumentum Arist. ex similitudine & proportione non tenere. Vult ergo Aristot. (meo iudicio) quòd sicut colores in ratione visibilis sunt in potentia sine lumine, quo accedente manifestantur & percipiuntur (quanuis enim anteà essent realiter & verè, ipso tamen lumine se produnt & fiunt actu præsentia) at verò sonus, qui (vt principio huius cap. diximus) aut actu est, aut nullo modo est, sed in sola potentia, in ipso solo actu sese auditui objicit & sese nobis prodit, eandem sortitus rationem, quam color in ratione visibilis, ita sonus in ratione audibilis. Vel aliter si placet, quòd comparatio tenet inter lumen & colores ex vna parte, & motum & differẽtias soni ex alia: nam sicut lumen actuat colores, sic motio actuat sonos: quod probabile redditur ex eo, quod subiungit Arist. differẽtias sonorum nomine sonantium sumi & denominari graue & acutum, quæ à tangibilibus translatione quadam dicuntur: quoniam tactiles qualitates cæteris sunt notiores, acutum igitur, quod tactum pungit, citò penetrat & quasi perforat, multumque in breui tempore sensum mouet: obtusum siue graue, quod tardiùs longo in tempore parum mouet: sic enim istæ differentiæ sine ipso sono, hoc est, sine motu & pulsatione neq; immutant neque percipiuntur: acutum enim & graue, licet idem non sint quòd velox & tardũ, attributione & trãslatione quadam per illa definiuntur: ergo quod velox & tardum ad motum, id est acutũ & obtusum respectu tactus, idemq; est acutum & graue habitudine ad auditum.

Neothericì Cõmentatorẽ sequuti meritò eliminantur.

Autoris cẽsura.

Altera Autoris expositio.

Imo hanc ob causam sonus proprias non habet differentias: quoniam (vt sæpe proclamatum est) naturam habet à motu & tempore pendentem atque adeò debilem, quæ proprias non habet differentias, sed translatitias & aliunde precariò loco verarum subiectas & vocatas. Plures hîc ab Arist. referuntur contrarietates, quæ habẽt tamen vnam rationem communem sub ratione formali obiecti cõprehensam. Quo fit, diuersitatem sonorum esse pro diuersitate sonantium instrumentorum & pro ratione pulsationis, vnde diuersimodè refrangitur & repercutitur aër, vt ex his omnib' deprehendatis, motum esse veluti causam soni subiectiuam, quo deficiente motu, sonum cessare sit necesse: ob idq; ipsius motus velocitas atq; tarditas veluti materiales causæ & subiectiuæ sunt acutiei & grauitatis in sono: ideoq; Arist. per tempus in respectu ad velocitatem definit acutum, & per idem tempus in habitudine ad tarditatem graue, illud, quod in tempore breui multum mouet, istud, quod in tempore multo parum: ergo meritò soni differentiæ percipiuntur ex motu pro differentia sonantis corporis & pulsationis, & nomenclaturam accipiunt per ordinem ad contrarietatem tangibilium qualitatum. Vbi aduertendum est, graue non sumi hic vt opponitur leui, de quo in libris de Cælo: esset enim sensibile per se commune aut per accidens, sed graue acuto oppositum sensibile proprium auditus est. Quòd si dicas, contingere nobis circa sonum deceptiones, nam hic magnum, ille paruum dicit esse sonum: non igitur erit sensibile propriũ? Respondetur, deceptionem non esse circa sonum sed circa eius magnitudinem, vt visui etiam contingit, paruum colorem magnum iudicare, aut vice versa, sed magnitudo commune est sensibile, & ad magnitudinem remissio & intensio soni refertur: sed iam instat tempus, vt ad postremam capitis partem accedamus, quæ de voce est.

In auditu vna contrarietas qualiter accipiẽda.

Graue nõ leui, sed acuto opponitur.

Auditus non decipitur circa propriũ sensibile.

Tex. 87. Atque de sono quidem determinatum sit hactenus. Vox autem, sonus quidam est animantis: nihil enim inanimatorũ vocem habet, sed similitudine quadam dicuntur vocem emittere: vt tibia, lyra, cæteraq; inanimata, quæcunq; extensionem, concentum, & locutionem habent: horum enim soni similes esse voci videntur, quia vox & hæc eadem habet. Atqui cõplura sunt animalium, quæ non eliciũt vocem, vt ea, quæ sanguinis expertia sunt: & eorum, quæ sanguinẽ habent, vt pisces, atque id non absq; ratione: siquidẽ sonus motio quædam aëris est. Sed qui vocem dicuntur emittere, vt Acheloi fluuij pisces, ij branchijs sanè sonitant, vel aliqua simili parte.

De sono in communi hactenus determinatum abundè est, nunc verò de soni præcipua & præstantissima specie dicendum esse ratio ordinis postulare videtur: est enim sonus voce communior, & vox soni præcipua species: ob idq; statim principiò Philosophorum Princeps similitudinariã & trãslatitiam quorundam inanimatorum vocem è medio reijcit: nam fistularum & instrumentorum musicorum soni per metaphoram voces appellantur: significandi enim gratia aliquando sunt instituta, vt dũ in bello tuba receptui aut congressui canitur, aut etiam animos recreandi & reficiendi, vt tibijs, lyris, & quæcunq; tria illa, quæ in voce reperiuntur, extensionem scilicet, concentum, & locutionem habent: vnde translatio sumpta esse videtur & communis quædam denominatio: quia vox & hæc eadem propriè & suo veluti iure sibi vendicat. Subdit Arist. *Atqui complura sunt animalium, quæ non eliciunt vocem*, dixerat enim inanimatorum quædam impropriè esse vocalia, modò verò (ne quis credat & sibi persuadeat, animata omnia vocẽ habere) subdit, vocem non omnium esse animatorũ, sed habẽtium quidem sanguinem aut humorem sanguini proportionalẽ, quæ propter multum calorem attractione & detractione aëris indigeant: quare cicadæ, grylli & id genus alia, quæ sanguine & humore

Duplex vox, vna ppria, altera metaphorica.

alij

illi proportionato priuantur, vocem non habent, licet vocalia esse videantur: quoniã cicadę habent sub alarum cauitatibus in septo transuerso pelliculam, quæ ab aëre repercussa sonitat, conantes quandam adumbratam respirationem ad refrigerium & temperamentum æstus: at verò grylli circa caudam quoddam simile & proportionale habent, per quod diuerberant & repercutiũt aerem, stridorem illũ adgenerantes: pisces autem, qui sanguinẽ aut sanguini proportionalem humorem habent, branchijs vel alia simili parte potiùs sonitant, quàm vocem edant: vbi aduertendum est, vocem propriè esse in animalibus, quę determinata habẽt ad respirandũ instrumenta. Vnde profluunt illa tria ad vocem requisita, extensio, concentus & locutio, vt per extensionem continuitatem, per cõcentum melos, cantus suauitatem & aptam vocis modulationem secundùm consonantiæ distinctionem pro grauis & acuti, breuis atque longi ratione intelligamus, sicut ex locutione deprehendimus discretionem atque articulationem, quæ in vocibus aliorũ animatorum ab homine non reperiuntur: de quibus Arist. lib. 5. de gene. animal. cap. 7. vbi multa de voce animalium & eius mutatione, qua suas vicissim passiones explicant, coëundi aut cibandi desiderium, læsionis aut delectationis nocumentum proponunt: itaq; pro varietate affectionum suas mutant voces, quas habent à natura comparatas non ex libero instituto, vt homines, qui rationis beneficio ipsis vocibus significantiam adiunxerunt: ob idq; à vi imaginatiua voces proficiscuntur, quem in vsum plurima mouentur instrumenta, vt Philosophus docet. 3. lib. de partib. animal. c. 3. Eam igitur ob rẽ tria illa in voce reperiuntur, vt extensio ad varios affectus exponendos natura duce propendat: melodia verò propter vocis suauitatem atq; concentum ad voluptatem & animi recreationem: locutio demùm propter articulationes ad debitam structuram & fabricam significandum. Quocirca trinam differẽtiam reperio inter sonum & vocem: nam etsi cõueniant in communi & generali doctrina, quòd ad vtrũq; tria illa requirũtur, percutiẽs, percussum & medium, tamen certo modo est differentia, Primò, ex parte efficientis, nã vox non nisi ab animali maximè ab homine, at verò sonus ab omnibus sine discrimine euenit, etiam ab inanimatis & his omnibus, quæ non habent sui motus principiũ. Deinde, ex materia siue modo, quoniam vox non quacunq; fit vt sonus percussione & collisione, sed ea duntaxat, quę est per aëris attractionem & repercussionem ad cannã illam asperæ arteriæ, vt accidit in ipsa respiratione. Postremò, ex parte finis, quoniam sonus abstrahit à ratione significandi, vox autem cum aliqua est significationis imaginatione: vbi considerãdum est, nullam apposuisse differẽtiam ex parte formæ, quoniam se habent sicut superius & inferius: habẽt igitur eandem formam & definitionem, de quibus omnibus statim dicemus.

Quæ ad vocẽ propriam requirãtur.

Trifariã differt vox à sono.

Vox autem & sonus est animalis, & nõ quauis efficitur sine discrimine parte, sed cùm aliquo percutiente aliquid, & in aliquo, quod quidem est aër, sonus effici soleat, iure profectò vocem animalium ea solùm habebunt, quę suscipiunt aërem. Iam enim ipsa natura vt ad gustum, & locutionẽ vtitur lingua, quorum gustus quidem necessariũ est (quapropter pluribus inest) Interpretatio verò est gratia boni, sic & aëre, qui respiratione trahitur, ad duas vtitur operationes, ad internum, inquam, disponendum calorem, quod quidem est necessarium, & causam in alijs explicabimus, & ad vocem etiam conficiendam, ob bonum. *Tex. 88.*

Monstrauit Arist. in quibus vox sit veluti in subiecto, à quibus vt causa efficienti proficiscatur: modò verò organa vocis & modum, quo fiat, proponit dum dicit, vocem sonum esse animalis, non quauis eius parte, sed cùm per pulmonis asperam arteriam in ipsa respiratione pulmo cannam ipsam asperæ arteriæ percutit in aliquo, quod

De organo vocis.

quod aër dicitur: ob id solùm respirantia & quæ aërem attrahunt, dicuntur vocem habere. Statim tacitæ obiectioni occurrit, ostenditque, non obstare illud instrumentû, quod natura instruxit ad cordis refrigerationem, vt ad voces edendas etiam destinetur. Simile apponit appositissimum de lingua, quæ cùm gustandi gratia à natura nobis tributa sit, nihil refert secundarium habere vsum ad ipsam orationis interpretationem, vbi primarius, qui à natura profectus esse videtur, simpliciter necessarius esse dicatur: secundarius enim gratia boni & ad benè esse, vtpote qui confinium habeat & affinitatem ab ipsa voluntate. Qua via respondebimus ad instâtiam quorundam, quòd voces non possunt esse à natura, quæ non ad duo sed ad vnum inclinat (vt 1. de Cœlo & 1. Polit. docet Arist.) tamen licet ita sit, quòd ad vnum natura primò determinat, sub illo vno plura possunt subordinata contineri: quoniam fœmina, quæ ad prolem ordinatur, plures potest alios habere vsus sub illo primo côtentos: sic igitur natura aëre vtitur ob naturæ indigentiam ad præcordiorum refrigerium, & similiter ad interpretationem & locutionem, non iam necessitatis sed vtilitatis & cuiusdam magnæ cômoditatis gratia, vt non malè dicere possimus, vocem naturalem esse ex suo genere, qua sonus est, spontaneam autem ab specie vltima dearticulationis, cùm ab aliqua imaginatione efformetur: quæ in sequentibus Arist. specialiùs manifestat.

Quo modo eadem vna natura sit ad plura.

Natura quatenus ad vnû.

Tex. 89. Instrumentum autem respirandi, fauces sunt: pulmoq; id est, gratia cuius est ista pars. Nã ea, quæ gradiuntur, hac in parte plus habent caloris, quàm cætera. Is præterea locus, qui circa cor est primus, respiratione nimirum eget: idcirco necessariû est aërê ingredi respiratione attractum.

Proponit respirandi instrumenta, quoniam eadem sunt & loquendi organa: respiramus enim faucibus & pulmone attrahentibus & emittentibus aërem, vocem autem formamus, cùm aërem attractum ad cannam pulmonis repercutimus. Est enim duplex via: vna, quæ stomacho & ori copulatur, qua cibum deglutimus: altera verò est, quæ pulmoni coniungitur, quæ aspera arteria à nostris Medicis volgò nominatur, quæ habet operculum nominatum epiglottin, siue laryngis linguam: est enim larynx globulus ille instar nucis externus in gutture eminens, & illud operculum asperę arterię lingula appellatur, siue lingua secunda & minor, qua arteria ipsa clauditur, ne crassior cibus deerrans, in alienum tramitem deueniat, vnde strangulari aut tusses excitari fit necesse: ideo errant qui inter comedendum nimium sunt loquaces, aut cachinnantur: incuria nanq; nostra solet euenire, vt si cachinnis operam demus, cibus nô perueniat ad eum tramitem, quâ ad stomachum mittitur, sed respiratione præueniente, amota lingula per arteriam asperam cibus in pulmonem cadit, quod in maximum vertit vitæ nostræ periculum: hac arteria aërem inspiramus, qui vocis est materia: spirâtes autem ad laryngê, & aërem ibi contentum continentius, vt percutiatur, ne sine percussione elabatur, vt fiat vox. Quare aër, qui inspirando ad magnum cordis æstum continua euentatione mitigandum ingrediebatur, spiratur quidem, & ad asperam arteriam commoditatis & alicuius boni gratia repercussus, dearticulandus & quasi formandus continetur: idcirco vox non est sine attracto per respirationem aëre: ex quibus omnibus, quòd sit vox, palam est.

Quare vox est ictus aëris respiratione attracti, qui quidem ab anima fit ea, quæ bis in partibus collocatur, ad eam partem, quæ gurgulio appellatur. Non enim omnis quiuis animalis sonus vox est, vt diximus (fit enim, vt & lingua sonus efficiatur, & etiam vt tussientes efficiunt) sed oportet & animatû sit id, quod verberat, & aliqua cum imaginatione. Vox enim sonus quidã Tex. 90.

est

eſt ſignificatiuus, & non aëris eius, qui reſpiratione trahitur, vti tuſsis: ſed hoc ferit aërem eum, qui eſt in gurgulione ad ipſum. Signum autem eſt, non poſſe quenquam edere vocē ſpirantem, aut reſpirantem, ſed aërem retinentem: detinens enim aërem, hoc ipſo nimirū mouet.

Definitio vocis, quæ quadruplici cauſa cōſtat.

Poſuit proximis textibus partes ad vocem concurrentes, quas modò in eius definitione collocat: atque adeò ex his, quæ diximus, ſic poterit vox competenter definiri, Vox ſonus eſt repercuſſus aëris inſpirati ad vocalem arteriam ab anima factus cum imaginatione ſignificandi: quatuor habet partes, Prima eſt formalis, quòd ſit ſonus, qui ex repercuſsione fit: Secūda materialis aëris inſpirati, nam ille ſolus materia eſt vocis: Tertia eſt, ab anima factus, quę cauſa efficiens proxima eſt ipſius vocis: ſolus enim ſonus ab anima proueniens poteſt eſſe vox, cui adiunges inſtrumenta vt pulmonem atque vocalem arteriam (ſunt enim cum cauſa efficienti inſtrumenta connumeranda.) Poſtrema particula eſt cauſa finalis, cum aliqua imaginatione ſignificādi: optima ergo eſt definitio & verè phyſica, & quæ per omne genus cauſæ rem exponit, & quæ diximus omnia aperta ſunt, De inſectis autem, quæ etſi canere videantur (vt apes ſuo murmure, grylli ſtridore, cicadæ ſono) tamen ad membranam ſepto tranſuerſo ſubditam, qua præcinctum corpus diſtinguitur, colliditur, & attritu ſpiritus fit ſonus ſine reſpiratione aut aliqua ſignificandi imaginatione, frequentatis ictibus cum diaphragmate & parte pectorali aerem percutiunt: ob id aeris attracti dicitur & inſpirati, qui ad gurgulionem repercutitur. Vbi tria illa, quæ tex. 78. euenire docuimus in ſoni generatione, in vocis etiā formatione comperiemus, in qua verberās pulmo eſt; verberatur itanq; & percutitur aſpera arteria: aer verò eſt, in quo fit verberatio, attractus & detentus cum aliqua imaginatione, quæ particula tuſsim, ſibulum & alios ſonos à ratione vocis reijcit, & vocis definitionem complet: tuſsientes enim & excreantes ſonum facimus, qui vox nō eſt appellandus, nam in voce aer reſpiratus in gurgulione detinetur & ad ipſum repercutitur: cuius rei ſignum eſt, quòd cùm loquimur & aerem detinemus, non reſpiramus niſi oratione interrupta. Quam ob cauſam meritò Ariſt. tex. 87. tria ad vocem cōcurrere dicebat, videlicet, extenſionem, melos & locutionem: extenſio enim requiritur ad vocis formationem, vbi aer contrahitur & detinetur, atque ita quatitur, vt ad debitam articulationem ſubigatur, cùm in ſimplici ſono citò fluat & trāſeat: vox enim ex animæ appetitu & imaginatione, protenſione aſſequitur, vt non ſtatim deſinat, ſed continuetur, reflectatur, elongetur, abreuietur, acuatur, & tonis quibuſdam obtunditur atque tenoribus quatitur, vt varios accentus pro extenſionis differentia referat: hęc omnia Ariſtot. per extenſionem intellexit. Secundò habet melos, id eſt, conſonantiæ concentum & toni ſuauitatem, qua priuatur ſimplex ſonus, qui ex ſimplici fit ictu, qui ferre non poteſt ſuaues illas modulationes (quas Hiſpanè quiebros Muſici appellant) niſi per accidens ex multorum inſtrumentorum coniunctione, vt contingit in organis, aut ex varia & diuerſa repercuſsione, vt in cithararum chordis, monochordisq; euenire videmus. Habet tertiò vox locutionem propter varias repercuſſiones & mirè elaboratam & refractam ad gurgulionem aeris detentionē, in qua fundatur hominum impoſitio ad placitum ſignificans: vbi propter primum vox quantitas meritò appellatur atque etiam propter ſecundum, propter tertium autē qualitas: nam extenſio ſyllabarum ſecundùm longum & breue quantitas eſt, vt eſt compoſitio, & figuratio, & quatenus illæ articulationes deſcribi & figurari poſſunt, qualitas eſt: ſed dicamus illo ſecundo modo, qua concentum partium dicit, proportionem innuere, atque adeò illa conſideratione relationē eſſe: quare oratio in multiplici genere ponitur diuerſis conſiderationibus. Inſpice diligenter hunc Ariſt. locum, vbi dicit, vocem ictum aeris eſſe, qui quidem ab anima fit ea, quæ his in partibus collocatur: quod quidem videtur fauere dicentibus, animam non eſſe totam in toto ſed in corde eſſentialiter, alibi verò potentialiter: de quo pauca ſuperiùs diximus cap. 3. & exactiùs lib. 3. definiemus: nunc verò ſat ſit, quòd Ariſt. exemplum exponens ſubdit,

Tria, quæ ad vocē concurrūt in particulari explicantur.

Ad quod genus referēda ſit vox, quātitatis, an qualitatis?

Obſerua.

Oportet

Oportet & animatum sit id, quod verberat & aliqua cum imaginatione, quo à sono differt, ad quem nil refert, siue animatum sit percutiens, siue inanime: sed vlteriùs procedam*. Notandum insuper est, voces alias esse articulatas, & harum quasdam significatiuas, quasdam non significatiuas, quæ possent tamen ad significandum imponi, vt Blitiri, Buf, Vaf. Ad articulationem autem præter pulmonem & asperã arteriam, quæ sunt præcipua & omnino necessaria instrumenta, concurrunt alia, vt lingua, palatum, quæ etiamsi necessaria sint, non tamen simpliciter vt priora: loqui enim possemus illis duobus prioribus instrumentis, sed non articulatè, vt loquimur duobus secũdis concurrentibus: præter quæ ad exactam articulationem & vocis formationem quatuor dentes anteriores & labia exiguntur, vt omnia ad vocem requisita adamussim elaborẽtur & ad nutum adfabrè effingantur.

Instrumẽta articulandi voces.

Et si quis objiciat contra vocis definitionem, illam nimirum particulam, cum imaginatione significandi, destruere illam diuisionem Dialecticorum proclamãtium, vocem aliam esse significatiuam, aliam non significatiuam. Respõdebo ex distinctione de voce, sermonem habere in præsentiarũ Arist. quatenus conceptui & mẽtis passioni cõiungitur (vt lib. 1. Periherm.) & ita omnis vox est passionis significatiua: alio verò modo sermo est de voce (vt 1. Elench.) quia res non possumus ducere ad scholas (inquit Arist.) vtimur nominibus pro rebus, & hac ratione voces dicuntur significatiuæ, vel non significatiuæ, quatenus ex humano instituto ad res significandas sunt impositæ: priori autem modo vsurpatur in hoc loco dum dicit, omnem vocem esse cũ significationis imaginatione, quatenus ex animæ imaginatione oritur, vt tanta extẽsione, debitoq; concentu vox articuletur: & hanc vocat Arist. hoc loco vocis significationem, & non pugnat cum illa Dialecticorum diuisione, siquidem vox non significatiua apud Dialecticos hîc apud Philosophum profertur cum imaginatione significationis: sed iam tandem caput absoluamus.

Vox aliter apud Philosophos, aliter apud Dialecticos dicitur significatiua.

Tex. 91. Patet autem, & quam ob causam pisces vocem non fundunt: fauces enim non habent. At hãc partem non habẽt, quia non suscipiunt aërem, neque respirant. Sed qui ita dicunt, vehementer aberrant. Quam autem ob causam, alius sermo est.

Ex dictis infert, pisces vocem non habere, quia non respirant neq; habent fauces, vbi formẽt voces, literas atq; syllabas figurẽt: ideo carpit oppositum dicentes, & ad sermonẽ de animalibus se refert. Hęc de sono atque de voce dicta sufficiant, quoniam nunc Aristotelis scholia facimus, neque instituimus singulas quæstiones ad vnguem persequi, nec diuersimodè sentientium placita recitare & referre, seu falsa dogmata refutare: tantùm enim vera demõstramus, quæ Philosophũ ignorare non decet: quare de auditus compositione sufficiant quæ dicta sunt à nobis, exactiora sanè à Medicis sunt postulanda. Quanuis obiter annotare libet, prouidam naturam sagacissimè in auditu humorem biliosum prouidisse, vt mẽbrana illa & tympanum ex calido & sicco magis essent sonora: nam sic mẽbrana sicca & extensa, quàm humectata & contracta, meliùs & aptiùs sonat, facta nãq; mollis sonum perdit, sicut de chordis musicorum instrumentorum experimur & de tympano humectato: humor ergo ille biliosus & cholericus in siccitate & duritie conseruat pelliculam, quæ aërem animatũ & natiuum continet: similiter de vocis mutatione & discriminibus non est iste aptus locus, legendi sunt Medici locis superiùs citatis & Arist. lib. 5. de gene. animal. cap. 7. Tamen non possumus vlteriùs sine aliqua offensione progredi, cùm quorundam, quę verè philosophica sunt, exactiorem polliciti fuerimus examinationẽ: ideo propter nouitios quęstionem de natura soni terminare libet.

Excusatio auctoris.

Calidus & siccus humor in ditui promisus.

QVAESTIO
De natura soni.

Multa sunt, quę difficilem & perplexam naturam soni reddunt. In primis si quantitas sit, aut qualitas, aut in aliquo alio genere ponatur? Mox de proprietate & condi- 1. 2.
tione eius statim post naturam examinandum est, an sentiri possit & distinguatur à tem-

tempore & à motu:nam secus non erit in præsenti de sono amplius considerandum, quàm de motu aut tempore, quod est indi-
3. uisibile atque adeò insensibile. Adhæc, de subiecto soni controuersia prętereunda nō est:nam & si Arist. in aëre sonum videatur collocare, certè vrget, quomodo citharę & cymbala sonare dicātur, imo cymbala tinnitum quendam atq; stabilem & permanentem sonum conseruant? Demùm quòd
4. sonus non videatur solùm multiplicari per eas aëris gyrationes & inundationes, cùm in cellula satis clausa externus sonus auditur, & cymbalum ad maiorem quidem distantiam sonum diffundit, quàm posit aërem mouere. Et etiam apertissimum est de lapillo cadenti ex tecto in pauimētum tabulatum Ecclesię, qui per totam aulam sonum extendit, ad quod certè spatium aërē commouere non posset: ergo necessum est, sonum, qui realiter principiò diffunditur, deinde secundùm intentionem & speciem ad auditum vsq; deferri: aliàs si realiter in ipsum auditū incurreret, iam sensibile poneretur supra sensum, quod non posset facere sensationem. Hæc sunt, quæ (vt pleraq; alia præteream, exceptisq; illis, quæ in tex. expositione sunt adnotata) examinare pollicebamur: & quanuis quæstio de natura & rei essentia semper sit ambigua & perplexa (quòd rerum naturas minimè penetrare valeamus) hæc tamen de soni natura & proprietate omnium profectò difficillima esse videtur: neq; mirandū est, pendet enim à motu atq; tēpore rebus suapte natura successiuis & minimè permanentibus, sed exilibus & tenuibus solo fluxu atque elapsu cōsistentibus: quare ipse sonus, licet maximè sensibilis sit, tamen non poterit non habere esse admodum tenue atq; ad intelligendum difficile. Tentare tamen semper debemus atq; in difficillimis conari (vt posteritatem iuuemus) vt quoad fieri posit clariùs & breuiùs (ne res exilis & fluxa è manibus elabatur) rem ipsam enodemus, & quatuor propositas difficultates totidē conclusionibus eodem ordine propositis absoluemus. Primum omnium conclusio certa apud omnes esse debet, sonum qualitatem esse, eamq; absolutam: quod vt probemus, in memoriam reuocandum est, quod in expositione huius cap. tex. 77. supposuimus, sonum neq; aliquam ex quatuor primis qualitatibus esse neque ex his alijs

Difficulter soni natura determinatur.

1. conclu. pro causa formali quòd sonus qualitas est tertiæ speciei.

secundis, quæ ex actione primarum resurgunt, sed potiùs qualitatem quandam, quæ à sonantibus corporibus per modum resultantiæ producitur: probariq; potest, supposita quarta huius quæstionis conclusione, quòd sonus non solùm realiter sed intentionaliter etiā diffunditur, vt postea patebit. Quæro igitur, an species illa, quæ necessariò habet causam effectiuam, producitur à motu, an à corporibus sonantibus? non à motu, quia sensibile commune est, quod licet per se concurrat ad sensationē, non tamen per propriam speciem: neque à sonantibus corporibus, vtpote quę sensibilia sunt per accidens: necessum ergo est asseramus, aliquam qualitatem inde resultātem esse, quæ & sit sensibile per se propriū & hāc sui imaginem & speciem producat, quam vocamus sonum. Confirmatur, quia si aut à motu aut à corporibus illis species soni produceretur, fateri subinde opus esset, corpora & aerem sine percussione sonare: hoc autem est, quod tex. 78. dicebamus de requisitis & præuijs ad soni generationem, qualia sunt tria corpora, ex quorum percussione & collisione sonus actu resultat: ergo qualitas est illorum triū corporum, percutientis scilicet & percussi, aërisq; collisi, quæ, quatenus sensibilis est in ordine ad auditum, relatiuam videtur habere naturam (vt dicit Aug. ille Niphus) tametsi vt in ordine ad illa tria corpora cōsideratur, absoluta res sit. Rursum sonus neq; est percutiens, neq, percussum, neque fractio ipsa aeris: igitur necessum est sit aliquid aliud ex his proueniens & resultans, cuius forma sit qualitas, finis autem sensibilitas, efficiēs verò fractio illa vehemēsq; percussio. Adhæc, sonus naturalis forma & physica esse videtur, quoniam naturaliter potentiæ perfectiua, tam ex parte efficiētis educētis, quàm medij suscipiētis atq; ipsius potētiæ, quæ, dum ipsa fit sonus, perficitur. Ex quo patet ad primum argumentum solutio, sonū qualitatem esse in prædicamento qualitatis sitam in tertia eius specie. Neque inde explodenda venit, quòd successiua esse videatur: tum, quia successio ei non competat ratione sui, sed ab annexis, quoniam à successiuis pendet, motu scilicet & tempore: tum experimento, quia fluens sonus ipse percipitur, & ita sensim sonum effundi aperta docet experientia eorum, qui dura corpora collidūt, & multò antè oculis

lis collisio percipitur, quàm ad aures sonus perducatur: vnde constat, visionem in momento fieri, auditionem verò tempore maiori aut minori pro interualli ratione. Sonus ergo qualitas est per se sensibilis: quod omnium cõsensu comprobatur atq; ipsius auditus natura, quæ ad sonos percipiendos ipsum cõstituit: quæ res apertior est, quàm vt oporteat ad eam comprobandam testibus vti non necessarijs: sola tamen dubitatio est in solutione propositi argumenti, quod sequire in multis alijs materijs videtur. In primis ex Arist. cap. 6. definitum reliquimus, motũ sensibile esse per se quãuis commune, qui in præsenti tempore nihil habet nisi indiuisibile, nẽpe mutatum esse, ad quod partes motus terminatæ continuantur: ergo de sono, qui sensibile per se proprium est, eodem modo poterimus notitiam habere, vtrunq; enim successiuum est, vtrunq; sensionem inducit: ergo nulla debet esse in sono noua difficultas, quæ in motu eadem non reperiatur. Præterea lumen ex his, quę proximo cap. diximus, nũquam idem est, sed propter variationem medij atq; causæ efficientis, Solis scilicet continuum motum, semper fluit, aliud atq; aliud lumen est, & tamen sentitur & videtur: ergo sonus eadem ratione idem est: sicut flumen etiam fluentibus aquis vnum dicitur & pereuntibus ciuibus ciuitas vna, eo quòd aliquid simile loco eorum succedit: & in aere, maximè qui vnus est & continuus, sine aeris diuisione ad auditum vsq; multiplicatur, vt patet ex tex. 82. Rursum (vt molesto huic argumẽto in forma scholastica faciamus satis) quanuis verum sit, quòd indiuisibile, vt tale est, videri nõ possit, tamen qua diuisibilem quandam sortitur rationem, ipsum sonatiuum esse (quod est indiuisibile in sono) videri non est impossibile (sonatũ esse in sono appello, sicut in motu mutatũ esse, quod partes mot' cõtinuat, ita sonatum esse est partiũ soni continuatiuum) ergo etsi sonatũ esse, ad quod continuantur partes soni, reipsa sit indiuisibile, tamen ratione, vt duas partes præteritam & futuram cum præsenti copulat, diuisibile est. Eadem enim est de tẽpore ratio, cuius partes ad præsens instans copulãtur, atq; de motu, cuius etiam partes ad mutatum esse copulantur: ob idq; hæc omnia eandem admittũt difficultatem, in quibus partes præteritæ & futuræ non percipiuntur, nisi præsens, non qua indiuisibile simpliciter, sed qua successiuarum partium est copulatiuum. Sensibile exemplum est de ligno per arctissimam & linealem rimam prætergrediẽte: similiter de rota figuli, quę videretur in momento, etiamsi momento moueretur: ergo illud argumẽtum nullam debet ampliùs habere difficultatẽ. Ex quo sequitur, quòd etsi sonus à motu & tempore pendeat, est tamen absoluta res, sicut & motus qualitas est, quantitas ve vel locus, cùm à proprijs suis terminis nullus motus distinguatur: similiter tempus, etsi successiuum sit, quantitas est absoluta & continua: nihil igitur obstat, vt sonus absoluta res sit, ꝙ à motu & tempore pẽdeat: quare sonus sua natura sensibilis est. Tandẽ quod tertio argumento cõtrouertebatur, præter ea quæ dicta sunt tex. 79. (vt rationi proposita faciamus satis) veram esse Arist. sententiam asserentis, aërem subiectũ esse & medium ipsius soni (per aërem, ignem & aquã intelligẽda esse sentio: qua de re Caietanus dubius esse videtur: sed sermo est de primo & præcipuo subiecto, quod est aër, vt fluxibilis & qui ante dissipationẽ ictũ & percussionem patiatur, quod est ipsi cũ aqua commune.) Probatur nostra assertio, quia sonus, cùm accidens sit, in aliquo debet esse subiecto, non in corporibus sonantibus, ergo in medio aëre, qui collidi tur: consequentia à sufficienti partium enumeratione nota esse videtur cum maiori: sed minor ostenditur, quia si in corporibus sonãtibus esset sonus semel facta percussione & plaga, perpetuò duraret, cùm subiecta ipsa permanẽta sint: ergo in aëre inhæret, quia ille cùm colliditur, faciliter cedit & sonat, ob id solus dicitur soni subiectum, vt per totum caput Aristot. insinuat. Præterea quia solus aër ita videtur proximum & accommodatum subiectum soni, vt in solidis corporibus percussis sonus non recipiatur, nisi vt aërem intra se verberata collidũt. Apertius signum est; quia cùm aër vicem duorũ aut omniũ trium sortiatur (vt in tex. 79. ostendebamus) certè necessum est, in se suscipiat sonum: nam percutiens & percussum ab ipso non distinguuntur: imo hæc est ratio, quare cętera sine aëre non sonent, aër verò reliquorum omnium subeat vicem. Christophorus tamẽ à Vega lib. 1. de Arte medendi fol. 144. oppositam sententiam fragilibus confirmat argumentis, nimirum, ꝙ pulsum

2. conclu. qua causa forma lis specificatur, sonus qualitas est per se sensibilis: per functionẽ causã finalẽ insinuat.

De tẽpore vide lib. 3. tex. 54

Corolariũ

3. conclu. aerẽ, & nõ corpora dura sonãtia, subiectũ soni esse: hæc explicat causam materialẽ, de qua latius suprà t. x. 79. et obiter causam quoque efficientẽ insinuat.

Obseruãda cõsideratio. Vega.

pulsum cymbalum tinnitum edat & sonet, etiamsi aër abeat, dissipetur atque longiùs profligetur: non rrsonaret vtiq; (inquit) nisi in ipso sonus esset inhæsiuè impressus vt in subiecto quieto & permanenti: nam (vt ipse statim subdit) hoc signum non est, sonum eis inhærere, sed potius quòd pulsationem adhuc patiantur, eiúsq; retineant vim & impressionem, quam in ambientem aërem & eum, qui in cauitate includitur, effundentia, sonitant: igitur pro nobis potiùs hoc militat argumentum. Quod sensibiliùs apparet: quia si aër primò percussus profligetur, sonus sentitur, quasi in ipso aëre abiens profligetur & fugiat volitãs, & qui manet sonus siue potius tinnitus, debilis est ex debilioribus illis resultans titillationibus: sonitant autem illa, quia trementia sunt & aërea: æs argento commistum maximam habet aëris copiam, quæ à terreo non opprimitur: ergo pro sonãtium corporum ratione & differentia in ipso aëre varius sonus est. Insuper sonus non est sine motu: at sic est, quòd cessante motu percutientis & percussi, aër mouetur: ergo in ipso sonus esse debet: nam sonus non est sine motu, vt tex. 86. ostendebamus: cùm igitur sonus (ad modum illic expositum) motum aëris præsupponat & requirat, velut propria passio subiectum, necessum est asseramus, in aere tãquam in subiecto inhæsionis collocari. Quæ omnia confirmo ex solutione problematis, quod ipse pro se adducit, nẽpe, quòd si cymbalum impediatur aut leuiter ex vna parte tangatur, disrumpitur cùm percutitur ferreo aut metallico tintinabulo (cymbali linguam vrbaniores appellitant) quoniam interna aeris agitatio, qua sonus se in aerem effundit, impeditur. Quod potiùs (mea sententia) euenit, quia acris violenta agitatio ibi impedita resilit, aut vehementiùs etiam incurrit: & aeris natura cùm subtilior sit, quasi propter vacui vitationem cymbalum ipsum diffindit atq; disrũpit: vnde quod parum & leue in comparatione tantæ magnitudinis, quantæ est ipsum cymbalũ, ratione dicta graue & magnum redditur: hoc enim tale cymbalo est, quale est, quæ loco citò dimouentur, quoties aer facilè subingredi non valet: ergo ꝙ tam grauia & magna corpora tam leui occasione frangantur, aer facit: quod est argumentum, in eo sonum esse situm. Iuuat id, quòd cymbala magnam & latam habeant superficiem, eámq; planam atq; ad sonum edendum maximè elaboratam: quoniam si acus feriat acum (vt tex. 86. dicit Arist.) nõ sonat, quia planas & magnas non habent superficies. Arguet quispiam (quia non caret hoc difficultate) quòd si aer subiectum esset soni, quomodo vnum & idem posset esse subiectum & medium? Præterea cùm aer vicem habeat percutientis & percussi atq; medij, quî fieri potest, vt idem non sit in actu & in potẽtia? actu quidẽ vt efficiẽs, potentia vt subiectum, & tamen respectu eiusdẽ. Nihilominus nostra semper sententia vera esse debet, firma & indubitata, solùm aërem esse soni subiectũ. Qua in re videtur etiam peccare præstantissimus Vega loco citato, qui nõ solùm in solidis corporibus, sed etiam in ipso aere collocat: vnum debet habere subiectum & non plura, & illud dicimus esse aerem, qui ex illa collisione proxima fit materia apta vt sonum recipiat. Præterea aut esset in corpore solido percutiente aut percusso, cùm fieri nõ possit, vt sit in ambobus (cùm vnum accidens non posit esse in duobus subiectis, & non sit maior ratio, quòd sit in vno quã in alio) sequitur, in solo aere collocandum esse. Quod vsquadeo verum esse videtur, vt Albertus dixerit, sub aquis sonum non fieri, eo quòd aer, qui est eius proprium subiectum, ibi non sit. Nec quempiam moueat, quòd cymbalum aut citharam & in vniuersum corpora sese percutiẽtia sonare dicãtur, vt inde quispiã cogatur asserere, in ipsis vt in subiecto sonum esse: quoniã illa si sonare dicuntur, quatenus sunt soni effectiua & eductiua, non quòd in se illum sonum recipiant: imo in vniuersum hoc verũ est, ꝙ physica agentia, quę actione trãseunti agunt, in se passionem illã non suscipiũt: actus enim actiuorum sunt in patiente disposito (suprà hoc eodem lib. tex. 24.) & ita ignis, dum calefacit, à passione recepta in ligno dicitur agens: & ideo cùm ex tex. 85. vtrunq; corpus verberet & verberetur, aer habeat rationem collisi atq; percussi: ergo in ipso recipitur motus ipse atque passio impressa, atq; adeò sonus inde resultans in aere mobili 2. 3. phys. tex. 17. Quocirca aduertendum tamen est, in hoc differre obiectum auditus ab alijs; quia res alijs subiectæ in eisdẽ sentiũtur corporibus, in quib9 inhæsiuè sunt, vt de colore, qui in pariete

Problema dissolutiter, cur cymbala diffindatur.

Soluuntur obiectiones.

Vega.

Albertus.

P pro-

prospicitur: at verò auditus obiectũ in corporibus sonantibus esse videtur. Decipitur tamen in hoc iudicio auditus, & errat circa subiectum soni, & meritò corrigendus est ab intellectu: quia etsi audiatur & in corporibus sonantibus appareat, hoc est tãquam à causa effectiua: tamen subiectiuè non est nisi in aëre tanquam in subiecto deferente, in quo tamen sonat tanquam ad aliquid, quod effecit (vt dicitur tex. 78.) Quapropter primum argumentum non habet aliquam difficultatem: quia in percutiente & percusso sonus est tanquam in potentia effectiua: in aëre autem vt deferente subiecto & potentia passiua, & idem aër subiectum potest esse & soni medium, sicut idem aër medium est ad deferendas intentiones colorum & recipiendas: imo verò nullum posset esse medium ad aliquod accidens deferendum, quin idem etiã sit subiectum. Ad aliud autem, quod obijcitur, quòd idem esset in actu & potentia, non probatur accidere respectu eiusdẽ: quandoquidem aër nunquam est agens nisi per accidẽs, quando duorum aut trium scilicet sortitur rationem: & tunc neq; eadem ratione neque eadem sui parte, eodem omnino modo relata agit atque patitur.

Attende.

Profectò sicut motus & resilitio pilæ non est in pariete, sed in resiliente pila: sic sonus in eo, quod mouetur, fluit & quadam sua refractione resilit: idcirco si in corporibus solidis & sonantibus est aër virtualiter & sicut in virtute causæ efficientis, in aëre tamen formaliter, à quo sensus informatur & perficitur: necessum est enim, ita asseramus ex tex. 85. & in. 3. Phys. tex. 17. motum in mobili collocemus. Quamobrem tex. 79. docet Aristot. celerem & vehementem debere esse motum, & qui aëris præueniat dissipationem & diffusionem, secus sonum non imprimeret: omnia enim efficientia actionem suam naturalem exercent in accommodata sibi materia: quia non quiduis à quouis fit, sed determinatum ex determinato, vt. 1. lib. Phys. tex. 43. & per vniuersum caput quintum latissimè ostenditur.

4. cõclusio, qua efficiẽtia soni explicatur, sonus nõ solũ realiter sed etiã intẽtionaliter multiplicatur.

Sed iam ad postremam difficultatem veniamus de multiplicatione reali aut intentionali ipsius soni: & conclusionem in quarto argumento probatam tanquam verissimam affirmo, nempe sonum multiplicari non solùm realiter, sed etiam intentionaliter diffundi: quod ex illa communi omnium sensuũ proprietate, inferiùs c. 12. declaranda, notum est: sunt etenim omnes sensus sensibilium susceptiui sine materia: quod est dicere, non physicè realiter & naturaliter, sed quasi spiritaliter siue intentionaliter. Quæ multiplicatio intentionalis licet Granatensi non placeat propter dependentiam à motu: verùm præter experimenta in argumento adducta, certissimum est, quod si duo ex aduerso loquerentur, & æquali vi & impetu illas aëris orbiculationes mouerent, quòd sese impedirent in medio, vt contingere videmus in aquæ inundationibus, quæ si alijs æqualibus occurrant, ambæ regrediuntur ad sui principium: ita ergo eueniet in aere: igitur si non multiplicarentur intentionales soni species, non se audirent: imo interdiu nihil omnino audiremus, vbi aer tot tam varijs & contrarijs gyrationibus vltrò citróq; agitatur: non sola igitur est realis soni multiplicatio ad certam distantiam, sed deinde vlteriùs intentionaliter diffunditur secundùm sonantium corporum vim ad maiorem, minorémve distantiam pro ipsa percussionis & ictus ratione: quamuis realiter non multiplicetur ad omnem distantiam, tamen secundùm sui similitudinem & intentionem vsque ad auditum peruenit. Vbi concipias velim, similes esse debere intentionales inundationes illis realibus, quarum sunt similitudines: intentiones enim benè possunt seipsas multiplicare in auditu, sicut in visu, vbi imago vnius speculi in alio repræsentatur. Quod & tonsores faciunt duobus è regione positis speculis, vt ostendant coronarum perfectam rotunditatem: quamuis propter vẽtos colorum intentiones variari non videantur, quia color stabilis est & permanens: sonorum tamen imagines & similitudines mutantur & variantur, quoniam ab ipso motu (vt sæpe dictũ est) pẽdent: quare sicut cessante motu nõ est sonus, sic nec species eius manebit: cessat enim agitatio & collisio aeris, quę proximè causat intentionẽ. Nõ enim aliter sonus intẽtionalis multiplicari intelligitur, quàm realis: vt enim ad aliquod definitũ spatiũ aeris dimotione funditur realiter, ita deinde suo illo repercussu aliũ generat, vt lumẽ aliud lumẽ reflexione: secus solidos ipsos parietes illa dimotio non penetraret, nec permeare posset:

ergo aër sonans, qui intus realiter nõ ingreditur, intentionaliter & secundùm similitudinem subingredi poterit. Præterea color est in subiecto realiter & in medio intentionaliter, quo modo dicitur motiuus diaphani intentionaliter: ergo quamuis sonus realiter sit in medio & non habeat tantam spiritalitatem sicut color, tamen sui similitudinem & intẽtionem adgenerare poterit, secundùm quam anima est omnia, nõ autem secũdùm res ipsas (lib. 3. c. 5.) ergo sonatiuũ est motiuum aëris intentionaliter cõtinuitate quadam vsq; ad auditum, hoc est, donec aërẽ extrinsecum intrinseco cõiungat: quod tex. 82. eo docet Aristot. quia nemo dubitat, nisi cùm clausi audimus, aërem per poros parietum continuari. Ex quo sequitur, quòd sicut sonus intentionaliter multiplicatur, ita & motus: nisi q sonus, vt sensibile proprium, speciem multiplicat: motus verò, vt sensibile commune, non speciem sed speciei modum (vt cap. 6. dictũ est.) Et hæc dicta sufficiant: nam de echo nihil est, quod de nouo dicamus: sic ergo à nobis dictũ sit de soni natura per omne genus causæ. De voce autem, si naturalis sit, vel ad placitum, atq; ex electione procedat, an ex natura? controuersia est, quam Arist. lib. 1. Periherm. cap. de oratione definit contra Platonem. Ideo vnico verbo dicamus, vocem naturalem esse & à natura tributam: ob idq; habere instrumenta naturalia secundùm suam essentialem significationem, qua ex imaginatione affectibus coniungitur: & nõ secus ac motiua facultas, cũ prosecutionẽ molitur ac fugam, suis instrumẽtis vtitur: ita mente concepta passionis expressione, aërem percutimus & linguã mouemus, quæ omnia naturalia sunt. Habet tamen vox accidentalem quandam significationẽ ex beneplacito, hominũmq; instituto pendentem: prior significatio eadẽ est apud omnes: posterior verò non nisi apud eos, qui conuenerunt pacto aut vsu, vt sic suas mentes exponerent secundùm quandam accidentalem & voluntariam significationem: vnde vocum proprietates sumẽdę sunt, vt quòd alia sit significatiua vel nõ significatiua, quòd æquiuoca vel analoga, quæ sunt disciplinarum proprietates.

Obserua radicẽ huius sententiæ.

Corollariũ q motus etiam intẽtionaliter diffundatur.

Vox an naturalis sit, an ad placitũ?

SVMMA CAPITIS.

In hoc cap. Arist. de sono auditus obiecto, eiúsq; conditionibus, generatione, medio, & partibus, vnam ponit diuisionem, & octo conclusiones.

Sonus igitur quidam actu, quidam potẽtia esse dicitur. ¶ *Sonus fit ex collisione aëris à percutiente & percusso, non qualibuscunq;, sed concauis & planis, à quibus potest aër agitari.* ¶ *Sonus in aëre & in aqua fit, dummodo percutientũ motus aëris diffusionẽ præueniat.* ¶ *Echo sonus est, qui per reflexionem resultat: qui licet semper fiat, non tamen semper est manifestus, vt in lumine patesit.* ¶ *Vnus numero sonus auditur: quia quod sonum efficit, mouet vsque ad auditum aërem continuatione vnum, qua in parte insitus est naturalis ille et animatus aër, quo audimus.* ¶ *Aër omnis sono vacat ex se, est enim omnis soni receptiu⁹: ob idq; aër ille internus animat⁹ intus cõditus est, vt sit immobilis.* ¶ *Percutiens & percussum diuerso modo sonant, sicut diuerso modo mouentur: sonus enim motio est.* ¶ *Sonorum differentiæ sine sono aut motu non percipiuntur, sicut neq; colores sine lumine, & acuti & grauis denominationes ex tangibilibus traducũtur.* ¶ *Vox soni præstantißima species, animatorum tantùm est, extensionem, concentum atq; locutionem habens, quæ percußione aëris fit attracti ab anima, & ad gurgulionẽ repercußi cum significãdi imaginatione. Sed de sono & voce sic hactenus sit determinatum.*

Diuisio. *Prima cõclusio.* *2. conclu.* *3. conclu.* *4. conclu.* *5. conclu.* *6. conclu.* *7. conclu.* *8. conclu.*

CAPVT NONVM

De odoris, odoratusq; natura, atq; odorandi medio.

DE odore verò, & odorabili non æquè benè, atq; de hisce, quæ dicta sunt, discernere, determinareq; possumus. Non enim sic patet, quale quid sit odor, vt sonus, vel lumen, vel color. Cuius causa est, nos non habere hunc sensum exactum, sed inferiorem complurium animalium sensu. Remissè nanq; homo olfacit, & nihil odorabilium percipit absq; dolore, vel voluptate, propterea *Tex. 92.*

quòd sensus instrumentum huiusce non est exactum, atq; perfectum.

Ratio ordinis. Ex causis superiùs traditis, sensus odoratus meritò tertium sibi vẽdicat locum: fuit enim priùs differendũ de præstãtioribus & subtilioribꝰ sensibus, quorũ cognitio præstantior est & spiritualior: gustũ igitur & tactum antecedit odoratus, quia obiecta magis seiũcta & separata distinguit: ergo tũ ex operatione, quę subtilior est, tũ ex obiecto, quod distantiùs percipit, tertio loco Arist. odoratũ collocat: nimirũ, quia mediã inter quinq; sensus cõtinet rationẽ atq; operationem: quoniã odor (qui eius obiectum est) mediũ quoddã inter sensibilia esse videtur, cõsistit enim in fumali quadã euaporatione, vnde & ignis & aëris naturã participare videtur: quod clariùs percipietur exposita odoris natura, quã nobis cap. præsenti Arist. tradit. Et in primis in tex. pręsenti excusat se, ꝙ non possit esse de odoris natura tam exacta doctrina: quoniã (inquit) sensũ hunc nõ habemus exactũ & perfectũ: quia igitur homo tenuiter & remissè odorat, defectu sensus accidit, vt nõ penetremus odoris naturã: humanus enim odoratus magnis agitationibꝰ & impulsionibꝰ indiget, perinde ac tardiores equi, nisi acriter calcaribus agitẽtur, cursum nõ cõficiunt. Et si quęras, quæ sit ratio, quòd homo pessimè omniũ animaliũ odoret, & ab alijs animalibꝰ odoratu vincatur: cùm certũ sit, ꝙ siue cor siue cerebrum sentiẽdi sit initium & origo sensuũ, sicut in homine sunt perfectiores operationes, ita quoq; erũt pręstantiores potẽtiæ, vtpote quę excellẽtiori animę subseruiãt? Respondet Arist. 2. de partib. animal. c. 7. ꝙ homo inter omnia animalia proportione sui corporis plurimum habet cerebri (cerebrũ verò frigidum & humidum est, de sensu & sensili cap. 5. circa mediũ) cùm autẽ odor in sicco perficiatur, & ad benè odorãdum debeat esse in odoratu victoria calidi & sicci, fit, vt humor, quo redũdat cerebrũ, odoratus siccitatem lædat; per quem modũ cerebri frigiditas & humiditas odoratui, qui vicinus est atq; ei coniunctus, officiat & noceat. Cætera autẽ animalia vel non habent tãtum cerebri, aut in ipsis cerebrũ nõ tanto humore redũdat, neq; omnia cerebro odorant, sed hæc branchijs, illa fistula, alia verò præcinctu odores sentiũt (vt autor est Arist. lib. 2. de partib. animal. c. 16.) nil igitur mirũm, quòd homo ab alijs animalibꝰ superetur, quę distantiora & minora olfaciũt: quod enim in remotis est distantia, in propinquis est paritas: itaq; ratione adiũcti cerebri iudiciũ odoris in nobis non est exquisitũ: odoramus enim secundùm duo tubera prominentia in cerebro (quas carũculas mamillares aut papillares nostri Medici appellãt) quæ magis humida sunt, quàm odoratus complexioni conueniat: cerebri igitur vicinitate odoratus hominis hebetatur. Quod autem opponebatur, operationem sequi conditionem formæ, atq; adeò humanam animam exigere præstantiorem & temperatiorem non solùm tactum, sed etiam omnes alios sensus? Principiò hæc ratio non probat de singulis operationibus, cùm aquila visu, aper & talpa auditu, vultur odoratu hominem antecedat: sed de omnibus operationibus simul sumptis, aut de præstantissima operatione: quo modo hominis operationes sunt pręstãtiores, vt præstãtiori formæ subseruiẽtes & ad præstãtiorem finem. Deinde fortasse colligit, hominẽ præstãtiùs & sigillatim natiuas odorũ differentias discernere, cũ mirè per odorum species diuagatur: vnde exorta est illa voluptuosa luxuries, infamis & vitiosa in odoribus libido: sed neq; hoc odoratui hominis conuenit, nisi ex accidenti, scilicet quia rationalis est atque intellectui, cui seruit, coniunctus. Quare sicut quod amittit ex vna parte, ne percipiat quoscũq; odores, sed etiam maximos & propinquos propter cerebri vicinitatem, & hos non nisi habitudine ad sapores nanciscitur: id recuperat ex alia parte propter ministeriũ intellectus, vt percipiat plures odorum differentias. Quocirca cerebrum ipsum efficit odoris inquisitionẽ difficilẽ, & quòd homo tardissimi, hebetisq; sit olfactus, vt neque exactè quid odor sit quãtũm ad essentiam sciamus, nec perfectè quale sit quãtũm ad differẽtias distinguamꝰ, nisi ex ꝓportione & similitudine ad gustum: tamẽ intellectꝰ pręsidio cõprehẽsio differẽtiarũ in odoribꝰ exactior est in homine quã in brutis, quæ eas ignorãt. An verò odoratꝰ in nobis perfectior sit essẽtialiter quã in brutis? facilè dilues, si ea distinctione vtaris, qua nos suprà ad finem capitis. 5. nil igitur exactè odoramus absque dolore vel voluptate, id est, non

Cõparatur odoratus hominis et brutorum.

Hominis operationes quatenus pręstãtiores sunt, quã brutorum.

non odoramus nisi secundùm quãdam excellentiam odores extremos, tristitiam vel voluptatem inducentes: vnde remissos & medios odores requiret sentimus, vt sequẽti tex. similitudine Aristoteles declarat.

Tex. 93. Atq; cõsentaneũ est rationi, tam animaliũ ea, quę duros oculos habent, sic sentire colores, vt non eorum percipiant differentias, nisi terrore, contrarioq; ipsius, quàm hominum genus odores. Similem autem rationem subire videtur, odoratus ad gustum, & odoris species ad species ipsas saporum.

Quòd ita se habeat odoratus noster ad odores, sicut oculi præduri quorundam animalium (vt cancrorum & locustarum) qui non percipiunt nisi extremos colores, & hos quidem cum terrore. Quæ autem sit causa huius terroris, meum non est in præsenti dicere, neq; illa multùm est ambigua & difficilis: non enim exactè nec exquisitè vident, quia terrentur & trement, quemadmodum mulæ, quæ hanc ob causam pauent & consternantur.

Tex. 94. Verùm exactiorem gustum habemus, quàm odoratum: ex eo quia gustus tactus est quidam, quem quidem sensum homo exactissimũ habet. In cęteris nanq; sensibus vehemẽter à cęteris animalibus superatur, at tactu longè cęteris omnibus excellentiùs percipit. Quapropter & prudentissimum est animalium. Indiciũ autem est, in hominũ genere ob hoc instrumentum sensus, ingeniosos esse, hebetesve, & non ob aliud quicquam. Qui naq; sunt duri carne, ij sunt inepti mente: qui verò sunt molles carne, ij sũt ingeniosi, menteque dextri.

Cùm ignotum per id, quod notius est, manifestetur, infert Arist. ex his, quæ diximus, odores, quos remissè assequimur, exactius ex saporibus venari, quandoquidem perfectiorem habemus gustum quàm odoratũ: Id probat, quia gustus est quidã tact⁹, tactus verò perfectissimus est in homine, quo vel solo sensu homo cuncta animalia longè superat, estq; animalium prudentissimum, cuius hoc adfert indicium, quòd molles carne sint ingeniosiores, duri verò hebetiores. Vult itaq; Arist. secundùm analogiam saporum odorum discrimina sumẽda fore: idcirco quod sapore caret, odore similiter & carere solet: mox vt sapores mistione quatuor primarum qualitatũ cõstãt, ita & odores, nisi quòd sapor in humido præcipuè consistit, odor verò in sicco, cùm calidum humidum exsiccat & exhalat: contrà verò frigidum est, quia sicut hebetat & retundit sapores, sic quoq; extinguit odores.

CONTROVERSIA
An ex optima tactus tẽperatura indicare liceat ingenij perspicacitatem?

Omnia huius tex. constant, nisi quòd legitima intelligentia huius tritissimi axiomatis desideratur, *Qui verò sunt molles carne, ij sunt ingeniosi, menteq; dextri*: nã videtur vim ad disciplinas capescendas nõ tactui tribui debere, sed visui aut auditui, vt autor est idẽ Arist. infrà de sensu & sensili cap. 1. ad finẽ, & lib. 1. de gene. animal. c. 20. circa finẽ, & problem. 1. in particula siue sectione. 30. melancholicos sapientiores esse ostendit, cùm tamen & carne dura & pessima humorũ cõditione sint affecti. Quid? quòd vermes, anguilæ & limaces, qui sunt molliores, prudentiores esse: & fœminæ etiã essent ingeniosiores & sapientiores, cùm citra omnem cõtrouersiã molliori sint carne quàm viri: varie tamen dissoluitur propositũ problema. Sed vt quæ ab alijs fusiùs dicta sunt, nos colligamus breuiùs & dilucidiùs. In primis supponẽdum est, Galenum minùs philosophicè asseruisse, humanam animam primarum qualitatum quandam esse temperaturam, vt videre est lib. 3. de locis affectis cap. 6. & lib. 7. de vsu partium cap. 8. & lib.

Cur tactui ingenij indiciũ sit, inquiritur.

Galenus reiectus.

& lib. quòd animi mores corporis temperaturam sequantur. Arist. tamen dubiā videtur tenere sententiam, & hac in parte hęret, vt. 1. lib. tex. 13. tetigimus, sed infrà lib. 3. de anima enucleabimus: nūc sat est supponamus ex Philosophiæ penetralibus, ꝙ infallibili fide tenemus, rationalem nostrā animam immortalem esse atq; operationē habere à corpore independentem: qua de re sat multa habes controuersia de immortalitate ad finem horū lib. Quo habito, Themistius tactus bonitatē indiciū esse perspicacioris ingenij à posteriori exponit: Philoponus vero non tantùm signum esse dicit à posteriori, sed etiam causam à priori, non quidem efficientem sed materialē, quæ cōcausa meliùs appellabitur (vt egregiè demōstrat S. Tho. 1. p. q. 85. ar. 7. in corp. & ad 3. & ibidē Caiet.) quoniam anima cōmensuratur corpori, cuius est actus, & per illud corpus indiuiduatur: quantò ergo corpus meliùs est dispositū, tantò meliorē sortitur animam: actus enim actiuorum sunt in patiente benè disposito (vt suprà tex. 24.) & forma in materia recipitur secundū capacitatē materiæ. Vnde Caiet. cum S. Tho. colligit, vnam animā rationalem ab altera essentialiter differre, non secūdùm speciem, quod alienum esset à fide, sed secūdùm indiuidualem differentiam & materialē, qua species ad indiuiduum contrahitur & quatenus secūdùm numerū differūt. Sic in pręsenti Arist. philosophatur, ingenij vires ex tactu esse expēdendas: quoniā sensus tact⁹ fundamentū est omniū sensuum, quiq; per vniuersum corpus spargitur atq; diffunditur: si ergo omnis sensus in tactu fundatur, mirùm videri non debet, si ex bonitate tactus subtilitas ingenij sequatur: etenim in puriore tactu sanguis est defęcatior, & phātasmata (quæ intelligēdi sunt instrumenta) subtiliora sunt, vnde & animæ sublimior erit operatio. Firmissima ergo est & cōstantissima collectio, quòd si optim⁹ tactus est, optimū quoq; sit ingenium: ex alijs autem sensib⁹ infirma est collectio, vt si visus perspicax est, ꝙ anima sit perspicacior: nam in lippis & cæcis præstantissimū ingeniū experimur: cæcus nāq; fuit Homerus, qui singulari polluit ingenio. Non dicimus hanc tēperaturam tactus causam esse ingenij efficientē, neq; temperaturā cum anima cōuertimus (vt Galenus) sed solùm materialē & formalē causam conectimus & cōmensuramus: omnis enim forma proportionata habet instrumenta, & clausus per fenestras vitreas, si sint coloratę, omnia videt colorata, si autem nitidū sit & perspicuū vitrum, clariùs & perspicaciùs videt: sic homines pro ratione proprij sensorij tactus perfectiùs aut imperfectiùs humanas absoluunt fūctiones. Neq; est in Arist. vlla collisio, siquidē visus & auditus locis citatis per accidēs & quasi ab extrinseco cōducunt ad disciplinas: vis autem ingenij per se & ab intrinseco ex dispositione tactus consideranda. Est enim tactus in ordine ad animā, sicut manus in ordine ad artificē, organū scilicet coniunctum & organū organorū: siue enim penna scribamus siue cultello scindamus, semper manu illa munia absoluuntur: sic neq; videre neq; audire cōtingit, neque vllā aliā operationem animæ perficere in corpore, nisi tactus supponatur vt fundamentū: ideo sicut ens apud primū Philosophū in omnibus includitur, ita tactus in omnibus corporis operationibus inuenitur. Quòd si in melācholicis reperitur sapiētia & ingenij præstātia, non est intelligendū de melācholicis natiuis, qui naturā frigidi sunt & sicci, in quib⁹ viget humor niger & ater, sed de illis, qui melācholici sunt ex accidēti ex adustione cholerę & sanguinis, qui licet humores habeāt crassos & obscuros ob laborē & exercitiū studij, illustrē tamē habēt tactus cōpositionem, in quibus durities carnis non est natiua, sed aduentitia & iniuria temporis cōparata, vt in senibus, quib⁹ iam obcalescūt carnes, & ob senium exiccātur: vermes autē & mugiles veriùs pulpamentū quàm carnē habent: fœminæ verò mollitiem aqueā & phlegmaticā, & illa non arguit bonitatem ingenij, quia est aquea humiditas, vitiosa & redūdans: sed mollitudo virorū sanguinea est, quæ cōsistit in puriorīs sanguinis mediocritate & reliquorū humorū temperatura. Ex qua mollitudine per se colligitur ingenij dexteritas, quæ relucet & à posteriori conspicitur in tenuitate vnguium, subtilitate capillorū, in vola manus & reliquis locis, notis atq; manuum signis: hæc enim & similia arguunt, cordis & cerebri spirit⁹ subtiles & lucidos esse, hinc q; lętitia est spirit⁹, color viuidus & cętera his affinia. Hinc mortale quidā colligūt, Chiromātię principia veridica esse (si in multis fidei metas, rationisq; terminos nō egrederetur) nā cū Deus & natura nihil prorsus faciat frustra

Arist.
Themist.
Philop.
D. Tho. et Caiet.
Animæ rationales si in indiuiduo differāt essētialiter, infrà q. de immorta. ad finē. 1. principalis argumenti.
Obserua dubitationis resolutionem.
Rationibus propositis per ordinē sit satis.
Optimū simile.
Signa bonitat. tactus.
Chiromātię initia.

frustra lib. 1. de Cælo tex. 32. sit, manuum nostrarum lineationes animorū tacitā quędam esse delineamenta: sanè nemo dicet lineas frustra aut inutiliter manibus nostris consignatas. Errant igitur ignari rerum, qui ex constrictione & manuū plicatione oriri existimant; quod quā falsum sit, quisq; hac luce clarius percipere potest; tum, quia oēs similiter manus plicamus, dissimiles tamen linearū notas habemus: tum etiā, quia plicatio manuum nō potest stellas, triāgulos, cruces, & id genus alia stigmata construere: similiter cur in manibus vnius eiusdēq; hominis variarentur, hæc signa? aut qua de causa tam diuersas lineas & rugas frōs hominis præ se ferre videtur, vbi non est tanta plicatio atque constrictio? aut rursus in articulis siue digitorum iuncturis & condylis cur hi erectas, isti trāsuersas, illi paucas, alij verò nullas habent lineas, vbi nec digitorum est flexura, nec plicatio? præsertim quòd vbi Astrologus bonam aut malam valetudinem ex cælesti constellatione prædicit, aut ex aliquo dominante Planeta aut fixo astro infortunium presagit, ibidē Chiromāticus in loco manus, qui eidē cōstellationi & Planetæ atq; astrō subijcitur, similem reperit lineationem & proportionale deducit iudicium. Ex his ergo paucis cuiuis cōstabit, nō solùm manus duritiem aut mollitiem, sed stigmatū gyrationes frustratorias & casuales non esse, sed potiùs vitæ nostræ commoda, incommodave indicare accidentia, vt cōualescentium infirmitates, vitę breuitatē, longitudinēq;. Etenim non dices cælos superuacaneè creatos, aut frustra continuo, perenniq; motu moueri; cùm tam vasta & insignia sint incorruptibilia illa corpora, quorum mirabiles effectus in luce, lumine, motu & influentia cūctis notissimi sunt: de quibus tamen, lib. 2. de Cælo tex. 2. pronuntiauit Arist. *Quod cæterorum aut est principiū causa cælum, aut suscipit exitum, cessationemve*, nimirū cuncta hæc inferiora continendo atq; renouādo, dispo- nit elementaria corpora, ipsaq; mista componit, & mundum hūc inferiorem sua virtute gubernat. Sic dicit lib. 1. Metheor. c. 2. *Vt omnis eius ipsius facultas inde constituatur atq; regatur, præsertim cùm vnde origo motus omnibus trahitur, illa princeps causa existimāda sit:* ergo motus cæli causa est motuū & effectuum omnium, quos in his inferioribus experiri cōtingit, vt rectè Caiet. super Psal. 140. dixerit, Cælos vehiculum esse diuinæ virtutis, scilicet, quia naturæ autor Deus, cęlorum lumine atq; influxu mediāte, pro arbitrio suo hæc inferiora moderetur, & vt dicitur Psal. 103. Cælū sicut pellem extenderit, vt non solùm vniuersitatis librū legēdum, cōsiderandumq; proponeret, sed etiā vniuersorum corruptibilium causam & originē in propatulo manifestaret: creauerat enim luminaria magna (quod Moyses Genes. 1. refert) vt preessent diei & nocti, essentq; in signa & tēpora & dies & annos, luceantq; in firmamento & illuminent terram: quod & Regius Vates Psal. 135. dixit & Psal. 18. vnico verbo explicuit, Cęli enarrant gloriā Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Hæc non ideo dico, vt Astronomorū iudicium omnino firmū & infallibile esse iudicem, vt est de motib' cælorū & Planetarū coniunctionibus: neq; vt tam infirmū & debile habeatur, ac cùm predicitur de his, quæ ab hominis libero arbitrio pendent, quæ omnino indifferentia sunt & causam habent cōtingentem: sed q̄ non est prorsus infirmum neq; incertū iudicium, neque omni ex parte fallibile, qua parte contingit corpus, quod caducū est & ex elemētorum naturis compactum, quod à cæli motu & influxu secū dùm quosdam effectus pēdet, quales sunt sanitas, infirmitas, longa, breuisve vita nostræ periodus: quod & Astronomus ex astris, stellarúmq; constellatione, Chiromanticus ex ipsa manuū cōplexione atq; tēperie siue lineatione haud insufficienti, sed potiùs probabili fundat cōiecturas: nonne cælū generat, format, corpus, alterat, disponit, bonam aut malā inclinationem inspirat? complexionē probam aut improbā non ingerit? sanè sic docet optima Philosophia & Arist. Philosophorum Princeps, tum alibi sępe, tum locis citatis expresse. Eapropter licet quisq; nostrûm suo libero arbitrio, optimáq; prouidētia hæc iuuare, impedirève possit, funditùs autē natiuam inclinationem tollere, aut erradicare naturā nunquā valebit, nō enim hęc humanę volūtati prorsus subdita sunt: de his ergo (ad quæ cælum naturalisq; nostra cōpositio nos propēdit) naturale iudiciū proferri potest atq; optima coniectura cōijci. Quare cū stigmata manuū sint veluti cælorū impressiones & effect', naturęq; nostræ vestigia, nō immeritò, iste textus & Arist. doctus pro fundamento Chiromantiæ

Manuū lineationes.

Cælorum virtus.

Trimembri diuisione quā le sit Chiromātico rum iudiciū declaratur.

Chiromātiæ discursus.

adduci potest, qui totus est coniecturæ plenus, vt ex bonitate tactus bonitas ingenij colligatur: tactus verò conditio, bonitas scilicet aut malitia in vola manus describitur, vnde Chiromanticos, inspectis delineamentis & linearum gyrationibus, quasi in externa horologij manu internarum rotarũ motus, id est, natiuã inclinationẽ & cõplexionem, vitæ breuitatem aut infortunia haud improbabili comjcit indagine per stigmata, quæ à Deo, cælorum & elementorũ virtute mediate, nobis impressa sunt & in manibus posita, vt inde quisq; agnoscere valeat opera sua, id est, mores, ingenia, propensionem, & tacita quædam naturæ desideria. Innumeros referrem autores antiquiores atq; Neothericos, si hãc rẽ ex professo determinare in: sed quoniam obiter in hanc rem incidi, post Arist. vnus Galenus instar omnium sufficiat, qui affirmat, totũ corporis habitum ac temperiem ex tactu solius volæ manus percipi posse: similiter & nos dicimus de lineatione, quæ ipsius cõplexionis expressum quoddam indicium est, & animi mores maxima ex parte corporis temperaturam sequuntur. Non est ergo nouum neque omnino vanum, ex lineamentis corporũ mores ex volaq; manus coniecisse, vbi bonitas tactus præminet: vola autem ex diuersitate tactus diuersis linearum incisuris frãgitur, quæ frustra non sunt, sed vitæ commoda & periodum indicare valeant. Ad hæc Arist. alludere videbatur lib. 3. de Anima cap. 5. cùm tex. 38. dicit, *Quare anima est vt manus, manus enim instrumentum est instrumentorum*: quamuis ibi de specie intelligibili loqueretur, nos hic legitime de significatione loquimur: quoniam manus nõ solum organum est organorum, sed instrumentum quoddã & virtus celi, aut figura nostræ complexionis, quæ veluti thema quoddam à natura proponitur considerandum: non enim minus homo (quod attinet ad corporis cõplexionem & conditionem, nam rationalem animam cum eius libero arbitrio semper excipio) quàm aliud quoduis mistum ab ipsis cælorum influentijs pendere & configurari videtur. Rectè ergo conijcit Arist. molles carne mente esse aptos, duros verò ineptos, vnde eius Commentator colligit, homines boni tactus semper esse discretos: & Galenus lib. 1. de complexionibus ait, Palma quidem mollis perscrutatione sensus aptior est, idem sentit in libris Tegni: & Albertus videndus lib. 1. de animal. tractat. 2. cap. penultimo, & Arist. sect. 10. problematum problem. 14. tactus ergo, qui in vola manus relucet, varijs lineatum incisuris varias singulorum hominum conditiones demonstrat: oriuntur nanq; ista lineamenta à seminatiua & generatiua virtute, in manuq; perficiuntur & cõsummantur, talisq; est extima vola manus, qualis est intima cordis, vt vnusquisq; opera sua dignoscere possit. Hæc dixerim, vt videas, quibus initijs, quòve adminiculo Chiromãtię scientia foueatur (non vt de ea modò disputem aut quidpiam definiã, sed vt pro loco præsenti subseruiant, quia Arist. ingenij subtilitatem ex bonitate tactus arguit) tactus autem accommodatior complexio in vola manus præminet, ex cuius carnositate, mollitie, duritie, cæterisq; linearum signis colligere liceat vitæ conditionem, ingeniũ, morumq; propẽsiones. Nec me mouet, quòd Arist. particula seu sectione. 30. problem. 3. dicit hominem animalium prudentissimum, eo quòd breuius caput habeat (itaq; minimum caput signum esse dicit magni consilij & singularis prudentiæ) quia Galenus in Tegni caput minimum detestatur & paruitatẽ eius vituperat: Arist. verò paruitatem capitis prudentiæ attestari docet, nõ pro paruitate interna cerebri (quia oportet, vt cerebri vẽtres sint spatiosi, magnũq; cerebrum & caput prò parte interna) sed paruitatem externam ossium & carnis indicium esse vult prudentiæ: quoniam hæc arguunt tactum esse præstantiorem, spiritus subtiliores & calidiores, quando partes superiores hominis minùs crassæ sunt atq; terrestres: sic ergo intellectum Arist. problema eandem continet sententiam cum præsenti axiomate: solet enim natura calorem mittere maiorem & spiritus subtiliores ad caput vt partem præstantissimam, vnde quò exterius caput breuius est, interius maius esse solet. Hæc ergo temperatura tactus, quæ sapientiam & prudentiam arguit, nisi homo per inertiam & contẽptum negligat proprias animi vires atq; destruat aptitudinem & habilitatem, per se etiã longiorem præstaret vitam viris sapientibus & prudentibus, nisi quòd facilius læduntur à contrarijs, & quia ex accidenti ob vigilias & labores studiorum atq; frequentem meditationem corporis vires extenuantur: mittit

Autoris excusatio.

Galenus.

Obserua Chiromãtice.

Lineationes manus collectionem proprietatum indiuidualiũ indicant.

Capitis paruitas vnde arguat ingenii bonitatem.

Sapientes vix minus viuunt.

mittit enim natura calorem & spiritus ad eam partem, qua plurimũ laboratur: vnde necesse est, calorem natiuum à vitalibus operationibus auocari: inde ob cruditatis humorum redundantiam totius corporis imbecillitatem sequi necesse est & repentinas mortes, continuòq; vitam eorum abreuiari. Quæres, si tactus arguit ingenij vires, quare odores à saporibus potiùs quã à tangibilibus qualitatibus sumuntur? Respondet S. Tho. quòd tangibiles qualitates simplices sunt, odores autem sicut & sapores qualitates sunt secundæ, ex primisq; qualitatibus constant: idcirco odores cum saporibus vt cum propinquioribus magis conueniunt, indeq; nomina etiam sumunt: quamobrem subdit Aristoteles.

Odores cur ex gustu & non tactu sumantur.

Tex. 95.

Vt autem saporum alius dulcis, alius est amarus: sic & odorũ quosdam dulces, quosdam appellamus amaros. Verùm quædam odorem habet, saporemq; similis rationis, dulcem, inquam, saporem, dulcemq; odorem: quædam cõtrà. Similiter & acer est, & acerbus odor, & acutus, & pinguis: nam quia odores non sunt, vti diximus, manifesti, perinde atque sapores, ideo nomina odorũ deducta sunt à saporibus per similitudinẽ rerum. Alius enim est dulcis, vt croci, mellisq;: alius acer, vt thymi, ac huiuscemodi rerum. Idem & in cæteris modus seruatur.

Nominatio saporum.

Textus iste apertus est in se atq; ex dictis manifestus, nempe quòd odores, qui analogiam habent ad sapores, inde nomina & notiones emendicate videantur, quãuis non semper verùm sit, vt odores & sapores sibi mutuò correspondeant: quędam enim sunt suauiolentia, quæ pessimum habent saporem, vt aloë: quædam verò, suauem cùm habeant saporem, pessimè odorant: cuius exemplum non aliud occurrit quàm olei lini, quod pessimè odorare ex

perimur, dum miscetur ad conficiendum atramentum impressorum, tamen non est gustui ingratum: quædam verò similiter odorant & sapiunt, vt mel dulcem vtrunq; præstat & odorem & saporem, crocus similiter & thymus cũ alijs acre sapit & redolet. Vtriusq; ratio est, Prioris scilicet notio nis, quia ignotum per id, quod notius est, manifestatur: cùm ergo odores tenuiter assequamur, per sapores declaram', & nomina, eadem seruata analogia, imponimus, nimirũ dulces aut amaros aut austeros nũcupantes. Alterius verò, quòd non similiter se habeant, rationem reddit S. Thom. quia sapor consistit in humido aqueo quodam tenus digesto, itaq; sapor est primò humidus (vnde sãguine dicimur nutriri tãquam vltimo & proximo alimento, quia calidus & humidus est) at verò odor in sicco igneo certa proportione præparato cõficitur, ita quòd sit primò siccus, vt humorẽ cerebri temperet: cùm igitur dissimilis sit commistio & proportio, dissimilis quoq; erit odorum & saporum suauitas: itaq; materia & subiectum saporis est humidũ, materia autem & subiectum odoris est siccũ: quare tam odor quàm sapor consistunt in debita commistione humidi & sicci: passiuum autem non est idem in vtroq;, tamen idem est actiuum nempe calidũ: quod tex. 100. clarius interpretabimur. Sed si quęras, quare non determinat priùs de saporibus, siquidem sunt notiores, quàm de odorib'? Respõdetur, quòd sufficit notitia quædam communis, quę habetur de saporibus propter visum & quotidianã experiẽtiã: & ordo Arist. perfectionis est & nobilitatis, quò ordine odor perfectior est quàm sapor, sicut odoratus perfectior est gustu.

Odor in sicco cõsistit.

Attende quod sit passiuũ, quod actiuum.

Tex. 96.

Atqui sicut auditus est audibilis, atque inaudibilis, & visus visibilis, atq; inuisibilis, & quilque similiter sensuum: sic & odoratus est odorabilis, atque inodorabilis. Inodorabile autem multipliciter dicitur: nã & id, quod omni caret odore, neq; vnquam odore habere potest: & id, quod exiguum habet, & id, quod

malum, rerumq; habet odorē, hoc appellari nomine solet: similiter & ipsum ingustabile dicitur.

De obiecto per se odorabili. Nil est difficultatis in præsenti particula, si quæ ad finem cap. 7. diximus, intellecta sunt, quòd visus lucis est & tenebræ, & præcedenti cap. quòd auditus soni est & silentij: nam in vniuersum ad eandem potentiam pertinent habitus & priuatio, quoniā eiusdem sunt rationis formalis & sub eadē potentia posita & in eodē genere cum habitu collocantur: ad eundem ergo sensum pertinebunt, nisi quòd habitus affirmatiuè per propriam speciem dignoscitur, priuatio verò per negationem & carentiam vt absentia proprij obiecti sentitur, inquantum sensus non immutatur nec à proprio obiecto cōmouetur: vnde priuationes per ordinem ad proprium habitum apprehenduntur: oppositorum sanè sicut eadem est disciplina, ita idem est sensus. Et si quæras, quomodo priuationes huiusmodi, cùm nullum habeant esse, à sensu externo sentiri possint? Respondetur, quòd reductiuè ponuntur sub sensibili proprio & per se, quatenus per se pertinent ad sensum vt proprij sensibilis oppositum: quare & si impropriè & largè dici posset sensibile per accidens, quatenus non sentitur per propriam speciē sed per speciem sui habitus, non tamen dicitur propriè sensibile per accidens: quia sensibile per accidens est substantia, quæ per se non continetur sub proprio obiecto sensus: priuatio autem per se cōtinetur sub sensibili proprio: vnde nec sentitur reflexè, quia sensus exteriores non faciunt supra se reflexionem nisi aduertentia quadā, præsidio & adminiculo alicuius interioris facultatis: sentit tamen sensus se non immutari, quare percipit absentiam proprij sensibilis: quod fit non tantùm concursu superioris virtutis, sed etiam est cōcursus ipsius sensus externi: aliter enim surdus, aliter qui bonū habet auditum se habet ad silentium; quia surdus propriè sicut sonum non percipit, ita neq; silentiū: idcirco surdus impropriè dicetur sentire silentium, alias non esset orbatus illa potentia & facultate audiēdi, præterea haberet naturalem discursum ad silentium & sonum: ideò animal cōcurrente auditu de silentio indicat, concurrēte

Priuatio à sēsu externo percipitur, estq; sensibile per se.

Perpende.

visu de tenebris: vide lib. 3. tex. 25. exactius vbi ista absoluuntur. Inodorabile trifariàm dicatur, primùm quòd parum habet odorem, mox quòd prauum, demum quòd nullo præditum est odore, vt sunt cælum & quatuor corpora simplicia, pura & syncera: de inodorabili tertio modo loquimur in præsenti.

Fit autem olfactus etiam per medium, vt aërem, aut aquam. Etenim animalium ea, quæ in aquis degunt, videntur odorem sentire, tam habentia, quàm non habentia sanguinem: sicut & ea, quæ versantur in aëre. Horum nanq; nonnulla odorem alimenti percipiunt eminus, perguntq; ad ipsum. *Tex. 97.*

Determinauit medium odorandi, quod est aër & aqua: in vtroq; enim elemēto ad lōginqua spatia animalia percipiunt odorem alimenti, vt est compertissimum: aër ergo & aqua, quæ vt diaphana, media sunt videndi, vt participant aliam innominatam qualitatem, odorandi medium sunt censenda.

QVAESTIO

An odor solùm intentionaliter multiplicetur per mediū, ac etiam realiter?

Odoris diffusio examinatur.

Habet hic textus insignem controuersiā de sensatione odoris & multiplicatione eiusdem per medium, nimirum, an solùm sit secundùm esse reale & naturale, an verò diffundatur & multiplicetur etiam secundùm esse intentionale: magna dubitationem habet, eo quòd nisi intentionaliter multiplicetur, quomodo vultures in bello Troiano (vt testatur Homerus) ad quingenta milliaria odore alimēti peruenissent: è cōtra verò si non multiplicetur realiter, quî fieri posset, vt odor esset in medio absente odorabili? Res est in controuersia posita, & quia de ea apud omnes non constat, quo potero breuius & dilucidius sine argumētorum strepitu & opinionum turba meam dicam

Quid sit odor.

dicam sententiam. Principiò ex cap. 6. supponendum est, quòd cùm obiecta propria quinq; sensuum sint accidentia, odor, qui odoratus est obiectum, non erit vapor aut halitus, exhalatio, aut fumus aut quidpiam simile: quoniam ista hæc omnia substantia sunt, substantia autem non est sensibile per se, sed per accidens: est ergo odor qualitas quædam realis absoluta & permanens, etiamsi successiuè deferatur cum suo subiecto: euaporatio autem illa fumalis causa est odoris per aërem diffusi, sicut impulsio & collisio aëris soni est causa: odor ergo est in fumali euaporatione tanquam in proprio subiecto, ideo sicut calor ab igne diffunditur. Antiqui verò Philosophi asserebāt halitum esse aut fumum, intelligentes euaporationem illā subiectum esse odoris: & ita cessat disputatio Arist. c. 5. de sensu & sensili contra antiquos, si eos cādidè & amicè interpretemur: ad idq; alludit Plato in Thimęo & Galenus lib. de instrumento olfactus & Arist. sect. 13. problem. 10. & sectio. 12. problem. 5. & 6. Modò verò Auicēnas 6. natural. parte. 2. cap. de olfactu tenet, quòd odor secundùm esse naturale est in medio, quia non est sine fumali euaporatione, & quoniā remoto odorabili odoramus: quod est argumentum, odorem manere secundū esse naturale, & medium affectum esse fumali illa euaporatione, vt remoto igne aër calidus manet calore reali, ita odor realiter manet in medio. Præterea quia habet in medio vera effecta etiam ad medendum: ergo quanuis non maneat substantia odorabilis, manet ipsa qualitas, quæ vt calor ab igne, ita odor ab odorabili derelictus est. Rursum visio colorum non impeditur ab aëre moto, quoniam intentiones colorum intentionaliter tantùm multiplicātur, odores verò per motionem aëris impediuntur; signum ergo est, quòd odor realiter est in medio: alioquin quomodo album & nigrum, quæ sunt contraria, per eandem partem aëris videntur? perciperentur quoq; odores contrarij per eandem partem medij? quoniā intentiones contrariorum non sunt contrariæ. Insuper videmus corrugari poma: quia continua reali euaporatione resoluuntur. Tandem mirum esset, si solis intentionalibus speciebus odorū vteremur & ad medicandum & ad veneno inficiendum: hæc sunt, quæ faciunt pro Auicennæ opinione. Sed Commentator Auerro. præsenti commento tenet, quòd odor solùm est realiter in corpore odorabili, in medio autem solùm est intētionaliter & spiritualiter, sicut de coloribus dictum est: Probat, quoniam sine mora & subitò ad magnam distantiam sine motu multiplicatur, quod est signum, intentionaliter diffundi. Tum etiam, quia si solùm realiter multiplicaretur, aut aër cederet, aut non: si primum dederis? iam corpus magnum cederet minori: si secundum fatearis? duo corpora se penetrarent: est ergo in medio secundum esse intentionale & spiritale. Insuper, quoniam sentiuntur odores ad valde magnam distātiam, ad quam fumalis illa & realis euaporatio multiplicari non posset: cùm enim sit certus rarefactionis terminus, fieri nō posset, vt ad quingenta milliaria resolueretur aliquod corpus in fumalem euaporationē: itaq; Auicennas tenet, odorem esse in medio non nisi vno modo nempe realiter & naturaliter: contrà verò Auerro. quòd non nisi intentionaliter. Mihi autem media videtur incedendum via cum S. Tho. odorē in medio ad certam spatij distantiam realiter & naturaliter diffundi, inde verò ad sensum intentionaliter & spiritualiter multiplicari: Priorem huius assertionis partem probant argumenta pro Auicenna adducta: neq; mouere nos debet oppositum argumentum, quòd fumalis euaporatio aërē penetraret, quia aër huc & illuc agitatus dispergitur & cedit, diuiditur atq; condensatur: & ita non est corporum penetratio, sed nuda delatio, quoniam aër calefactus ab igne proximum calefacit, & sic deinceps donec vis agentis euanescat: sic in proposito odorabile afficit aërem fumali euaporatione quasi quadam aquæ & vini permistione: deinde verò odorē producit realem: tandem similitudinem sui in medium & in sensum producit. Posterior verò pars ex argumentis pro Commentatore adductis satis liquida est, & ita necessariò asserendum est propter sensus spiritalitatem: nam commune est omni sensui (vt diximus tex. 75.) vt sensibile ipsum non tāgat, quia sensibile positum supra sensum non facit sensationem: odorandi ergo ratio hæc est, vt ab odorabili euaporatio fiat, in qua odor est realiter & subiectiuè, & ita realiter per actionem caloris ad aliquam medij distantiam diffunditur, inde verò ad sensum intentionaliter procedit. Crediderim tamen

Antiquorum interpretatio.

1. opinio Auicēnę, quòd secundum esse reale odor diffundatur.

2. opinio Auerrois quòd odor multiplicatur intentionaliter.

3. opinio et media Autoris.

Obserua de fumali euaporatione.

tamen, istam realem euaporationem non semper esse necessariam simpliciter ad odorandum, sed ad benè & vt distantiùs odoremus: nam in aqua pisces benè odorant, licet frigidissima sit: sufficit ergo intentionalis odoris multiplicatio. Quid autem differat inter realem & intentionalem qualitatem, suprà cap. 7. cùm de lumine disserui, pluribus dixi, ex illo loco petenda, quę ad hunc scrupulum diluendum desiderantur.

Tex. 98. Qua circa dubitationē is locus habere videtur, si cūcta quidem similiter olfaciunt, homo verò respirans, non respirans autem, sed spirans, aut detinens spiritum, non olfacit, neq; eminus, neque cominus, neq; si in ipsis naribus intus rem olentem posuerimus. Atque sensum quidem non fieri, si in instrumentum sensus res ipsa sensu percipienda ponatur, commune omnibus est: sed non sentire sine respiratione, proprium hominum esse videtur, quod quidem experientia latè patet.

ipsos nares uitrò.

Quęstio de vnitate odoratus.

Quæstionem mouet circa præcedentia, an omnia animalia similiter percipiāt odorem vno secundùm speciem sensu odoratus? Dubitandi occasio est, quia quæ respirant, nec respirando nec detinēdo spiritum possunt olfacere, etiamsi odorabile intra nares sit: quod est homini proprium cum reliquis respirantibus, vt experientia comprobat: apes verò, pisces, formicæ sine respiratione odorant: alius igitur erit sensus in non respirantibus.

Tex. 99. Quare ea, quæ sanguinis expertia sunt, cùm non respirent, sensum quendam, preter eos sensus, qui dicuntur, alium habent. At id esse non potest: quippe cū odorem percipiāt. Sensus enim rei tam malè, quàm benè olentis, olfactus sine cōtrouersia est. Pręterea à vehementibus & ipsa corrumpi videntur odoribus, à quibus & homo corrumpitur, vt bituminis, sulphuris, & similium. Necesse est igitur, ipsa olfacere, non respirantia tamen.

Soluitur cōclusione, quòd odoratus oēs vnius sunt speciei.

Ne proposito vexemur scrupulo, respōdet Aristot. quòd vnus est, vniúsq; speciei odoratus in omnibus: quod probat primū ex vnitate obiecti, eundémq; nāq; odorē & respirantia & non respirantia percipiūt. Deinde quia vtraq; à vehementer graueolentibus & sensibilium excellentijs corrumpuntur atq; ab his, quæ fœtorem ex se exhibent, vt in apibus & piscibus euenire videmus: quare etsi accidentariè differant in modo odorandi, idē sensus est in vtrisq;, quia idem proprium sensibile, nēpe odor, à cuius excellentia corrumpitur: prior autē ratio ex conuenientia obiecti procedit: posterior verò ex disconuenientia & læsione contrarij: quocirca in homine & in brutis odoratus est eiusdem speciei: eadem ergo facultas odorandi afficitur odoribus, modò tamen diuerso, nam in his respirando, in illis verò absq; respiratione. Solutio igitur in hoc consistit, quòd differentia nō est in sensu, sed in modo sentiendi, neq; est in bonitate aut malitia aut aliqua differentia specifica, sed in indiuiduali compositione animalium atq; in organi diuersa dispositione, de quo sequitur.

Atq; huius instrumentū sensus, in homine perinde videtur ab instrumento differre talium animantium: atq; oculi differūt ab eorum oculis animalium, quę duros oculos habent. Nam animalium ea, quæ molles oculos habent, palpebras ipsas, vti sepem, & tegmen habent, quas nisi mouerint, ac aperuerint, nō vident, vt latè patet. At ea, quæ Tex. 100

durorum sunt oculorum, nihil habent profectò tale, sed illico res eas vident, quæ in perspicuo sunt. Sic igitur & instrumētum olfactus in hisce quidem, quę nō respirant, velamine caret, perinde atque oculus durus, vt diximus. In his autem, quæ suscipiūt aërem, habet velamē, quod cùm respirant, aperitur, venis, meatibusve distentis: & idcirco quæ respirant, non olfaciūt in aqua: necesse est enim olfaciant respirando, at id in aqua facere nequeunt. Est autem odor, sicci, sicut humidi, sapor: ipsum verò instrumentum olfactus est potētia tale.

Odoratus cū oculis comparatur. Quòd eadem est odoratus quàm oculorum differentia: nam molles habentia oculos cilia habent & supercilia, palpebras quoq;, quibus oculi tegantur: duros verò habentia oculos nullo indigent ciliorū aut palpebrarum vallo aut sepe: tamē est oculorum eadem natura ad colores percipiendos, licet sit diuersa instrumenti compositio: similiter & eadem analogia odoratus se habet; nam in respirantibus odoratus coopertus est, atq; ad operculum remouēdum respiratione indiget, vt admisso aëre per nares, illo motu odorandi ianuæ aperiantur, vt odor penetrare valeat: non respirantia autem aperta atq; exposita habent sensoria odorandi, quare olfaciunt sine respiratione. Hæc est Arist. mens de sensu & sensi. cap. 5. & 4. de Historia animal. cap. 8. alludit etiam. 2. de partib. animal. cap. 16. hæc docet vera Philosophia & peripatetica sentētia, quam exponimus. Quicquid dicat Neothericus quidā, qui relicto Arist. nescio quid comminiscitur ex Vesalij dis- *Vesalius de odoratus cōpositione.* sectione sententia. 3. & 4. nempe quòd olfactus nullo operiatur operculo, sed quòd eadem est omnium animalium siue spirātium siue non spirantium huius sensorij cōpositio, & quòd respirātia nisi inspirent, aquatilia nisi branchijs aquam recipiant, odorare non possunt; citat pro se Aristotelem locis citatis; cùm tamen in præsenti aperta sit Arist. sententia, qui vt de oculo loquitur hîc & 2. de partib. animal. cap. 13. ita & de odoratu sentiendum in quibusdā, scilicet, sepe & vallo occultari & veluti sepe & vallo obductum ob id indigere naribus, quibus vehantur & rectâ ducantur odores, & aëris respiratione dilatentur nerui, aperiantur pori, remoueantur operimenta.

Narium vsus. Quare nares nō sunt nisi viæ quædam, quæ à natura datæ sunt, Primùm gratia respirationis, deinde ad olfaciendum, tertiò ad expurganda excrementa, postremò ad venustatem & decorem. Quo fit, vt respiratio ad odorandum non sit simpliciter necessaria, sed tantùm vt præparet vias, tollat obstacula, aperiat ianuam olfactus, qui in *Sēsus odoratus forma & cō positio.* anteriori parte cerebri secundùm progressus instar tuberum & mamillarum porrigitur & extenditur, vbi os capitis pertusum est & perforatum in modum cribri, vt ea purgentur excrementa & percolentur odores: iste igitur locus est, qui veluti oculi palpebris, ita ipse crassa meninge tegitur, quæ etiā rara est & poris referta. Exactior huius rei inquisitio ad Philosophum non spectat, sed ex anatome petenda & Galeno lib. de vsu partium. 8. & 9. Postremò Arist. vnico verbo naturam odoratus ostendit ex suo obiecto, nimirum, quia tale est in potētia, quale est sensibile in actu (de quo suprà tex. 62.) meritò ergo explorandus est ex obiecto, id est, natura odoris: est enim odor passio sicci, sicut sapor passio humidi, non quòd in puro sicco aut humido superexcellenti consistant, sed certa seruata quatuor qualitatum primarum mistione: *Saporis et odoris natura.* sicut enim ad humidum, calidum, frigidū & siccum conueniunt vt actiuè agentia in humidum, humidum autem vt passiuum reagens: ita quod humidum, non quodcunq; sed aqueum, se habet passiuè & veluti materia in sapore, quia ob id dicitur passio humidi: in odoribus verò calidum, frigidum & humidum agentia sunt, siccum verò nō terreum sed igneum passiuum est reagens: ideo odor passio dicitur sicci, igneæ & subtilis. Quare perspecta natura odoris non erit difficile olfactū cognoscere: quia omne recipiens denudatur à natura recepti, & patiens tale est in potentia, quale agens est in actu: si ergo odor est primò sicci in actu, odoratus erit primò sicci in potentia, quia

est

est potentia ad recipiendum odorem innam per se ratio organi cuiusq; sensus potentialitatem dicit ad rationem & naturam sui proprij obiecti: & sicut visus ad colorem & lucem, ita & in vniuersum sensoria, recepta specie, euadunt suis obiectis similia: eadem enim forma obiecti afficiuntur, à qua perficiuntur & actuantur: sicut suprà diximus sensum agentem excludentes, sensibile perfectius esse sensu, &. 3. de anima cap. 1. ostenditur, intelligibile perfectius esse intellectu, etiam de mente Aristot. 12. Met. tex. 51. quoniam ordo obiectorum est ordo agentium & perfectionum, ordo autem potentiarum passiuarum est ordo patientium & perfectibilium.

Obiectũ præstantius. sua potentia.

SVMMA CAPITIS.

In hoc cap. Arist. de natura odoris, medio & modo odorandi, posita difficultate, per quatuor conclusiones determinat.

Difficile de odore iudiciũ. *Licet difficile sit, nos exactè de odore iudicare, quia remissè odores percipimus: tamẽ laboriosum nõ erit, ipsos ex saporibus analogia ad gustum distinguere, quem ob communionem tactus præstantissimum inter omnia animalia habemus: vnde ingenii vires ex mollitudine carnis aut duritie diiudicamus. Quare odores dulces, amaros, austeros, &c. ex saporibus nuncupamus.* *Prima cõclusio.* *¶ Sensus odoratus sicut quisq; sensuum est proprii obiecti & oppositi, odorabilis scilicet & inodorabilis.* *2. cõclu.* *¶ Odoratio fit in aqua & aere tanquam per medium: aquatilia enim odore pergunt ad locum alimenti.* *3 cõclu.* *¶ Respirantium & non respirantium vnus est secundum speciem odoratus, vt patet ex vnitate obiecti, odoris scilicet ipsius, etsi diuersimodè odorent ob diuersam odoratus compositionem: quibusdam enim clausum & tectum est, quibusdam vero apertum sensorium.* *4. conclu.* *¶ Odoratus est primò siccus in potentia: Patet, quia odor est passio sicci.*

CAPVT DECIMVM
De gustu & sapore.

Tex. 101 GVstabile autẽ est quoddam tangibile. Atque hæc est causa, vt ipsum non sit sensibile per medium corpus externum: neque enim tactus tali medio percipit. Enim vero corpus etiam id, in quo, tanquam in materia, est ipse sapor, qui gustu percipitur, humidum est, quod est tangibile quoddam. Quapropter si etiam essemus in aqua, dulce sanè sentiremus in ipsa positum, & non sensus illius nobis per aquam, tanquam per medium, esset, sed quia permistum illud esset cum humido, quemadmodum in potione fieri solet. Color autem non hoc videtur, quod miscetur, neque defluxibus.

Post tractatum de visu, auditu & olfactu, determinat Arist. de gustu tria, nempe de obiecto, eiusq; medio, atq; organo, vt doctrina præsens ex præexistenti fiat cognitione. Incipit autẽ de medio tractare, quòd cùm omni sensui commune sit, per mediũ aliquod sentire, extraneum sit siue intraneum: actumq; sit de tribus sensibus, qui per medium extraneum suas obeunt functiones, iam de gustu, qui cùm quidam tactus sit, perinde ac tactus medio intraneo indigebit: causa autem, quòd gustatio fiat per medium intraneum, hæc est, quia gustabile tangibile quoddam est: hoc autem ex eo pendet, quòd corpus ipsum, in quo sapor existit, humidum quoddam est: humiditas verò vna est de quatuor qualitatibus primis, atq; adeò tangibilis est qualitas. Mox tacitæ occurrit obiectioni, ne quis dicat, quòd si mel dissoluatur in aqua, dulce gustabitur per aquam ipsam tanquam per medium extraneum: dicitq; aquam illam non posse esse medium gustus, quia affecta est sapore: mediũ verò gustus, vt purè, syncerè atq; fideliter sapores gustui renunciet, ab omni sapore immunis esse debet: quare dulcedo illa est in aqua, non secus ac in potione quadam. Demum tacitè Democriti sententiam refellit, quòd color non videtur medio permistus per defluxus quosdam (vt ipse censebat) quia colores, inquit, non propter hoc videntur, quòd corpus coloratum realiter medio admisceatur, aut aliquid eius aut atomi realiter in mediũ defluant,

Collocatio doctrinæ. *Obserua, cur gustabile sit tãgibile.* *Democritus.*

fluant, sed tantùm per intentionalem quãdam & spiritualem immutationem (vt c.7. dixi) idcirco oculus colorem non percipit, quo aëris aut aquæ aut alterius est diaphani, sed vt corporis est colorati distantis. Sed vt hæc exactiùs expendamus, operæpretium erit, priùs literam tex. sequentis interpretari.

Tex. 102 Nõ igitur vt est ibi, sic & hic esse de medio dicere possumus: nullum enim externum est medium, vt diximus. Vt autem visibile est color, sic est gustabile sapor. Atqui nihil absq; humiditate, saporis efficit sensum: sed omne, quod ipsius efficit sensum, humiditatem aut actu, aut potẽtia nimirum habet, vt salsum: nam & ipsum liquescere potest facilè, & linguam, vt patet, cùm liquescit, humidiorem efficere potest.

Vult Arist. colorem quidem videri vt est in obiecto, non autem vt est in medio: eodem sanè modo est visibile color & gustabile sapor. Comparatio non est in medio videndi & gustandi, sed in obiecto, quòd sicut color obiectum est visus, qui sine lumine non videtur, ita sapor obiectum est gustus, qui sine humore non gustatur: etenim sicut colori lux ratio est vt videatur, ita sapori humiditas exigitur vt ratio quædam gustandi, quæ facit actu sapores, non tamen exigitur vt medium ad gustandum, sed est velut actus medij, scilicet linguæ, sicut lumẽ est actus medij, nempe diaphani. Quare natura prouidè linguam saliua præparauit & affecit, vt gustare possemus: ideo humor ille linguæ, quo omnis sapor est perceptibilis, ab omni sapore est denudatus & immunis; alioqui non esset saporibus ratio, sub qua gustarentur: sic lux siue lumen non est medium videndi, sed actus ipsius medij diaphani. Quamobrẽ inquit, salsum, vt cinnamomũ, piper, zingiber & quęcunq; talia gustantur, etsi actu sicca sint, potẽtia autem humida sunt, id est, proxima vt humectata gustẽtur: lingua autem neq; debet esse nimis humida neque sicca, sed quæ mediam retineat constitutionem & naturalem temperiem ab omni denudatam sapore: nam si alienum admiserit, nihil prælibabimus nisi eo linguæ & saliuæ sapore affectũ: si autem arida sit, nihil omnino gustare poterimus, sicut nihil in obscuro videmus sine lumine. Vtrunq; dum febricitamus & ægrotamus experimur, nũc nimio humore atræ bilis redũdante omnia amarescunt, nũc verò arescẽte lingua nihil gustamus: ergo saliuæ munus est gustabilia actu humida efficere, vt gustari queát, sicut lumen colores visibiles actu facit videri. Mens igitur Arist. est, quòd humidũ in sapore non sit medium & vehiculũ coniunctiuum saporis cum gustu, sed ratio formalis, vt lux colori. Quæ Arist. comparatio inter colores & sapores valde est ponderãda, quam nos ad alios duos sensus extendere possemus: vt enim ad gustũ & visum se habent humiditas & lux, sic ad auditum motio, & ad olfactum euaporatio, quæ ratio sunt audiendi & olfaciendi.

Egregia et pulchra analogia inter sapores & colores.

Saliuæ vsus & natura.

Obseruãda doctrinæ pòderatio & extensio.

QVAESTIVNCVLA
An gustabile sit tangibile?

In his duobus textibus contentio est inter Arist. expositores, quid velit dicere cùm asserit, gustabile quoddam esse tangibile & gustum quendam tactum: cùm stare nõ possit Pauli Veneti sententia, gustum non esse speciem distinctã à tactu: quia iste asserit, consequenter non esse nisi quatuor sensus externos, quod expresse est contra rationẽ & ipsum Arist. Neq; placet quod Ioannes de Ganduno dixit, tactum & gustum materialiter conuenire, differre tamẽ ratione & formaliter: quoniam (vt cap. 4. de distinctione potentiarum dixi & cap. 5. de motione sensus à ꝓprio sensibili) quisq; sensuum propria ratione per se à suo obiecto mouetur: distinguuntur ergo isti duo sensus, neq; vnus sub alio est aut in alio includitur, vt vult Gandunus. Præsens locus non est tam accõmodatus ad determinandam opinionem Caietani ponentis plures quàm quinq; sensus exteriores: de ea in sequenti cap. tex. 112. 113. 114. vbi Arist. agit de tactuum pluralitate, disputabitur, & quomodo hîc dicat, gustum vnam esse tactus speciem. Communis dicendi modus est,

Vene. reiicitur.

Refellitur Ioan. de Gandumo.

Caietan' variat.

Cõmunis quorundã solutio exploditur. est, gustabile esse tangibile: quoniam gustus sine tactu fieri non potest, vt. 2. de generatio. cap. 6. & 7. diffinit Arist. ita colligunt medio interno gustum fieri, quia tangibile nõ sentitur per medium externum, gustabile est quoddam tangibile: ergo gustabile non sentitur per medium externũ: sed iste tactus improprius est & translatitius, quod attinet ad rem præsentẽ, vbi non de naturali tantùm (sic enim omnis sensus fieret per tactum) sed agimus de tactu mathematico & quantitatiuo reali secundùm proprias ipsorum sensibilium naturas. Inter philosophicos interpretandi modos, quos Arist. in præsenti insinuat, vnus est, quòd gustus sit tactus quidam, nimirũ ex similitudine & comparatione, quòd adeò affines & germani sint, vt vterq; sentiat medio quodam intraneo, experti & immuni ab eo, quod gustatur vel tangitur, vt velit Arist. asserere, neutrum istorum duorũ sensuum fieri per medium extraneum, & ita identitas refertur ad modum medij, ideo verificatur modaliter: quoniam gustatio fit quodam contactu saporis. Alter sensus est verus etiam & peripateticus, gustabile ideo esse tãgibile, quia sapor in humido est subiectiuè: humidum autem tangibile quoddam est, & sine humido sapor nõ sentitur, vt iam nunc dicebat Arist. quare vnitas refertur ad subiectũ saporis & rationem gustandi, quæ est humiditas tangibilis qualitas. Tertius sensus verus etiam ex natura alimenti deducitur (vt. 3. de anima cap. 12. tex. 64.) quoniã gustus sensus est alimenti, alimentum autẽ non alit, nisi corpus ipsum tangat: ob idq; colores, odores & soni non nutriunt, &. 2. de gene. cap. 8. ex eisdem fumus & nutrimur: vnde identitas ad modũ refertur. Quocirca trifariàm gustus dicitur quidam tactus, & propter similitudinem attingẽdi obiecta ex parte medij, & propter ipsum humidum, quod est saporis subiectum ex parte obiecti, & propter conditionem & naturam alimenti ex parte modi, tametsi semper realiter & formaliter atq; essentialiter specificè gustus distinguatur à tactu. Quod iterum sic ostendo ex obiecto: siquidem eadem est proportio obiecti ad obiectum, quæ est potentiæ ad potentiam: sed obiectum formale gustus de obiecto formali tactus non potest dici propria & formali prædicatione: ergo neq; gustus de tactu aut ecõtra essentialiter prædicabitur,

Gustũ esse tactũ triplici sẽsu peripatetico.

Summa vnitatis triplicis inter gustum & tactũ.

Gustus et tact⁹ specificè differunt.

neq; ratio vnius cum ratione alterius conuenire poterit, cùm vnusquilibet sensuum propriam rationem à proprio & per se obiecto nanciscatur: gustus igitur dicitur esse tactus tribus his modis iam adductis quoad modum aliquem accidentalem, non tamen simpliciter & essentialiter quoad potentiam aut obiectũ: certè si sapor, qui gustus est obiectum, non est qualitas per se primò tangibilis neq; vna ex quatuor primis qualitatibus, quæ sunt obiecta tactus, neque gustus erit tactus realiter atque formaliter, sed solùm modaliter. Quo sensu 3. Ethi. à cap. 10. vbi de temperantia agit, quòd circa tactum per se primò est temperantia & intemperantia: at verò circa gustum non nisi per se secundò, vt scilicet in tactu gustus fundatur: quo modo gustus est tactus prædicatione causali, quia causatur ex tactu, non autem prædicatione directa & formali, ita vt gustus sit tactus, vt homo est animal. Sed redarguit Caiet. quòd sapor sit qualitas tangibilis, licet sit qualitas secunda sicut mollities, quæ est de qualitatibus secundis: atq; ita gustum quẽdam tactum dicit, & plures docet species esse tactus: sed de hoc (vt dixi) cap. sequenti disserendum, dummodo interim scias, Caietanum errare dum hic ponit tactum genus esse & plures habere species, vna quarum est gustus, de quo hic agitur. Ad quam sententiam alludere videtur Commentator cùm dicit, gustum esse partem quãdam aut speciem tactus: ideo sicut vbicunq; est homo, est animal & nõ econtra, ita omnis gustus est tactus, nõ tamen ediuerso, quia gustus sine tactu reperiri nõ potest: tactus autem à cæteris sensibus benè separatur, vt in conchylibus, quæ tactu percipiunt alimentum, quo nutriuntur instar plantarũ & vegetabiliũ: sed nõ intelligas cum ipso Auerroe, gustum esse speciem tactus, aut partem subiectiuam logicè aut metaphysicè, sed solùm vult, quòd physicè loquendo gustus præsupponit tactum vt sensuum omnium fundamentum, & quòd gustando plures exercemus sensus, vt gustare non possimus nisi tangamus. Et si quæras, gustus est quidam tactus iuxta secundum sensum: quia sapor fundatur in humido, quod est tangibile, sed odor fundatur in sicco, quod est tãgibile: odoratus ergo erit quidam tactus? Respondeo, quòd siccum in odore & humidum in sapore habent se instar sensibilis com-

Caietan⁹ errat.

Auerro. corrigitur.

Quare odorat⁹ nõ sit quidã tactus sicut gust⁹.

communis, hac posita differētia, quòd sensibilia cōmunia (vt cap.6.dixi) sunt veluti causa vniuersalis & communis materia determinās, ideo cum sensibili proprio vnam producunt sensationē modali tantùm differentia: sed humidum in sapore & siccum in odore sūt veluti causæ particulares, quare non producunt eandē sed diuersam sensationem secundùm rem: quia sapor gustū afficit, humidū verò tactum mouet, qui sub gustu latet: spargitur enim sensus tact⁹ per totum corpus, & odor odoratū excitat, siccum autem ibidem tactū pellicit & pungit, vt intelligas differentiam esse specificam inter hos sensus: idem dicere possumus de motione in auditu & euaporatione in olfactu, nā eadē est doctrina. Ex his ad propositum scrupulum satisfaciēdum, nempe, quod obiectū gustus sapor est, vt nutrimentū cōiunctum per medium intraneū, in odoratu verò tactus est generalis & aduentitius, virtualis & naturalis, non mathematicus, quia fit per mediū extraneum: aliter ergo olfactum tāgit siccum, quod est in odore, nēpe extraneè, & gustū tangit humidū, quod est in sapore intraneè, realiter & mathematicè tāgendo. Quare tres priores sensus, qui vtiles sunt ad benè viuendum & cōducunt ad benè esse animaliū, per mediū extraneum suas perficiunt operationes: duo verò postremi, gustus scilicet & tactus, vt necessarij ad esse & ad vitā, per medium coniunctum & intraneum sua munia absoluūt. Quo fit, malè Granatensem cōtendere hoc in loco, tres priores sensus, visum, auditum & olfactum per medium etiā intraneum sentire: quoniam malè computat pro medio in visu tunicas, in odoratu os illud perforatum atq; menyngē, & in auditu naturalē & insitum aërem: cùm re vera illa sensoria sint & organa, in quibus residet sensifica facultas: qui etiam malè pro se citat Philopōnū, quasi ita senserit: quæ supersunt & desiderantur ex sequenti tex. petenda.

Sensibile commune quid agat per se, & quo differat à communibus rationib⁹ in singulis sensibus.

Granat. exploditur.

Tex.103 At verò sicuti visus est visibilis, & inuisibilis (& tenebrę nāque sunt inuisibiles, quas etiā visus discernit) & eius, quod valde splendidum est (& hoc enim inuisibile dicitur, quapropter non eodē, sed alio modo quàm tenebræ) sicut igitur visus visibilis, & inuisibilis est, & auditus similiter soni, silentijq;, quorum alterum audibile, alterum inaudibile est, & etiā soni magni perinde, atque splendidi visus. Nam vt paruus sonus modo quodā inaudibilis est, sic etiam & magnus, ac violētus. Inuisibile verò multifariàm dici solet: quoddā perinde dicitur, atq; in cæteris etiam, id, quod impossibile est: quoddā hoc pacto, vt aptū quidem sit id habere, quo videri possit, illo autem careat, aut habeat remissè, vel prauè, vt informe dicitur, aut indoctū. Sicut igitur visus, inquam, visibilis, & inuisibilis est, & auditus similiter: sic & gustus gustabilis, & ingustabilis est: quod quidem aut exiguū habet, aut prauum, aut vastantem gustum saporem. Videtur autem potabile, & impotabile, esse principium: vtrunq; enim gustu percipitur. Verùm alterum est prauum, gustūq; deuastat: alterū est amicum naturæ. Est autē potabile, gustui cum tactu cōmune.

Prolixior hic tex. est quàm par erat, sed iam ex dictis cap.7. & proximo c.9. tex.96. satis est liquidus, cui⁹ doctrina in omni sensu latè patet: siquidē omnis sensus non modò sui est proprij obiecti positiui, sed etiam sui contrarij & priuatiui: quare gustus erit gustabilis & ingustabilis. Et cùm simpliciter dicatur ingustabile, sicut inuisibile & inodorabile: deniq; in omnibus, quæ secundùm potentiam & impotentiam dicūtur, vt de impossibili 1. de Cęlo. tex. 111. & 114. dicit, quod omnino nō habet, aut parū aut prauè habet: omnia constant, & lib. 3. de Anima tex. 65. amplius illustrabuntur

Id tamen, quod subdit de potabili & impotabili, quod videtur esse principium, difficultatem habet. Non enim facilè diuinabis, quid sibi Aristot. velit, cùm multa ab eius commentatoribus hîc adducãtur, quæ licet vera sint, nec proposito sunt cõsentanea, nec rei consequentiã præ se ferre videntur: certũ enim est quod dicunt, potabile & impotabile se habere vt gustabile & ingustabile: item nemo ambigit, potabile esse gustui cum tactu commune ratione materiæ, humidi scilicet: quid tamen id consequentiæ habeat ad id, quod præcesit, non video ab expositoribus tactum nedum explicatum: nam quòd potabile referatur ad gustum (vt dicit Granaten.) vt non tantùm esculentum, sed etiam poculentum sit gustabile, certè nihil noui continet aut dubij. Quid? quod Arist. mentem non assequitur iste. Idcirco mihi ipsi conijcio ex analogia saporis ad colores superiori tex. adducta, in qua perpetuò hæret Arist. sic rei consequutionem tenere, quia tetigerat de gustabili & ingustabili: subdit, *Videtur autem potabile & impotabile esse principium, &c.* quia potabile principium est gustabilis, impotabile principium ingustabilis: hoc ideo accidit, quoniam potabile consistit in humido, sine quo nihil gustari contingit: cùm ergo materia sit principium rei, ita humidum, quod potabile constituit, principium est gustabilis vt materia, & principiũ etiam est ratio & forma, sicut lumen principiũ est ratio formalis, qua colores videntur: itaq; potabile, id est, humidum & materiæ, & formæ atq; adeò vtriusq; principij rationem habere videtur: cuius ampliorem expositionem ex sequenti tex. pete & hæc illis coniunge. Quod autem addit Aristot. *Est autem potabile gustui cum tactu commune*, idem est quod à principio capitis dixerat, *Gustabile autem est quoddam tangibile, &c.* patet ergo textus & mens Aristotelis liquet, & consecutio rei satis cõsentanea est: potabile sanè, vt humidum saporabile ad gustum; vt tangibile ad tactum refertur. Quocirca mirabiliter lapsus est Egidius Romanus, quòd potabile, id est, humidum sit principium saporis gustui & tactui commune: quoniam licet tactus percipiat humiditatem primò & per se, gustus autem non nisi secundariò quatenus est saporis subiectum. Sed quis non videat opinionis falsitatem? nam si sapor sensibile proprium est gustus, quî poterit à tactu percipi? & si humiditas est per se tãgibilis qualitas, proculdubio vt sic à gustu non attingetur, nisi absonè sentiat ille, quòd humiditas & sit sensibile commune & proprium? Humidum commune dicitur gustui & tactui (vt dictũ est) quia tactus tangit humidũ per se & formaliter, gustus verò quasi per accidens subiectiuè & materialiter, quatenus percipit saporẽ, qui in humido est; omne enim gustabile est in aliquo tangibili, & omne gustare præsupponit tangere: cùm impossibile sit, quòd saporẽ gustemus, quin tactus sentiat illius saporis humorẽ: quare sicut prius natura est humidũ, quàm sapor, prius quoq; natura tangere antecedit gustare, & tactus naturæ quoq; ordine gustũ præit. Quo fit, vt tact⁹ & gustus materialiter in lingua cõcurrant, & in eodẽ loco diuersæ sunt potẽtiæ, sicut in oculo & odoratu concurrit etiã tactus, & dispositio tactiua materialis est & fundamentalis ad reliquas: quãuis enim in quolibet membro sit tactus, gustus autem non est nisi in neruo linguæ, vt ita intelligas, quomodo gustus sit tactus & gustabile tangibile materialiter & modaliter: potentiæ tamen ipsæ gustandi & tangendi secũdùm se, suoq; actus atq; obiecta essentialiter & specificè differunt, sicut alij sensus.

Locus Aristot. subobscurus illustratur.

Granatensis.

Optima Autoris cõmentatio, quæ se queti tex tu perficitur.

Egidi⁹ reprehẽsus.

Gustus et tactus explicãtur.

At verò cùm gustabile sit humidum, necesse est & instrumẽtum sensus ipsius neq; humidũ esse actu, neque etiam tale, vt humectari non possit, humidumq; euadere: patitur enim aliquid gustus ab ipso gustabili, ea nimirũ ratione, qua gustabile est. Necesse est igitur, instrumẽtum gustus potentia quidem humidum esse, humectari autem actu: ita autẽ humectari, vt eius conseruetur, cùm humectatur, & ratio. Signũ autem est, linguam, neq; cùm est valde sicca, neq; cùm est nimiũ humida, sentire. Is enim tactus sit humidi primi, perinde atque si cùm prægustauerit quispiam, vehe- Tex. 104

vehementem, acrémve saporem, deinde aliū gustet: & vt in ęgrotantibus fit, quibus cuncta videntur amara; quia lingua sentiunt, tali humiditate referta.

Præsens tex. attestatur illationi & expositioni nostræ, quam præcedenti textui adhibuimus: talis enim est contextura, quòd cùm humidum, inquit, vt dictum est, gustabilis sit principium, ipsum quoq; gustus sensorium humidum erit in potentia: quandoquidem tale est passiuum in potētia, quale actiuū in actu: est ergo gustus humectabilis, id est, vt facilè humidus euadat, quia est in potentia propinqua talis: & cùm gustare sicut sentire sit quoddam pati, perfecta passione & recepta in actu similitudine obiecti, fit ipsum sensibile secundùm speciē (vt suprà cap. 5. de sensu diximus, & de intellectu dicemus. 3. lib. de anima) ita tamen temperatè humectari gustum oportet, vt eius ratio & cōstitutio minimè lędatur, sed cōseruetur. Hinc fit, vt vitiosa sit lingua, in qua extremè humiditas aut siccitas redundat: vtroq; enim modo gustus impeditur, vt in præcedentibus expositum est: saliuæ ergo humor in lingua residens, eiq; naturaliter infitus, actu nullius est saporis, vt omnes sapores participare & prælibare valeat. Et quod in præcedēti tex. cœpimus dicere, humidum principium esse gustabilis, non est ita accipiendum, vt sit obiectum, quod gustatur, sed est principium partim passiuum vt materia, partim actiuum vt forma & ratio: sicut enim suprà cap. 7. de lumine diximus, requiri propter medium & propter obiectum (nam in coloribꝰ etiam inclusum est lumen) eadem analogia humidum in gustu propter obiectum & propter ipsum medium exigitur: sed si referatur ad saporem, qui est obiectum, habet rationem passiui & subiecti: in ordine autem ad mediū & linguæ carnem, rationem habet actus & formæ: sicut lumē facit actu colores & actꝰ est diaphani, ita humidum in sapore passiuum est, ideo indifferens, vt per actiuum determinetur ad diuersa: similiter humor linguæ immunis est ab omni sapore, vt aptus sit ad omnes percipiendos: non secus ac aqua nullius est saporis, sed indifferens & indeterminata, vt omnes percipiat

Complet Autor expositionē precedē- tis tex.

& subeat iuxta conditionem mineralium, per quæ transit. Ex quibus omnibus sequitur, linguam instrumentum esse sentiendi, vt. 1. de Hist. animal. cap. 15. & clariùs. 2. de partib. animal. cap. 17. vbi varios motus linguæ, fines & vsus docet: vtimur enim lingua ad diuersa, vt aëre ad respirandum & loquendum, vt Aristot. lib. 1. de Hist. animal. cap. 11. Videndus est Galenus lib. 16. de vsu part. cap. 3. sed omnium diligentissimè Andreas Vesal. lib. 2. de fabrica corporis humani cap. 19. & lib. 7. cap. 16. & lib. 4. cap. 6. vbi neruus linguæ ex dissectione ostenditur ad gustandum præparatus, musculi ad motum & locutionem creati declarantur: caro eius fungosa, rara & soluta demonstratur, vt mediū sentiendi esse possit. Inde ea quæstio è medio tollenda, si gustus in apice linguæ sit, an in ipso palato? de quo Plinius lib. 11. cap. 37. De quibus pro mea tenuitate aliqua dicerem, nisi vererer præsentis speculationis metas excedere, contentus locorum & autorum citatione ad sequentia pergo.

Notanda de lingua.

Species autem saporum ita se se habent, quemadmodum colorum. Dulce nanq;, & amarū, cōtraria simplicia sunt: hæret autem dulci quidem pingue, amaro autem salsum. At inter hæc collocantur, acre, acerbum, acidum, atque acutum: hæ nanque ferè differentiæ videntur esse saporum. Quare gustus quidē instrumentum id est, quod est potentia tale: gustabile autem id, quod ipsum actu facere potest. *Tex. 105*

Septem docet esse saporū simplices formas (nam de compositis nulla est certa ratio, neq; habet finem coquorum ars & hominū libido, quæ plus iusto mirè excreuit) quas in pręsenti tex. enumerat, & de sensu & sensil. cap. 4. declarat, vbi, Deo dante, latiùs prosequemur. Nunc autem sat fuerit admonuisse, primò, cuiuslibet sensibilis proprii septem esse simplices species: nam sunt duæ extremæ primæ contrarietates, quarum

Septem sunt sapores gustꝰ, septē colo

res visus, odores olfactus, so ni etiá septem sunt differentiæ. quarum vna est intermedia per æqualitatem æquidistantiæ: inter hoc intermedium & vnum extremű vna est cõttarietas, altera ad alterum: duæ ergo intercedunt cõtrarietates, & ita cum alijs prioribus resultant septem species ab Arist. enumeratę (hęc de quatuor sensibus vera sunt, de tactu in sequenti cap. dicemus) septem ergo sunt rationes notabiles immutãdi gustum & quẽlibet sensum dempto tactu, pingue aut est dulce, aut parùm à dulci declinans. Deinde *De origine saporũ* de origine saporum disserendum non est, quãuis inter Galenum & Aristot. sit con- *Galenus cũ Arist. certat.* trouersia. Placet enim Galeno sapores resoluere ad qualitates primas: quod habet in Philosophia difficultatem, & est contra posterioristicam doctrinam. 1. Post. cap. 5. vbi docemur, ex proprijs & per se sumendam esse rerum naturam & distinctionem, non ex communibus & quasi extraneis: sunt igitur prima contraria in saporibus amarum & dulce, vt docet Arist. ad quod *D. Iacobus.* alludit D. Iacobus in sua Canonica cap. 3. nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam? vbi inter ama- *Conciliatio Pau. & Grana. reiicitur.* rum & dulce contrarietas collocatur. Concordia Pauli Veneti & Granatensis, quòd ad nutrimentum si referantur sapores, amarum & dulce sunt prima contraria (vt Aristot. dicit) si autem ad qualitatem, sic dulce tenet medium, ponticum autem & auste- *Autoris resolutio.* rum extrema sunt contraria: conciliatio, inquam, ista locum non habet, quoniam sapores in ordine ad nutrimentum relati, tactus potiùs passiones sunt quàm gustus: non enim negamus, Galeno sapores ex qualitatibus primis oriri, sed cum Arist. assero, quòd vndecunq; veniat primæua sua origo, contrarietas tamen sumenda ex proprio genere, nempe in ordine ad gustum, quem sapor natus est primò immu- *Sapor quid.* tare: & ita de sensu & sensil. sapor definitur affectio quædam, quæ à sicco in humore genita, gustum, qui est in potentia ad *Caiet. de Thienis.* actum, demutat: videte hîc Caietanum de Thienis, qui tres de hac re refert opiniones, quas loco citato, Deo duce, examinabo. Absoluit Arist. considerationem de gustu, quia talis est in potẽtia, quale gustabile in actu (sapor igitur actuat & perficit gustũ) ideóq; ipso est sublimius & præstãtius. Plato in Thimęo sapores ex ratione aggregandi & cõgregandi deducit, quo alludit ad Galenum, qui per calidum & frigidum sapores colligit: nos verò meliùs ex proprijs cum Arist. Vide Galenum lib. 8. & 9. de vsũ partium & 4. lib. Simpli. à cap. 10. contra quem disputat Commentator lib. 5. cap. 27. & videndus Greg. Nisenus de vitibus animę cap. 3.

SVMMA CAPITIS.

In hoc cap. Arist. de medio gustandi, de gustabili, gustũq; ipso, atque de formis saporum per quatuor conclusiones agit.

Quia gustabile est quoddam tangibile, gustus est quidam tactus: ob id necessum est, gustum medio fieri intraneo. (*Prima cõclusio.*) *¶ Gustus, & gustabilis est, & ingustabilis, sicut quiuis aliorum sensuum proprii obiecti est, & sui oppositi, quod multipliciter dicitur.* (*2. conclu.*) *¶ Cùm gustabile actu in humido consistat, sine quo non est sapor, gustus potentiâ est vt humectetur, ad quod linguæ saliuam excogitauit natura.* (*3. conclu.*) *¶ Septem sunt species simplices saporum, de quibus latiùs post disserendum.* (*4. conclu.*)

CAPVT VNDECIMVM
De tactu & tangibili.

Difficilem de odore tractationem esse docuit Aristot. quia exilis & remissus in nobis est odoratus: *Autoris cõsilium.* quamobrem facilis & exacta deberet esse cognitio de tactu, quia tactus nobis exactissimus inest: & tamen tota hęc de tactu disputatio apud Arist. non solùm lubrica, sed implexa atque obscura est, varia etiam & præter Arist. ingenium maximè perturbata: quod in causa fuit, vt tantisper meum morem immutem, vt nõ simul cum Arist. expositione quid sentiam dicam, sed seorsum litera Arist. vtcunq; exposita, tandem quo potuero, breuiùs & dilucidiùs sententiam meam proponam.

De tangibili autem, & tactu eadem ratio est. Nam si tactus non vnus sit sensus, sed plures, necesse est, & ea, quæ tactu percipiuntur, plura sensibilia esse. *Tex. 106*

Quinq;

Quinq; sensuum exteriorum vltimus est tactus, qui quanuis sese vt basim omnium illorum præbeat, omnibus illis crassior est & materialior: quæ causa & ratio ordinis in superioribus tradita est. Prima omnium de tactu difficultas est, si vnus sit an plures? quod expendendum, inquit, ex tangibili, nam eadem est de tangibili & tactu ratio: vnus enim non potest esse tactus, nisi tangibile vnius sit rationis: quæ res in controuersia posita est, & difficultate proposita nostram venatur attentionem, & diligentiam exposcit ex sequentibus.

Tex. 107 Dubitationem autem iste locus habere videtur, vtrum plures sint tactus, an vnus tantùm. Et de instrumento tactus quid tandem sit, vtrum ipsa caro, & id, quod in cęteris simile est carni, an ita non sit, sed id quidem ipsum sit sensus huiusce medium, instrumentum autem ipsius primum, aliud quoddam sit intus. Omnis enim sensus, vnius contrarietatis esse videtur, vt visus, albi, nigriq;: & auditus, acuti, grauisq;: & gustus, dulcis, atq; amari. At in tangibili plures insunt contrarietates, vt patet: est enim calidum, frigidum, humidum, siccum, molle, durum, & istiusmodi alia.

Dubitat Arist. & inquirit, nil autem asserere videtur. Scrupulus, qui Aristotelem mouet, est: quoniam omnis sensus vnius est generis & contrarietatis, vt inductiuè per omnem sensum latè patet: sed in sensu tactus plures sunt contrarietates, vt calidi & frigidi, humidi & sicci, mollis & duri & id genus alię, quæ nec reuocari nec reduci possunt ad alias priores, cùm qualitatum primarum contrarietates sint primæ, & prius primo dari non possit. Secundò dubitationem etiam habet, quod sit instrumentum & sensorium tactus, an caro aut quidpiam aliud, quod intra carnem lateat? Vult enim Commentator, quòd ex vnitate instrumenti & sensorij liceat arguere vnitatem tactus: hæc omnia ambigua sunt & incerta, & de quibus non constat, quid Arist. senserit.

Sed esse videtur ad hanc dubitationem quædam solutio. Nã in cæteris etiam sensibus plures sunt contrarietates. In voce nãq; non solùm est acumen, & grauitas, sed etiam magnitudo, & paruitas, & lenitas & asperitas vocis, & alia huiuscemodi. Sunt & circa colorem differentiæ aliæ tales. Verùm quidnam sit vnum obiectum tactui, sicut vnum est auditui sonus, non esse manifestum videtur. Tex. 108

Quidam (inquit Arist.) licet apparenter, friuolè tamen & superficie tenus propositam soluunt dubitationē, quòd in alijs sensibus (vt circa auditum & visum proponit) plures etiam sint contrarietates, tamen quę reuocantur ad vnum primum genus, vt intensum, remissum, perspicuum, tenebrosum ad album & nigrum: ita quoq; in tactu vnum obiectum est, licet immanifestũ & innominatũ. Sed hoc (inquit Arist.) non est manifestum, quonam modo in primis illis contrarietatibus, nempe calidi & frigidi, humidi & sicci, vna prior aliqua contrarietas signari queat? & tamen mutuò sibi correspondent potẽtia & obiectum in vnitate, multitudine & distinctione, in quibus proportionari debent. *Remouendo tacitã solutionẽ dubitationẽ auget.*

Huius autem, vtrum instrumentum tactus intus sit, post carnem, an non sit, sed statim sit ipsa caro, id non esse signum videtur, sensum, inquam, illico fieri, cùm res tactu percipiendæ tanguntur. Etenim si quis nunc circa carnem, subtilem, Tex. 109

lem. pellem extenderit, deinde rem tactu percipiendam tetigerit; ſenſus ſtatim ſimiliter fiet,& tamen patet, in illa pelle tactus inſtrumentum non eſſe. Quòd ſi copulata fuerit, velociùs, vt patet, ſenſus perceptio fiet.

Dubitat de organo & ſenſorio tactus. Nōdum plenè declarata prima quæſtione de vnitate tactus, ſecũdam inuadit, quod ſcilicet ſit tactus ſenſorium? quæ præcedētis eſt appendix, atq; ad eius enodationem conducens: quoniam ſi ſenſorium tactus vnum eſt, tactus ipſe vnus quoq; erit. Et primò refellit eos, qui carnem inſtrumentum eſſe tactus dicebant, pertenui quidem ducti coniectura, quòd ſimulac tangitur caro, ſenſatio in tactu perficitur. Qui cupit huius argumenti perexiguas vires inſpicere, perpendat (inquit Ariſt.) quòd ſi manus tenuiſsima aliqua pelle obducatur, illa pellicula ſimul cum tactu tanget: non probabit igitur argumentum propoſitum, pelliculam illam eſſe organum tactus: ergo neque illo conuincemur vt aſſeramus, carnem organum eſſe tactus: nam etſi pellicula illa copuletur & coniungatur nobis, fiatq; naturalis, tunc fiet quidem velocior & certior ſenſus perceptio, non tamen inſtrumentum eſſe dicemus: quia priùs ſi nō tempore, tamen naturæ cauſalitate eſt in carne aut in medio, quàm in organo. Aduerte quod Ariſt. lib. 1. de Hiſtor. animal. cap. 4. dicit, quòd tactus conſiſtit in carne, poſtea verò negat in ſequentibus libris, vt patet in præſenti: quia viſa diſſectione & anatome nō dixit, vt anteà cenſuerat, quòd ſe habeat caro ad tactum tanquam pupilla ad oculum, quia ſic organum eſſet tactus, ſicut pupilla oculi organum eſt. Sed certè variat, poſteà tamen rem abſoluemus pro noſtra virili: nam in hac etiã parte varia & incerta eſt Philoſophorum ſententia. *Ariſt. ſibi conciliatus.*

Tex.110 Quapropter talis pars corporis perinde ſeſe habere videtur, atque ſi circunfuſus aër cōiunctus eſſet nobis, ac copulatus. Tunc enim vno quodam inſtrumento profectò ſonum, & colorem, & odorem videremur ſentire: & vnus quidam videretur eſſe, nimirum ſenſus, viſus, auditus, atq; olfactus. Nunc autē quia ſeiunctum eſt id, per quod fiunt motus, patet, inſtrumenta iam dicta ſenſuum eſſe diuerſa.

Alia ſimilitudine demonſtrat carnē eſſe mediũ: quia ſi fingamus, inquit, aèrem nobis circunfuſum copulari & fieri connaturalem, proculdubio in viſu, auditu & odoratu lateret nos, ſi aër ipſe eſſet organum, quo colorem, ſonum & odorem perciperemus, an potiùs medium hæc ipſa ſentiendi: modò verò quia ſeiuncta ſunt, res certa eſt & quæ nil habet dubij. Continuatio ergo & copulatio ſicut non dat eſſe ſenſorium, ita neq; tollit eſſe medium, ſed facilitatem confert ad tranſitum ſpecierum, & vt iudicium de obiecto certius ſit: quamobrem ſicut incertum nobis eſt de vnitate & multitudine tactus, ita immanifeſtum eſt mediũ tangendi, & ipſum tactus ſenſorium valde obſcurum.

In tactu autem idipſum nunc latet. Fieri enim nequit, vt ex aëre, vel aqua corpus animatum tãtummodo conſtet, quippe cùm ſolidum quiddam eſſe oporteat. Reſtàt igitur vt ex his, atq; terra, ſit miſtum, quale eſt ipſa caro, & id, quod vicem ipſius ſubit. Quare neceſſe eſt, ipſum corpus copulatum, medium eſſe inter inſtrumentum ipſius tactus, & res ipſas tangibiles, per quod fiunt ipſi ſenſus, qui quidē ſunt plures. *Tex.111*

Docet, ex aëre & aqua, quia fluida ſunt, niſi aliquod corpus ſolidum interueniat, corpus carneum & compactum conſtare nō poſſe. Quibus verbis videtur Platonem tacitè obiurgare, quòd dixerit igneum aut aëreum corpus eſſe: quod certè nullius eſſet

ſet conſiſtentiæ neq; cohęrentis ſoliditatis, niſi ex terra quoque ipſa caro miſceretur. Ex quo principio infert, mediũ tactus neceſſariò eſſe coniunctum, vt noctua & conuenientia ſtatim præſentiat, illa vt fugiat, hæc verò vt proſequatur: eſt enim inter ſenſus externos tactus non modo vtilis & ad vitam conducens, ſed ſimpliciter neceſſarius: caro ergo, quæ corpus eſt copulatum animali, mediare debet inter ipſum tangibile & tactus ſenſorium. Quo fit, vt nullum corpus ſenſibile ſimplex poſſit eſſe medium tangendi: quoniam corpora ſimplicia qualitates habent in ſummo & excellentes, per quæ ipſum animal mediocres qualitates, à quibus læderetur, non præſentiret: medium autem vniuſcuiuſq; ſenſus denudari debet à natura recepti ſecundùm proportionem ad ſenſum, cui ſeruit, vt fideliter omnem formam ſenſibilem renuntiare atque ſyncerè proponere valeat: caro verò ſui ſimilis eſt, mediaque temperie qualitatum tangibilium terminata: meritò igitur & medium eſſe tactus cum Ariſt. anteà oſtẽdebamus, & ex mollitudine carnis virium, ingeniję; præſtantiam arguebamus.

Medium tactus caro, nõ autẽ corpus ſimplex.

Tex. 112 Indicat autem plures eſſe, tactus is, qui in lingua conſiſtit: nam eadem in parte, & omnes res tangibiles, & ſaporem etiam ſentit. Si igitur & cæterę partes carnis ſentirent saporẽ, vnus, idemque tunc ſenſus videretur eſſe profectò, guſtus, & tactus. Nunc autem quia non fit conuerſio, duo diuerſi ſenſus eſſe cenſentur.

Quòd autem caro ſit medium, non tamẽ organum, oſtendit Ariſtot. quoniam caro, quæ lingua eſt, guſtandi ſapores & tangendi tangibilia, medium eſt, eadem in parte percipit, & tamen nõ eſt vnus & idem ſenſus tactus & guſtus: quare cùm ex vnitate medij vnitas ſenſus & organi non colligatur, fit, vt caro medium ſit, non organum: nam organum adęquatum cum ipſo ſenſu conuertibiliter ſe habet, ita vt ex vnitate

Pro multitudine tactuũ disputat.

inſtrumenti vnitas ſenſus deducatur, non autem ex vnitate medij, quando guſtus & tactus in lingua ad diuerſas functiones diuerſo non funguntur medio. Quocirca aduertendum primò, quòd etſi guſtus & tactus in eodem ſint neruo & per idem ſentiantur medium, tamen per aliam affectionem nerui atque diſpoſitionem, lingua ſaporum eſt conſcia & tangibiles qualitates renuntiat: ſicut aër idem re, ratione tamen diuerſus, colores, odores, ſonoſq; ad viſum, auditum, & olfactum defert. Conſiderandum deinde, quòd etſi iuxta Philoponum videatur hic Ariſtot. confutare aſſerentes tactum eſſe vnum ex vnitate carnis, quem ſenſorium eſſe dicebant, tamen penitiùs cõſideranti mihi aliter philoſophandum videtur; vt ex ſimilitudine & exemplo linguæ, vbi in eodem neruo aut carne ſimul eſt tactus & guſtus, colligat eadem ratione, tactum, qui per vniuerſum corpus ſpargitur, plures eſſe ſenſus, etiamſi in omni parte animalis ſit, & per omnes partes carnis, tanquam per medium fiat: nihil enim prohibet, ex eo quòd ſint ſimul, plures eſſe tactus: ſicut in lingua licet ſimul ſint guſtus & tactus, differentes tamen ſunt ſenſus ſecundùm ſuorum obiectorum differentes rationes, etſi materiali ratione in eodem ſubiecto conuenire videantur. Et ſicut quoties guſtamus ſapores, tangibiles qualitates percipimus, non tamen econuerſò quoties tangimus tangibilia, aliquem ſaporem guſtamus: ita quoq; quod in lingua circa guſtum & tactum accidit, per omnes corporis partes circa tactus contingere iudicandum eſt; vt vna ſit in tactu diſpoſitio ad contrarietatem calidi & frigidi, altera ſimul in eadem parte ad contrarietatem humidi & ſicci vtraq; ſicut idem neruus vt guſtus, diſcretiuus eſt ſaporum, & vt tactus, diſcretiuus eſt tangibilium, ſic plures tactus ſimul ſpargũtur per vniuerſum corpus, & diuerſa diſpoſitione diſtinctas contrarietates diſtinguit: vult igitur ex ſimilitudine guſtus (qui etiã tactus eſt) docere, eundem neruum plures tactus eſſe ex ordine ad diuerſas contrarietates: quare non eſt improbabilis pluralitas & tactuum multitudo.

Autoris expoſitio interpretationi Philoponi præferenda.

At verò dubitabit hoc loco non iniuria quiſpiam. Nam ſi *Tex. 113*

 cor-

corpus quidem omne profunditatem habet, atque hæc est tertia magnitudo, fieri verò nequit, vt ea corpora sese mutuò tangant, inter quæ corpus aliquod medium intercedit, humidumq; nō est sine corpore, nec humectatū, sed necesse est vel aquam esse, vel aquā habere: qui fieri potest, vt corpus tangat corpus in aqua? Etenim necesse est, cùm extrema non sint sicca, in medio aquam esse, qua repleta sunt ipsa extrema. Quòd si hoc est verum, fieri profectò nō potest, vt corporum tactus fiat in aqua. Eodem etiam modo de ijs dici potest, quæ in aëre collocantur. Simili nanq; modo sese habet aër ad ea, quæ sunt in ipso, & aqua ad ea, quæ sunt in ipsa. Latet autem nō magis in hisce, quæ in aëre collocantur, quàm in animalibus, quæ sunt in aqua, si humectatum humectatum tangit.

Carnem non solùm medium esse tactus, sed etiam medium coniunctum & connaturale esse docet: vt non abs re quispiam in dubium verterit (vt quondam Arist. tenuit) an organum esset & instrumentum tactus: iam verò dubitat, an tactus præter carnem, quæ est medium intraneum, indigeat medio aliquo extraneo, & si dari possit tale medium & quodnam sit? Quæ quæstio locum habet & difficultatem eandem patitur in gustu, ad quem applicanda quæ de tactu dicemus: tota autem dubitationis ratio est, quoniam duo corpora non possunt immediatè sese tangere, quin aliud medietur: ostēdit in aqua & aëre, licet in aëre non ita sensui appareat, quòd sensum subterfugiat, eo quòd subtilior sit, tenuissimus atque magis spiritualis: tamen quantumuis duo corpora stringeris & penitius coniunxeris, magisq; copulaueris, totum aërem aut totā aquam (si in ea fiat tactus & duorum corporum collisio) nunquam prorsus expunges aut omnino expelles, quin tertia maneat magnitudo, id est, quin maneat aliquod corpus, quod cōstat profunditate, quæ tertia est magnitudo: Prima enim magnitudo est longitudo lineæ: secunda magnitudo est latitudo superficiei: tertia verò est profunditas corporis (de quibus. t. de Cęlo diximus cap. 1.) Quibus terminis expositis probat assumptū, quòd tactus duorum corporum non sit immediatus: quia si fiat, verbi gratia, in aqua, vbi sensibilius cōstat quàm in aëre, inter duo illa corpora humiditatem mediare. Vnde infert Arist. necessariò interuenire humidū aliquod corpus aut humectatum: nam cùm humor ille, qui mediat, non migret de subiecto in subiectum, in proprio suo erit subiecto: ergo in aliquo corpore. Et ad rationem nil refert, humidum corpus esse illud, quod mediat, aut humectatum: nam humidum est, quod humorem habet non tantùm in superficie sed intimè, & non alienū sed proprium: humectatum verò, quod humiditatem participat in superficie, quę est illi aliena & extranea & quę ex accidenti contingit, quia quasi rore superinfūditur aut spargitur: semper tamen in humido siue humectato corpus est medium, atque adeò profunditas, quæ est tertia magnitudo, ergo distantia: quare non est duorum corporum tactus immediatus & indistans. Vnde in primis habemus, rectè inductam esse pręsentem dubitationē, si tactus fiat per medium extrinsecum: siquidem in quocunq; duorum corporum tactu medium est aliquod corpus, quod poterit vice medij extrinsecj fungi. Atq; adeò nō fuit absonum, quod olim censuit Arist. carnem non esse medium, sed sensorium tactus, tùm tactus fieri possit per medium illud extrinsecum, quo species præparentur & depurentur, vt sensio fiat.

Expositio textus inducitur.

Humidū & humectatū differunt.

Mentis Aristot. summa et collectio.

DVBITATIO

An inter quęcunq; corpora mediet aliud corpus?

Deinde de axiomate illo, quod pro ratione dubitandi assumit, scilicet impossibile esse duo corpora immediatè se tangere, magna est apud grauissimos etiam Philoso-

Ratio dubitādi exponitur, quòd non

sint duo corpora immediata.

losophos dissensio, plurima sanè habet dubia. Ideo Themistius Aristotelem negligentiæ inculpat, quòd eam non declararit: Philoponus multùm in eius expositione insudauit: Simplicius verò operosè multa colligit: & inter recentiores sophismata nō pauca fingumtur, quæ indigna sunt, quæ in medium à nobis adducantur. Idcirco videor mihi non posse commodiùs has omnes difficultates superare & dubia resciudere, vt veritatis scopū attingamus, quàm si nudè sententiam Arist. adduxero & simpliciter mentem meam proposuero. Aliorum igitur placitis dimissis, dico, Philosophorum principem assumpsisse propositū axioma, quod licet obscurū esse videatur, est tamen certum, & suis debitis limitationibus intellectum, omnibus debet esse certissimum. Quod est à me declarandum, scilicet duo corpora non posse se tangere indistanter, quin corpus aliquod mediet. Limitationes autē & declarationes sunt, Prima de corporibus mistis: quoniam quinq; corpora simplicia, cælum scilicet & elemēta se inuicem immediatè locant & continent (.4. de Cælo tex. 22. dixi.) Secunda de corporibus duris: nam aliud est de mollib⁹, vt vinum & aqua, oleum & acetum, & latera vasis hæc ipsa continentis: & si alterū sit molle, vt pisces in aqua, nos in aëre: corpus igitur illud molle immediatè potest tangere aliud quodcunq; corpus siue durum, siue molle: ideo non sequitur, in immediatione corporum infinitam esse corporum inuicem sese tangentium seriem, cū status esse possit, & sit ad corpus molle, quod immediatè tangit. Tertia, vt illa corpora sint discōtinua: nam de partibus eiusdem continui nihil est incommodi, vt partes virgæ pro medietate aridæ & pro medietate viridis immediatè se tangant, quæ ratione materiæ continuuantur, & quodam quasi visco & naturali glutine copulantur. Quarta de planis, nam perfectè sphæricum perfectè planum licet immediatè tangat, non tangit nisi in puncto, vt. 3. elementorū Euclides à propositione. 15. ad. 22. ostendit, quæ non se tangunt nisi in indiuisibili puncto: atq; adeò non potest mediare corpus. Quinta, vt corpora nō solùm dura sed solida, nō porosa sed compacta: quibus stātibus vera est propositio Arist. Demōstratio autem ad impossibile hæc est, quæ maximo vrget incōmodo: quia si sic prædicta

Autoris consilium optimū.

Cōclusio, quòd non sint duo corpora immediata, explicatur certis conditionib⁹ et limitationibus.

Non est processus in infinitum.

Demonstratio inducitur.

corpora tunc tangerent se immediatè, sequeretur statim, quòd illa duo corpora mista, dura, discontinua, plana, solida, &c. diuelli & seiungi non possint: aut si separari possunt, necessum est, quòd aër circunstans subintret: tunc quæro, an immediatè replebit totum spatium, aut in instanti vsque ad centrum & medium corporum illorum? & sic admittitur motum in instanti, quod naturæ motus repugnat (vt. 5. Phys. cap. 1. ostēditur) Et si non mouetur aër, vt subintret in instanti, necessum est vacuum dari: quod esse impossibile. 4. Phys. cap. 8. probatur. Deduco sic, quando concedis illa corpora adinuicem diuelli & separari posse, & cùm diuulsio & separatio sit motus, qui incipit per vltimū nō esse, nunc non sunt separata, & immediatè post hoc erunt separata: ergo immediatè post hoc subintrat aër, qui totum spatium in instāti replet (quod est primum incommodum, scilicet motus in instanti) Si dicas subintrare in tempore quātumuis subito & imperceptibiliter? in secū dum incommodum incidisti: quia re vera vacuum, quod maximè natura abhorret, daretur: & vndecunq; & quomodocunq; illa corpora diuellantur aut subintret aer, eadem ratio dictorum incōuenientium sequitur. Quo fit, vt cùm hæc impossibilia natura abhorreat, à natura vniuersaliter deputatum est minimum aeris aut aquæ aut alterius corporis mollis & liquidi, quod interueniat & quasi intercedat inter corpora illa dura, vt illa vitentur incommoda. Idcirco cùm à principio ingens aliquod saxum cadit, magna aeris quantitas non resistit casui illius, & parua portio minimi aëris resistit ingenti illi saxo cum violētia cadenti, ne immediatè corpus aliud durū tangat: nimirum, quia natura vniuersalis iuuat atq; resistit, ne illa absurda aut aliquod illorum sequatur: atq; non debet ille paruus aer solitariè considerari, sed cum ordine & motione totius vniuersalis naturæ: nō ergo cedit, quia extrahi non potest: quoniam omnia debent esse contigua, ne vacuum aut inane detur. Quamobrem graue nō dicetur supra leue locari, cùm idem ordo vniuersalis naturæ hoc exposcat, & natura ipsa vniuersalis, quæ supra particularem est, instigat & dirigit, vt aqua, quæ alioqui grauis est & ad locum deorsum destinata, gratia vitandi vacui sursum ascendat. Neque concedendū est, vt Paulus Venet. existimat,

Leue vt natura sub graui sit?

Venet. explosus.

lapidem manere suspensum in aëre, quoniã descendit ad locum, quatenus à natura cõceditur: huius autem rei sensibile ad oculũ habemus exemplum de plana aliqua tabula tangente aquam, quæ ex eo, quòd immediata est aquæ, difficilè dimouetur, nisi altera parte ascendat aqua, vt aër subintret ipsi aquæ contiguus: sic concipiendum est in nostro proposito. Et si dicas ex. 5. Phys. tex. 22. & 26. continua sunt, quorum vltima sunt vnum, contigua vero, quorum extrema simul sunt & se tangunt: ergo inter contigua non mediat corpus? Respõdetur, quòd licet mediet corpus modo & ratione iam dictis, mediat tamen imperceptibiliter, & nec requiritur nec esse potest per naturam immediatior tactus: idem est cùm liquatur plumbum, stanum aut argentum, tenuissimum aëris corpusculũ mediat, nisi malueris, ratione materię cõtinuari, vt paulò suprà de partibus virgæ partim viridis, partim siccæ dictum est: & cùm scinduntur ligna securi, aër ille minimus est, qui securis facilem diuulsionem nõ permittit. Hactenus quæ mihi visa sunt pro explananda assumpta propositione: nunc verò pro litera Arist. aduerte, necessariò carnem debere esse medium intraneum, quoniam nõ semper est illud medium extrinsecum in corporibus sese tangentibus: quia cùm corpora non sunt dura, quæ cæteras obseruãt cõditiones & limitationes, tunc temporis nil prohibet, quòd immediatè duorum corporum tactus fiat, atq; adeò non est medium aliquod extrinsecum inter tangibile & tactum, sed solùm intraneum, quod est caro.

Contiguũ qualesit.

Ratio dubitandi resoluitur, & sequẽti tex. perficitur.

Tex. 114 Vtrum igitur omnium simili modo sit sensus, an sensuum quidam, vt nunc videtur, eodem, quidam diuerso modo obiecta sua percipiant, gustus quidem, & tactus tangendo, cęteri autem eminus? At id profectò non ita est, sed durum etiam, & molle per alia planè sentimus, quemadmodum & id, quod sonat, & visibile, ac odorabile: verùm hæc quidem eminus, illa verò cominus sentiuntur. Quapropter latet, si per medium illa percipiantur: nam sensibilia cuncta per medium sentiuntur, sed in illis ipsum latet, vt diximus. Enimuero si per subtilem pellem, vt priùs etiam est dictum, positam circa carnem sentiremus omnia tãgibilia, idipsum non animaduertentes, sic nos-tum vtiq; sentiremus, vt nunc in aëre sentimus, & aqua: nunc enim videmur res ipsas tangibiles tangere, & nullum medium esse. *.i. tunc*

Cùm omnes sensus sua sensibilia per medium extrinsecum percipiãt, & solùm differentia sit, quòd visus, auditus & olfactus, quòd perfectiora sint, in distantiora & remotiora feruntur secundùm gradum & ordinem propriæ suę perfectionis: gustus verò & tactus, quòd imperfectiora & materialiora sint, non ea, quæ eminus, sed quæ cominus prope se habent, duntaxat percipiunt. In omnibus igitur sensionibus omniũ quinq; sensuum medium aliquod extrinsecum est, nisi quòd in gustu & tactu nos latet & ipsum non percipimus, quoniã ipsum non aduertimus: perinde enim sentimus, acsi per pelliculam tenuissimam ac imperceptibilem tangeremus: & ita dicit, quòd durum & molle per alia, id est, per extraneum medium sentimus, sed in gustu & tactu ob paruitatem & tenuitatem non discernimus: in alijs verò ob magnitudinẽ medij benè aduertimus.

Interest autem inter tangibile, & ea quæ sonant, & visibilia: nam hæc quidem sentimus, medio in nos aliquid agente: at tangibilia sentimus, nõn à medio, sed vnà cum ipso medio moti, vti fit cùm quispiam per clypeũ est percussus: non enim percussus clypeus percussit, sed fit, vt ambo sint simul percussi, clypeus, atq; miles. *Tex. 115*

Quia

Quia dixerat, sensus omnes conuenire in medio extrinseco, differre tamen in apparentia & discretione eiusdem, vt quidam tempore Arist. falsè existimabant: veram & legitimam iam ponit differentiam, nempe quòd circa tres priores sensus, visum, auditum, odoratum, sensibilia ipsorum priùs agunt in mediũ, deinde in sensus ipsos: quia priùs immutatur medium, medium autem ipsum immutatum nostros afficit sensus: duo autem posteriores, videlicet gustus & tactus, non ita à medio sed simul cum medio nos immutant & commouent: Probat exemplo clypei, quo percusso vulneratur miles vnà cũ ipso clypeo. Est igitur Arist. ita intelligendus, quòd licet omne sensibile priùs natura medium quàm sensum afficiat, immutatum tamẽ medium sensorium ipsum vt causam propinquam sensationis afficit: sed id, quod est per se & necessariò, semper euenit in tribus prioribus sensibus, in gustu autem & tactu per accidens est respectu medij extrinseci: quia aër & aqua sine vllo extraneo medio immediatè tangũt & immutãt carnem, & per eam in tactu fit sensio: quamobrem licet in omnibus sensibus sit per se ordo causæ & effectus inter medium & sensorium ipsum, in tactu verò atq; gustu non est per se & necessariò ordo ad medium extrinsecum, vt in alijs sensibus. Quapropter differentia ab Arist. proposita (vt Alexandro, Themistio & Alberto placet) non est secundùm prioritatẽ causæ, sed secundùm perseitatem: quoniã medium extraneum, quod per se & necessariò in alijs sensibus concurrit, in gustu & tactu per accidens se habet: quia non semper tãgimus medio aliquo extrinseco. Itaq; differentia est tangibilis ab alijs sensibilibus, quòd in alijs medium extrinsecum cõcurrit causaliter & tenet se ex parte sensibilis agentis: quoniam sicut sensibile mouet medium, ita medium motum mouet sensum: at in tactu medium extrinsecum prorsus per accidens se habet & tenet se ex parte sensus patientis, ita quòd sensibile est proximum & immediatum agens in sensum, & tactus carne vestitus est patiens, nõ enim est indiuisibile patiens, sed latitudinẽ habet: negat ergo medio causalitatem actiuã in sensu tactus. Habes, ingeniose lector, hîc locum Arist. expressum ad asserendas & ponendas species sensibiles: quia mediũ immutatum, inquit, aliquid agit, quod sine speciebus non est intelligibile: expressus etiam est locus. 3. de Anima tex. 31. quòd aër pupillam talem facit & auditus simili modo, illic declarabimus & eodem. 3. lib. tex. 65.

Obseruanda expositio.

Attende.

Species sẽsibiles sũt ponendæ.

Omnino autem vt aër, & aqua sese habẽt ad visum, & auditum, atq; olfactum: sic caro, ac lingua sese ad huius instrumentum sensus habere videntur. Atque nec ibi profectò, nec hic perceptio sensus fiet: cùm instrumentum sensus à re sensibili tangitur, vt si quispiam super extremũ oculi corpus posuerit album. Ex quo etiam planè patet, instrumẽtum sensus ipsius, quo res percipiuntur tangibiles, intus esse collocatum, vt diximus. Sic enim & in hoc sensu fiet id porrò, quod in cæteris sensibus fieri solet. Sẽsibilium enim, si in ipsis instrumentis ponantur sensuum, non fiet, vt patet, perceptio: at si super carnem ponatur tangibile, fit, vt docet experientia, sensus. Quare sine dubio ipsa caro medium est in tactu. Tex. 116

Definit quid tenendum sit, & primò de medio tactus intraneo, quod est caro, scilicet commune esse omni sensui non sentire quod est supra ipsum, sentimus autem quod est supra carnem: caro igitur non est organum tactus sed medium ipsius, sensorium tactus intus latet. De assumpta propositione, quòd sensibile positũ supra sensum non sentiatur, dicam ad finem sequentis capitis, quia locus ille magis est ad hanc rem accommodatus.

Atqui ea tactu percipiuntur, quæ corporis sunt, vt corpus est, differentiæ. Dico autem differẽ- Tex. 117

tias

tias eas, quæ rerum elementa distinguũt, calidum, frigidum, siccum, ac humidum: de quibus anteà diximus ijs in locis, in quibus de elementis ipsis tractauimus. Instrumẽtum autem id, quo dictæ qualitates sentiuntur, & in quo primo sensus is collocatur, quem appellare cõsueuimus tactum, pars ea sanè est, quæ est potentia talis.

Docet Arist. obiectum tactus esse differentias corporis, vt corpus est: intellige de corpore corruptibili, quod est sub orbe Lunæ: nam incorruptibile corpus, quod est cælum, æquiuocatione physica est corpus & non vniuocè. De his autem differentijs mistorum & elementorum apud Arist. egimus lib. 2. de gene. cap. 2. calidum & frigidum, humidum & siccum, elementorum sunt differentiæ constitutiuæ, secundùm quas agunt & patiuntur, corrumpuntur & generantur saltem secundùm partes, & mista ex ipsis cõponũtur. De ipso autem sensorio subdit, ipso nos percipere qualitates has tangibiles, in quo sensorio primùm est sensus tactus, deinde in toto animali: sicut humor glacialis sensorium est, in quo primùm est visus, deinde in oculo: tandem dicit, sensum tactus potentiâ esse tangibiles qualitates & aptũ ad eas percipiẽdas. Aduerte tamen, quòd hîc videtur Arist. tactũ appellare vnum, cùm dicit, *Et in quo primo sensus is collocatur, quem appellare consueuimus tactum.*

Tex. 118 Sentire nanq; pati quiddam est, vt diximus. Quare id, quod agit, tale illud facit, cùm sit potẽtia, quale est ipsum actu. Quocirca simile calidum, atq; frigidum, & durum, ac molle non sentimus, sed exuperationes: quia sẽsus est quasi mediocritas quædam contrarietatis eius, quæ in ipsis sensibilibus inest. Et propter hoc sensibilia ipsa discernit. Nam medium ipsum, extremorum est iudex: fit enim ad vtrunq; ipsorum alterum extremorum.

Quia dixerat, tactum esse in potentia ad tangibiles qualitates, moderatur, quatenus tactus ea sentiat, nempe quòd non sentit mediocritates ipsarum, cùm sit constitutus in temperie & medio quodam qualitatum primarum, sed exuperantias & excellẽtias ipsarũ, quatenus ab illa mediocritate exorbitant. Ratio est, quia cùm omne recipiens denudari debeat à natura recepti, tactus non sentit has qualitates tangibiles secundùm modum, quo eas habet, neque secundùm gradum illum: iudicat ergo extremas, inter quas mediat: nam iudex medium debet esse inter extrema (vt. 4. Ethi. cap. 5.) tactus autem habet se in ordine ad has quatuot primas qualitates, velut tepidum in ordine ad frigidum calet, in ordine verò ad calidum friget: & quia medium est, vtriq; extremo opponitur, & respectu vtriusque se habet vt potentia: tactus ergo discretiuus est qualitatum tangibilium exuberãtium. Quòd si quæras, quid causæ sit, quòd oculus ab omni colore penitus denudetur, & tactus non denudatur ab omni tangibili qualitate? In promptu est responsio, quoniam color non est corporum cõstitutiuus, sicut sunt tangibiles qualitates (vt præcedenti tex. ex libris de generatione insinuauimus) quoniam animalis constitutio non potest denudari à primis corporum differentijs, nec à necessariò consequentibus, vt duritie & mollitie: ideo medium est per abnegationem tangibilium in suis excellentijs, quæ in tactu sunt retusæ & vtrinq; ad mediocritatem redactæ. Sensio itaq; tactilis in pati consistit, & tactus potentiâ est reducibilis in actum ab ipsa specie obiecti, qua recepta tactus ipsi obiecto euadit similis (vt suprà tex. 62.) agit enim tangibile in tactum, ipsum actuando & perficiendo, actio verò semper est à maiori proportione.

Tactus quomodo sit in potentia ad qualitates tangibiles.

Atque vt id, quod album, nigrumq; percepturum est sensu, neutrum ipsorum actu, sed po- Tex. 119

tentia

...q; oportet: & in ...dem modo. Sic & in tactu neq; calidum, neq; frigidum id actu sit oportet, sed vtrunq; potentia, quod vtrunq; est percepturum.

Id, quod præcedenti tex. dixerat Arist. figura & exemplo repetere videtur, litera clara est.

Tex.120 Præterea, vt visus visibilis, ac inuisibilis quodammodo est, vti diximus, cæteriq; sensus oppositorum similiter: sic etiam est tangibilis, ac intangibilis tactus. Intãgibile autem est etiã id, quod exiguam admodum differentiam tangibilium habet, quale passus est aër, & exuperationes etiam tangibilium, qualia sunt ea, quæ corrumpere possunt.

Cõmune est omni sensui, vt proprij obiecti perceptiuus sit, etiam sui contrarij & oppositi priuatiui: quę doctrina in alijs sensibus pluries exposita, obseruanda tamen peculiariter est in sensu tactus, qui etiã tangibilis est & intangibilis, siue intangibile sit propter exiguitatem vt aër, siue propter excellẽtiam vt ignis, siue ob priuationem, vt quod qualitatibus tangibilibus priuatur vt cęlum: de quo suprà li. hoc. 2. c. 6. sed exactiùs & planiùs lib. 3. tex. 25. *Intangibile trifariàm.*

QVAESTIO
Vtrum ea, quæ ab Arist. dicta de tactu, maximè de eius vnitate, vera sint?

Hæc de tactu iuxta Arist. mentem enarrata sunt: quod à principio polliciti fuimus, nostram sententiam dicamus de vnitate tactus & de eius sensorio: quandoquidem Arist. in hac parte hæsit & dubiè & lubricè suam sententiam dixit. Vt autem res hæc alioqui perplexa expeditiùs absoluatur, de sensorio tactus oportet primùm dicamus: qua in parte licet grauissimorũ Philosophorum non vna & certa sit sententia, accipiemus tamen ab ipsis, quæ apud plures in hoc negotio præstantiores maximè constare videntur: reliqua verò Medicis relinquenda, quibus per anatomen veritas hæc de sensorio tact⁹ perspecta est. Si enim vellem omnia, quæ sentio & de hac re audiui, tractare, viderer ex sola & nuda relatione aliorum, falcem in alienam messem mittere, quare me cotinebo & alas intra proprium nidum contraham. Apud Arist. constantissimum est, carnem medium esse tactus, neruum autem intus latentem sensorium eiusdem tactus esse: & quanuis alibi sæpe dixerit, carnem esse sensorium, tamen Auerroes eius Commentator dicit, huius loci sententiã amplectẽdam esse, nimirum quòd censeat, hos libros vltimò ab Arist. dictatos fuisse: neruus autem ille, qui tactus est sensorium, est velut retė quoddã per totum corpus diffusum & sparsum, quod animal munit velut clypeus & sepit, vt vndiq; quàm citissimè præsentiat, quid vel minimæ parti cõducat, noceátve, ne totum animal soluatur. Ideo tactus primus sensus est, propter quem animal sensitiui & animalis rationem habet, qui neruus, licet terrenæ sit substantiæ & complexionis frigidæ & siccæ, tamen à sanguine arteriarum & spiritibus earum humectatur & temperatur: tegitur nanq; duabus tunicis, quibus velut duobus canalibus sanguis & spiritus ad sensationem explendam deferuntur: nõ secus ac in oculo plures tunicæ sunt & humores, quibus perficiatur & elaboretur ipsa visio: itaq; tactus in neruo illo consistens veluti pupilla in oculo, vim habet sentiendi interiecta cute & carne. Scio tamen, Galeno multis in locis, præsertim. 1. lib. de vsu partium cap. 16. & lib. 1. de temperamentis cap. 10. & lib. 9. de placitis Hippocratis & Platonis cap. 2. placuisse, neruum illum sentiendi non habere vim, sed duntaxat deferendi animalem vim: & Auicennas. 6. lib. natural. cap. de tactu, neq; carnẽ neque neruum, sed coniunctum ex vtroq; sensorium esse docet: & D. Thom. opuscul. 43. carnem & medium & organum esse dicit in cap. 3. illius opuscul. Sed cum Arist. reperio tenuisse Andream Vesalium, cui viro ob raram eruditionem, singularem diligen-

Tact⁹ mediũ est caro, neruus est organum. *De fabrica sensorii tact⁹.* *Galenus.* *Auicennas.* *S. Tho.* *Autor ex Andrea Vesalio, p*

Arist. de organo tactus. ligentiā in dissectione fabricæ corporis humani multum autoritatis deferos videndus est lib.1.de fabrica corp.huma.c.2.& apertiùs cap. 5. eiusdem lib.1.sic habet, tactus toto corpore æqualiter fusus est, vt omnes ictus, omnésq; nimios frigoris & caloris apulsus sentire posimus. Dixerâtq; paulò suprà, singula sensus organa neruo indigere molli: neruo quidem, quòd ille sit animalis spiritus, facultatisq; vehiculū: molli autem, quoniam affici & disponi quodam modo oportet ab extrorsum incidente sensibili: & lib.4.cap.1. neruos ab ipso pēdere cerebro, nisi velimus proprijs & fidelissimis oculis fidem derogare: inficiari ergo nemo potest, neruorum principium cerebrum esse, & vix ambigere licet, à cerebro an à corde animalis spiritus in membra ducatur & influat: & lib.6.cap.17. eandē sententiam confirmat, quam necessium est assequamur, non quia Arist. tantùm, sed quia hic præstantissimus vir tanquam oculatus testis eam sine dubio affirmat. Cætera tamen non sunt à me in præsentiarum inuita adducenda, sed à medicis & anatomicis vt proprijs magistris petenda: caro ergo non est organum sed medium, quæ ideo neruo coniungitur, vt ad deferendas species vehiculum sit, in quo præparentur & depurentur. An autem neruus omni carne exutus sentire quidpiā valeat? in sequenti cap. propriam sedem habet. *Caietan.* Visum est Caietano, quòd sicut diaphanum non solùm est medium in aëre, sed etiam organum in visu, ita in tactu caro organū sit & medium, vt exterior caro medij, interior verò organi vices referat: hanc dicit consonam esse opinionem & mediam inter extremas, tamen meliùs est à nobis facta conciliatio & exactior adducta resolutio cùm Vesalio. His ergo paucis perfunctoriè & quasi per trāsennam de medio & organo dictis: quod reliquum est & magis nostra interest, quæstionē de vnitate & distinctione tactus absoluamus. *De vnitate tactus.* Quæ quæstio ob multiplicem autorum opinionem atq; Arist. ambiguitatē videtur mihi connumeranda inter eas, quas desperatas appellant: tamen (nisi meus me fallit animus) non minùs breuiter ac dilucidè quàm præcedens absoluetur, quin potiùs eam ad sua vsq; principia, Deo dante, resoluemus: & quoniā in literæ Arist. enarratione argumenta ea proposita sunt, quæ dubiam faciunt quæstionem, ab eorum repetitione supersedebo.

qua punctus & totius quæ.

pendet, hæc est: quoniam tactus [illegible] cōtrarietates primæ, quę ad vnam reuocari nequeūt: ergo nō potest esse vnus tactus duarum contrarietatum per se irreducibilium ad vnam priorem: quo vnico fundamento plures, quàm oporteret, diuersæ nituntur opiniones, quæ à nobis non tumultuariè & promiscuè, sed cum ratione & methodo, qua comprehendi queant, sunt enumerandæ: secus nouam huic rei perplexitatem adderem & obscuritatem inducerē. *Plures opiniones, quòd tactus non sit vnus sēsus, sed multiplex.* Omnes enim conueniunt in adducto fundamento, quòd plurium contrarietatum tactus vnus sensus nōn possit esse: similiter existimant omnes, Aristotelem pro se patronum habere, qui fortasse non dixit propriam sententiam, sed sui temporis famosiorem sequutus. *1. opinio S. Tho.* Prima opinio S. Tho. cui astipulatur Egidius, tenet tactum subiecto & organo vnum esse, dispositione autem & subiecto formali multiplex & distinctus: sicut gustus in linguæ neruo vno eodémq; est cum tactu quoad vnitatem subiecti & genericam, quoad rationem autem formalem & vnitatem specificam plures sunt sensus. Tamē sententia Arist. expréssa est in contrarium, qui infrà tex. 128. quasi propriam sententiam dicens, quinq; duntaxat enumerat sensus exteriores, visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum: quod ab illo tex. per vniuersum caput illud. 13. latè probat. *2. opinio Niphi.* Secunda opinio Aug. Niphi, qui in suis disputationibus duas species tactus ponit, non tantùm formaliter distinctas, vt S. Tho. sed realiter etiam subiecto & organo: cui sententię multa alia etiam obstât, quatenus si essent diuersi nerui, iam non esset vnus tactus, neque omnia tangibilia per eundem sensum & per eandem partem tangeremus, sed calidū & frigidum hoc sensu atq; hac parte, humidum & siccum illo sensu & illa alia parte, quod negat ratio & experientia vetat: quandoquidem nulla parte aut sensu tactus sentimus calidum & frigidum, quin eadem humidum & siccum percipiamus: & ipsa anatomes & dissectio ad oculum ostendit, non esse plures hos neruos ponendos, aut vnus per alterum sentiret, aut vtriusq; esset penetratio, aut alter otiosus & superuacaneus: commentum merum est hæc sententia. Tertia opinio Auerrois addit tertium

tactum

3. opinio Commentatoris. tactum ad tertiam cõtrarietatem grauis & leuis percipiendam: quod quàm falsum sit, nemo est, qui non videat, præsertim cùm graue & leue differentias dicat substantiales, in quo falsus nimirum est, cùm sint accidentia iuxta omnium communem sententiam. Quid? quod si substantiæ essent, nullo modo possent à tactu sentiri, cũ substantia non sit sensibile per se, sed per accidens tantùm, vt suprà cap. 6. Quarta opinio Alberti quartum ponit tactum perceptiuum quidem doloris & solutionis continui, vt verberum & similium: quod tamẽ inane est, cùm solutio continui ad cõtrarietates calidi & frigidi, humidi & sicci reducatur: neq; solutio continui propriè habet contrarietatem, nisi quatenus vnionem & temperiem partium soluit. Quinta opinio Auicẽnæ. 6. natural. cap. de tactu, quintum addit tactum pro delectatione coitus, quẽ dicit in capite virgæ residere: cùm tamẽ illa etiam sensio ad cõtrarietatem calidi & frigidi, humidi & sicci reducatur: ex aliarum enim primarum contrarietatum mistura descendit. Sexta opinio Pauli Veneti plausibilis multùm videtur superficie tenus philosophantibus, quæ non tãtùm sextum sensum addit ad delectationem aut dolorẽ sitis & famis (hunc tactũ in stomacho ponit) sed innumeri sensus tactus ad eius exisumationem sequentur: censet enim quasdam esse dispositiones vniuersales, quæ in toto corpore reperiuntur, vt calidi & frigidi, humidi & sicci, &c. alias verò particulares, quæ in cæteris corporis partibus sunt, vt dispositio stomachi ad delectationẽ alimentorum, capitis virgæ ad voluptatẽ venereorũ, & ita de alijs: sed hoc est sine numero et ratione tactus multiplicare, quod non tantùm mihi nõ videtur plausibile, sed potiùs absonum & ridiculũ, & à doctrinali methodo semper explodẽdum, quòd ita sine causa & necessitate res vanè & temerè multiplicentur. Septima opinio apparens, quòd vnus est tactus & vnius est contrarietatis primę, scilicet calidi & frigidi, quia cęteræ ad illam reducuntur: quoniam illa est contrarietas actiuarum qualitatum: contrarietas autem humidi & sicci passiuarũ est, passiuum verò in actiuum reducitur: ponit simile de proprijs passionib⁹, in quibus est ordo & vna prima passio, vnde reliquæ oriuntur. Sed opinio ista fallacissima est: tũ, quia fundamentum de reductione qualitatum passiuarum ad actiuas, est contra Philosophiam, vt Arist. 1. lib. de gene. à cap. 7. ad. 9. docet, vbi nos latè de his qualitatibus disseruimus & ostendimus, quòd non ea ratione vocentur passiuæ, quòd actiuæ non sint, nec quòd ad calidum aut frigidum reducantur: rursum quoniam si ita esset, facilẽ fuisset Aristoteli vnum tactum asserere, quia vna est contrarietas: cẽsuit ergo eas inuicẽ irreducibiles: tum etiam, nam exẽplum de proprijs passionibus non conducit ad rem præsentem & negotium istud physicum, cùm sit nimis metaphysicũ: maximè, quòd physicè censuit Arist. loco citato de generat. has contrarietates irreducibiles ad vnam primam, & ita in præsenti cap. approbat. Postremò Granatensis hoc loco disputatione. t. cùm prima cõclusione asseruisset, vnum esse tactum, in secunda sequenti conclusione statim contrarium dicit & repugnans, nempe illum vnum tactũ multiplicem esse, & ex multiplicitate obiecti diuersas sortiri rationes: quæ fuit opinio Philoponi & S. Tho. & nõ est noua sententia, vt ipse putat, præterquam quòd cõtradictionem inuoluit: nam si potẽtia, quæcũq; sit, vna est, & nihil aliud est quàm aptitudo & ordo ad obiectum, vnde specificatur & distinguitur (vt suprà cap. 4.) fit, vt tactus non possit esse vnus subiecto & organo atq; potentia, vbi obiectum multiplicẽ habet rationem: nam sicut vnitas subiecti vnitatem potentiæ facit, ita obiecti distinctio potentiæ distinctionem necessariò induceret: quandoquidem obiectum & potentia in vnitate & distinctione sibi inuicẽ mutua proportione respondent. Nostra ergo sententia est, quòd vnus est sensus tactus subiecto & obiecto, secũdùm vnitatem nõ tantùm genericam, sed specialissimã & atomam: quoniam sic ratione demonstrabitur iuxta resolutionem Arist. qui tex. t 28. determinat & resoluit quinq; esse sensus: quia hìc ambiguè locutus fuerat secundùm famosam sui temporis & currentem sententiam: & iuxta resolutionem dictam in cap. illo. 13. præsens cap. hoc. 11. interpretandum est. Quocirca in primis aduertẽdum, ex doctrina posita suprà cap. 6. sensus distinguendos esse ex sensibilibus proprijs, nõ autem ex cõmunibus: communia enim nunquàm sentiuntur nisi per aliquod proprium sensibile, quatenus in ipsis proprijs sensibilibus communia modificantur, ideo à pro-

Marginal notes: *4. opinio Alberti.* — *5. Auicẽnæ.* — *6. Pauli.* — *7. metaphysicantium.* — *Grana. reprehẽsio.* — *Autoris sententia, quòd vn⁹ est tactus simpliciter.* — *Sensus à proprijs sensibilibus non à cõmunibus specificatur.*

à proprijs & non à communibus ſpecificatur. Verum eſt, quòd aliquando diſtinctiùs percipitur commune quàm proprium, vt in pruritu coitus ſentitur motus, & muſicæ motus ſentitur diſtinctè, proprio ſenſibili confusè & indiſtinctè percepto: & in moribus ita contingit, vt modus magis grauis ſit quàm res ipſa, vt in artificialibus ingenium ſolet ſuperare opus, & in cibarijs plurisquandoq; fit ſallamentum, quàm cibus ipſe. Mox accipiamus, quòd in vnoquoq; genere ſunt aliqua prima contraria, niſi ꝙ in ſubſtantia, ſicut ipſa ſimpliciter eſt eius per ſe & non in alio et primum genus, ita prima contrarietas ſubſtantiæ eſt ſimpliciter prima, vt aſſerit Ariſt. 1. Phyſi. cap. 6. et probat. 10. Met. tex. 15. prima contrarietas eſt habitus et priuatio, non quæcunq;, ſed perfecta, id eſt, in ſubſtantia: nam in qualitatibus prima contrarietas poſitiua eſt: Ratio huius eſt, quóniam accidentia non ſunt entia, ſed entis entia: ſi igitur eſſe illorũ ordinem habet et analogiam ad eſſe ſubſtantiæ, contrarietas quoq; accidentium ad cõtrarietatem ſubſtantię reuocabitur. Idcirco locum non habet, quod quidam cupiunt, vt iſtæ duæ iam poſitæ cõtrarietates tactus reuocentur ad vnam primam, quæ ſit habitus et priuatio: nam illa propriè non eſt niſi in genere ſubſtantiæ, quæ eſt principiũ ipſius et cęterorum prędicamentorum. 12. Met. à tex. 26. ad. 28. ibi S. Tho. lect. 4. Tũ tertiò, omnis ſenſus atq; cuiuſuis potentiæ vnitas vnius eſt generis ſubiecti, quod obiectum appellamus non tantùm ſecundùm eſſe logicum et prædicabile, ſed etiam ſecundùm eſſe phyſicum et reale ipſius potentiæ: itaq; diſtinctio ſcientiarum, potentiarum et ſenſuum ex diſtinctione prouenit obiectorum, vt. 3. de anima tex. 38. ſciẽtia atq; ſenſus ſecantur quemadmodum & res, id eſt, ſciẽtia ſpeciem ſortitur à proprio obiecto ſcibili, ſenſus verò ſecundùm ſenſibile ſpecificantur, id eſt, non ſecundùm diuerſas rationes formales rerum in ratione rei, ſed ſecundùm diuerſas rationes ſenſibiles in ratione ſenſibilis: ideo color, qui ſpecies multiplicat, purè intentionaliter per lumen viſum ſpecificat, ſicut ſonus auditum, & ita de alijs ſenſibus, qui quomodo à ſuis ſenſibilibus ſpecificentur, iam nunc dicemus ad calcem huius diſputationis. Interim quartò ſuppone, quòd quilibet ſenſuum & quæuis alia potentia trifariàm conſideratur, Primo modo, vt refertur ad res ipſas in eſſe rei, ſicut viſus ad colores, quo modo obiectum ſecundùm eſſe rei conſideratum, eſt vnum vnitate generis phyſici & pertinet ad rei quidditatem, quæ eſt in primo modo dicendi per ſe, & ita potentia definitur per obiectum. 1. par. quæſt. 77. artic. 3. egregiè tractat Caiet. quo modo etſi potentia ſit vna vnitate formali ſui obiecti, tamen actus & operationes potentiæ poſſunt ſpecificè diſtingui ex materiali differentia obiectorum & ſecundùm diuerſas formas, vt viſio albi & viſio nigri, quæ in ratione formali obiecti ſpecie conueniunt, ratione tamen materiali nihil prohibet, quòd ſpecie diſcrepent: nam conueniunt ſpecie in ordine ad viſum, vt potentia eſt, differũt autem ſpecie in ordine ad materiale obiectũ. Secundo modo potentia conſideratur ſecundùm quòd refertur ad rationem formalem ſui obiecti non in genere rei, ſed in genere ſenſibilis, quo modo viſus refertur ad colores non iam in genere rei, vt ſit vnum genus entis, ſed ad colores in genere ſenſibilis: quo pacto non genus aliquod aut ſpecies ſubalterna, ſed ſpecies infima, atoma & ſpecialiſsima eſt: quia vno modo ſpecialiſsimo tractat de coloribus, à quibus ſecũdùm vnam rationem & conſiderationem immutatur, vt paulò poſt declarabimus: quoniã ſicut plura, quę in genere rei differunt vna ratione ſpecifica, ad vnam eandémq; ſcientiam pertinent, ita plures colores, qui ſecundùm ſuam naturam ſpecificè differunt, vno ſpecialiſsimo modo ad viſum cõtrahuntur, atq; adeò omnes colores vt viſibiles, eiuſdẽ ſunt ſpeciei, & actus etiam videndi quoſcunq; colores eiuſdem ſunt ſpeciei, ita vt viſio albi & viſio nigri tãtùm materialiter, vt indiuidua eiuſdem ſpeciei, differunt: & hoc modo prædicationes ponuntur in ſecundo modo aut tertio dicendi perſe, et color eſt viſibilis, viſibilitas enim quaſi paſsio eſt coloris naturam conſequens: vnde ſpecies colorũ & conſtitutiuæ differentiæ ipſorũ in genere rei, non ſunt atomę & indiuiſibiles formaliter, ſicut ſunt in genere ſenſibilis: nam viſibilitas albo & nigro eadem ratione conuenit. Tertio modo potentia conſideratur ſecundùm formã, à qua naſcitur & procedit, cuius naturam ſapit & induit: & ſic dicimus, quòd viſio aquilæ differt ſpecie à viſu, de quo ſuprà ad finem c. 4. diſſeruimus. His tribus modis

Sẽſibilior ſolet eſſe modus quã res.

Prima cõtrarietas, quæ eſt habit⁹ & priuatio ſimpliciter in genere ſubſtantiæ.

Vnitas potẽtiæ prouenit ex vnitate formali obiecti. 1. Poſt. cap. 23. tex. 43.

Potentia trifariè ſumitur, primò ad obiectum in eſſe rei materialiter.

Secũdò in eſſe obiecti formaliter.

Tertiò habitudine ad ſubiectũ, cuius eſt.

modis quiuis sensuum atq; quæuis potentia considerari potest, primo modo ad obiectum, vt res est: secundo modo ad obiectum secundùm rationem formalē: tertio modo ad formam, à qua oritur atq; nascitur. Hæc eadem doctrina, exemplis dubitaxat mutatis, præsenti negotio de tactu est accommodanda: nō enim agimus de tactu iuxta tertium modum ipsius potentiæ, sed tota controuersia est de potentia primo & secundo modo: atq; adhuc primus modus est reijciēdus, cùm tota disputatio sit de sensu tactus, vt sensus est: non igitur debemus agere de sensu ipso tactus, secundùm q refertur ad qualitates tāgibiles in esse rei. Sic enim posset esse vera prima opinio S. Thomæ, quæ fuit Philoponi, vt sensus tactus sit vnus vnitate subiectiua & generica, multiplex verò vnitate specifica secundùm plures contrarietates atq; plures rationes formales, id est, tactus sunt plures formaliter (vt explicat Caietanus) hoc est, nō est vnica species tactus formaliter perceptiua omnium tangibilium, quoniā vniuocè non est vna prima contrarietas: sed hoc suprà impugnatum etiam est, & nihil habet ardui aut difficilis. Superest igitur, vt quæstionis momentum in secundo sensu sit, an sicut visus, vt refertur non ad colores vt res, sed vt visibiles, vnus est vnitate speciei specialissimæ (quia colores, vt visibile cōstituunt, vnum esse atomum atque specialissimum participant) sic tactus, non qua calidum, frigidum, humidum atque siccum percipit, vt res sunt, sed qua percipit, vt tangibiles sunt, vnius est speciei specialissimæ, atque tangibile vt tangibile, habet specialissimi rationem. Ratio autem dubitandi iam pluries proposita est, quia cōtrarietas calidi atque frigidi, & contrarietas humidi atque sicci sunt primæ contrarietates, & quæ (vt ex secunda hypothesi habemus) positiua est, & quæ in genere qualitatis non habet priorem, nisi reuoces ad contrarietatem habitus atque priuationis, & sic transibis de genere qualitatis in genus substantiæ, in quo genere illa contrarietas priuatiua primò sedem habere videtur. In hoc igitur sensu intellecta nostra conclusio (quòd tactus est vnus vnitate specialissima, atque tangibile vt tangibile, est vnius speciei specialissimæ) rationem continet, atque vera est sententia, quę quanuis cuiuis vel mediocriter erudito ex

Quæstionis sensus.

Sanctus Tho. cum Philopono relinquitur.

Caietanus etiā fallitur ad idē alludens.

Quæstionis nodus & sensus.

Tactus probatur vnus vnitate specifica.

dictis sit iam satis perspicua atq; manifesta, sequentibus tamen declaratur. Primò, quia secus vera non esset communis omnium consentio atq; assertio, scilicet, quòd quinq; sint sensus exteriores: quod tam diligenter Arist. probat cap. 13. à tex. 128. si ergo reliqui sensus exteriores sunt species specialissimæ, cur igitur idem de tactu non proferemus? deinde vnū est organū tactus, ergo vnus erit sensus tactus: antecedens ex dictis initio huius quęstionis patuit. Secundò, vna est ratio, ad quam duæ illę contrarietates calidi & frigidi, humidi & sicci reuocentur: ergo tactus est vnus sensus: consequentia nota est, sed à probatione antecedentis Philosophia & vniuersi autores hac in parte pendent: sed ego sic probo, primò, quoniam etsi illud, in quo istæ contrarietates conueniunt, nomine careat atq; nobis sit immanifestum (quia est eminentius & in altiori gradu & ordine, nempe spirituali) nō est statim animo despondendum, vt quasi impossibile iudicemus, illis duabus contrarietatibus nihil esse commune specificum: præsertim cū tam familiare habeamus exēplum in albo & nigro, quæ sunt contraria, species tamen ipsorum in medio simul sunt in quocunq; pūcto absq; vlla prorsus contrarietate: & sic per omnem sensum latè patet, quòd ipsorum sensibilium intētiones, eo quòd prioris sint & eleuatioris naturæ, nullam habeant oppositionem, nimirum, quoniam quę sunt dispersa in inferioribus, sunt vnita in superioribus: quid igitur obstat, quominus duæ illæ qualitatū primarū primæ contrarietates, quæ in genere rei & physico, vt qualitates sunt naturales, ad aliquam priorem non sunt reducibiles, in genere tamen superiori, vt sensibiles & tangibiles sunt, vnam habeant rationem, in qua vniuocè conueniant? Quare secundùm hunc philosophandi modum qualitates illæ tangibiles vno modo specifico atque vna vniuoca ratione in genere sensibilis mouent atque immutant sensum tactus, sicut tam varij atque distincti colores visum vno modo immutāt: pertenuis quidem est illa consideratio, quæ omnes perterret, q illæ contrarietates sint primæ, quæ non habeant priorem, in qua conueniant, cùm in sensibus oporteat sensibile considerari, & secūdùm esse sensibilis, & vt potentia ipsa refertur ad suum obiectum primo & secūdo modo, id est, in genere rei atq; in genere

Contrarietas quatuor qualitatū primarū ad vnā primā reducitur.

Obserua.

ſenſibilis: cùm diſtinctio potentiarum ex diſtinctione formali obiectorum proueniat, fit, vt cùm ratio formalis vna ſit in genere ſenſibilis, vt tangibile eſt, quòd tactus vnus ſit ſenſus, atq; adeò qu[illegible] lę contrarietates, quæ in genere naturali ſunt irreducibiles, in genere ſenſibilis reducentur ad vnum ſpecificum. Certum enim eſt, quòd in coitus voluptate eſt ſenſio tactus, & tamen neque eſt formaliter calidi, neque humidi, neque frigidi, neque ſicci, neque mollis, neque duri, ſed alicuius communioris, quod ſentitur: ergo ſi in genere rei reperimus ſenſum, qui formaliter non eſt aliquis iſtorum, cùm tamen ſit adeò craſſus & materialis, profectò nemo mirari debet, ſi in genere ſenſibilis aliquid altius ibi concurrat, quanuis illud nec cognoſcamus, nec nominare valeamus? (cælo & elementis, quę pluſquam genere phyſico differunt tanquam corruptibile & incorruptibile, diaphanum eſt cōmune vniuocum, per quod fiat viſio) ſic igitur in ꝑpoſito accidet qualitatibus eiuſdem ordinis atque generis: illud autem innominatum, quicquid ſit, ſignificatur per hoc aggregatum, tangibilis qualitas, & cum ipſo conuertitur, tanquam vnum ſpecificum in genere ſenſibilis. Et ſi quæras, quæ ſit iſta ratio vniuoca ſenſibilis, quam per omnes ſenſus ſpargis, & ſecundùm quam quinque ſenſus ſpecificantur? Reſpondetur, huius dubij ſolutione totam quæſtionem perfici atque abſolui, ita vt, meo iudicio, nihil omnino ad eius complemētum deſiderari queat. Duplex enim eſt immutatio, vna naturalis, altera ſpiritualis: immutatio naturalis ea eſt, quando forma immutantis ſecundùm ſe vel ſibi ſimilem recipitur in paſſo, quod mutatur ſecundùm eſſe naturale, vt calefactio in calefacto: & ſecundùm hanc naturalem immutationem ſenſus non diſtinguuntur in præſenti, quando eos conſideramus, nō vt referuntur ad ſuum obiectum ſecūdùm eſſe naturale, ſed eos diſquirimus, vt referuntur ad obiectum ſecūdùm eſſe ſenſibile & ſpirituale. Spiritualis autem actio ſeu immutatio eſt, quando forma immutantis recipitur in eo, quod immutatur ſecundùm eſſe ſpirituale, vt ſimilitudo coloris in pupilla, quæ per hoc nō manet colorata: ſimilitudo ſoni & harmoniæ in auditu, qui per hoc nō ſonat nec mouetur. Quare ratio ſenſibilis conſiſtit in hoc, quod eſt motiuū ſenſus ſine materia, ſicut ratio ſenſus in hoc, quod eſt ſuſceptiuus ſine materia, & ſecundùm quod diuerſimodè ſe habet ad mouere aut moueri ſine materia: ſic diuerſa eſt ſenſibiliū & ſenſuum ratio. Modò vlteriùs progrediamur: cùm ſenſus immutatio non ſit naturalis, neque illa ſufficiat ad ſentiendum (vt tex. 121. 124. dicemus, & lib. 3. tex. 37. & 38. alioquin plantæ, cùm frigeſcunt & caleſcunt, ſentirent) erit ergo ſpiritualis, atque adeò immutatio ſpiritualis eſt ſenſui, inquantum ſenſus eſt, eſſentialis, ſine qua non contingit eſſe ſenſum, & per quam non res ipſa ſenſibilis, ſed intentio ſenſibilis in ſenſu recipitur: lapis enim non eſt in anima, ſed forma lapidis dixit Ariſtot. 3. de anima tex. 38. Ex his igitur ſufficienter enumerantur quinq; ſenſus exteriores ſecundùm numerum immutationis ſpiritualis hac ratiocinatione: Immutatio aut eſt purè ſpiritualis, aut non, ſecundùm immutationem purè ſpiritualem ſumitur viſus, qui ſolùm intentionaliter multiplicatur per diaphanum ratione luminis ſubitò abſque motu locali & ſine aliqua alteratione reali & naturali, vel ex parte medij, potentiæ aut obiecti (vt ſatis ſuprà cap. 6. enarrauimus) ſi autem non ſit purè ſpiritualis, ſed miſta eſt cum aliqua naturali, tunc vel illa naturalis miſcetur ex parte obiecti tantùm, ſecundùm motum localem eſt ſonus, qui cauſatur ex aëris percuſsione & commotione, quæ eſt generatio ſoni, qui eſt obiectum auditus, vt cap. 8. dictum eſt: ſi verò naturalis immutatio miſceatur duntaxat ex parte eiuſdem obiecti ſecundùm alterationem, & ſic fit odor, qui eſt obiectum olfactus: nam (vt cap. 9. dictum eſt) odor ſpiratur ſecundùm fumalem quandam euaporationem: quòd ſi naturalis illa immutatio miſceatur cum ſpiritali ex parte organi, vt contingit in guſtu & tactu, tunc vel immutatio illa naturalis fit à qualitate, quæ primò & per ſe ſibi propriè obijcitur, & ſic immutatur organum tactus: tamen organum guſtus nō per ſe à qualitate propria vt ſapor, ſed ab illa, quę præambula eſt, quia cum humectatione ipſius guſt⁹: ideo lingua ꝑpriè nō dicitur dulcis aut amara, ſed humida vel ſicca. Quare iſti duo ſenſus guſtus & tact⁹ magis materiales ſunt, quoniam ex parte organi naturali immutatione immutātur: at tactus adhuc ipſo guſtu materialior eſt, quia immu-

Attende.

Enumeratio elegās rationum quib⁹ ſenſus à ſenſibilibus propriis mouētur.

De hac naturali & ſpirituali immutatione i nitio capitis ſequentis tex. 121.

Propria differētia inter ſenſum guſtus et tactus.

immutatio naturalis in gustu non fit à proprio obiecto, sed à præambulo vt humido; immutatio autem naturalis in tactu fit ex parte proprij & per se obiecti: quoniam tactus calet, friget, humectatur & siccatur: tamen sensio tactus secundùm hãc naturalem immutationem nõ absoluitur nec completur, nisi in spiritali immutatione, quam diximus esse essentialem sensui vt sensus est, & sine qua non contingit esse sensum: quod Arist. cap. sequenti tex. 121. dicit sub alijs verbis, propriũ est omni sensui rerum formas sine materia suscipere. Quamobrem patet ad dubitationem, quæ sit cuiusq; sensus propria immutationis ratio. Deinde verò plana est totius quæstionis solutio: nam sensus tactus sumitur secũdùm intentionalem immutationem sensibilis, quod est tangibile, quam immutationem spiritualem antecedit immutatio quędam naturalis ex parte organi in proprio & per se obiecto: & secundùm hanc naturalem immutationem non sumitur vnitas tactus (quoniam hæc ad sensibilem est præuia & præambula) sed secũdùm aliam, quæ est spiritalis, & ex hac sumenda est vnitas specifica tactus & tangibilis: quia licet secundùm eandem qualitatem fiat immutatio naturalis & spiritualis in tactu, tamen non à naturali, sed à spirituali iudicium de vnitate & distinctione tactus sumendum est: sicut in sensu cõmuni omnia sensibilia, cuiuscunq; sint contrarietatis, tanquam in superiori ratione adunantur, vt infrà docebimus. Sed interim rogabis, cur Aristot. in hac parte dubiè procedat? probabile autẽ non est, tantum Philosophum latuisse modum hunc dicendi adeò facilem & plausibilem, scilicet, quòd licet tactus neq; logicè, neq; physicè, neq; metaphysicè sit vnius contrarietatis, sit tamen vnius cõtrarietatis & obiecti formalis, nõ in esse naturali, sed in esse spiritali & formali? Respõdebo, primò, Aristotelem dubitando de tactu procedere: quoniã tactus sensuum omnium primus est, vnde naturali immutationi propinquissimus: quapropter minus habet de vnitate, & plus de diuisione, quàm cæteri sensus, atq; adeò eius vnitas magis est dubitabilis & probabilior multitudo, quàm in cęteris sensibus: tamen nõ ob id Arist. plures tactus ponit, siquidem postea in sensuũ enumeratione cap. 13. dubitationem huius cap. resoluens, absolutè asserit atq; demonstrat, neq; plures esse sẽsus exteriores, neq; pauciores quàm quinq;, vbi vnitas tactus demonstratur, sicut vnitas aliorum sensuũ. Et hoc est, quod in hoc loco dicere videtur Caiet. qui licet cũ S. Tho. & Philopono plures tactus ponere videatur, postea à veritate compulsus testatur, ꝙ non quęcunq; differentia obiecti cõstituit obiectum sensus, sed illa, quæ adęquatè subintrat differẽtiam atomam sensibilis, est quę cõstituit visibile, audibile, &c. & ita de tangibili consequẽter dicendum. Vnde post pauca colligit, ꝙ de multitudine tactus veritas nõ planè apparet, & ꝙ si Arist. plures asseruit tactus, non definiebat vt certũ, sed problema non omnino improbabile & irrationabile vltrò citróq; disputabat: quod ipse apertè tex. 108. dicit, *Non esse manifestum*, nõ autem inquit, non esse verũ: vnde licet Caiet. hac in parte dubius fuerit, Arist. tamen, mea sententia, quanuis à principio incipiat dubitare, tandem resolutè tenet, tactum vnum esse propter vnam obiecti formalem rationem: nã sicut ipse docet, aër, qui re vnus est, formaliter tamẽ plures est, vt medium ad visum, alia ratione ad auditum, & diuersa habitudine & conditione ad olfactum refertur, & medium est ad plures sensus: ita quoque ediuerso de tactu fatendum est, vt idem tactus, qui plures est re in esse naturali, vnus sit ratione in esse spirituali & formali: similiter eadem caro numero in lingua medium est ad gustandum & tangendum, sub diuersa tamen ratione formali. Quare licet in hoc cap. videatur dubiè loquutus, ipsum tamen de hac re dubitasse, mihi non est probabile: neque erat, cur ita distinctè assereret, qui suprà cap. 4. à tex. 33. generale documentum ad distinguendas potentias ex sola ratione formali proposuerat: & inferiùs cap. 13. apertè pronuntiat, tactum vnum esse & vnitatem habere, sicut alij sensus habent: & tex. 124. expressiùs affirmat cùm rationem reddit, ob quã plantæ non sentiant, nimirum quia naturaliter à contrarietatibus calidi & frigidi immutantur: ergo tactus ab his contrarietatibus non afficitur realiter, sed intentionaliter & spiritualiter. Ad eruẽdam igitur sentẽtiam Arist. eiúsq; mentẽ percallendã, nõ debemus aspicere aliquem vnum locũ superficie tenus consideratũ, sed diligenter cõtextura loci, & totius doctrinę filus atq; scopus inspiciendus: quare cùm non pos-

Obserua.

Quæstionis resolutio expendenda.

Si ab immutatione naturali sẽsus tactus sumeretur, sanè plantæ sentirẽt, infrà tex. 124.

Obiectionis solutio docet, cur Aristot. de vnitate tactus dubiè fuerit locutus.

Caiet.

sit tactuum multitudo cum vniuersa doctrina Arist. stare, signum est, non tantùm probabilem, sed veram & peripateticam esse nostram sententiam de vnitate specifica tactus.

SVMMA CAPITIS.

Soluit de vnitate tactus & tangibilis vnã quæstionem, alterámq; de medio cum alijs duabus incidentibus quæstionibus de necessitate medij extrinseci, & de differentia sentiendi inter tactum & alios sensus, & tãdem quatuor adiungit conclusiones.

Quoniam de tactu eadem ratio est, quæ de tangibili eius obiecto, quia sese quoad vnitatem & diuersitatem consequuntur. ¶ Dubitatio est,
1. quæst. *quomodo tactus vnus esse possit, cùm tangibilium contrarietates plures sint & primæ, quæ ad priores, vel aliquid vnum (vt aliorum sensuum contrarietates reducuntur) sunt irreducibiles? ¶ Similiter dubitationem habet, si caro*
2. quæst. *tactus medium sit: nam cùm statim fiat sensio, organum esse videtur? ¶ Caro medium est,*
2. quæstionis solutio. *per quam fit sensio tactus, nec est signum, quòd sit organum, quia statim fit sensio, sed quòd est caro nobis connaturalis: nam si aër & aqua fieret nobis connaturalis, visus & auditus non essent vnus sensus. At oportet, carnem corpus esse firmum ex terra compactum, & animali coniunctum, vt tangendi intraneum mediũ sit. ¶ Hinc patet, plures tactus per idem carnis me-*
1. quæstionis solutio. *dium sentire posse: sicut gustus & tactus plures sensus sunt in eadem carne linguæ, sic tactus in vniuerso corpore plures est vno existenti medio carnis. ¶ Vnde cùm impossibile sit, duo corpora*
1. quæstionis incidentis solutio. *immediatè se tangere, quin humidum aut humectatum corpus interueniat, vt in aqua ad sensum est manifestum, licet in aëre ob eius subtilitatem sensu non percipiatur, semper tamen cum carne, quæ medium est intraneum, aliud extraneum medium comitatur. ¶ Quare non sequitur, quòd*
2. quæstionis incidẽtis solutio. *omnes sensus similiter sentiant, cùm in gustu & tactu medium extraneum quasi per accidens cõcurrat, in visu, auditu & olfactu per se & necessariò oportet prius medium immutatum sensum commouere. ¶ Indubitabile est, carnem non*
1. conclu. *esse sensorium tactus, sed medium. ¶ Tactus ta-*
2. conclu. *lis est in potentia, quales tangibiles qualitates in actu. ¶ Sensorium tactus medium est tempera-*
3. conclu. *tum inter omnia tangibilia, ob id solum sentit tãgibilium exuperantias, atque ab extremis denu-*
4. conclu. *datur, vt possit esse ipsorum iudex. ¶ Sicut omnis alius sensus sui proprii obiecti perceptiuus est etiã oppositi & priuatiui, sic tactus tangibilis est & intangibilis.*

CAPVT DVODECIMVM
De sensuum communibus documentis.

DE sensuum igitur vnoquoq; dictũ sit hoc modo, quasi figura. Hoc autem vniuersaliter accipere de omni sensu oportet, sensum, inquam, id esse, quod sensibiles sine materia formas suscipere potest perinde, atq; anuli signum sine ferro, vel auro suscipit cera. Suscipit autem æneum, vel aureum signum, sed non vt æs, aut aurũ, neq; signum, vt est aureum, æneúmve. Simili patitur & sensus vniuscuiusq; sensibilis modo ab eo, quod habet colorem, aut sonum, aut saporẽ: sed non vt vnũquodq; illorũ dicitur, sed vt est tale, & ratione. Tex. 121

Ratio, cur methodus nõ sit per turbata,

Descriptis quinq; sensibus exterioribus, enarratisq; eorum proprijs sensibilib⁹ atq; eorum rationibus singulatim expositis, nũc quædam capita generalia & omnibus sensibus communia extremo loco proponit Arist. quòd ex sensuum speciali doctrina apertiùs colligãtur, & quæ à principio tradi nullatenus possent, neq; cõmodè intelligi, nisi peculiaris cuiusq; sensûs cognitio antecessisset. Vnum documentũ ex parte obiecti sumitur in præsẽti textu, quatenus ipsũ sensibile in sensu recipiatur, scilicet, cuiq; sensuũ innatũ esse, vt recipiat formas sensibiles sine materia, hoc est, quòd patiatur à sensibili vt tale est, nẽpe immutatione spirituali: quia non immutatur ab ipso materialiter, ita vt calescat, frigescat, albescátve & sic de alijs, sed quòd recipiat. sine materia, quoniam non res ipsas materialiter recipit, sed rerũ formas & rationes immateriales

les & intentionales, quas species seu rationes atque sensibilium similitudines & imagines appellare consueuimus. Hanc differentiam inter immutationem naturalem & spiritualem exposuimus ad finem capitis praecedentis, & in hoc tex. confirmat Arist. exemplo anuli, qui cerae formam imprimit, non autem ferrum aut aes: sic enim sensus species sensibilium sine materia recipit: tum, ex parte obiecti sensibilis, quod vt sic, non agit actione reali & naturali (ita vt materiae & naturae reru sensus ipsos ingrediantur) sed secundùm formam sensibilitatis, solae, nudae & purae rationes sensibilium ingrediuntur, vt sensum ipsum pulsent: tum etiam, ex parte sensus, quia suscepto sensibili vt tale est, non alterantur, cùm non recipiant sensibile ipsum in propria natura & cum proprijs affectionibus, vt habet esse extrà in re: rursus etenim ex parte modi recipiendi, qui intentionalis est & spiritualis: quod saepe diximus per omnem sensum: talis enim est sensus in potentia, quale sensibile in actu, & actus actiuorum in patiente sunt disposito.

Differētia inter immutationē naturalē & spiritualem.

Quòd si obijcias, omne agens agit per formam & non per materiam: igitur imprimere formam sine materia non erit proprium sensibiliū, & suscipere non erit propriū ipsorum sensuum? Respōdetur, quòd licet omne agens formam communicet, tamen differenti modo: quoniam agentia naturalia formam communicant veram atq; realem eiusdem naturae, vt calidum calorē imprimit ligno, quo calidū est & appellatur, & ita in caeteris: sensibile autem vt coloratum, formam dat non veram, sed potiùs rationem, & similitudinem formae: ideo visus eam recipiens non habet candē appellationem vt coloratus appelletur, nisi secūdùm quid quodamodo: ergo sensibile sensum assimilat secundùm formam & nō secundùm dispositionem materiae: quare in sensum non potest penetrare materia, sed forma tantùm, id est, forma immaterialiter & spiritualiter recipitur. Et si instes, proprium est intellectus intelligere sine materia, ergo non debet sensibus accommodari? Respondetur, quòd vniuersaliter intelligere, abstrahendo omnino à conditionibus materiae, conuenit intellectui non sensui: at verò sine materia recipere formam, intentionaliter & spiritualiter (vt iā satis est expositum) cōuenit sensui, atq; in vniuersum

Obiectionis solutione declaratur differētia agētis naturalis et sensibilis.

Sēsus & intellectus diuersimodè abstrahūt à materia.

potentiae cognitiuae quatenus cognitiua est, id est, vt distinguitur ab agente naturali & physico. Hinc est, quòd lapis non est in anima, sed species lapidis lib. 3. de Anima tex. 38. quod testimonium de sensu & intellectu intelligitur, quia tex. 37. dixerat, animam secundùm sensum & secundùm intellectum esse omnia quodammodo, & quòd sensibile supra sensum nō faciat sensationem, vt pluries dictum est in superioribus & infrà tex. 124. quoniam oportet speciem in medio depurari & spiritualem reddi, vt possit recipi in sensu, ideo purior est species in sensu quàm in medio, & in medio quàm in obiecto: sed de his quęre locis citatis. Ne fallaris attende, quòd dictio illa, sine materia, determinat conditionē specierum, vt sit sensus, quòd sensus est susceptiuus specierum, quae sunt sine materia, id est, immaterialium, quia non sunt adeò materiales species in potentia, ac sunt in obiecto.

Instrumentum autem id sensus est primum, in quo est talis vis, atque potentia collata, atque sunt idem: ratio verò non est eadem, sed diuersa. Nam id, quod sentit, aliqua est magnitudo, non tamen ratio sensitiui: neque sensus est magnitudo, sed est quaedam ratio, potentiaque illius. Tex. 122

Alterum commune documentum est, quòd sensorium locus est & receptaculum sensus, in quo sensus, velut actus in potentia & forma in materia, est: porro sensus vis est & facultas ipsius sensorij, tametsi ratione differant, subiecto idem sunt: probat, quia id sensorium, quod sentit, aliquod corpus est & magnitudo, sed sensus ipse non est corpus, sed illius corporis forma. Vnde ni fallor crediderim, species sensibiles prius natura in organo esse quàm in anima & sensu, quia prius natura habitudinem habent ad organum quàm ad animam, sicut prius natura sunt in medio, quàm in organo: Ratio est, quia species priꝰ natura habent esse habituale quàm actuale,

Ordo recipiendi speciem.

 & sicut

& ficut priùs eſt in medio quàm in organo, ita priùs eſt habitualiter in organo quàm actualiter in anima: prætereà quia ſpeciē actualiter eſſe in anima dicit actionem vitalem, quæ non eſt ſine aduertentia animæ: ſpeciem autem eſſe habitualiter in organo non dicit actionem vitalem, vt patet, cùm eſt in medio aut ſpeculo: ergo etſi anima ſit primum ſentiens actualiter, organum eſt primum recipiens habitualiter: actio enim vitalis, quæ eſt ſentire, præſupponit paſsionem, quæ eſt ſpeciem recipi (vt infrà tex. 127.) ſenſibile enim eſt mouens non motum, organum verò non mouens motum, ſenſus tamen mouens & motum: ergo informatio organi præintelligitur ad motionem animæ: de quo plura circa tex. 139. & 140. vbi hæc abſoluuntur.

Tex. 123 Patet autem ex his, & cur ſenſibilium exuperationes, ſenſuum inſtrumenta corrumpunt. Nam ſi motus ſit vehementior, inſtrumentiq; ſenſus ſuperet vires, diſſoluitur ratio: id autem erat ſenſus: diſſoluiturq; perinde, atque concentus intentione, cùm vehementer fides pulſantur.

Infert tertium quoddam documentum commune omni ſenſui ex parte actionis & immutationis, ſcilicet, quòd excellentia ſenſibilium deſtruatur: quoniam ſenſus & ſenſibilis actus eſt vnus, igitur vtriuſque vna eſt proportio: vehementior ergo ſenſibilis pulſatio potentiam ipſam diſturbabit, ſicut perturbata percuſsio chordarum concentum muſicæ diſſoluit: vidimus enim excæcatos fuiſſe homines directo & repentino Solis intuitu: exuperantia nāq; ſenſibilium tollit harmoniam & proportionem inter paſsiuam potentiam ſenſus & actum ipſius ſenſibilis: hîc tamen rationem reddit, cur excellens ſenſibile corrūpat organum, infrà tex. 143. cur corrumpat ſenſum, vbi habes huius rei reſolutionem.

Tex. 124 Patet prætereà & quam ob cauſam non ſentiunt plantæ, tametſi partem aliquā habent animæ, atque ab ipſis tangibilibus patiuntur: frigeſcūt enim, & caleſiunt, vt patet. Nam huius cauſa eſt, mediocritatem nō habere, neque principium tale, vt ſenſibilium ſine materia ſuſcipiant formas, ſed cum materia patiantur.

Ex textu proximo, quòd ſenſus conſiſtant in quadam mediocritate, infert plātas non ſentire, quoniam non habent huiuſmodi mediocritatem & proportionem, vt pati poſsint à ſenſibilibus ſecundùm eſſe ſpirituale, ſed recipiunt rerum formas cum materia ſecundùm eſſe naturale, quod habent in agente, ita vt caleſcant, colorentur, &c. Quòd ſi vrgeas, rationem huius inquirendo, vnde eſt quòd plantæ non ſuſcipiunt rerum formas ſine materia ſicut ſenſus? Vbi quorundam ſolutio non placet, ſcilicet quòd plantæ non recipiunt ſine materia, quia non habent organa, neruos, carnem, neque aliquid proportionabile his: qua enim ratione id dicitur, contemnitur, ſiquidem gratis abſq; vlla probatione & ratione aſſeritur, & eſt petitio principij manifeſta. Vnica eſt Ariſtot. reſolutio, quæ primam huius rei originem attingit, nempe ſuſcipere ſpecies ſine materia: quibus verbis vult immaterialitatem rationem eſſe cognoſcendi: ideo quo aliquid eſt immaterialius, magis eſt cognitiuum, vt homo brutum, Angelus hominem, Deus cuncta cognitione antecedit ſecundùm gradum & ordinem immaterialitatis: ergo ſuſcipere ſpecies ſine materia indicat immaterialitatem ſuſcipientis. Atque adeò ex hoc principio habemus, quòd ſenſus ſint cognitiui, & non plantæ: quoniam ſenſus & vniuerſaliter omne cognitiuum habet formam ſui & alterius, in quo differunt à plantis & omni genere vegetabili, cæteriſque rebus inanimatis, quæ non habent niſi ſolam & præciſam ſui formam naturalem, qua limitantur & coarctantur: cognoſcētia verò maiorem habent amplitudinem & ſupra ſe ex- *Immaterialitas cognitionis eſt ratio.*

se extenduntur, extra se per quasdam quasi excursiones exeunt, quia non coarctantur ad esse naturale & materiale. Rectè igitur Arist. infert, ex hoc quòd sensus recipiunt species sine materia, quòd plantæ, quæ solùm materialiter & naturaliter ob suam materialitatem recipiunt, non sint cognitiuæ, neque habeant nisi formas sibi inhęrentes aut informantes. Vnde alius modus est recipiendi formam immutatione naturali, vt in plantis: alius, quo recipitur in cognoscente immutatione spirituali & intentionali, iuxta illud Aristot. 3. de anima tex. 37. &. 38. *Anima quodammodo est omnia:* & per oppositum inanimata & vegetabilia tantùm sunt ipsa intra se, extrà verò nihil (de hac duplici immutatione ad finem cap. præcedentis) Vnica igitur resolutio sit, quòd ratio cognitiua consistat in hoc quod est esse aliud & aliud recipere sine matèria, hoc autem ex ratione immaterialitatis pendet: plantæ autem his omnibus carent, quia & cum materia recipiunt formas: ideo tantùm sunt ipsa, quatenus propria forma limitantur secundùm coarctationem propriæ materialitatis, quã ob causam non extenduntur, vt fiant alia: plura de his lib.3.cap.1.&.3.

Tex.125 Dubitabit autem quispiam, si possit id ab odore pati, quod olfacere nequit: aut id à colore, quod haud quoq; videri potest, & in cæteris simili modo. Quòd si odorabile sit odor, si quid in odoratum agit, odor profectò agit. Quare fieri nequit, vt ab odore quicquam patiatur eorũ, quæ olfacere nequeunt: eadem est & in cæteris ratio. Nec etiã fieri potest, vt à sensibilibus quicquam patiatur eorum, quæ sentire possunt, nisi vt quodq; est sensitiuum.

Tex.126 Id ita esse, patere potest & hoc etiam pacto. Nam neque lumen & tenebræ, neque sonus, neque odor in corpora quicquam agit: sed ea nimirum, in quibus sunt ipsa. Aër enim, qui est cum tonitruo, scindit lignum. At enim tangibilia, saporesq; agunt: si enim non agerent, à quonam inanimata paterentur, atq; alterarentur?

Dubitationem vltrò citróque agitatam præsentibus textibus mouet, scilicet, an non habens sensum patiatur à sensibili? Et primò videtur impossibile: quia vnumquodq; patitur à sensibili, inquantum sensitiuum est illius: ergo si color est per se visibilis & sonus per se audibilis & sic de alijs sensibilibus, igitur nihil patimur à colore nisi habens visum, neque à sono nisi habens auditum, & sic de alijs sensibilibus in ordine ad suos proprios sensus: nam odor seu odorabile quomodo aget nisi in odoratum, qui proportionatus sensus est? ergo à sensibilibus nihil patitur nisi sensitiuum, nisi cùm per accidens alia actio misceatur, vt in tonitruo, quod scindit lignum, non ratione soni, sed ratione commotionis aëris. Ibi verò, *At enim tangibilia, &c.* arguit ad partem affirmatiuam, quòd odores, sapores & tangibilia faciunt alterationes in corporibus non habentibus sensum: ergo sensibile non agit tantùm in sensitiuum: antecedens experientia notum est: aliàs quomodo odores & sapores miscerentur? & de tangibilibus certissimum est, quòd non tantùm agãt in tactum, cùm etiam plurima alterent, quæ sensu prædita non sunt.

Quid igitur? agúntne & sensibilia illa? At, vt videtur, non omne corpus ab odore pati, sonoq; potest: & ea, quæ patiuntur, terminis vacant, & non manent, vt aër: olet enim ipse, tanquam aliquid passus. Quid aliud est olfacere quidē, præter idipsum, aliquid, inquam, pati? At enim Tex.127

olfacere quidem sentire est. Aër autem passus, citò sensibilis fit.

Esse receptiuū specierū sine materia non semper & ne cessariò cōpetit cognitiuo.

Soluit prædictam dubitationem atque rationes diluit: quæ magis erunt perspicua, si perpendamus, quò rendat aut quorsum proposita sit hæc dubitatio? Ad quod dico necessariam fuisse: quia dixerat sensus esse cognitiuos, quoniam recipiunt formas sine materia: sed pari modo aër & aqua recipiunt species sine materia, quia sunt media, quæ deferunt species, in quibus continentur perinde ac in speculis, & tamen nec in medio neq; in speculis est facultas cognoscendi. Ob hanc causam & ad assignandam hanc differentiam adducta est præcedentis tex. dubitatio: quia licet illa recipiant species sine materia, non tamen sensibiliter, sed solus sensus: ita S. Thom. breuibus expedit se à solutione dubij, quòd odorare, inquit, sit pati ab odore: aër non sic patitur ab ipso vt odorem sentiat, cùm potētia sentiendi careat, sed sic patitur vt fit sensibilis. Vera est solutio, sed vt à magistro asserta, quæ explicatione indiget: ideo vt Arist. literam exponamus, specialiùs est declaranda. Primò, dicit Arist. ibi, *Non omne corpus ab odore pati, sonoq; potest, &c.* quòd licet omne corpus corruptibile sub cælo à tangibili patiatur qualitate, color tamen, sonus & odor non agunt nisi in corpora determinata, nempe in illa, quæ benè passibilia sunt atq; terminis vacant, id est, quæ non manent aut stant, sed sunt fluxibilia vt aër & aqua. Secundò, cùm dicit Arist. *Olet enim aër, tanquam aliquid passus*, vult quandoq; realiter & miscibiliter (vt de odore & sono patet) quandoq; intētionaliter (vt de colore notum est) sensibile in aëre recipi: semper tamen in medio recipi ipsa sensibilia intentionaliter & spiritualiter, quia vt in medio, quod ad cognoscendum confert. Tertiò ex his ad rationem dubitandi patet, quòd sensibilia agant in corpora suas intentiones, quia licet nō habeant sensum, media sunt sensitiuę operationis: inde ergo incipiunt species præparari per medias illas depurationes, vt ad vitales operationes conducere valeant. Ex quo alia ratio soluitur, scilicet, quòd odor & sonus nō agant indeterminatè in quæcunq; corpora, quoniam determinata habent passiua, nempe aërem & aquam, vt media sunt ordinata ad sentiendum, id est, quorum passio ordinatur ad operationem sensuum: ideo aër olet tāquam aliquid passus, vt dicit Arist. Quibus habitis, rationem primam exactè diluit illis verbis, *Quid aliud est olfacere quidem, præter idipsum, aliquid, inquā, pati?* id est, cùm arguebas, vnumquodq; patitur à sensibili, inquantum habet sensationē. Respōdebo, falsum assumi, quia pati à sensibili, vt, verbi gratia, pati ab odore, latiùs patet quàm olfacere: quoniam licet omne olfaciens patiatur ab odore, non tamen omne patiens ab odore olfacit seu olfacere potest, vt patet in aëre & aqua, quæ cùm sonum & odorem patiuntur, per ipsam passionem non olfaciunt, sicut non habent olfactum neq; auditum. Rectè igitur S. Tho. quòd aër & aqua per illam passionem efficiuntur sensibilia, non tamen sentiunt: quia licet sentire sit quoddam pati & in pari cōsistat, non præcisè & absolutè in qualicūq; pati, sed vt est vitaliter immutari, vt suprà cùm de sensu agente egimus & inferiùs lib. 3. cap. 1. Quamobrem etsi aër à sono & odore patiatur naturaliter siue materialiter & adhuc intentionaliter, non tamē sensibiliter, id est, vitaliter nō immutatur, quia est inanimatus: vitaliter autem agere est cognoscere, ideo sentire viuere quoddam est: sensibiliter autem immutari ad sentiēdum exigitur, quod est actione viua & immanenti agere: aër autem actione inanimata trāseunti agit in ipsum sensum, sensus enim ipse reducitur ad vigiliam ab ipso obiecto. Quocirca duæ priores immutationes tendunt ad inhęrentiam & informationē subiecti: posterior autem illa tertia attenditur per tendentiam cognoscentis in cognitum: ideo hoc recipere dicitur sensibiliter recipere & passio sensus per modum vigiliæ, vbi includitur passio sensibilis sensibiliter, & non in passione medij & organi. Vnde fit, sensibile ad sensum relatiuè dici, quia in medio non est, nisi vt ad sensum refertur & in transitu & via: sensibile, visibile, intelligibile, appetibile non addere supra rem aliquid absolutum, habes lib. 3. tex. 54. & infrà tex. 142. Distulimus in hunc locum quæstionem, quæ de necessitate medij est, vt expenderemus, quatenus & qua de causa sensibile supra sensum sensationem non faciat, quæ (ex altera nāq; dubitatione de natura specierum pendet, si diuisibiles sint & omnino immateriales, an aliquo modo extensę & diuisibiles? & hæc adhuc aliam supponit,

Breuis & obscura S.Tho. et Arist. respōsio ab Autore resoluitur.

Quæ passio sensu sit sentire.

Autor cum S.Tho. tripliciter sēsibile agere.

Ratio tractandi quæstionem.

supponit, an scilicet species sint ponendæ?) meritò ad hunc locum reseruata est. Has duas postremas fusè hîc tractat Granatensis more iurisperitorum, autores varios potiùs citando, quàm aliquid certum definiẽdo, non vt Philosophi expositorem decebat, vt in sua resoluat principia: idcirco quo potero breuiùs & dilucidiùs rem hanc aperiam, aut saltem quod sentio dicã: in quarum dubitationum tractatione, ordine retrogrado, à postrema incipiẽdum est, vt ad primã tandem recurrentes (quod ratio methodi exposcit) finem faciamus & huic capiti colophonem addamus.

Granat.

QVAESTIO

An species sensibiles sint necessariò ponendæ?

Quæstio de existẽtia specierũ sensibilium.

Iam ergo primam vt absoluamus, expeditiùs de speciebus sensibilibus duntaxat intelligetur, nam de intelligibilibus. 3. lib. de Anima accommodatiùs sermo habebitur. Durandus in. 2. d. 3. q. 6. de omnibus negat vniuersaliter in sensu & intellectũ quocunq;, siue humano, siue angelico: tota eius ratio est, quia species ponuntur, vt sint ratio cognoscendi: ergo necessariò obiectiuè erunt in sensu, vt repræsentent sensui obiectum, alioquin incognitũ duceret in cognitionem alterius: sed species nõ sentiuntur, ergo non sunt, aut non poterunt duce re in cognitionem obiectorum. Gabriel. 2. d. 3. q. 2. per quinq; conclusiones sequitur Ochan. 2. q. 17. 18. & negat species: quoniã pluralitas non est asserẽda sine necessitate, ad quam nulla ducit ratio vel cogit experientia. Sed delirium videtur potiùs quàm opinio, cùm præter sensibile experimentum, à nobis stet Arist. pluribus in locis, suprà tex. 74. *Visio nanq; fit, patiente aliquid sensitiuo*, & tex. 67. idem docet de medio dũ dicit, *Color autem omnis motiuus est eius, quod est perspicuum actu*: & per omnem sensum asseruit sensibile actu esse, sensum autem in potentia: & tex. 115. *Medio*, inquit, *in nos aliquid agente*, & tex. 121. *Sensum, inquam, id esse, quod sensibiles sine materia formas suscipere potest*: quod illustrat exemplo ceræ sigillum sine ære suscipientis: & tex. 127. dicit, *Aer enim passus, cito sensibilis est*: &. 3. de Anima tex. 6. de intelligibilibus dicit, *Formarum locum animam esse*, & tex. 38. *Non enim ipse lapis in anima, sed forma lapidis inest*, & tex. 37. *Animam ipsam ea vniuersa quodammodo esse, quæ sunt*, quod intelligitur etiam de sensibilibus, vt ibidem explicat: & tex. 31. *Aer quidem pupillam talẽ efficit*, quod intelligitur de sensibilib⁹: tamẽ. 3. lib. de Anima tex. 67. expresśisimè & ex professo contra Platonem, & cap. 1. de memoria & reminiscentia versus finem, quærens, quomodo meminisse contingat eius, quod non est præsens? Respondetur, quòd ad simulacrum non vt res, sed vt imago rei, est reminiscentia, Primò terminatur, quoniam illud rei monumentum vellicat mẽtem & lacessit nos, vt rei simulacrum contemplemur, & lib. de insomnijs cap. 2. quæ omnia sine speciebus exponi nequeunt per fictitias quasdãm actiones, quas isti confortatiuas aut debilitatiuas appellitant: sunt enim istæ naturales, sensibilium autem specierum actiones sunt spirituales, quas intentionales appellabamus. Rursum illæ actiones non repræsentant res, nisi interiorum potentiarũ adminiculo & maximè ipsius intellectus præsidio atque adeò cum discursu: imagines autem atq; species istę statim sine discursu, quatenus per ipsas cognitum est in cognoscente per actionem ipsius sensibilis, quæ (vt Arist. ad finem huius cap. docet) sensibiliter fit, id est, non realiter sed intentionaliter. Adhæc, si ita velimus mordicùs species reijcere, totam ipsam Perspectiuã fundìtus exterminaremus, quæ has species sup ponere videtur directas aut refractas à medio aut ad mediũ. Etenim saluare non possumus experientiam de denario, qui ad certam distantiam non videtur, & tamen si ponatur in scutella aquæ, statim videtur propter refractionem specierum, quia in occursu medij rarioris refrangitur à perpendiculari (vt docent perspectiui) vnde crescit basis pyramidis ipsius denarij, qua ratione baculus apparet fract⁹ in aqua. Omitto plura alia, quæ in speculis, tum planis, tum concauis aut conuexis, aut in columnaribus, rotundis aut angularibus, in quibus mira est specierum refractio & varia est luminis reflexio: insuper vna petitio Perspectiuæ est, lucem operari aliquid impresśiuè in ipsum oculum: altera verò quòd color similiter imprimat aliquid, quia sicut lumen irradiat: igitur aut color nunquam attingeret oculum vt visionem efficeret, neq; ipsum sibi asśimilaret & quale ipsum

Durãdus Ochan, Gabriel, species negant.

Species po nit Arist.

Notabiles specierum experientia.

est visibile faceret, aut species & intētiones ipsi' fatearis est necesse: nō ergo superuaneæ sunt species, sine quib' nec obiectū potētiam assequeretur, nec potētia obiecto assimilaretur, nec cognitum esset in cognoscente. Valeat ergo illa ratio Ochan de superfluitate specierum, quam alūnus eius Gabriel tāu fecit: nam iam hæc nostra sententia communi omnium consensu recepta est. Facilior est Durādi ratio: quoniam species non se repræsentant obiectiuè, sed sua obiecta, quorum sunt rationes & similitudines: potiùs ergo rationem habēt & principium sunt cognoscendi, quàm vt cognoscantur. Quamobrem scitè atq; sapienter species nominantur, quia sunt veluti species ipsæ à materia abstractæ, & cognoscēdi principia, non autem rationes cognitæ. Præterea & immateriales, quia à materia naturali denudātur respectu sensus exterioris, respectu interioris etiam abstrahunt & depurantur à præsentia rei in phantasia autē abstractiores sunt, quia eleuantur ad res nondum aliquo sensu sensatas, vt est species inimicitiæ ouis respectu lupi: tandem species intelligibiles in vltimo sunt abstractionis gradu, quia non tantùm his tribus modis, sed etiam ab omnibus indiuiduantibus conditionibus exuuntur, vt vniuersales sint. Ob id nō immeritò asseruit Arist. plantas non sentire, quia rudes & materiales & minimè expolitas suscipiunt rerum formas: animalia verò cognoscere atq; sentire, quia species rerum sine materia suscipiunt quæ est tota ratio immutationis spiritualis & cognoscēdi principium. Alioqui sensus nullam exerceret functionem, nec fieri posset vnum cum sensibili, quod extrà est: siquidem non recipit sensibile secūdùm suam naturam (sic enim non penetrat neq; ingreditur ipsum sensum) oportet ergo vt recipiatur sensibile secundùm suam speciem & similitudinem: alterum ergo fatearis est necesse, aut omnem cognoscendi modum è medio tollere (qui non potest fieri per formam susceptam in esse naturali) aut species affirmare: nam cùm omnibus in confesso fuerit, cognitionem fieri per assimilationem & vnionem cogniti & cognoscentis, quæ cùm non fiat per vnionem obiecti secundùm esse reale & naturale, necessum est fieri per vnionem secūdùm esse intentionale & spirituale ipsarum imaginum aut specierum: secus sensibilia non reciperentur in sensu sine materia, nec sensum spiritualiter afficerent & sibi similē redderent, vt fieret cognitio: aut cognitio contra communem omnium philosophātium sententiā fieret sine vlla obiecti vnione atq; adeò absq; vlla prorsus assimilatione, quæ vel sola ratio potentissimè concludit, & species esse, & necessarias esse has obiectorum similitudines, sine quibus etiā non contingeret rationem reddere earum, quæ in somno & vigilia experimur. Quòd si quis adeò tenax ingenij sit, vt hæc omnia nihili faciat, legat D. Aug. tom. 3, lib. 11. de Trinit. cap. 2. vbi sic ait, sed ratione colligimus, nequaquam nos potuisse sentire, nisi fieret in sensu nostro aliqua similitudo cōspecti corporis. Vlteriùsq; probat pulchra analogia de anulo ad ceram, cui figurā imprimit, & ad corpus aliquod liquidum vt aquam, in qua separatus anulus figurā non relinquit: sic inquit, oculus non est dijudicandus, vt non habeat rei imaginem: quia eo quòd videtur à præsentia detracto, imago non remanet. Quòd si adhuc pertinaciter species neges, subdit S. Aug. ad difficilioribus ingenijs & rudioribus hominibus haud facilè persuaderi posse: sic & ego non disputo nisi cum hominibus docili ingenio præditis, qui ad doctrinam istam autoritatibus & rationibus inducti facillimè adducuntur, quos oratos velim, vt si eam simpliciter vt veram nō receperint, saltem vt probabilem & Philosophiæ admodum consentaneam admittant, vt apud Astrologos est recepta sententia de eccentricis & epicyclis ad saluandas astrorum apparentias, cælorum motus, quę non potuit ab homine conficta esse, sed aliqua reuelatione aut antiqua traditione habetur: sic de speciebus facies, optionem tibi do, dummodo, quantùm attinet ad futuram disputationē vt certiùs & expeditiùs procedamus, eas supponas, quas ratio naturalis & experientia demonstrat.

Soluuntur argumenta Ochā. *Dilutio rationis Durādi.* *Quadruplex speciei immaterialitas.* *Immaterialitas radix cognitionis.* *Autoris ratio.* *S. Aug.* *Autoris modestia.*

QVAESTIO

An species sensibiles sint indiuisibiles?

Iam nulla sunt argumenta, quæ te lector optime circa specierum existentiam perturbare possunt: idcirco de conditione specierū & natura ipsarū meritò disputādum est, vt

Transitio ad alterā quęstionē præcedēti connexā.

est, vt intelligamus quænam sit ipsarum conditio, diuisibiles sint, an indiuisibiles? Qua de re non est vna neq; constans omnium sententia: nec miror, quoniam res est abstrusa nimis, valdéq; difficilis, adeò vt libentiùs alios audirem, quàm meam sententiam dicerem. Prima enim sententia est multorum, quam Granatensis hic amplecti videtur, species sensibiles (de his enim sermo præsens est: nam de intelligibilium specierum indiuisibilitate nemo, quod sciam, dubitat) diuisibiles esse: maximè, quia de re sunt materiali & per medium materiale corporeum transeunt, atq; in organo materiali quoque & corporeo recipiuntur: est enim in vniuersum verum, ipsum accidens ad modum ipsius recipientis recipi, eiúsq; côditionem subire: quare species in subiectis & organis corporeis receptæ, non poterunt non esse quantę, corporeę atq; diuisibiles. Quo argumento tex. 122. probat Arist. sensum corpoream esse potentiam, quia in organo, quod magnitudo est, recipitur: &. 3. Meteor. docet, in speculis paruis colorē nō tamē figurā apparere, quia figuram extensam ob speculorum paruitatem non capiunt: ita docet loco citato c. 4. non longè ab initio. Adhæc, quoniam species indiuisibiles esse, nulla ratio permittit, quia non sunt indiuisibiles & incorporeæ sicut angelici spiritus, quando materia & corpore omnino non vacate certū sit: neq; indiuisibiles sicut punctus, quoniam quantitatem habēt: ergo cùm nullus sit alius indiuisibilitatis modus, sequitur, species esse diuisibiles. Ad hanc alludit Scotus in. 4. d. 45. q. 3. Greg. Nisenus de viribus animæ cap. 2. D. Aug. tom. 3. lib. 12. super Genes. cap. 16. Secunda opinio in altero extremo tenet, species esse indiuisibiles saltem in homine: quoniam non habet homo nisi vnicā animam, quæ est intellectiua, & ipsa est indiuisibilis: quare ad modum ipsius animæ rationalis sensibiles species indiuisibiliter recipientur: quam insinuat Greg. Arimin. 2. sent. d. 16. &. 17. q. 3. art. 2. Præterea absolutè debemus asserere, species indiuisibiles esse: præsertim cùm Perspectiui absolutè supponant, in quolibet puncto medij pyramidem terminari & totam rem videri: quod est argumentum, species indiuisibiles esse. Tertia opinio, quam quidam Neothericus sequitur, media est inter duas assertas, nempe, quòd sunt species per se quidem indiuiduæ, cùm habeāt esse spiritualē: tamen ex accidenti diuidūtur ratione sensorij, in quo sunt & recipiūtur: quia sensorium secundùm se totum & omnes suas partes afficitur, & eas recipit. Confirmat, quia species contrariorum non sunt contrariæ, cùm sint in eodem species albi & nigri, & non faciant vnum: & similiter duo accidentia solo numero differētia nō possunt esse in eodem, quin faciant vnum, vt 5. Meta. tex. t 5. vbi S. Tho. lect. 10. quod de accidentibus materialibus verum est: quare cùm duæ species solo numero differentes sint in eadem parte subiecti & non faciant vnum, consequens esse videtur, vt sint indiuisibiles & immateriales. Subtilis est ista quæstio, cuius resolutio desideratur: quam quidem faciliùs & dilucidiùs pręstabimus, si paucioribus & distinctioribus eam tractauerimus: nam ambiguè & perplexè satis Granaten. præsenti loco versati nec videtur mihi, reliquos autores dudum citatos huius rei veritatem assequutos fuisse, sed hallucinari in re alioqui certa: vtinā nobis contingat veritatis scopum collimare & attingere. In primis magnū habet operæpretium considerare, vnde hęc acerrima controuersia sedanda sit: nam nisi certo aliquo principio vsi fuerimus tanquam filo, labyrinthum istum vehementer impeditū & inextricabilem ingredi, vt egrediamur, non puto possibile. Principium huius certissimum veluti digito superiùs commonstraui, dum supra cap. 2. animarum omnium indiuisibilitatem ostendi, vt latè habes ibi: qua enim animarum indiuisibilitate supposita & in memoriam reuocata, plenéq; intellecta, non est cur in præsenti nimium immoremur, aut plus iusto laboremus: res enim illo assumpto principio cōstantissima & certissima erit: & quod amplius est, ita, Deo fauente, nostram sententiam dicemus, vt tres opiniones adductas conciliemus. Vnaquæq; enim illarum ex parte veritatem dixit, sed non plenè eam tenuit atq; comprehendit: quoniam ignorarunt, immaterialitatem & indiuisibilitatem specierum, quæcunq; illa sit, ex immaterialitate & indiuisibilitate animarū prouenire, & inuicem species & animas in conditione naturæ proportionari: dicebamus enim illic animas indiuisibiles, ita vt rationalis indiuisibilis sit positiuè, quia incorporea est & spiritus: aliæ verò omnes indiuisibiles

1. opinio species diuisibiles. *1. ratio.* *2.* *3.* *Scotus.* *2. opinio q species sunt indiuisibiles.* *1. ratio.* *2.* *3. opinio.* *1. ratio.* *Cōfirmatio.* *Autoris mens: species esse in diuisibiles ex animarum indiuisibilitate, suprà cap. 2.* *Conclusio autoris componit præhabitas opiniones.*

uisibiles negatiuè, hoc est, quòd non habēt ad corporis organici partes eandem habitudinem, quam habent ad totum susceptibile: quoniam totum indiuisibiliter respiciunt vt vnum, ita vt in parte corporis organici deficienter sint, vt in colobon, id est, defectiuo & trunco: sic quoq; proportionabiliter dicimus, species sensibiles indiuisibiles esse, non quidem positiuè: quia materiales sunt & extensæ atq; corporeæ, sicut ipsa anima sensitiua & organum, in quo recipiuntur: sunt tamen indiuisibiles negatiuè, id est, quòd ita totum respiciunt ea habitudine, vt partes non respiciant, & ita si diuidantur (vt fieri potest, eo quòd materiales & corporeæ sunt) vnū totum & perfectum non manet: partes enim ipsius sensibilis in tota specie vt totum vnum quoddam repræsentantur, in quo indiuisibiliter se habent: forma enim inanimatorum eandem habitudinem habet ad totum & partes: quia lapis & ignis, & sic de alijs, ita habent esse ignis aut lapidis in parte, sicut in toto: animalia verò in toto sunt quidem integrè, totaliter, perfectè atq; adeò indiuisibiliter, quia in parte diminutè & truncatè sunt. Sic pari ratione species istæ immaterialiter & indiuisibiliter se habēt ad totum sensibile, cuius sunt rationes, ad partes verò ipsius imperfectè & truncatè: quod est signum, non habere eandem habitudinem ad totum & partem, sicut albedo habet & cætera accidentia materialia: non enim minùs saluatur ratio albedinis in parte quàm in toto, quod est signum, ipsam esse diuisibilem: & per oppositam rationem argumētum est indiuisibilitatis specierū, quòd non saluentur in parte, sicut in toto, atque adeò quòd ipsum sensitiuum & sensibile indiuisibiliter respiciunt: quòd si immateriales appellantur species, non est intelligendum, quòd spirituales sint & incorporeę, sed immateriales, quatenus ab esse & materia naturali denudātur: quo modo spirituales appellamus, id est, abstractas secundùm illud esse intētionale. Vnde habent primò, quòd species contrariorum non habeant contrarietatem: deinde quòd species solo numero differentes possint esse in eodem subiecto, ex eo quòd non habent esse fixum in subiecto, sed potiùs pendens ab agente & obiecto: quod Granatensis & Peresius diligentiùs debuissent attēdere: hac enim ratione duo lumina in eodem medio non se vniunt, licet habeāt esse materiale & reale: quia potius respiciunt agens, à quo pēdent in esse & fieri, quàm subiectū, in quo sunt, & à cuius potentia educuntur. Rem ergo propositam paucissimis absoluam, & vt quæstioni huic nunquam satis excussæ lucem inferam, distinctionem vnicam proponam, qua à tenebris eruatur: quam si aduertisset Caietanus hîc super cap. 11. vbi agit de specierum vnitate, non finxisset cōmentum, scilicet, quòd inquantum res, cedunt in vnitatem & identitatem numeralem: inquantum intentiones, habitudinibus ad diuersa distinguūtur: siquidem eadem illa species albi, quæ est in speculo, re idem est & species & qualitas. Fallitur etiā cùm docet, duorum alborum species se habere in medio, sicut se habet calidum intensum & remissum: profectò istæ species innatam habent dependentiam ab obiectis, quorum sunt imagines, sicut lumen à Sole semper est pendens: sed ad distinctionem redeo. Indiuisibile trifariàm sumitur, Primo modo, vt opponitur corpori, & sic spiritus dicitur indiuisibilis. Secundo modo indiuisibile sumitur, vt opponitur quātitati, & sic pūctus dicitur indiuisibilis. Tertio modo totum dicitur indiuisibile, vt habet rationem perfecti & totius, quo modo opponitur partibus diuisis: hoc autem tertio modo animæ omnes superiùs vocabantur indiuisibiles, quatenus habitudine, qua ad totū referuntur, non referuntur ad partes, vt suprà satis expositum est: sic ergo species spiritales & immateriales appellamus & indiuisibiles tertio modo, quoniam totum suum obiectum ita integrè & perfectè repræsentant, vt ad partes non nisi inadęquatè & diminutè referātur: quo differt quæcunq; species ab accidenti materiali, quoniam albedo & quodcunq; aliud accidēs materiale appellatum, ita bene, integrè & perfectè est in parte, sicut in toto: species autem sic est ratio totius obiecti, ꝙ illa ratio nec reperitur in parte neque potest. Quare perperam Nicolaus Tigno. hîc circa tex. 121. dicit, species istas esse indiuisibiles & non habere partem extra partem, & indiuisibiliter recipi, & vnam partē esse, vbi est alia. Hoc in primis est cōtra id, quod videmus in speculo: deinde contra Arist. tex. 122. quòd sensus non est magnitudo, sed magnitudinis actus, ideo corporeus: sic ergo de speciebus istis, siquidem sunt in cor-

Species solo numero differētes in eodē subiecto quare.

Caietan' reijcitur.

Indiuisibile tripliciter.

Tignosius malè ponit species sensibiles indiuisibiles, id est, incorporeas.

corpore receptæ: non enim recipiuntur in nobis species sensibiles, vt intelligibiles in sola anima rationali & solo intellectu (qui 3. lib. tex. 6. dicitur locus specierum) sed recipiuntur in organo & sensorio, quod corporeum est ex corpore & anima constans: tamen indiuisibiles dicuntur modo iam prædicto, sicut brutorum & plătarum animæ. Idcirco non obstante hac, quam ponimus, indiuisibilitate, species diuisibiles sũt & extensæ: habẽt tamen indiuisibilitatem ex perfectione totius obiecti, quod vt vnũ perfectè & integrè respiciunt immaterialiter & indiuisibiliter, vt indiuisibilis animæ indiuisibile sit instrumentum: habent enim species istæ sensibiles extensionem, quia in corpore recipiũtur: & sicut anima actus est totius corporis organici, &c. & nõ dicitur actus partis alicuius, quia partem non respicit vt adæquatum susceptibile, sic species non est ratio partis adęquatè, sed toti⁹ sensibilis ratio est, species & imago. Vnde quanuis species istæ diuisibiles sint & ratione sui extensæ & ratione subiecti, in quo recipiuntur, tamen ratione sensibilis, à quo vno & indiuisibili modo per modũ totius egrediũtur, & in animam indiuisibilem indiuisibiliter sese insinuant, indiuisibiles appellantur: & sicut animatum diuisum, truncum manet & mutilum. 5. Met. tex. 32. ita species diuisæ, mutilæ, truncatæq; manent, vt colobon non ineptè in eis sicut in animatis reperiatur: quo modo impartibiles & indiuisibiles sunt. Et si suam functionem expendamus, quæ est, vt totum obiectum totaliter repræsentẽt & totius obiecti adęquatæ sint rationes, indiuisibiles sunt, non positiuè primo aut secundo modo, sed negatiuè tertio modo, id est, quia exigũt adęquatam totius rationem, & in obiectum, vt vnum & integrum animal, sese referunt.

Resoluitur, vnde species sensibiles, et quatenus indiuisibiles sint.

Hæc possent vel oscitanti lectori sufficere: sed vt distinctiùs nostram percipiat mentem & veritatem istam percalleat, atq; vt hæc omnia sint magis perspicua, sequentes accipe conclusiones. Prima conclusio, species sensibiles ratione propriæ suę entitatis quãtæ sunt, extensæ, & hoc modo diuisibiles. Hanc probant argumenta primæ opinionis: alioquin species in medio & in sensu non haberet eandem rationem, quam habet imago in speculo, quam, procul omni dubitatione, extensam & diuisibilem oculis ipsis vt fidelissimis testibus cõspicimus: ita quia species eandem habent rationem obiecti, à quo prodeunt, medij & organi, in quibus recipiuntur, animæ etiam, ad quam ordinantur: sed hæc omnia quanta sunt & diuisibilia, ergo & species ipsæ. Secũda cõclusio, species sensibiles ratione sui totius immaterialitatem & spiritualitatem quandam induunt, & indiuisibiles sunt. Ad hoc alludebat Tignosius, licet falsus sit, & Peresius, quanuis repugnantiam inuoluebat, quòd species sint per se indiuiduę, & tamẽ ratione subiecti diuidãtur: amitterẽt enim in subiecto propriam suam rationẽ, & cùm per se sint indiuisibiles secundùm ipsum, quomodo in subiecto diuisibili reciperentur? Tertia conclusio, species sensibilis ratione sui atq; ex subiecto, medio & potentia, in quibus recipitur, fine atq; functione, ad quam ordinatur, quandam indiuisibilitatis rationem participat: Patet, quia anima & species commẽsurari & proportionari debent in modo essendi: & hęc est nostra sententia, satis ex dictis in hac quęstione & alia de animarum indiuisibilitate declarata. Et si quæras, cùm sint species istæ sensibiles simpliciter extensæ & diuisibiles põsitiuè, indiuisibiles autem non nisi secũdùm quid & negatiuè, vt dictum est, vtro modo absolutè sunt appellandæ, diuisibiles, an indiuisibiles? Respõdetur, & sit quarta conclusio, quòd absolutè appellādę sunt indiuisibiles: tum, vt à fine causarum potissima sumatur denominatio: tum etiam, vt differentiam inter hæc immaterialia accidentia & alia materialia legitimè cõstituamus: similiter vt propriam ipsarum specierum sensibilium rationem proponamus, quæ licet sicut cætera accidentia numerari videtur numeratione ipsius subiecti, vt res quædam sunt, tamen vt sunt intẽtiones, distinguuntur habitudinibus ad propria obiecta, quorum sunt repræsentatiuæ. Vnde fit, vt species non agitentur ventis, etiamsi aër commoueatur, nisi per accidens, quatenus ad motionem aëris odorabile & sonabile trãsferuntur: secus enim perinde ac colorum intentiones immobiliter dependenter à proprio obiecto manerent, sicut c. 7. de lumine dicebamus. Tum demũ ex functione etiam specierum, vsu & munere ita dicendũ videtur, quę vitalis est & animę rationẽ sortiri videtur. Ex vniuersa hac quæstione, si eam penetrasti, atq; ex tex. 121. habes, quòd obiectum & species differunt quidem

Quæstionis resolutio per cõclusiones. Prima.

4. cõclu. q species absolutè appellantur indiuisibiles.

quidem specie, non sanè modo suæ naturæ, vt albedo & dulcedo differunt & duæ species disparatę: sic enim species est quodquid est obiecti, forma & ratio ipsius, vnde dicitur assimilari & fieri similis, vt suprà tex. 60. clariùs tex. 62. *At passum eius sit simile, & est tale, quale est illud*: sed specie differunt in modo essendi, sicuti domus in re, & domus in mente artificis, illo modo naturaliter in re existit, hoc autem intentionaliter in anima: vnde plurima, quæ difficillima apparent, facillimè conciliabis.

QVAESTIO
An sensibile supra sensum faciat sensationem?

Ex quibus omnibus tertium, quod supposuimus, solui facilè potest, si sensibile supra sensum immediatè positum, sensionem sui facere possit? Qua de re memini tetigisse ad finem quæstionis de natura luminis suprà cap. 7. necessarium esse mediũ, quod inter sensum & sensibile interueniat: quoniam species immateriales & indiuisibiles immaterialiter & indiuisibiliter recipi debent, & hunc ordinem immaterialitatis & spiritualitatis comparant transitu per medium, in quo depurantur & defæcantur, vt aptæ sint & proportionatæ passioni ipsius sensus, & ita gradatim procedunt, veluti sirupia per infusiones, sic species in medio puriores & spiritaliores redduntur. Quòd si quęras, quomodo sensibile, quâve eius actione depuret has species & intentiones? Respondetur, ex modo agendi naturalium agentium id satis perspicuum esse, quæ semper in sua actione gradatim procedunt, vt semper quod producunt secundùm proportionem maioris distantiæ, remissius fit & debilius: pari ratione sensibile ipsum, verbi gratia, color, qui realiter secũdùm esse naturale in pariete fixus est, spiritualiter diffunditur, & per medium sua intentione penetrat, vt ad sensum vsq; deferatur (hæc est actio sensibilis, quam spiritualem immutationem appellabamus) & sicut ignis proximam sibi partem calefacit & per illam coniunctæ parti calorem inducit, per quam in aliam calorem infundit, & ita deinceps sese remissiùs & debiliùs insinuat, donec vis ipsius agentis deficiat: sic in proposito nostro negotio sensibilia sensus immutant, ita tamen vt gradatim à propinquo in remotum sese diffundant, & species ipsæ paulatim, dum ab obiecto in sensum deriuantur, puriores & minùs materiales atque magis spirituales efficiuntur. Hæc enim est necessitas medij, cuius mediatio & intercessio, ratione iam dicta, valde est necessaria, vt ibidem depuratæ species immaterialiores ad sensum ipsũ accedant, & sensibus ipsis iam commensuratæ & proportionatæ efficiantur. Ex quo patet, quòd non est eadem numero species, quæ in medio & in quauis parte medij est, neq; eadem numero in medio & in sensu: quia species accidens est, ac proinde subiecto inhæret, à quo in aliud subiectum migrare non potest, vt quidam ineptè philosophantur, quòd indiuisibiles sint species, subinde existimant, de potentia subiecti nõ educi: sed hæc à vera Philosophia extranea sunt, quoniam accidẽtis esse est inesse: ideo non secus nobis philosophandum ac de actione reliquorum agentium naturalium. Proportionabiliter enim fit diffusio & multiplicatio, perinde ac in aquæ vertiginibus & circulationibus, quæ fiunt lapillo paulò vehementiùs iniecto: continuò enim fiunt circulationes, demerso etiam in profundum lapillo, & adhuc in orbẽ sese agũt, & vnius orbis vnda aliam excitat & commouet, & quasi parit orbem alterum, donec vis mouentis langueſcat. Sic quoq; fieri species ab obiecto existimandum: nam sensibile in coniunctum medium suam infundit speciem, & per illã in sequentes partes secundùm seriem, deinde tertiã, atq; ita deinceps quoad ipsum sensum attingat, vt fiat cognitio & assimilatio. Præterea sicutę demerso lapillo orbiculationes non cessãt, quoniam adhuc viget vis & impulsus ex pulsatione lapilli: sic absente ipso sensibili & cessante actione exterioris sensũs, reseruatur pulsatio, & motio differtur per sensus ipsos internos, vnde insomnia & reminiscentię sequuntur. Quare non ita accipiẽdum est, obiectum speciem facere in partẽ propinquam, & istam alteram creare, ita vt prioribus desinentibus, posterior se sensui insinuet: quod videtur Albertus dicere. 2. lib. de anima tractatu. 3. falsum enim est priores species desinere: nam tunc posteriores non fierent, quæ dependentiam habent à prioribus, vt cõtinuata sit actio sensibilis, cùm agens nõ possit agere in distãs, quin

Sensibile depurat speciẽ, agẽdo ipsam modo agẽtis naturalis.

Species sensibiles sicut alia accidẽtia multiplicãtur per mediũ, nõ migrãt de subiecto in subiectum, & semper à sensibili pendent. Optimũ simile.

Albertus refellitur.

quin priùs agat in propinquum:& hæc est
necessitas medij,quia species,quę sunt pro
pinquæ obiecto, materiales sunt:quę verò
distantiores,minùs materiales, quare ma-
gis sensui proportionatæ:& hæc est specie-
Necessi- rum per medium spiritalizatio & depura-
medij tio,quæ est vna causa indigentiæ medij:al-
triē- tera est,quia sensus est materialis,ideo non
multi- potest sensibile supra se positum sentire:nā
ex su- si sensus posset iudicare de sensibili supra
prà c. 7. se posito,idem esset acsi esset supra se con-
ad finem uersiuus & reflexiuus: quod omnes negāt,
quæstio- eo quòd virtus corporalis sit:medium igi-
nis de mo tur requiritur,non tantùm vt bene sentiat,
do viden- vt dixit Commentator, sed etiam vt sim-
di. pliciter sentiat.Prima causa ex parte ipsius
Prima actionis,quæ est ęquiuoca,ob id difficilior,
causa. quàm si esset vniuoca:quare trāsitus à ma-
2. teriali ad immateriale sine medio esset im-
possibilis. Secunda causa ex parte speciei,
quæ debet esse spiritalior in organo quàm
in medio: ergo sensibile priùs in medio
quàm in organo debet infundere & præ-
3. parare species. Tertia ex parte organi,
quod quandam habet mediocritatem,quæ
dissolueretur aut impediretur secūdùm im
4. mediationem sensibilis. Quarta ex parte
distantiæ: quia omnis actio requirit debitā
approximationē,ita vt maiori aut minori
distantia,aut omnino nō sequitur actio,aut
5. non bene.Quinta, quòd hoc habeāt sensus
ex quadam natura communi: nā sicut per
aërem , aquam & cælos fit visio communi
participatione diaphanitatis, sic in pro-
posito sensus non sentient, nisi aliquo in-
tercedente medio:quia communem habēt
naturam spiritualitatis & immaterialitatis,
in qua radix & principium cognoscendi
6. consistit.Sexta & postrema,quia virtus sen
sifica est materialis & corporea , & non est
reflexiua supra seipsam. Ex his causis re-
sultat spiritualitas sensibilium (vt suprà in
enarratione cap.5.& in.q.de sensu agente)
quoniam per medium dum defertur spe-
cies,continuò fit purior,vt speculares ima-
gines docēt:originaliter verò est ipsum sen
sibile , non secūdùm esse naturale & mate-
riale , sed vt participat aliquid de superio-
ribus naturis,vt sic sapit actionem intētio-
nalem,vti super c.5.presśiùs & particula-
riùs explicui &.q.de sensu agente,maximè
ad.2.latiùs ad.3.&.S.Tho.de potentia.q.5.
Argumē- art.8. Ex his autem non erit difficile mul-
ta quædā ta,quę in oppositum adducūtur,dissoluere.

Primùm de visu, qui vaporem oculi non *soluuntur*
videt,sed opacum potiùs ex obstaculo va- *inductio-*
poris,quia sentit priuari luce, & tenebras *ne per om*
in absentia luminis propter transitū vapo- *nem sen-*
ris:vnde quod existimat videre,non est in *sum, &*
oculo positiuè sed priuatiuè: similiter de *experien-*
fulgore,qui fit in cōpressione oculi, qui ni- *tiæ decla*
hil aliud est , quàm occursus spirituū luci- *rantur.*
dorum ex illa compressione prouenientiū: *Experi-*
& sic videmus aërem illuminatum secun- *menta de*
dùm partem distantem , & colorem oculi *visu.*
externum,sed secundùm imaginem specu-
li. Similiter de sibilo auditus & ventoso *De audi-*
aëre & vapore intus agitato intra latera au *tu.*
rium,qui non auditur intra tympanum au-
ditus , sed distantiùs intra cauitatem auriū.
Similiter odor non sentitur nisi secundùm *De olfa-*
partem remotam.Nec febricitantes perci- *ctu.*
piunt saporem linguæ,sed gustatur per in- *De gu-*
fectum linguę humidum,humidum autem *stu.*
diximus cap. 10. saporibus rationem esse
vt sentiātur:sicut quia lumen coloribus ra-
tio est vt videantur, quando videmus per
subobscurum lumen , colores alterius spe-
ciei esse videntur. Quamobrem de tactu *De tactu*
idem asseramus oportet:quoniā cùm sen-
satio non fiat secundùm naturalem immu-
tationem , sed secundùm intentionalem &
spiritualem , fit , vt sensio tactus sine spiri-
tuali immutatione nunquam contingat:
quod indicat,necessarium esse medium , &
quòd neruus tactorius omnino carnibus
discoopertus,etiamsi pungatur,nō sentiet, *Obserua.*
quia quamuis naturaliter patiatur,non im-
mutatur intētionaliter & sensibiliter:si igi-
tur debet esse sensio,caro debet admisceri,
vt ratio medij saluetur:quandoquidem na-
tura nō procedit ab vno dissimili ad aliud,
nisi per medium,quod est aliqualiter con-
ueniens vtrique extremo,sicut nec mobile
mouetur de extremo ad extremū nisi per
medium. Quare si sensibile in sensum non *Obseruan*
agit secundùm esse corporale & materiale, *da sūma.*
immediatè collocatum supra sensum non
poterit facere sensationem , nisi mediū in-
tercedat , vt purior fiat actio: quia sensus
à sensibili non patitur purè materialiter &
naturaliter,neq; tantùm intentionaliter,vt
medium,sed adhuc intentionaliter & sen-
sibiliter , quæ est passio per modum vigi-
liç: quod in sensatione ponit Arist. præter
ipsum pati tex. 127.vt species in obiecto sit
naturaliter siue materialiter , in medio in-
tentionaliter per modum habitus habitua-
liter

liter,in ſenſu tandem ſenſibiliter & actualiter per modum vigiliæ.

SVMMA CAPITIS.

Continet duas cõcluſiones, duo corollaria,& vnam dubitationem.

1. conclu. *Cõmune eſt omni ſenſui rerum ſpecies ſine materia ſuſcipere, vt cera recipit ſigilli formam ſine ære:ſic ſenſus ſenſibilis intentionem ſine eſſe naturali ſuſcipit.*

2. conclu. *¶ Conuenit omni ſenſui,vt potentia ſit & vis quædam in organo, quod magnitudo eſt,à quo ſubiecto nõ differt,ſed ſola ratione.*

1. corollarium. *¶ Hinc patet, quòd omnis ſenſus ab excellentis ſenſibilis vehemẽtiori pulſatione diſturbatur,quia in quadam organi mediocritate & temperie conſiſtit.*

2. corol. *¶ Patet etiam,quòd plantæ non ſentiunt,& quia rerum formas cum materia ſuſcipiunt, & mediocritatem temperamenti non habent.*

Dubitationis ſolutio. *¶ An aliquid aliud à ſenſu patiatur à ſenſibili,dubitabile eſt, cùm rerum ſpecies adhuc ſine materia in medio ſuſcipiantur aëre. Peruia eſt reſponſio,quòd licet aër odorem & colorem patiatur,præter meram paſsionem nihil amplius habet: ideo ſpecies in ipſo non ſunt ſenſibiliter vt in ſenſu,qui non tantum patitur,ſed ſenſibiliter etiam & vitaliter immutatur.*

CAPVT XIII.

De numero ſenſuum exteriorum.

De ratione diuiſionis. Antequam ad literæ enarrationẽ deſcenderemus,de diſtributione & partitione librorum de anima differendum fuiſſet (an hinc iam faciendum eſſet tertij libri de anima initiũ) niſi de re hac infrà,vbi de anima intellectiua diſputationem aggrediemur, meam dicere ſententiã vt in proprio loco inſtituerẽ: nunc autem ſimpliciter & planè continuandus eſt ſecundus liber cum Auerroe, imo verò cum ipſo Ariſt.qui hactenus loquutus eſt de ſenſibus exterioribus, quorum numerum diligenter in hoc capite probat,& in duobus ſequentibus,de interioribus ſenſibus dum agit, tractatum abſoluit de ſecundo animatorum gradu, ſcilicet de ſenſitiuo. Rationes autem, quæ vtranq; diuiſionem probabilẽ faciunt,poſteriùs adducam ad finem huius lib.2.de Anima: nunc autem (vt dixi) pergẽdum eſt, & quicquid ſit de hac cõtrouerſia diuiſionis,litera modò enarrãda eſt,poſteà verò prædicta quæſtio reſoluenda.

Sẽſum autem nullum alium eſſe præter hos quinq;,viſũm,in quam, auditum, odoratum, guſtum, & tactum, ex hiſce profectò,quæ nũc deinceps dicemus, credere quiſpiam poteſt. Nam ſi nunc ſenſum omnis eius habemus,cuius ſenſus eſt tactus(omnes nanq; rei tangibilis, vt eſt tangibilis, affectus nobis ſunt ſenſibiles tactus) nullus itaque tactus, vel guſtus, vel olfactus, vel auditus, vel viſus deeſſe nobis videtur. Præterea ſi ſenſus nobis deficiat aliquis,& inſtrumentum neceſſe eſt illius nobis deeſſe. *Tex.*

Scopus cap. quod quinq; ſint ſenſus exteriores. Tota huius capitis diſputatio eò tendit, vt quinarius numerus ſenſuum exteriorũ probetur,atq; adeò quòd nec in gratiã alicuius ſenſibilis proprij,nec ad ſentiendum ſenſibilia communia non oporteat ſextum aliquem ſenſum exteriorem ponere: conſtituendus nanq; eſt certus aliquis & definitus ſenſuum numerus. *Generali ratione probatur quinarius numerus ſenſuum exteriorum.* Atque præſenti tex.talem videtur nectere rationem: quia ſi præter quinq; ſenſus,viſum,auditũ,odoratum,guſtum & tactum,ſextus aliquis eſſet ponẽdus,aut ille eſſet eiuſdem generis, aut diuerſi generis:non primum,quia omnes qualitates tangibiles,vt tangibiles ſunt, tactu comprehendimus (eadẽ vnitas eſt de alijs ſenſibus, ſed probat de tactu, de quo maior eſt dubitandi occaſio,vt cap. 11. vidimus) tam quoad naturam ſpeciei, quàm quoad indiuiduum intra rationem proprij obiecti tactus concluduntur: igitur vt tangibilia percipiamus, ſolus & vnicus tactus ſufficit:non ſunt ergo plures, ita vt vnicus viſus,vnicus auditus,& ſolus vnicus guſtus, & olfactus quoq; vnus ſolus eſt,& tactus vnus:ſi des ſecundum, ita vt ſit ſenſus ſextus alterius generis ab his quinq;, genere ſcilicet aut ſpecie diuerſus,Ariſtot. nullum talem dicit eſſe ponendum ſextum ſenſum

ſpecie

ſpecie differentem, quin ſit viſus, aut auditus, aut olfactus, aut guſtus, aut tactus: in ſequentibus tamẽ multis in particulari probat; præſertim rationibus tribus ex medio, organo & obiecto petitis.

x.129 Præterea, omnis ſenſus per medium ſentit, vt patuit. Mediũ autem aut coniunctum, aut ſeiunctum, externumque eſſe neceſſe eſt. At nos habemus vtrunque, & id, inquam, quod eſt coniunctum, quo quidem tangẽtes ſentimus ſenſibilia tactu, & id etiam, per quod eminus non tangentes ſentimus. Id verò duplex eſt, ſpatium ſimplex, aër, inquam, & aqua. Res autem ita ſeſe habere videtur, vt ſi ſenſibilia plura diuerſa genere per vnum medium ſentiantur, neceſſarium ſit, eum, qui ſenſus inſtrumentum habeat tale, ſenſitiuum illorum eſſe; vt ſi ex aëre ſenſus ſit inſtrumẽtum, & aër ſit medium in colore ſentiendo, ac ſono. Quòd ſi vnum, idemque per plura media ſentiatur, vt color per aërem, atq; aquã (hæc enim vtraq; perſpicua ſunt) is, qui alterum tantùm habet ipſorum, ſentiet nimirum id, quod per vtrunque ſentiri poteſt.

1. ratio ſigillatim ex medio ſupra ad quinq; ſẽſus oſtendendos.

Prima ratio ex ratione medij oſtendit nullum eſſe ſextum ſenſum ſpecie differẽtem: quam ſic colliges, Animalia perfecta, nõ orbata neq; exanguia, vt inſecta, omnes habent ſenſus, omniáq; ſenſibilia percipiũt atq; per omne medium ſentiunt, tam intraneum, quàm extraneum: ergo tantùm ſunt quinq; ſenſus. Huius autem rationis vis nõ parùm eſt abſtruſa & recondita, eruenda tamen in lucem eſt ex conſenſione naturali; quam ſenſus & ſenſibile inter ſeſe atque cum medio obſeruant: quare cùm nos ſentiamus per omne medium, extraneum ſcilicet vt aërem & aquam, videndo, audiẽdo, & olfaciendo: atque per intraneum, per carnem ſcilicet guſtando & tangendo: ergo nullus eſt alius ſenſus præter hos quinque, quia nullum aliud eſt ſentiendi medium, nec vllus alius ad ſentiendum excogitari poteſt modus. Intendit itaq; Ariſt. quòd omne ſentiens atque ſenſus quicũq; in proprio modo ſentiendi, medium habet proportionatum: quòd ſi illa ſunt omnia ſentiendi media, per quæ perfecta animalia, quæ nullo ſenſu orbantur, ſentiunt, quinq; & non plures ſunt ſenſus exteriores. Ibi autem, *Quòd ſi vnum, idẽmq; per plura media ſentiatur, &c.* reſpondet Ariſt. dubitationi, quia videtur, vt vnum medium pluribus ſubſeruiat ſenſibus, vt aër, viſus, auditus & odoratus medium eſt, quod licet re vnum ſit, facultate tamen & diſpoſitione multiplex eſt ſecundùm diuerſam proportionem & accommodationem ad ſenſum: nam cùm illi tres ſenſus differant ſpecie, aër, qui ſenſibus ſecundùm quandam conſenſionem ſpeciei & ordini correſpondet, multiplicem habet virtutem & facultatem: ideo ſecundùm propriam accommodationem proprijs ſenſibus reſpõdet: quia vt diaphanus, receptiuus eſt coloris & viſui ſubſeruit: vt cedit atque facilè percutitur, ſonum defert auditui: vt autem alteratur, capax eſt odoris: quare licet medium ſit idem re, diuerſa tamen affectione & diſpoſitione diuerſis ſenſibus ſubſeruit. Ariſtot. ergo argumentatio de medio non materialiter ſed formaliter procedit: iſti verò tres ſenſus vno eodemq; aëre vt tribus medijs vtuntur.

Aër materialiter vnus, formaliter multiplex.

Vis rationis ex medio ſumpta.

Nam ex hiſce duobus ſimplicibus tantùm inſtrumenta ſunt ſenſus, ex aëre, atq; aqua. Etenim pupilla ex aqua, auditus ex aëre, odoratus ex horum altero, conſtat. Ignis, aut nullius eſt inſtrumenti, aut communis omnium eſt: quippe cùm ſine caliditate nihil ſit ſenſitiuum. Terra etiã, aut nullius eſt inſtrumenti, aut Tex.130

S in

in tactu maximè cōmista. Quocirca restat, nullū sensus instrumentum esse præter aërem, atq; aquam.

2. ratio ex organi cōpositione collecta. Secunda ponitur ratio ex parte organorum, quæ ex corporibus simplicibus coagmentantur, aqua scilicet & aëre: nam cùm quinque sint corpora simplicia (vt 1. lib. de Cælo dictum est) & non constent ex cælo, quod nullius compositionem intrat: neque ex igne, quoniam non est sensoriorum temperamento accommodatus: corruptiuus enim est & suæ actiuitatis excellentia dissipatiuus, atque ad agendum potiùs quàm patiendum natus: neque adhuc ex terra ob nimiam eius ariditatem & opacitatem, qua animal crassissimum & ad sentiendum ineptissimum redderetur: relictis igitur tribus ex quinque corporibus simplicibus, scilicet cęlo, terra & igne, solùm supersunt duo, aër videlicet & aqua, ex quibus sensoria componantur: nam hæc medij & organi rationem commodè sortiuntur, quoniam facilè agunt, patiuntúrque, atque alienas impressiones commodè recipiunt, vt intentionum accommodata sint vehicula. Hæc est literæ enarratio, qua pupillam ex aquæ, auditum ex aëris, odoratum ex aëris, aquæve prædominio constare dicit. Sed vis rationis adhuc latet, quam sic propono, Si animalibus perfectis aliquis deesset sensus, deesset vtiq; aliquod sensoriū: patet 1. Cæli tex. 32. & 2. Cæli tex. 50. & 2. Physi. cap. 8. natura, cui innatum est nihil frustrà & temerè facere, simul alicui dat facultatem & instrumentum ad finem, sed nullum deest sensorium: quia non deest materia, ex quibus sensoria componuntur & temperantur (quæ, vt dictum est, secundùm prędominium tantùm sunt aër & aqua) ergo animali perfecto, cui nulla materia deest, nullum deerit sensorium, sed habet tantùm quinque sensoria: tantùm ergo erunt quinq; sensus, quæ naturam sapiunt mediorum & organorum: materia nanq; sensuum terminata est: igitur sensus ipsi numero erunt definito, cùm in præstantissimis animalibus nō sint plura quàm quinq; organa, neq; plura possibilia sunt: quod ex solicitudine naturæ constat, in tribuendo animalibus quod melius est.

Eiusdē secundæ rationis declaratio.

Hæc autem nonnulla nunc animalium habent. Ab ijs igitur animalium, quæ sunt perfecta, nō imperfecta, nec membris capta, omnes sensus habentur: etenim & talpa sub cute oculos habere videtur. *Tex. 131*

Excipit talpam, quę, licet videatur oculis carere, illos tamē habet sub pelle tectos, ne sub terra degens eis priuetur: vider autem subtus pellem, quatenus ad propriam functionem sat est, vt nō possis obijcere frustrà naturam talpis oculos contulisse: & pręterea habet sub pelle tectos, ne cùm foramina & cauernullas suas inhabitat aut excauat, à crassitie terræ lędatur, aut cùm egreditur, repentina Solis insolétia proprijs luminibus priuetur, quib⁹ animalibus sui generis assimilatur. Scio tamen, Arist. 1. de historia animal. c. 9. & 4. de hist. animal. c. 8. talparum oculos negare: quia habent, inquit, lacessitos, hoc est, imperfectos & inchoatos oculos atq; effigiem quādam. Cæterùm nulla est collisio in Arist. nam hîc dicit talpam habere oculos, illic autem non habere perfectos: lege Galenum lib. 4. de vsu partium cap. 6.

Talpa habet oculos.

Collisio in Arist. tollitur.

Atq; si nullum aliud corpus est, pręter ea, quæ percipimus esse, nec vllus alius affectus, pręter eos, qui corporibus hisce compe tunt, quæ sunt hic, nullus profectò deficit sensus. *Tex. 132*

3. ratio priuatim ex ratione sensibilis sumitur. Tertia ratio est ex parte sensibilium: quia cùm nulla alia sit sensibilis qualitas, quam perfecta animalia per hos quinq; vocatos sensus non percipiant: ergo nullus alius erit sensus præter hos quinq;: qua ratione ex numero sensibilium numerus colligitur sensuum. Hanc rationem conuincere putat S. Thom. 1. p. q. 78. art. 3. quámq; friuolè Granatensis reijcit, & Peresius minùs bene corrigit cùm dicit, à posteriori procedere ex immutatione passiua sensuum, sed quòd sumenda est à priori ex immutatione actiua obiectorum: cùm tamen S. Tho. Aristotelem interpretetur, qui numerum immutationis passiuę ipsorum sensuum ex actione

Granatensis & Peresius.

S. Thom.

Cogra-tis haben-da sint tres ratiões, et differētias earum. actione & immutatione actiua sensibilium deducat. Quocirca formalis est prima demonstratio, quæ ab elementis sumitur, materialis verò secunda, quæ ex organis procedit: hæc autem tertia omnibus ferè assentientibus demonstratoria est & necessitatem inducit. Possumus autem finalem causam assignare, vt quosdam sensus, nempe visum, auditum & olfactum, ad bene esse natura contulerit: quosdam verò, vt gustum & tactum, ad esse excogitarit: ad esse quidem, constituendo vitam, tactus est necessarius: ad esse autem, eam conseruando, gustu indigemus, & ad bene esse in regimine sibi collatus nobis est odoratus: ad regimen autem rectum est visus, secundùm progressiuum motum circularem est auditus: vnde tibi vsus & cuiusque sensus exterioris vtilitas cõstabit. *4. ratio historica causa finali, vnde vsus quinq; sēsuū colligitur, quā tāgit Arist. infrà tex. 135.* Aduertēdum est, Aristotelem istis rationibus supponere (quod suprà ipse tetigit tex. 127.) medium à sensibili pati & intentiones suscipere, vt non tantùm consensio natiua sit inter sensum & sensibile (vt sæpe dictum est) quia potētia sensitiua aptitudo est ad ipsum sensibile, & tale est in potentia, quale sensibile in actu, de quo dubiū non est: sed neq; esse debet de consensione medij & cognatione eiusdē, & ad sensibile, à quo immutatur, & ad sensum, quem immutat: sicut enim forma nunquam est nisi in accommodato subiecto (suprà tex. 24.) ita nisi mediet accommodatum medium, & sensibili & sensorio sit proportionatum, vtiq; non afficietur ea intentione, qua ab obiecto immutatum, & affectum, ipsum pulsat sensorium: ergo radicaliter immutatio passiua sensuum ab immutatione actiua obiectorum tanquam ab origine proficiscitur. *Obserua vnde pendeāt ratio nes Arist.* Sed quia non omnes sciunt has rationes distinguere, nec penetrant vires earum, neque efficaciam sentiunt, placet cum Philopono ex tribus adductis vnam connectere ratiocinationem in hunc modum. *Ex trib' Arist. rationib' egregiè vna coagmentatur demōstrationis acies.* Si animali perfecto deesset aliquis sensus, deesset vtiq; sensorium (quando se mutuò sequuntur propter vsum & functionem cõmunem: sanè sensibile non percipietur vnquam nisi in proprio sensorio) at animali perfecto sensorium deesse non potest (cùm percipiat sensibile omne siue per coniunctum siue per seiunctum mediū) ergo nulla est qualitas sensibilis, quæ ab animali perfecto per hos quinq; sensus non percipiatur: quare non erunt nisi quinque sensus. Maior huius rationis sumitur ex tex. 130. minor autem ponitur in tex. 129. & conclusio colligitur, vt tex. 132. quamobrem conclusio declaratur per illas præmissas: volo dicere, quòd quamuis tertia ratio demonstratoria sit apud Metaphysicum, duæ priores sunt demonstratiuæ apud Philosophum, qui ex inductione & sensu atque experimento indubiè colligit firmam & constantem conclusionem. *Expende dissolutio.* Scio enim disputari hîc de sensoriorum natura, quam tamen Arist. non nisi perfunctoriè & leuiter tangit, quia ex professo determinat cap. 2. de sensu & sensili, in quem locum consultius reijcio, & sciens & prudens in illum locum examinandam relinquo. *Excusat se Autor à tractatione complexionis organorū.* Solùm est hîc scrupulus expūgendus, quo modo Aristot. hîc odoratum aëreum esse dicit, & lib. de sensu & sensili igneum docet, & cap. 9. olfactum aqueum esse vult? *Collisio Arist. remouetur.* Nulla est repugnantia, quia igneus est, quatenus potentiā calidus & siccus, proximus verò vt ignatur, à sensibilique proprio incalescat & exiccetur; aquæ autē tribuitur, quia sua compositione & cerebri vicinitate frigidus est & humidus: aëri est accōmodatus, quia respirādo attracto aëre olfacimus. Rursus animaduertendum, sensoria bifariam considerari, Primò, vt mista quædam corpora & solida & sicca constãt ratione terræ, cuius vi compacta sunt, aut quatenus instrumenta sunt sentiendi, & sic de eis loquitur Arist. & constant principaliter aqua & aëre, quæ instrumenta sentiēdi sunt, quia receptiua: aut addere possumus tertiam rationem, vt actiua sunt, id est, vitaliter immutatiua, quo modo dominatur ignis: sed tamen si terra & ignis excluduntur in præsenti, ideo est, quia solùm considerantur vt receptiua, quæ est propria sensorij ratio: terra verò vtroq; modo reijcitur à dominij excellentia, quia nec actiui rationem subit, nec receptiui, vt patet. *Sēsorii triplex cōsideratio.*

At verò neque sensus instrumentum quicquam propriū sensibilium communium esse potest, motus, inquam, quietis, figuræ, magnitudinis, numeri, vnius: quæ vnoquoq; sensu sentimus nō per accidens. Omnia enim hæc Tex. 133

ſanè motu ſentimus: etenim magnitudo motu ſentitur.

Ratio alia ad excludendũ ſextũ ſenſum ob ſẽſibile cõmune.

Probat in hac ſecunda capitis parte non eſſe ponendum ſextum aliquem ſenſum propter ſenſibilia communia: quia ſenſibile proprium vnius ſenſus ab altero ſenſu non ſentitur niſi per accidens, vt dulce per ſe à guſtu, per accidens à viſu: ſed ſenſibile commune *motu ſentimus*, inquit Ariſt. hoc eſt, immutat per ſe & mouet ſenſum per ſe (ſaltem quoad modum ſpeciei, vt capite 6. diximus) ergo reſpectu ſenſibilis cõmunis non eſt excogitandus aliquis ſextus ſenſus, cùm cõcurſus duorum ſenſibilium, communis ſcilicet & proprij, fit per ſe, adunantur enim vt vniuerſale & particulare: vnitas verò & concurſus duorum ſenſibilium propriorum accidentaria eſt, vt duo particulares homines in tractione nauis.

Tex.134 Quare & figura quidẽ, cùm figura quædam magnitudo ſit: & id, quod quieſcit, ex eo, quia non mouetur: & numerus, continui negatione, & ſenſibilibus proprijs. Vnuſquiſq; nanq; ſenſus nimirũ vnum ſentit. Quare patet, fieri non poſſe, vt communium cuiuſq; ſit proprius ſenſus. Si enim eſſet, perinde tunc fieret, atq; nunc viſu dulce ſentimus. Quod quidẽ propterea fit, quòd vtorunq; ſenſum habemus, quo cùm concurrunt, agnoſcimus. Quod ſi ita non eſſet, nullo alio modo profectò, niſi per accidens ſentiremus, quo pacto filium ſentimus Cleonis. Non enim Cleonis filium, ſed album ſentimus: huic autem accidit, vt filius ſit Cleonis. At communium habemus iam ſenſum communem, non per accidens ſanè. Nullus igitur ipſorũ ſenſus eſt proprius. Nullo enim ſentiremus modo, niſi eo, quo diximus filiũ videre Cleonis. Propria autem ſenſibilia ſenſus ipſi per accidens, alter alterius ſentiunt: non hoc ſanè quo ipſi ſunt, ſed quo vnus, cùm ſimul in eodẽ ſẽſus efficitur, ceu bilem amarã eſſe, ac flauam. Nõ enim ad alterum pertinet, vnum ambo hæc eſſe dicere. Quapropter & errat, etſi ſit quippiam flauum.

Rationem præcedentis tex. per omnem ſpeciem ſenſibilis communis Ariſt. deducit: litera autẽ ex præcedentis textus enarratione clara eſt, & ex ijs, quæ cap. 6. fuſiùs enarrauimus.

Quæri poteſt autem, cuiuſnam gratia plures ſenſus, ſed nõ vnum tantùm habemus. Aut vt minùs ipſa, quæ ſequuntur, atque communia lateant, vt motus, & magnitudo, & numerus. Nam ſi eſſet ſolus viſus, qui quidem eſt & coloris, magis laterent, ac idem eſſe omnia viderentur, propterea quòd color, & magnitudo ſimul ſe ſequuntur, & comitantur. Nunc autem cùm in alio quoq; ſenſibili ipſa communia ſint, fit inde perſpicuum, vnumquodq; illorum aliquid aliud eſſe, atque diuerſum. *Tex.135*

Reſpondet Ariſt. ad duplicem dubitationem, Primùm, cur plures habeamus ſenſus? quæ iam ſoluta eſt tex. 131. cuius rei gratia dati ſunt quinq; ſenſus. Deinde reſpondet, cur ordinauerit natura, vt ſenſibilia communia pluribus ſenſibus ſentiãtur, nempe, vt ſenſibilia cõmunia nos minimè lateant.

lateant: nam simul immutatur visus à colore & magnitudine; si nullus alius sensus sentiret magnitudinem, neq; ab ea immutaretur: profectò colorem à magnitudine non seiungeremus, quia magnitudo mouet vt modificata in colore: sed de hac immutatione sensibilium propriorum & communium recurre ád 6. cap. nō sunt omnia frustrà repetenda & temerè, quãuis in occasione inculcanda: ibi enim de numero & immutatione sensibilium cōmunium pro nostra virili diximus.

SVMMA CAPITIS.

In qua de quinario numero sensũũ vnica est conclusio, quatuor medijs & solutione vnius dubitationis confirmata.

Conclu. *Tantùm quinq; sunt sensus exteriores, scilicet visus, auditus, odoratus, gustus, & tactus.*

1. ratio. *¶ Primò, quia animalia perfecta non orbata per omne medium, tam intraneum, quàm extraneum sentiunt cuncta sensibilia: ergo non sunt*

2. *plures quàm quinq; sensus. ¶ Deinde si animali perfecto deesset aliquis sensus, deesset etiam & sensorium aliquod, quod est sensionis officina: sensoria autem quinq; sunt, ergo & sensus.*

3. *¶ Tum tertiò, quia nulla est sensibilis qualitas, quam perfecta animalia per quinq; sensus non sentiant: sunt igitur quinq; & non plures sen-*

4. *sus exteriores. ¶ Demum quia si sextus aliquis sensus esset, maximè in gratiam sensibilis communis, sed si sensibile commune illius sexti sensus esset sensibile proprium, vtiq; ab aliis sensibus per accidens sentiretur: quod tamen falsum est, quoniam sensibilia communia per se mouent*

Dubii solutio. *& immutant sensum. ¶ Vt haec sit vna solutio illius dubitationis, cur plures sint sensus, nimirum ne in distinctione & cognitione exacta sensibilium communium fallamur.*

CAPVT XIIII.

De sensu communi, qui centrum est quinque sensuum exteriorum, & functionum eorundem iudex.

Tex. 136 CVm autē sentiamus nos videre, ac audire, necesse est, aut visu sentiamus nos videre, aut alio sensu. At si alio sensu, tum idem sensus erit & ipsius visus, & etiam coloris subiecti. Quare vel duo sensus eiusdem erunt subiecti, vel seipsum sentiet ipse. Praetereà si alius sit sensus, qui percipit ipsum visum, aut in infinitum fiet abitio, aut erit aliquis sensus, qui seipsum percipiet sentientem. Quare idipsum in primo sensu continuò est faciēdum.

Variè inducitur praesens contextura: placet nanque Philopono, vt Aristot. inquirat, an sint decem sensus, quinque exteriores (de quibus iam satis dictum fuit) *Varia huius loci expositio.* quinque autem interiores, quibus proprias exteriorum sensuum functiones videamus: vt sicut contingit colorem visu videre, an ita contingat eodem visu, aut altero visu interiùs correspondente, sentire nos videre; ità de auditu & reliquis sensibus. Alijs verò videtur Aristot. inquirere, quòd cùm non sit sextus sensus aliquis exterior praeter quinque exteriores, an detur vnus aliquis sensus interior, quo sentiamus nos videre, audire, olfacere, & ita in alijs; noua enim haec operatio atque functio peculiarem aliquem sensum efflagitare videtur. Alijs autem magis probatur, quòd Aristot. quaerat, an sensus exteriores proprios sentiant actus & operationes, cùm sentiamus, inquit, nos videre & audire, vt experimento cōprobatur. Sed siue sic, siue aliter textum *Varietas expositionũ ab Autore conciliatur.* induxeris, semper idem omnino colliges, nempe quaerendum esse vnum aliquem sensum, qui iudicet, discernatque de istis operationibus exteriorum sensuum, qui plures esse non possunt quàm quinq;, qui circa propria sensibilia separatim versantur, atque inter duo dijudicare non valent, quoniam ad hoc necessum esset, vtrũq; cognoscerẽt: idcirco quocũq; induxeris modo, ad mentẽ & literae Arist. enarrationem parùm aut nihil referre videtur. In hunc *Enarratio tex.* igitur modum proponimus, qui omnes cō-

plectitur, an functio & operatio illa, quæ est sentire nos videre, sentire nos audire, inquit, *Aut visu sentiamus nos videre, &c.* id est, si fũctio sit sensuum exteriorum aut alterius interioris? hoc autem tractat in prima parte capitis vsque ad tex. 143. inclusiuè: deinde in secunda parte à tex. 144. statim consequitur sciscitatio, si ille sensus interior, quo sentimus & dijudicamus operationes sensuum exteriorum, vnus sit an plures? Arguit igitur præsenti tex. Philosophus, quod non detur alius sextus sensus exterior, quo sentiamus nos sentire, qui sit simpliciter distinctus, quia tunc darentur duo sensus eiusdẽ obiecti: quoniã cùm ille sensus sit *ipsum visus*, id est, sentiat visionẽ, *& etiam coloris subiecti*, hoc est, sentiat colorem, iam color & à visu percipietur, & ab alio sensu, quem nunc ponimus: quare color nõ erat obiectum adæquatum visus, neq; potentia vnitatem sumeret & distinctionem ab obiecto, vt toties à cap. 4. dictum est: aut color non esset visibile vt proprium obiectum visus, sed commune sensibile visui & alteri sensui, quo sentimus nos videre. Quòd si hæc neges, fatearis necesse est, quod idem sensus sentiat seipsum, atque vnumquenq; sensum externum suum proprium actum sentire & supra seipsum reflexionem facere admittes. Philosophus his rationibus non demõstrat, sed inquirit & dubitat atque probabiliter arguit: quia licet duo sensus exteriores de eodem obiecto, & tamen distincti atque non subordinati, non possunt esse eiusdem obiecti, cæterùm duo sensus subordinati, vt communis & particularis, possunt esse eiusdẽ obiecti, licet non æquè primo, sed quatenus obiectum sub obiecto continetur: sed de obiecto huius sensus communis infrà dicendum. Ibi verò, *Præterea si alius sit sensus, &c.* secundam ponit rationem, quòd non sit necessarius alius sensus interior, vt sentiamus nos sentire: nam si, verbi gratia, vt videamus visionem, necessarius est alius sensus, iste vocetur A; ergo, vt videamus huius sensionem, necessarius erit alius sensus, qui vocetur B, & sic sine fine procedendo continget abire in infinitum, aut deuenẽdum ad aliquem sensum, qui sentiat se sentire, in quo sistendum nobis esset: quod si ità esset, melius fuisset sine hac superuacanea sensuũ multiplicatione in primo sistere sensu, qui

Rationũ Arist. vires.

posset sentire se sentire & propriam functionem percipere: superuacaneum igitur esset ad secundum aut alios sensus procedere.

At hinc oritur dubitatio: nam si visu quidem sentire nihil aliud est, quàm videre, videtur autem color, vel id, quod habet colorem: si quippiam viderit id, quod videt, & colorem, id habebit profectò, quod videt primum. *Tex. 13.*

Ad partem alteram arguit Arist. vt probet necessarium esse alium sensum, vt videamus nos videre: siquidem fieri non potest, vt visu nostram visionem percipiamus, quin visio ipsa sit color, aut colorẽ habeat, cùm color primum & adæquatum obiectũ visus sit, sub cuius ratione cuncta videntur: at visus neque coloratus est, neq; colorem suscipit, sed species colorum sine materia, ob id ab omni colore denudatur, vt non semel dictum est.

Patet igitur non vnũ idipsum esse, sentire, inquam, visu: nam cùm non videmus, tenebras, & lumen visu discernimus, sed non eodem, vt patet, modo. Præterea idipsum etiam, quod videt, colore quodammodo delibutum est. Instrumentum enim vniuscuiusq; sensus, ipsum sensibile sine materia suscipit, vti diximus. Quocirca sẽsibilibus ipsis semotis, insunt in sensuum instrumentis sensus, imaginationesq;. Atqui operatio rei sensibilis, atque sensus, vna quidem & eadem est: at earum ratio non eadem est. Dico autem sonum actu, & auditum actu. Fit enim *Tex. 138*

vt is,

vt is, qui auditum habet, non audiat: & id, quod habet sonum, non semper sonet: sed cùm operatur id, quod audire potest, & sonat id, quod sonum efficere potest: tum simul fit & auditus actu, & sonus etiam actu: quorum alterum quispiam auditionem, alterum sonationem esse non incongruè dicere potest.

1. solutio. Vt propositum nodum Aristot. soluat atque exponat, quòd sentimus nos sentire aliquo modo eodem sensu, aliquo modo diuerso sensu; expendendum dicit, quòd videre non solùm contingit positiuè & per se, vt cùm lumen & colorem percipimus, sed etiam priuatiuè, vt cùm tenebras videmus. Aristoteles tamen propositum eò tendit, vt his verbis tanquam certum relinquat, contingere nonnunquam, vt visus videat, quando tamen neque colorem neque lumen positiuè percipiat: atque adeò non oportere, vt omne, quod videtur, colore sit affectum, cùm tenebras percipiat, quæ coloris & luminis priuatio sunt, quanuis tenebræ non percipiantur nisi à visu: quia (vt per omnem sensum dictum est) sensus perceptiuus est sui obiecti & oppositi etiam priuatiui. *Visus secundùm Arist. tenebras videt.*

2. solutio. Adhæc (quasi per antiparistasin & ex abundantia) secundò dicit Arist. ibi, *Præterea etiam idipsum, quod videt, colore quodammodo delibutum est, &c.* visum autem colore delibutum esse, probat ex tex. 121. quia omnis sensus suscipit formas sine materia, id est, sensibile intentionaliter. Quare ea intentio, quæ in visu recipitur, quanuis absolutè & simpliciter non appelletur color, neque faciat coloratum, est tamen color secundùm quid, id est, intentionalis, & facit coloratum saltem spiritale: Probatque Aristot. ibi, *Quocirca sensibilibus ipsis semotis, &c.* Primò (quòd maneant huiusmodi species) ab experimento, siquidem in absentia sensibilium manent species in sensibus; quia consurgunt imaginationes: imaginatio autem (vt sequenti cap. videbimus) à sensu fit in actu: quod perinde euenire existimandum est, ac cum velociter circumagimus torrem aliquem, circulus igneus apparet in aëre, qui non repræsentaretur, nisi species aliquandiu manerent in oculo, aut pruna ipsa titionis in diuersis esset sitibus, quod est contra rationem. Mox ratione à priori demonstrat ibi, *Atqui operatio rei sensibilis, &c.* quia vtriusque & sensibilis in actu & sensus in actu vnicus est actus atque vna operatio, quæ in ipso sensu recipitur: idem enim est sensibile sensum immutare, quod sensum speciem sine materia suscipere; quandoquidem actio sensibilis sensum in actum deducit, & ipsi sensibili similem facit: non enim semper est sensibile in actu; verbi gratia, sonus, quanuis sonet, non dicitur in actu (sumitur sonus relatiuè in esse sensibilis) sed cùm operatur id, quod audire potest, id est, quod potest sonum sensibiliter & vitaliter suscipere. *Species sensibiles sunt.*

Prior autem solutio est, quatenus visio absolutè neque est color neque colorata: Posterior verò quatenus aliquo modo est color aut colorata, & quandam rationem obiecti inducit: quia videre se videre non est extra rationem potentiæ visiuæ: & sicut posuimus exemplum de visu, pari proportione philosophandum est in alijs quatuor sensibus exterioribus. *Comparantur duæ Arist. solutiones, & ad alios sensus ampliatur.*

Quòd si motus, & actio, atque passio in eo est, quod patitur, atque mouetur, necesse est, & sonum, & auditum actu, in auditu, qui est potentia, esse. Agentis namque, mouentisque operatio, in ipso patiente suscipitur, atque inest. Quocirca non necesse est, id, quod motu cietur, moueri. Actus igitur sonatiui, sonus est, vel sonatio: auditiui verò, auditus, vel auditio. Duplex enim est auditus, & duplex etiã sonus. *Tex. 139*

Quod præcedēti tex. proposuerat Arist. ex prima Philosophia, probat 3. Phys. cap. 3. à tex. 18. quod actio & passio sunt idem motus, qui in eo, quod mouetur, est, vt *Actio et passio idē motus.*

vt ſcientia diſcipuli doctrina eſt, vt à doctore procedit, diſciplina verò, vt recipitur in diſcipulo: ſic etiã motus, qui eſt in mobili, actio dicitur vt ab agente, paſsio verò vt in patiente: ſimili modo in ſenſibilium ſenſibus operatio & immutatio in ipſis potentijs ſenſitiuis eſt, & in ſenſitiuo ſubiectatur, non in ipſo ſenſibili, quod agit: niſi velis agens, dum agit, moueri, quatenus agit.

Tex. 140 Eadem eſt & in cæteris ſenſibus, ac ſenſibilibus ratio: atque vt actio, paſsioq; non in agente eſt, ſed in eo, quod patitur, ſic & ipſius ſenſibilis actio in ipſo eſt ſenſitiuo. Sed in quibuſdam nomina quoq; ſunt poſita, vt ſonatio, ac auditio, in quibuſdam autem caret alterũ nomine. Operatio enim viſus, viſio dicitur: at coloris, nomine vacat. Operatio prætereà guſtus, guſtatio dicitur: at ſaporis, nomẽ nõ habet.

In eadẽ ratione Ariſt. perſtat, quam per omnes ſenſus inducit, niſi quòd in quibuſdam nomina ſunt poſita ex parte tam ſenſibilis, quàm ſenſus: in quibuſdam verò innominata eſt actio ex parte ſenſibilis. Tria habes ex Ariſt. Primum, quòd omnis actio ſenſibilis non in ſenſibili, ſed in ſenſitiuo ſubiectiuè fundatur. Secundum, quòd non ſemper eſt nominata actio ſenſibilis, vt patet in viſu, quanuis in auditu ex parte ſenſus auditio appelletur, auditúſve, ex parte autem ſenſibilis ſonatio vel ſonus: quod naſcitur ex noſtræ linguæ inopia atque diuerſo modo, quo ſpecies recipiuntur: quia in aëre ſunt intentionaliter, non tamen obiectiuè, in ſpeculo intentionaliter & obiectiuè, vbi iam ſunt viſibiles, in organo verò ſenſibiliter recipiũtur: quare ſpecies à ſenſibili efficienter diffunduntur in medium, ſpeculum, potentiam atque animam, ita vt in medio priuſquam in inſtrumento recipiantur, & in potentia priuſquam in anima: hoc enim ordine mouent & immutãt ſenſibilia. Senſio autem ordine diuerſo remeat: quia enim vitalis immutatio eſt, priùs eſt ab anima radicaliter, deinde per ipſam animam formaliter in potẽtia, mox in organo, tãdem per medium ad ſenſibile obiectum anima transfertur. His adde quæ diximus ſuprà tex. 122. quæ nolim intelligas cũ differentia temporis, ſed quòd ſimul tempore in potentia & anima eſt: tamen ordo naturæ & diſcrimine intelligendi offert, vt priùs ſit in vno, quàm in alio, quòd priùs intelligatur eſſe. Tertium autẽ eſt, ſenſus ſecũdùm actum ſemper eſt, cùm eſt ſenſibile in actu: quod ſequenti textu probat.

Tria colli gũtur ex hoc textu.

Diuerſimodè ſpecies recipiuntur.

Senſatio-nes cur ab ala dicitur profi ciſci pri

Hæc cùm ita ſint, atque vnus actus rei ſenſibilis, ſenſitiuiq́ue ſit, quanuis diuerſas habeat rationes, ſicuti diximus, neceſſe eſt ſimul corrumpantur, ſimulq́ue ſint ſalua, auditus, ac ſonus, qui hoc modo dicuntur: & ſapor itidem, & guſtus, cæteraq; ſimiliter. At ea, quæ dicuntur potentia, non hanc ipſam profectò neceſſariò ſubeunt legem. Tex. 141

Ex primo dicto, quòd ſenſibilis actio in ſenſitiuo eſt, probat Ariſt. hoc tertiũ, quòd ſenſibile & ſenſus correlatiua ſunt, vt auditio & ſonatio, vt in prædicamentis cap. ad aliquid docet.

Non rectè igitur priores naturales Philoſophi ſentiebant, qui quidem ſine viſu neq; albũ vllum, neq; nigrum eſſe dicebãt, neq; item vllum ſine guſtu ſaporem. Nam partim rectè, partim non rectè cẽſebant. Etenim cùm dupliciter ſenſus, ſenſibileq́; dicatur, potentia, atq; actu, in his quidẽ ſecũdis fit idipſum ſanè, quod dictum eſt, in illis autem primis nõ fit, vt luce clariùs extat. At illi de hiſce ſimpliciter loque- Tex. 142

loquebãtur, quæ ſimpliciter nõ dicuntur.

Quo autem modo correlatiua ſint & ſimul natura, ita vt ſimul ſe perimant aut ſaluẽt, docet Ariſt. in actu vtrunq; ſumẽdum pari modo & ratione, nõ tamẽ ſenſibile in actu, & ſenſum in potentia. In quo Pythagorici corrigendi, quatenus dicebant, nulla eſſe ſenſibilia nullo exiſtenti ſenſu: ſunt enim ſoni, quando non audiuntur, & colores, quando non vidẽtur: non eſt ergo ſimpliciter fatendum, ſed cum additione in actu vtrunq;, aut in potentia vtrunq; ſumendo, ſenſum ſcilicet & ſenſibile: quod ſuprà tex. 125. 126. 127. tetigi, ſed infrà lib. 3. tex. 54. explico.

Tex. 143 Quòd ſi vox quædam cõcentus eſt, vox autem & auditus tum vnum, tum non vnum, aut non idem ſunt, & concentus eſt ratio, neceſſe eſt, & auditum quandam eſſe rationem. Atq; ob idipſum exuperans quoq; tam acutum, quàm graue, corrumpit auditum, atq; deuaſtat, & in saporibus guſtum, & in coloribus viſum, id quod nimiũm eſt ſplendidũ, & tenebroſum: & in odoribus, vehemens odor, ſiue dulcis, ſiue amarus: quia ſenſus ipſe, quædam eſt ratio rata. Quocirca ſenſibilium ea, quæ ſyncerè talia, quæque ſimplicia ſunt, vt acutum, vel dulce, vel ſalſum, cùm reducuntur ad rationem, ſenſui ſunt iucunda: tunc enim ipſum delectare videtur. Omnino autem ipſum miſtum magis concentus eſt, quàm acutum, vel graue. Tactui quoq; non calidũ ſanè ſimplex, ac frigidum, ſed id, quod eſt ad rationem redactum, amicũ eſt, atq; iucũdum. Enimuero ſenſus ipſe ratio quædã eſt, vti diximus: ſenſibilium autem ea, quæ exuperant, aut dolorem afferunt ipſi, aut tandem ipſum corrumpunt.

Dubitationem diluere videtur Ariſt. ſcilicet quare aliqua ſenſibilium excellentia ſenſum corrũpat, aliqua verò delectet: quoniam, inquit, ſicut muſica in armonia & cõcẽtu eſt, ita ſenſus proportione & pportionatorum menſura delectatur, abhorret autem quæ temperie & moderatione carent. Hinc eſt, quòd quædam excellentia delectet, quia ſenſui, rationi & proportioni reſpondet: quædam verò corrumpat, quoniã illam ſenſus temperiem & proportionem diſturbat: & ſimplicia, dum temperãtur, magis efficiuntur iucunda & voluptifica: quia id eſt magis amicum & conſentaneũ, quod eſt magis ad rationem redactum: quare ex forti ſenſibilis pulſatione, etiamſi ſpiritalis ſit actio, in ſpiritibus ſenſorij motus quidã extraneus concitatur, inde ſequitur actio realis: vnde quandoq; comitatur ſi nõ ſenſus corruptio, ſaltem diſturbatio & debilitatio. Aduerte etiam, quòd ſenſus eſt in ratione & proportione per ſe loquendo, & eget temperamento organi, vt non appelles, rationalem noſtram animam temperaturam eſſe, vt Galenus voluit: temperatura enim corporis ratio eſt, aut & organi proportio & ſenſus, qui vis quædam eſt in organo, atque inter ſenſum & ſenſibile inſita quædam cõſenſio & natiua quædam atq; accommodata proportio. Nõ ſolùm intelligo de ſenſu in actu, cùm iam ſenſibili ſimilis eſt, ſed etiam ſenſus ipſe in potentia proportio quædã eſt, cùm cõſiſtat eius natura in hoc quod eſt à ſenſibili pati, & connaturale eſt ſenſoi, vt ſimilis efficiatur obiecto ſenſibili. Verum eſt, quòd ſenſibilis qualitas non dicitur habere naturalis ſenſibilis affectionem, niſi & ipſa cõmenſurata ſit & intra latitudinem proportionis ipſius ſenſus: quare ſenſibile proportionem habet ad ſenſum, quam ſi excedat, fit innaturale & triſtitiã inducit, vnde ad corruptionem præparat, nõ per ſe vt ſenſibile eſt, ſed per accidens vt exuperans atq; à proportionata menſura exorbitans, inquantũ exceditur à latitudine ſenſibilitatis: vnde etſi actio intentionalis perfectiua ſit ex ſuo ge-

Sẽſus quatenus in temperamento.

Textus iſte cum tex. 122. eleganter confertur et ſubtiliter ex Caiet. exponitur.

nere, nihil prohibet, ex accidenti corruptiuam dicamus. Ex quibus patet, quòd licet ſupra tex. 122. dixerit, cur excellens ſenſibile corrumpat organum, hîc autem cauſam reddit, ob quam excellentia ſenſibilium corrumpant ſenſus: vtriuſq; autem reſolutio ſit: quia ſi ſenſibilia conſiſtunt in quadã ſymphonia, ſẽſus erũt in proportione, quandoquidẽ ſenſus in actu eſt qui patitur. a ſenſibili, cui ſit ſimilis: cùm ſenſus & ſenſibilis idem ſit actus (vt tex. 139.) ſit, an ſit, proportione & organum & ſenſus eſſe, in quali eſt ipſum ſenſibile, vti ſenſui connaturale eſt: ad ſenſibilia namq; ipſa ſenſuum ſubſtãtia eſt accõmodata, vt ſupra tex. 65. & ſicutè ex natura ſenſibilis latitudo: ſenſus deprehenditur, ita ex ipſo ſentire, propter quod eſt organum ſenſus, ſequitur organorum proportio: ergo organum & actus & potẽtia & obiectũ mutua ſibi proportione reſpondẽt: ſenſibile enim agere & ſenſus pati nata ſunt intra certã ſenſibilitatis latitudinem, propterea ab excellentia extra latitudinem corrumpuntur.

QVAESTIO.

An ſenſus exteriores ſint reflexiui?

Tranſitio ad enarrationis examen.

Enarrauimus primam partẽ capitis huius, quam ſecundùm corticem literæ, vt dicitur, & ſuperficie tenus ſumus proſequuti: ſupereſt dicamus, quòniam mens Ariſt. tẽdat, & quare rationes ab initio capitis huius poſitas neque ſoluat neq; explicet? rurſum quorſum Ariſt. ex. 3. Phyſi. accerſiat, quòd ſenſus & ſenſibilis vnica eſt actio in ipſo ſenſitiuo recepta? Ob hunc ſcrupulum multi varia ſibi conijciunt de ſenſuum exteriorum iudicio: quidam enim ſenſum cõmunem neceſſarium eſſe dicunt, vt ſentiamus nos ſentire: quidam autem ex aduerſo ad hanc functionem ſolos ſenſus exteriores cũ vi attentiua ſufficere dicunt: contrà verò alij ſunt, qui ſine hac vi attentiua atq; ſenſus communis adminiculo, ſenſus ipſos exteriores per ſeipſos ſuas operationes ſentire aiũt: denique nõ eſt de hac re certum aliquid aſſertum, & Ariſt. dubiè & nimis ambiguè loqui videtur, cùm ſuam mẽtem neq; explicet, neque argumentationes propoſitas diluat. Sed vt rem variam definita methodo reſoluamus, ad duo capita

Interpretum mira diſſenſio.

Oẽs opiniones ad duo cap. reuocantur.

ſunt omnium ſententiæ reuocandæ. Prima eſt aſſerentium, quinq; exteriores ſenſus ſuas operationes non ſentire: quoniam facultas reflectendi & conuertendi ſupra ſeipſos, vel ſolius eſt rationis, cùm ſolus homo reflexè cognoſcat & ſentiat, vel ſaltẽ non poteſt eſſe alicuius corporeæ virtutis, aut reuocanda eſſet in ſuperiorem aliquam virtutem attentiuam, nempe quam ipſi (autore Philopono) fingunt: aut illa obſeruatio propriæ operationis ſenſui communi accepta referenda eſt. Altera verò opinio eſt exiſtimantiũ, expreſſè velle Ariſtotelẽ, ſenſus exteriores non ſolùm humanos, ſed etiã brutorum animalium (vt vult Auerroes) nullo peculiari vi attentiua, neq; per influxum demandatum à ſenſu communi; ſed ſola ipſorum virtute ſuas poſſe operationes præſentire: quam ob cauſam non fuit Ariſt. ſolicitus, vt rationes dubitandi in ingreſſu huius cap. poſitas ſolueret, ſed potiùs vt confirmaret. Illa autem inducta ſententia, quòd ſenſus & ſenſibilis vnica ſit operatio, quæ in ipſo ſenſitiuo recipitur, explicat (dicunt iſti) ſenſum ſuam ſentire operationem & immutationem, nõ ſolùm indirectè (vt Caietanus de Thienis & Egidius volunt) ſed directè (vt Caietanus de Vio hîc & Granatẽſ. 2. ſua diſputatione, & Pereſius in prima) alioqui extra rem Ariſt. adduxiſſet, quòd actio & paſsio vnus motus ſunt in patiente exiſtens. Cæterũ nunquam potui mentem meam captiuare, vt in hanc deſcenderem ſententiam: quoniam reperio Ariſtotelem lib. de ſomno & vigil. dubium hunc locum explicuiſſe, cùm illic cap. 2. dicit, *Commune vim quandam promiſcuam, quæ omnes comitatur, qua animal & videre, et audire ſe ſentit (nõ enim viſu ſe videre videt, nec viſu, aut guſtu iudicat, iudicaréve poteſt, &c.* & S. Thomas, quem pro ſe adducunt, pro nobis tamen eſt. 1. p. q. 78. art. 4. in corp. dum dicit, pręter quinq; ſenſus exteriores, qui ſenſiones ſuas non apprehendunt, ſenſum communem neceſſarium eſſe animali, vt percipiat intentiones ſenſuum exteriorum: & ad 2. argu. dicit ibidem, neceſſarium eſſe ſenſum communem, vt quis videat ſe videre, vbi viſio & quæuis ſenſio exterior perficitur: quod fieri non poteſt per ſenſum proprium, qui nõ cognoſcit niſi formam externi ſenſibilis, à quo immutatur, in qua immutatione inchoatur viſio, & ex qua immutatione ſequitur alia immutatio

Prima caput ſenſus exteriores nõ ſint reflexiui.

2. caput affirmantiu ſenſus eſſe reflexiuos.

Caiet. de Thienis cũ Egid.

Caiet. de Vio cum Granatẽſe, & Pereſio.

1. cõcluſio generalis, quòd ſenſus nõ ſint reflexiui.

tatio in sensu communi, qui visionem percipit. Et Arist. 4. Met. tex. 25. probat, sensum non esse suimet, sed alterius, sicut mouēs moto naturaliter est prius, vbi S. Tho. visus, inquit, non videt se, sed colorem. Sed quid immoror? ipsi enim quasi à veritate coacti ingenuè fatentur, sensus suas operationes non sentire actu reflexo & geminato, cùm hoc mentis proprium sit, suam operationem & actum & obiectū cognoscere, atq; cognitionum geminatam seriem texere, sed tantùm sentire suam operationem nudè & syncerè, quatenus sentiunt se ab obiecto immutari & affici: sentit audit' simpliciter soni immutationem, aut sui obiecti absentiam, siue quòd non immutet: nō tamen iterato actu & quasi concatenatis actibus suam illam auditionem sentit, sed sine actus iteratione & geminatione perinde sentit soni immutationem, ac cùm sentit se à silentio nō immutari. Sed miror, viros ingenio, sapientiáque præstantes non considerasse, sensus externos sic suam operationem sentire, non esse quòd reflexè eorum operationes à sensibus exteriorib' sentiātur, sed tantū quòd sentiant & vitaliter immutentur. Quid? quòd Arist. argumenta tex. 136. & 137. adducta nil aliud probant, quàm quòd illa sensuum immutatio vitalis est, & quòd sentimus nos immutari, sicut videmus tenebras, vt dicitur tex. 138. *Sed non eodem, vt patet, modo*, quia non immutamur. Et quod deinceps addit Arist. *Atqui operatio rei sensibilis atq; sensus vna quidem & eadem est, &c.* (id est, quòd actio ex sensu & sensibili elaborata in ipso sensitiuo perficiatur & recipiatur) nihil illis fauet, cùm apertè doceat, sensationes & sensuum exteriorum functiones passiones esse ab ipso sensibili profectas: atq; adeò non est cur in sensum aut in seipsum agentem aut suam operationem cognoscentem referatur, sed in ipsum externum sensibile: ideo dicit tex. 138. *Atqui operatio rei sensibilis & sensus, vna quidem & eadem est: at earum ratio non eadem est*: quia vt à sensibili est actio, & vt in sensitiuo est passio. Sensus igitur immutatur à sensibili & assimilatur, & in illud tēdit directè vt in obiectū, in suam verò operationem non reflexè actu geminato, quasi ipsius externi sensus sit obiectum, cùm in eam non tendat sine alterius sensus adminiculo: ideóque hac de causa positus illis rationibus, quibus Arist. in prima parte huius cap. luserat de communi illo sensu, statim in secunda capitis parte à tex. 144. disputationem aggreditur. Citant isti pro se S. Thomā de verit. q. 1. art. 9. quia dicit, veritas sensus consequitur actum eius, dum scilicet iudicium sensus est de re: vnde videtur & veritatem in sensu ponere, & sensum de rebus iudicare, & quòd sensus cognoscat se sentire. Sed certè hallucinantur in media luce: quia veritas sensus non est complexa, sed simplex, de qua cap. 6. diximus, sensum circa proprium sensibile neq; errare neq; decipi: & perinde est veritas in sensu, vt agere propter finem in natura, quæ est sine cognitione & ordinatione ad finem (vt. 1. 2. q. 1. art. 2. diximus, & inferius lib. 3. cap. 3. circa tex. 26.) Et quod dicit sensum cognoscere se sentire & de suis actibus iudicare, statim eodem art. 9. de verit. se explicat, intelligendum de sensu non exteriori, sed eo, qui est inter cæteros propinquior intellectuali substantiç: & statim approbat rationem Auicennæ, quòd sensus nihil cognoscit nisi per organum corporale: nō est autem possibile, vt organum medium cadat inter potentiam sensitiuam & organum ipsum: quare apertè docet, quòd sentimus nos sentire, tamen per alium sensum internum: quoniam vis corporea non potest redere ad se reditione perfecta, nisi alterius organi subsidium ibidem iterares & geminares. Tandem sensus vis quædam est extēsa & corpori alligata, quę reflexionem istam impediunt: & quòd ampliùs Arist. mentem manifestat, vis est passiua à sensibili acta & immutata: sat ergo est, ꝙ sensus transmutetur & tendat vt in obiectum, non ergo in operationē. Sed vt quod sentio de hac re, breuiùs & dilucidiùs proponam, principiò accipiamus oportet id, quod omnibus in confesso est, nempe sensus externos directè nō facere completam & perfectam reflexionem, neque redeunt ad se reditione & circulatione perfecta: quoniam geminato actu operationem pro priam tāquam obiectum cognoscere, proprium est ipsius rationis, quæ immaterialis est, sensui verò ob suam materialitatē conuenire nō potest. Deinde hoc cōuenit omnibus sensibus etiam externis pręsentire se immutari: quoniam sensio & immutatio illa non est inanimata passio, sed vitalis, in qua complacentia est, qua delectamur: est enim opus vitæ, ideo immanens actio vt perfectio

Diuersus Aristot. aperitur.

2. cōclusio particularius rē explicans.

S. Tho. variis locis exposi-tus.

Autoris resolutio qua 2. cōclusio magis aperi-tur.

perfectio viuentis, non vt transiens tanquã passi perfectio. Tum tertiò dico (in quo iã ab istis discrepamus) hanc vitalem immutationẽ percipere, non esse reflexè cognoscere. Vnde malè isti colligunt, quòd sensus seipsos reflexiuè cognoscant, cùm percipere & sentire se immutari non sit reflexè cognoscere, sed sentire sensationem esse quoad quæstionem an est (vt dicit Caietanus) id est, sentire quòd existat, hoc est, ꝙ illa operatio sẽsibilis est & vitalis, & quòd susceptio sensibilis in sensu non est inanimata, neq; fit insensibiliter vt in medio (vt suprà tex. 127.) sed sensibiliter & vitaliter: quod nihil amplius est asserere, nisi quòd recipitur nõ vt in inanimato, sed vt in viuẽte: hoc autem percipere non est propriam operationem percipere, sed tantùm vitaliter immutari, id est, in ipsum sẽsibile vitaliter transferri atque ipsi conformari: & hæc est veritas simplex & adęquatio, quam S. Thom. de verit. q. 1. art. 9. in sensu cõfitetur. Ecquis est tam mentis impos, qui non videat sensus externos nulla habitudine neq; geminata neq; simplici adhuc in suam operationem ferri, sed per operationẽ sensibiliter & vitaliter susceptam ad obiectũ extra se vehi: intra se enim nullam præsentiũt sensationem, licet sentiãt tendere extra se & quasi funiculis trahi in obiectum externum. Quòd si ibi alicuius immutationis & sensationis internæ interiùs immanentis aliqua præsensio atque perceptio est, illa quidem accepta in sensum communem & facultatem interiorem referenda potiùs quàm in vllum aliquem ex sensibus exterioribus: nam cùm sensus communis adeò sit exterioribus coniunctus vt eorum finis atq; cẽtrum, cuius proprium munus sit exteriorum sensuum sensationes percipere, deberent viri isti grauissimi & sapientissimi singula singulis referre, vt hanc sensationum perceptionem, quę sensui communi propria est & cum sensib⁹ externis erat, non confunderent: quandoquidem neque inchoatur à sensu exteriori illa reflexio, ita vt in ipso sensu communi absoluatur & consummetur, quod censet Granatensis: siquidem illa propria operatio est sensus cõmunis, quæ fit in ipso sensu communi ministrantibus sensibus externis: artifex ergo illius perceptionis sensus communis est, & non exterior aliquis sensus: sicut cùm tenebras percipimus, perceptio illa tenebrarũ non fit nudo sensu visus, nec perceptio silentij non fit à solo auditu, sed sensus communis adminiculo, cuius est proprium percipere immutationes sensuum exteriorum aut earum carentias. Quare cùm sensus cõmunis operatio tam coniuncta sit operationi sensus exterioris, isti vnam ab altera non secernunt: si igitur sentimus nos videre aut non videre, non est ad visum retorquendum, sed ad sensum communem vt proprium artificem referendum, vt statim declarata necessitate sensus communis manifestum erit. Vnde sequitur, minùs bene cum Philopono quosdam ponere attentiuam facultatem (quam dicũt necessariam, cuius defectu obuios homines non conspicimus, vt milites illatas plagas ad victoriã intenti non percipiunt) siquidem attentio nõ est animæ peculiaris aliqua vis, sed modus & obseruatio, quę in nullum ex externis sensibus referenda est, sed ad sensus internos accommodanda: & primùm competit sensui communi, cuius est proprium functiones sensuum exteriorum percipere, obseruareq;, ob id non exigit peculiarẽ aliquam potentiam, quamobrem neque eius meminit Arist. Patet iam igitur, quatenus operationes sensuum exteriorum & per quam potentiam percipiamus, nempe per sensum communem, quo delectamur: nam immutatio sensus exterioris passiua est, quæ habet pro scopo sensibile ipsum obiectum: immutatio verò sensus communis fertur immediatè & proximè in ipsas sensiones sensuum exteriorum. Vt ergo vltimam manum apponamus & quod diximus comprehendamus atq; Arist. mentem ante oculos proponamus, sic est contextura Arist. resoluẽda, vt principiò velit, quòd sensibilis atq; sensus vnica est actio: deinde quòd non est alia actio sensus ab actione sensibilis, sed vna, modo tamen diuerso: quoniam vt à sensibili progreditur, actio dicitur, vt in sensitiuo recipitur, passio est. Vnde habemus, quare Arist. ad rationes non respondent, quas in principiò capitis induxit, nimirum quia sic voluit illis satisfactum esse, quòd certissimum sit, quòd nõ sentimus nos sentire sensibus exterioribus, siquidem sensus externi passiuè immutantur ab obiecto: idcirco si sentimus nos sentire, pręsidio est & assistentia alterius sensui, nempe communis: & ob id occasione huius ad indagãdam sensus communis naturam

Obserua.

Attende nodum re solutionis huius.

Cõcordãt ista cũ dictis suprà tex. 96. et li. 3. textu 25.

Nota de attẽtione fuerit cepti.

Attentiua facultas nõ est, sed facultatis modus.

Obseruãda cõtexturæ cõtinuatio, vt transitio fiat à prima huius cap. parte ad secundam.

turam iam ex his insinuatam & quodammodo inuentam nos præparat, quam exactissimè in sequentibus explanat.

t.144. Vnusquisq; igitur sensus, vt sæpe diximus, sensibilis est obiecti: estq; in instrumento suo ea ratione, qua illud sensus est instrumentum, & differentias sensibiles obiecti sui discernit: vt album quidem, & nigrum, visus, dulce aut & amarum, gustus: & cæteri similiter sensus.

Hic expositorum biuium situm est: nam qui dicunt, Arist. hactenus sensisse sensus exteriores proprias operationes sentire, ex hoc tex. determinatio incipit de sensu cômuni: qui verò nobiscum tenent, sensus externos non se sentire, hinc secundum argumentum sumunt ad inuestigandam sensus cômunis naturam, quæ est literæ quadrantior & magis consona contextura. *Ingeniosa toti' cap. côtextura.* Collegerat primò Arist. visum (& sic de alijs sensibus exterioribus) suam functionem non sentire, quam ob causam necessarium esse alium sensum, cui ista operatio adscriberetur: quo modo intellectus Arist. litera sine vlla offensione consequutionem habet. Itaq; conclusum est in prima parte à tex. 136. vsq; ad 143. inclusiuè, sensus exteriores non iudicare de suis sensibilibus, sed ad hanc operationem, id est, vt percipiamus nos sentire, necessariam esse aliam potentiam, quæ discernat & percipiat nos sentire: atque cùm ex hoc non habeatur, quòd illa potentia vna sit, cùm posset secundùm numerum sensuum exteriorum partiri, ita vt vnus sensus sit cum visu, qui percipit visionem: alius cum auditu, qui sentiat nos audire: alius cum gustu, qui iudicet inter amarum & dulce, & ita de alijs: & ex consequenti, cùm percipere exteriorum sensuû sensationes non referat Arist. ad exteriorem aliquẽ sensum, nisi quatenus cum interiori illo coniungitur: quæritur iam, an ille interior, quo sentimus nos sentire, sit vnus omnibus communis, an plures, qui cum singulis sensibus exterioribus numeretur? *Arist. scopus apprimè declaratus.* quare vult hactenus commôstratam esse necessitatem vnius sensus interioris, ex quo sentimus nos sentire (ex quo absoluta est quæstio de existentia sensus interioris) iam de vnitate eiusdem determinare incipit, & cur ipse sensus communis, non iam ex communi, vt hactenus in priori parte, sed ex propria & per se operatione demôstrare instituit. Continuatio autem sic subtiliter nectitur: cùm enim vnusquisq; exteriorum sensuum sui proprij sensibilis sit, atq; in proprio instrumento vt organo collocatus, illusq; sui proprij obiecti differẽtias discernat: quod cùm sensus externi per se non præstent, vtpote quorum proprium sit ab obiecto immutari & pati: fateamur est necesse, vnum alium sensum esse, qui externas sensationes percipiat, qui an vnus seorsum communis quinq; sensibus sit, an plures cum singulis quinq; sensibus exterioribus cônumerandus? ex hac noua operatione, quòd discernat & dijudicet inter sensuum exteriorum operationes, demonstrandum supererat.

At enim cùm album, & dulce, & singula sensibilium ad singula nimirum aliquo comparemus, ac discernamus, & sentiamus differre, necesse est, idipsum profectò fieri sensu, quippe cùm illa sensibilia sint. Tex.145

Et primò probat, potentiam, qua percipimus nos sentire, sensitiuam esse atq; ab intellectu distingui: quoniam per illam sensibilia, quæ sensibilia sunt, percipimus: atq; adeò probat, quòd cùm discernere inter sensibilia & percipere exteriorum sensuû sensationes non sit alicuius sensus exterioris (vt probatum est) sed necessariò ad aliquam interiorem facultatem pertineat, & hæc non sit intellectus: quia intellectus licet non intelligat sine sensibilibus (vt in 3. de anima videbimus, & 1. Post. cap. 1. & 14.) tamen non intelligit sensibilia, quæ sensibilia sunt: necessariò ergo ponendus erit aliquis sẽsus interior vnus cômunis quinq; sensibus exterioribus: Patet discursus: quia inter album & nigrum iudicaret quidem sensus ille interior coniunctus visui: at inter album & dulce sensus ille interior, qui vnus est cum visu, nequaquam iudicabit, cùm dulce non percipiat, vtpote quòd ad *Ratio qua demôstratur vnitas & necessitas sensus communis.* gustum

gustum pertineat: quare cùm sensus ille interior omnium sensuum exteriorum sensationes percipiat, & inter has omnes operationes discernat, necessum est, vnum communem esse, qui singulorum iudiciũ proferre debeat: alioqui nõ posset medius sedere vt iudex ad discernenda discrimina velut iuris arbiter, nisi partes litigãtes, ipsáque litigia cognoscat: ergo sensus ille communis, qui sententiam fert discernendo inter sensationes omnium sensuum exteriorum, vnus est quinq; sensibus exterioribus communis: nam fert iudicium de sensibilibus, qua sensibilia sunt, id est, non vt intellectus, qui sensibilia intelligit, qua intelligibilia sunt, & non qua visus dulce per accidens videt, sed per se dulcis & albi immutationes sentit, quoniam per se inter album & dulce discernit. Rectè igitur demonstrata est vnitas sensus communis ex vnitate operationis: ratio sic nectitur, Cùm percipere nos sentire non sit mentis aut alicuius sensus exterioris, sed interioris sensus, & non vnius particularis, nec duorum distinctorum (quoniam iudicium non posset esse multorum, nisi plura illa ad vnum compararẽtur & referãtur) necessum igitur est, sensum interiorem vnum esse, qui has sensationes exteriores percipiat: necesse etiam est, vnum communem sensum esse, vt possit, quasi pro tribunali sedendo, discernere & iudicare inter omnia, quæ sensus exteriores percipiunt. Quare etsi ad discernendum inter peculiaria obiecta sufficeret sensus ille interior, qui seorsum cum exterioribus connumeraretur, veruntamen ad discernendum inter omnium sensuum exteriorum sensationes necessum est, vnum cõmunem sensum esse, qui veluti rex in supremo tribunali sedeat, ad quem omnes inferiores confluant & concurrant: ergo præter quinq; particulares sensus, vlteriùs ponẽdus est vnus sensus communis, ad quem recurrant omnes exteriores.

Sũma rationis.

Tex. 145 Quo patet, carnem vltimum instrumentum sensus non esse: nam necesse esset id, quod discernit, tangendo discernere. Fieri igitur non potest, vt separatis discernatur dulce diuersum esse ab albo, sed vni cuipiam ambo nota esse oportet. Illo nanq; modo sanè pateret inter sese illa differre, etiamsi alterum ego, alterum tu sentires. Vnum igitur dicat oportet, diuersa esse dulce, ac album. Dicit igitur idem, quare vt dicit, sic & intelligit, atq; sentit. Patet ergo, fieri non posse, vt separatis separata dijudicentur. At hinc patet, neq; fieri posse, vt separato in tempore discernantur. Nam vt idem aliud esse bonum, ac malum dicit: sic quando alterum dicit aliud esse, tunc & alterum etiam dicit: atq; dico quando, non per accidens, veluti nunc dico quippiam aliud esse, non tamen dico illud nunc aliud esse: sed hoc pacto nunc dicit, vt dicat, & nũc illud esse, simul igitur dicit. Quo fit, vt inseparabile, & in inseparabili tempore separata discernat.

Presiùs vrget, quòd ille sensus communis vnus sit à quinq; particularibus distinctus, atq; adeò vnus: nam si aliquis ex particularibus esset, profectò is maximè videretur esse tactus: quoniam est primus sensuum per totum corpus diffusus, vt radix & fundamentum aliorum, quo animal primò in esse constituitur: atqui sensus communis non potest esse tactus: nam tactus quidem (vt ex cap. 11. patuit) nihil sentit nisi tangendo per carnem, quæ tactus medium est: sensus verò communis nõ omnia discernit tangendo, quia per omnem sensum discernit & iudicat, & tamen non omnis sensus tangendo sentit: aut inter visum & auditum non discerneret, quia visio & auditio non fiunt tangendo: ergo sensus communis ad tactum non est referendus, neq; sicut ad organum, neque sicut ad medium, atq; adeò neq; cum ipso confundendus: præsertim cùm ipse tactus vnus ex quinq; exterioribus sit, qui suas sensiones ad

Tactus à sensu cõmuni separatur.

ad cōmunem deferat sensum, vt eas & percipiat & dijudicet. Deinde rationem præcedenti tex. adductam rursum inducit, vt probetur sensus communis vnitas: quia sicut in forensibus iudicium non fit de separatis, id est, nisi actor & reus vnius sint districti & fori, & iudici eidem subiecti: ita in præsenti vnam aliquā potētiam esse oportet sensitiuam, quæ receptis sensionibus exterioribus, ab eisq; immutata inter eas discernat. Addit vlterius Arist. ibi, *Vnum igitur dicat oportet, diuersa esse dulce & album, &c.* quòd sicut potentia vna est, & inseparabilis ipse sensus communis, ita quoq; eius iudicium & comparatio in tempore fit inseparabili & indiuisibili: quoniā tantā oportet esse sensus communis vnitatem, vt non solùm vnitas & inseparabilitas sit in potētia, sed etiam in iudicio & operatione temporis diuisio non admittatur: quia etsi quæ sunt diuerso tempore apprehendamus, sententia & iudicium de illis tempore fit indiuisibili, vt si nunc de bello Troiano dijudices. Itaque ex similitudine iudicij duas colligit sensus communis conditiones & proprietates: Prior, quòd subiecto & vnitate vnus sit indiuisibilis sensus: Posterior verò, quòd indiuisibili iudicet tempore; nam iudicium de diuersis simul & in eodē tempore fertur, & de diuersis sententia vna est, & comparatio diuersorum simul fit: & ita concludit ibi, *Quo fit, vt inseparabile, &c.* quòd potētia est inseparabilis, & iudicium eius etiam in tempore inseparabile: hæc autem inseparabilitas sensui communi cōuenit vt communi omnium sensuum exteriorum principio, in quo exteriores communicant, quod vocatum est vltimum sensitiuum in terminando & perficiendo sensationes: nulla enim videtur perfici sensatio nisi terminata ad hoc sentiendi cētrum.

Sensus cōmunis duæ proprietates.

Atque adeò à tex. 144. habemus primò, hoc iudicium non esse mentis, sed sensus: quia obiectum non est intelligibile sed sensibile. Secundò, non esse alicuius ex quinq; sensibus exterioribus: quia exterior sensus omnia sensibilia non attingit. Tertiò, neq; plurium exteriorum: quia tunc vnusquisq; cognosceret quod sibi proprium est, alienum verò cognoscere non posset. Postremò concludit, vnum debere esse, qui iudiciū ferat de omnibus, & adhuc in inseparabili & indiuisibili tempore: & sensus exterior non iudicat, nisi quatenus sensus communis virtutem participat: idcirco omnis discretio & perceptio sensionum atq; iudicium de sensibilibus externis in sensum istum communem resoluenatur.

Resolutio dictorum de sensu communi in vnam aciem redacta.

At verò fieri non potest, vt simul idem ea ratione, quā indiuisibile est, & in indiuisibili tēpore motibus contrarijs moueatur. At dulce quidem sic mouet sensum, ac intellectum, amarum autem contrario modo, & album itidē diuerso. Estne igitur quod discernit, indiuisibile quidē numero, separatum autem ratione? Partim igitur vt diuisibile, res sentit diuisas, partim vt indiuisibile: nam ratione quidem, diuisibile, loco autem, atq; numero indiuisibile est. *Tex. 147*

Obiectionem format contra determinationem sensus communis: quia si vnus & indiuisibilis, tempore q; indiuisibili omniū externorum sensuū sensiones recipere potest, idem simul & semel motibus moueretur contrarijs, & receptiuus esset plurium contrarietatum. Potuit Arist. hoc dubium de quolibet sensu particulari formare: siquidem vnusquisq; sensuum exteriorum susceptiuus est contrarietatis: est enim quilibet ipsorum vnius cōtrarietatis, nisi quòd maiorem habet apparētiam de sensu communi: idcirco hic proponitur obiectio, vt pro omnibus sensibus tam quinq; exterioribus, quàm communi sensu dissoluatur. Addit, vnam tradi solutionem, nēpe quòd sensus communis numero & re vnus est & indiuisibilis, ratione tamen multiplex: hāc tamen solutionem vt impugnet, subdit.

Communis obiectio notāda.

An id minimè fieri potest? idem enim potentia quidem est ipsa cōtraria, & diuisibile, & indiuisibile: actu autem esse non potest, sed patiēdo diuisibile est. At fieri nequit, vt simul sit album, *Tex. 148*

bum, & nigrum. Quare neque formas ipsorum simul sensus, ac intellectus, si talia sint, vt patiãtur, suscipient.

Reijcit Arist. prædictam solutionem, & dicit merito reprehensibilem: quia etsi ratione multiplex sit, cùm numero & re sit indiuisibile, vnũ numero indiuisibile quo modo actu contraria recipiet? impossibile namq; est, contraria simul esse actu, quanuis contrariorum potentia simul sit (1. de Cœlo cap. 12. tex. 119.) ergo formæ cõtrariorum simul esse non poterunt.

Tex. 149 At enim hoc perinde sese habet atque id, quod quidam punctum appellant: quod quidem tum vnum est, tum duo, quo pacto & diuisibile est. Quo igitur indiuisibile est, hoc vnum est id, quod discernit, ac simul. Quo verò est diuisibile, hoc nõ vnum est: bis enim eiusdem signi simul fit vsus. Quo ergo finis vsus fit vt duorum, hoc duo, discernit, atq; est separata vt separatum. Quo verò vnum est, hoc vnius fit vsus, & simul. Sed de principio quidem, quo dicimus animal sensitiuum esse, sit hoc modo determinatum.

Secundam solutionem peripateticam & inculpabilem tradit Arist. quam illustrat exemplo centri: nam sicut superiùs cap. 2. definitionem animæ tetragonismo perspicuam effecit, ita in præsenti sensum communem per rationem centri explicat: est enim centrum punctum medium circuli indiuisibile, à quo ad circumferentiam lineæ egrediuntur, quarum principium est ipsummet centrum, earúmq; linearum, vt in centrum concurrunt, finis est. Dicit igitur Arist. quòd sicut centrum circuli vnum est & indiuisibile, duorum tamẽ habet rationem, quatenus eodem cẽtro bis vtitur, semel vt principio, iterum vt fine (cùm à linearum ad circumferentiam egredientium principium, & earundem ad illud punctum medium recurrentium finis) sic communis sensus vnus est & indiuisibilis, at exteriorum sensuum principium & radix, eorundémq; finis: cum sensus externi, qui à communi & interiori vt riuuli à fonte fluunt, in eundem communem sensum refluant & influant: vtimur ergo eodem sensu communi bis, & vt principio, & vt fine. Quamobrem quo finis est, in quem influunt, vnus est & indiuisibilis discernens inter multa contraria: quo autem principium, diuersorum est origo: sic sensus communis est vis separata & diuersa sentiens, vt potentia multiplicis vsus ac officij. Sed videtur hæc Arist. solutio culpabilis sicut præcedens, eò quòd si quod est vnum numero, quanuis sit ratione multiplex, non potest recipere contraria, sequitur, vt vnum & indiuisibile (vt secunda solutione asseritur) non poterit simul contraria recipere, quanuis per varios diuersorum sensuum exteriorum canales immutetur: semper enim vna forma est, quãquam multis instrumentis vtatur: eodem igitur modo reprehendenda est hæc sicut præcedens solutio, cùm coincidant. Quid? quòd tota hæc Arist. commentatio eo desinit, vt sensus communis, qua vnus est, contraria non suscipiat, bene tamen qua diuersus: atqui hoc item est, ac in priori solutione dictum est, vt potentia illa re sit vna, ratione tamen diuersa: quare redit prior solutio. Hæret igitur Aristot. in hac parte, in qua expositores mirè dissentiunt, vt Simplicius, qui nõ ad communem ipsam sentiendi vim, sed ad animum hæc dicta refert: Themistius delirium mihi cõmentus videtur, qui quinque sensus exteriores sentiendi vi priuat, quibus tantùm tribuit, vt sensui communi quasi media & externa vehicula species sensibilium deferant: quod Greg. Nisen. lib. de viribus animæ 4. cap. 1. etiam docet, quòd vnus tantùm sit sensus, qui per quinq; organa cognoscit & speculatur: & ita non sensus, sed potiùs nuntios, plaustra aut vehicula appellares. Rursus si vrgeres non iam de cõmuni sensu, sed de aliquo particulari, vt visu, qui album & nigrum recipit, quæ sunt contraria: respondet Ioannes Grammaticus, nouam & inauditam adducens philosophiam, quòd non recipiuntur in anima

Centrũ sensu cõmuni ingeniosa assimilatio.

Reprehẽditur solutio Arist.

Mira expositorũ diuersitas.

Simpli.

Themist.

Greg. Nisen.

Philoponus.

neq;

neque in potentia, sed in sensorio, quod cùm corpus diuisibile sit, diuersis partibus contraria recipit: sed quomodo anima sine specie & imagine iudicabit, cognoscetve? Adhæc, cur in organo non recipiuntur species sicut in medio, aut speculo, vbi simul sunt contrariorum species? ergo non solùm oculi pupilla albi atque nigri species recipit, sed etiam ipse sensus communis, qui inter illa discernit. Augeo tamen difficultatem ex Aristotele, qui lib. de sensu & sensili ad finem in cap. 7. hanc eandem obiectionem priori solutione soluit: non erat ergo in præsenti reijcienda, licet posterior ob illam centri similitudinem plausibilis omnibus esse videatur. Nec alicuius est momenti asserere, Aristotelem dubitatiuè loquutum fuisse, & non assertiuè, cùm priorem solutionem reprehenderit, posteriorem verò cõmendarit. Tandem potuisset præfatam obiectionem leuissimè refellere vna quidem solutione sensibus omnibus atque intellectui communi, nempe, quòd species contrariorũ non sunt contrariæ, quia immateriales sunt & sine materia recipiuntur ab omni contrarietate depuratæ. Perplexus est locus, in quem tot grauissimi viri impegerunt, vtinam nos sine offensione euadamus: dicam tamen quod pro mei ingenij tenuitate conijcio; Primò, quòd priorem solutionem non culpat vt falsam, cùm eam lib. de sensu & sensili iam citato admittat, cuius non fuit Aristoteles immemor. Secundò, non tribuit solutionem illam facilem & veram, quòd species contrariorum non sunt contrariæ: hoc enim non latuit Aristotelem, sed hanc solutionem tacet, quia omnibus peruiam, & illam priorem reijcit, non vt falsam aut non amplectendam, quoniam re vera parùm aut nihil differt à secunda: & idcirco vna est sub silentio relicta, altera verò reprehensa: quoniam ad rem, de qua disputabat, illustrandam, manifestandúmque sensum communem, non erant tam accõmodatæ. Totus igitur Aristoteles erat in expendendo atque exponendo sensu communi, cuius naturam cùm pro viribus explicare contendat, idcirco eam solutionem affert, quæ magis ad id conducat: eò enim respiciunt & conspirant omnia, vt sensum communem exquisitè exprimat. Potuit enim multipliciter hoc argumentum solui, tamen ea eligitur solutio, quæ

Autor Arist. defendit & inductã reprehensionem repellit, & dubiũ resoluens, Arist. collisionẽ remouet.

ad præcipuum capitis scopum expeditiùs dirigit, atque sensibile & plausibile exemplum habet. Ex hac nostra coniectura alius remouetur scrupulus, videlicet quare toties Aristoteles hoc capite mentionem fecerit de sensu & intellectu: nempe propter duo, Primò, quia non solùm per sensum communem contraria recipimus & differentias rerum distinguimus, sed etiam per intellectum, quanuis per intellectum non vt sensibilia, sed vt intelligibilia sunt. Secundò, quia nondum exactè constat de distinctione intellectus à sensu: vtrunque igitur iungit, quoad ex sequentibus exquisitè constet de discrimine.

Quare de intellectu cũ sensu meminit Arist.

CONTROVERSIA
De organo sensus communis, atq; eius necessitate.

Vt huius capitis doctrinam absoluamus, superest sensus communis naturam in medium proferamus: nam de organo & loco, quo sensus iste communis residet, accipiẽdum nobis est ex Medicorum schola, vbi ex anatome atque humani corporis dissectione certiùs de hac re disceptatur: maximè, quia Aristoteles non fuit solicitus, vt id præsenti capite distinctè explicaret, hoc vno contentus, quòd centrum omnium sensuum vocauit, quò omnes exteriores sensus concurrunt, vnde etiam sensib⁹ externis virtus administratur. Spectat autem hæc prouincia ad Medicos, ab illis igitur exacta cognitio de sensorio sensus communis petenda est: præsertim cùm non possimus antiquam dissensionem Medicorum & Aristotelis determinare, an vis sentiendi à corde, an à cerebro primam ducat originem? Lege Aristotelem lib. 2. de partib. animal. cap. 1. & 10. & lib. 3. cap. 4. & de sensu & sensili cap. 2. ad finem, de somno & vigil. cap. 2. de iuuentute & senectute cap. 1. & 2. de animal. motu cap. 9. vbi cor principium dicit sentiendi, cùm Galenus cerebrum esse doceat. Nec nostrum est tantas componere lites, quanuis crediderim vtrunque ex parte verum sensisse: quoniam Aristot. cor inspiciebat, quod viuendi instrumentũ primum est, atq; naturalis caloris origo, ac proinde viuendi atq; sentiendi principium:

Organũ sensus cõmunis ubi situm sit.

Aristoteli, cor est sensoriũ primũ. Galeno, cerebrum est sentiẽdi radix.

Autoris cõciliatio.

sed Galenus proximam & coniunctam cõsiderabat, quæ cerebrum est, sua frigiditate æstus cordis temperans. Quare etsi cerebrum primam sentiendi causam Aristoteli non conferat, Galeno tamẽ proximam exhibet, quatenus moderationem caloris cordi præstat: origo igitur sentiendi à corde est, absolutio autem atque complementum in cerebro. Neque est, cur cum Medicis & Philosophis nos hîc excruciemur, meliùs fortasse cap. sequenti, dum reliquos cerebri sinuosos anfractus atque vẽtriculos considero. Fortasse enim Aristoteles vel sensum communem ab exterioribus non distinxit, sed vt vnum completũ sensum iudicauit (quod huius capitis vltima verba præ se ferre videntur, dum dicit, *Sed de principio quidem, quo dicimus animal sensitiuum esse, sit hoc modo determinatum*) vel referendus, vt cor sit sensus communis organum: nil moror. Redeat igitur eò, vnde diggressa est, disputatio, nempe vt de necessitate & vnitate sensus communis perfecta & elaborata cognitio sit: nam nostra enarratione docuimus priori huius cap. parte, sensus communis necessitatem demonstrari vsque ad tex. 143. inclusiuè, & sensum communem esse debere, ex hoc quòd sentimus nos sentire: quod nullus exterior sensus sine interiori præstabit. Secunda parte à tex. 144. ostendit vnitatem eiusdem sensus communis ex propria eius operatione, quæ est percipere sensationes & de eis discernere: quare quamuis non habeamus vnum nominatum obiectum sensus communis, tamen reipsa vnum obiectum est, in quo conueniunt omnes sensationes exteriores vt perceptibiles & dijudicabiles à sensu communi: quo autem nomine illa ratio appelletur, nos latet, re tamen ipsa vnitas est formalis, vt in enarratione literæ patuit. Quo fit, errasse Albertum dum dicit, obiectum sensus communis esse sensibile commune: tum, quia non reperiebat proprium obiectum ipsius: tum etiam, quia ipsa nominis allusione delusus & nominis communitate captus fuisse videtur, vt particularibus sensibus peculiaria obiecta, communi verò communia accommodaret: tamen sensus communis omnia sensibilia communia sentit non minùs quàm propria, cùm non feratur immediatè in sensibilia externa, nisi perceptis sensionibus exteriorum sensuum, quibus immediatè & per se primò perceptis, mediatè atque secundariò ad ipsa externa sensibilia excurrit. Nec audiendi sunt, qui metaphysicè potiùs quàm philosophicè sensum communem ab exterioribus sensibus distinguunt sicut genus ab speciebus: isti tamen non aduertunt, nihil percipi à sensibus particularibus circa propria & communia sensibilia, quod non percipiat sensus communis, & vlteriùs illorum sensationes percipit atque discernit, quæ omnia, vt in vno aliquo communi conueniunt, percipit, discernit, animaduertit atque obseruat. Maior est ista differentia quàm inter genus & speciem: quoniam sensus communis in sensibus externis non diuersificatur, sed vnus & idem numero est cum quinq; sensibus externis: sed genus in speciebus diuersum est, & differentia specifica diuersitatem generis facit, vt Aristote. 10. Met. tex. 24. & ibi Sanctus Thomas lectio. 10. Est ergo prima sensus communis necessitas, percipere atque sentire quòd sentimus, vt prima parte cap. demonstratum est. Secunda discernere & dijudicare inter sensiones & sensibilia sensuum exteriorum, vt secunda parte cap. ostenditur. Tertia, vt sensus externi possint sentire: ideo tex. 149. comparatur centro, quia ab ipso demandantur spiritus, quibus quinque sensus externi, veluti sensus communis satellites & nuntij, sua obsequia debitè exhibeant. Vnde sensus communis est prior sensibus exterioribus, quatenus spiritus & sentiendi vim impartit: est etiam posterior & finis in receptione formarum: quoniam sensibilium cognitio priùs est in sensu externo, demandata tamen virtute ab interno: at sensationum ipsarum perceptio primùm est in sensu communi: vt videas admirandam naturæ contentionem, vt omnia ad vnum reuocet, & sensus externi ad communem reducantur, qui de exteriorum functionibus dijudicet & eos sua virtute contineat. Vnde nouum sese nobis offert argumentum contra Albertum, videlicet quòd sensus communis non dicatur versari primò & per se circa sensibilia communia: quoniam sensibile commune (vt cap. 6. patuit) non immutat nisi per speciem sensibilis proprij, quam modificat: ergo cognitio sensibilium communium pẽdens est ex pro-

1. cõclusio, necessarius est sensus cõmunis qui vnus est.

2. cõclusio contra Albertũ, sensus cõmunis nõ distinguitur ex sensibili cõmuni.

3. cõclusio, sensus cõmunis ad particulares, est vt genus ipsorum.

4. cõclusio, sensus cõmunis multis de causis necessarius.

Sensus cõmunis & exteriores habẽt se sicut prius & posterius.

Iterũ Albertus refutatur.

propriorum cognitione: igitur cùm sensus ipse communis non alio modo percipiat immutationem exteriorum, quàm ipsæ sunt, fit, vt non priùs immutetur à sensione exterioris sensus, vt est sensibilis communis, quàm vt est sensibilis proprij: & si altero modo debeat priùs immutari, id quidem erit rationi magis consentaneum, vt à proprio prius natura quàm à communi immutetur, cùm sensationes illæ factæ sint à sensibilium propriorum speciebus, quas sine materia exteriores sensus recipiunt: tamen cum sensu communi (vt in secundo sensibilitatis gradu) altiùs vniuntur: quoniam quæ sunt in inferioribus diuisa, vniuntur in superioribus. Quare sensus cõmunis à quinque exterioribus sensibus separatur, primò organo, secundò obiecto, nempe hoc, quod est percipere & iudicare sensiones ipsorum sensuum exteriorũ: tertiò iudicio, quia de omnibus sensibilibus discernit: quartò, quoniam ad sensibile externum immediatè non refertur, nisi mediante perceptione sensationum, ad quas primariò respicit, quibus mediantib' sensibilia ipsa externa assequitur: quintò, quòd nullus exterior sensus neq; propriam, neque aliorum sensuum sensationes percipit: sensus autem communis, quando propriam sensationem non percipiat, omnium aliorum exteriorum sensuũ sensationes cognoscit. Ex quibus omnibus sequitur, quòd immutationes sensuum exteriorum & communis sunt differentes specie: quoniam sensus exteriores immediatè à sensibili externo, sensus autem cõmunis nõn nisi mediante sensatione immutatur: quare species respectu horum sensuum in eadem proportione atque gradu specie differunt: quoniam species in sensu communi imagines sunt repræsentantes sensiones & immutationes exteriorum sensuum per modum obiecti. Sequitur etiam, quòd sensus externus immutatus ipsum communem sensum mouet atq; immutat: vnde sicut sensibile dicitur mouere atque agere in sensum exteriorem, ita sensus exterior in ordine ad communem actiuus est, & ea ratione nobilior est exterior atque præstantior: quoniam agens à toto genere nobilius est & præstantius passo, tametsi pati sit perfectiuè: ideo secundũ hanc rationem pati immaterialiter meliùs præstat, quàm agere aliquod: atque pati, intelligendo cum tanta nobilitate & perfectione intellectionis, excellentiùs est quàm agere vilia. Et sic respondet Sanct. Thomas 1. par. quæst. 79. artic. 2. ad vltimum comparando intelligere, quod est pati, ad vegetare, quod est agere: sed hîc agere exterioris sensus magis præstat, quã pati sensus communis, sicut agere sensibilis externi excedit pati ipsius etiam exterioris. Patent ista ex dictis suprà quæstione de sensu agente.

Discrimina inter sensus externos & cõmunẽ.

Immutationes & species sẽsus cõmunis & exteriorum specie differunt.

SVMMA CAPITIS.

Ad dubitationem, si sentiamus nos sentire, priùs implicita quadam respondet cõclusione, sensum communem esse: posteriùs apertiori conclusione vnitatem sensus communis ostendit, atq; obiectionem diluit.

Si sentiamus nos sentire eodem sensu an alio, dubitationem habet, cùm visus, verbi gratia, visionem suam non videat: quia visio ipsa color non est, neque colore delibuta. ¶ Cùm enim rei sensibilis atque sensus vna eademq; sit operatio, quæ in sensitiuo est, immutatio sensuum exteriorum passiua est ab ipsis sensibilibus effecta: ob id sensibus externis non sentimus nos sentire. Nihilominus sensibilium excellentiæ sensus ipsos disturbant, cùm eorum proportioni & rationi nõ accommodantur. ¶ Cùm sensus communis non solùm alicuius sensibilis obiecti diiudicet differentias, sed de omnibus sensibilibus sententiam ferat & comparationes faciat, necessariò vnus erit indiuisibilis: secus si omnia illa non cognosceret, neque perciperet, neque discerneret inter ipsa. Quam ob causam non solùm ab indiuisibili potentia procedit comparatio, sed indiuisibili etiam tempore fit. ¶ Et si obiicias, idem motibus agitari contrariis? non respondebis accommodatè, quòd sensus ille communis numero & subiecto sit indiuisibilis, ratione tamen diuisibilis: nam qui fiet, vt idem simul & semel contraria recipiat? accommodatiùs ergo dices, sensum communem similitudinem habere cum centro circuli, quo bis vtimur, vt principio scilicet, & vt fine linearum. Sic etiam sensus iste communis bis accipiendus, & quamuis vnus sit, vsum tamen habet duorum, principij scilicet, & finis. Vnde constabit sensus communis necessitas, vnitas & vtilitas.

Dubitatio.

1. conclu.

2. conclu.

Obiectionis solutio.

T 2 Cap-

CAPUT XV.

De sensibus internis alijs à sensu cōmuni, præsertim de imaginatrice facultate, eiusq; discrimine à sensu & intellectu.

Tex. 150 Vm autem duabus Prisci differētijs maximè definiant animam, motione, in quā, loco accōmodata, & intelligendo, & discernēdo, ac sentiēdo, cōsiderandum est, si quid intersit inter intelligere, ac sentire. Videtur nanque tam intelligere, quàm etiam sapere, veluti quoddam esse sentire. Etenim his vtrisque rerum aliquas anima discernit, atque cognoscit. Et Veteres idem esse sapere, sentireq; cēsent, quemadmodum & Empedocles dixit:

Ad præsens, hominum crescit sapientia semper.

Et alio rursus in loco:

Hinc varia his semper prudētia somnia mostrat.

Idem & Homerus his carminibus sensisse videtur:

Tales nanq; insunt mentes mortalibus ipsis,
Quales quotidie summi fert rector Olympi.

Ratio methodi. Omnem subitam mutationem vituperat Hippocrates Aphorism. 51. eam verò laudat, quæ sensim fit. Iam enim de sensu sermonem absoluturus, ne molestiam adferat repētina mutatio, paulatim nos ad tractādū de intellectu assuefacit, dum distinguēdo imaginationem ab intellectu, viam ad intellectus inquisitionem aperit, atq; secūdum librum cum tertio cōnectit, ad quem iam nos disponit & præparat. Proximo cap. *Cap. scopus.* sensus cōmunis facultatem ostendit Arist. nunc verò de alijs facultatibus sensitiuis internis agit, præsertim de phantasia nunc à sensu distinguendo, iam verò ab intellectu, eiusq; partibus separando: demum eius vtilitatem proponēdo, exquisitè determinat, ne ex abrupto ad tractatum de intellectu accedat, sed istius libri finis tertium expostulare videatur. Et principiò incipit imaginationem à sensu & intellectu separare (pleriq; nanq; antiquorum sentire idem quòd intelligere esse dicebāt) pro quo Empedoclem inducit, cui placuit, sapientiam crescere secundùm præsentia, id est, sensibilia: Empedocli autem iungitur Homerus, qui tales mentes dicit, quales mortalibus parens hominum genuit, hoc est, Cælum aut Sol, quibus, tanquam corporea vis, mens subditur (& voluntatem organicam eadem ratione censent) quare intellectum omnimodo transmutari secundùm cognitionem & obliuionem sicut & ipse sensus. An verò istos tueri aliqua ratione possim (vt pleriq; grauissimorum virorū faciunt) non est quòd nos vexet, cùm non valeamus cum tāta antiquitate contendere: Aristoteli nanq; vel credendum est, vel eius vestigijs inhærendum: licet enim fingat hostem, id tamen nobis pro veritate eruenda nimium prodest. Nec nos quidem agimus Homeri aut Empedoclis defensorem, sed Aristotelis interpretem: & quicquid de veritate sententiæ horum sit, meritò eos de vulgari & populari intelligentia redarguit, quæ iam apud vulgus nostra etiam tempestate increbruit, quòd sensibus plus nimio indulgeat, quo studio à brutis nec latum culmum differat. Horum igitur argumentum erat, cùm animam motu & sensu cognoscerent (vt lib. 1. cap. 2. retulimus, & cap. 3. impugnatum est) & quòd animata à sensibus moueantur, & cognitiua sentiāt, sapere nihil aliud esse videtur, quàm sentire: nam si cognoscere idem est quòd sapere seu intelligere, & cognoscere idem etiam est quòd sentire, fit, vt sapere atq; intelligere idem sit quòd sentire: cùm nemo non videat, quàm vitiosa & fallax sit argumētatio, quę ex indefinitis sumitur atque à superiori ad inferius affirmatiuè, vt si quia animal idem est homini & equo, in ferre velles hominem esse equum, idem vitium cōmisisses, quòd quia cognoscere cōuenit cum sentire & intelligere, sentire & intelligere idem sint. *Arist. exponitur, non defendūtur veteres.*

Etenim

Etenim omnes hi putant, ipsũ intelligere corporis esse perinde, atq; ipsum sentire. Et sentire simili simile arbitrãtur & sapere, vt in superioribus diximus locis. Oportebat tamẽ ipsos de errore quoq;, deceptionéve disserere. Sunt enim hæc magis propria animaliũ, pluśq; id tẽporis est, quò in his animã versatur, vt patet. Idcirco necesse est, aut vniuersa, quę videntur, vt quidã inquiunt, esse vera: aut dissimilis rei tactũ, errorem esse, deceptionémve: quippe cùm id sit contrarium illi, simili, inquam, cognoscere simile. Videtur autem & deceptio, & scientia cõtrariorum esse eadem.

Horum autem secũdam rationem annectit Arist. quia cùm cognitio fiat secundùm assimilationẽ, non posset mens nostra corporea cognoscere, nisi & ipsa corporea esset (vt 1. de Anima c. 2. à tex. 23. ad 28.) nihil ergo intellectus à sensu differret. Sed non fert Arist. hãc ratiocinationem, ideo statim dissoluit: quoniã, inquit, deceptionis & ignorantiæ, quæ nobis est familiarior, nósq; pluri tempore comitatur (est enim intellectus noster à principio velut tabula rasa) nullã isti causam assignarunt, quod vitiosum est in scientijs, cùm scientia debeat esse cõtrariorum: at verò cognitionis & non deceptionis causam dixerunt.

Tex. 192. Non idem igitur esse sentire, ac sapere, patet: illud enim omnibus animalibus, hoc valde paucis inest. At neq; intelligere idẽ est, ac sentire; intelligere, inquã, quo rectè, atq; nõ rectè res percipi solet: Quod nãq; rectè percipit, idest prudentia, & scientia, atque opinio vera. At quod non rectè, id est nimirum his dictis cõtrarium. Etenim propriorum sensus semper est verus, & vniuersis animalibus inest. At fit, vt falsò quoq; quis ratiocinetur, neque cuiquam competit, cui non inest & ratio.

1. Arist. cõclusio. Contrariam conclusionem ponit Arist. nimirum quòd sentire neq; sapere sit, neq; intelligere: quare sensus non est intellectus. Primò probat à partibus subiectiuis: quoniam sentire in omnibus animalibus reperitur, intelligere autem in paucis, nempe hominibus. Secundò ab his, quæ sensui & intellectui obijciuntur: quia sensus semper est verus (vt suprà cap. 6.) at non semper cùm ratiocinamur, rectè per prudentiã colligimus, aut verè per scientiam & opinionem. Cùm autem audis Aristotelem dicere, intellectum non esse semper verum, nõ intelligas de simplici apprehensione, cùm respectu sui simplicis obiecti semper sit verus (vt lib. 3. de Anima tex. 26.) sed de cõpositione & diuisione, circa quam verum & falsum est (vt procemio Periherm.) *Quo modo sensus semper verus & intellectus.* Aduerte iterum, quòd sicut (suprà cap. 6. huius) sensus primò respicit sensibilia propria, in quibus percipiendis non decipitur, secundariò tamen mediãtibus proprijs respicit communia, ad quæ refertur sicut ad conclusiones: ita intellectus, quasi communitata nominum proportione, primò communia quædam principia respicit, per quæ deinde ad conclusiones, quasi ad propria & à se fabricata obiecta, referatur: ideo respectu communium semper intellectus est verus, respectu autem propriarum conclusionum quandoq; verus, quandoque falsus. Huius rei tam in sensu, quàm intellectu persimilis ratio esse videtur: quoniam sicut in sensu cognitio propriorum fundamentum est & ratio ad cognoscendum cõmunia sensibilia, ita in intellectu cognitio communium principiorum fundamentum est & ratio ad cognoscendas conclusiones; idcirco Aristot. sentire à sapere & ab intelligere distinxit: est enim sapere mentis operatio, quæ cognitio principiorum appellatur, quæ est citra vllam ratiocinationem, sed ex sola cognitione habetur.

intelligere verò ad conclusiones in præsenti referr, quarum cognitio discursu possidetur. Quamobrem cùm intellectus pluribus modis sibi constans sit & verus, sensus autem non nisi vno modo, sensus causa erit deceptionis intellectus: nam cùm phantasiæ coniungitur, varia repræsentat, & meliora deteriorum præsentia adulteratur: quoniam quæ meliora sunt, abstrahuntur à præsenti tempore, quo trahitur sensus, vt lib. 3. de anima tex. 53. auocanda igitur est mens à sensuum illecebris, & præsentia pro futuris commutanda, compensandaq; ne malitiæ fermentum & falsitatis fomentum sensus seminare incipiāt.

Tex. 153 Imaginatio nanq; diuersa est à sensu, menteq;. Atq; neque hęc fit sine sensu, neque existimatio sine hac esse potest. Non idem autem esse imaginationem, existimationēve, patet: hic enim affectus in potestate nostra sine controuersia collocatur. Licet nanq;, cùm libet, fingere quicquid volumus, atq; ante oculos ponere perinde, atque ij faciunt, qui in artificiosæ memoriæ cōparatis, atq; dispositis locis imagines fingunt, atque simulacra collocant. At opinari in nobis non est situm: necesse est enim, opinātem aut veram, aut falsam existimationem habere.

Altera Philosophi conclusio. In communi distinxerat intellectum à sensu: iam speciatim rationales partes & habitus ab irrationalibus separat, & ponit alteram conclusionem, scilicet quòd licet imaginatio non fiat neq; sit sine sensu, tamen & à sensu & ab intellectu separatur: qua conclusione intendit Arist. intellectum separare, non tantùm à sensu exteriori (vt præcedentis tex. conclusione) sed etiam à sensu interiori, nempe ab imaginatione. Idque probare primò videtur ex ordine facultatum: quia cùm imaginatio siue existimatio à sensibus simulacra recipiat, quibus in mente variæ nascantur opiniones: ergo ex ordine facultatum debet colligi earum distinctio: igitur phantasia aliud quid est à sensu & intellectu, vtpote quæ & à sensu recipiat, & intellectui subseruiat: ergo sicut imaginatio præsupponit sensum, ita intellectus imaginationem prærequirit. Idem enim argumentum colliges de existimatione, quæ vel non est ab imaginatione distincta, vel sine imaginatione esse non potest: sicut ergo phantasia non est sine sensu, ita neque existimatiua sine imaginatiua. Quòd autem imaginatio ab opinione differat, probat: sed ante probationem, ne confundaris, aduerte, quòd existimatio variè vsurpatur præsenti tex. vsurpauerat enim pro existimatiua, nunc verò pro opinione, quæ in intellectu est, accipit: & causa huius æquiuocationis esse videtur, quia cùm phantasia ab apparentia nomen trahat, sicut in sensibilibus circa phantasiam apparentibus variè existimamus, ita circa intelligibilia variè opinamur: vnde quod in phantasia est existimatio, in intellectu videtur esse opinio: ita etiam 3. de Anima tex. 20. & 48. & 56. vbi plura habes de hac re. Sublata igitur nominis offensione, ad probationem redeamus: imaginari prout libet in nostra potestate situ est, vt fingere in aëre exercitus bellantes, volantia nauigia, montes aureos, Chimæram, Hippocētaurum, perinde ac Rhetores solent loca & imagines pro suo arbitratu in subsidium memoriæ componere: existimare autem aut opinari liberum nobis non est, quia non sunt sine assensu aut dissensu: hoc autem rationem comprobantem requirit. Quòd si Aristoteli opponas, contingere in nobis molestas quasdam imaginationes minimè vocatas, sed intrusas, quæ nos inuitos lacessunt, & nobis repugnantibus hęrēt absq; vllo prorsus arbitrio nostro aut ātio libito: de quib. D. Paulus ad Rom. 7. quærebatur dicens, sentio aliam legem in membris meis repugnātem menti, &c. E contrario verò quædam opiniones sunt necessariæ, vt illæ, quæ apud Dialecticos primæ opiniones vocantur, vt quæ ex terminis habent suæ probabilitatis connexionem, vt matres diligere filios suos; aliæ sunt, quæ ex imperio & pia voluntatis affectione pendent; aliæ quæ ex naturali propensione & inclinatione

Conclusio.

Existimatio variè apud Aristotelem.

Discrimē inter imaginationē & opinionem.

D. Pau.

tione sese produnt, vt cùm belligerandi aut pacem sectandi pro animi aut ferocitate aut mansuetudine pullulant opiniones, aut sanè cùm probabilia sunt in æquilibri, impetu voluntatis aut quouis alio poterit minimo momento ad partem alterutram determinari: malè ergo Aristot. docuit nullam opinionem nostri esse arbitrij. Facile tamen est mentem Aristot. intelligere, qui non respexit ad ea, quæ per accidens sunt, sed ad ea, quæ per se imaginationem & opinionem concernunt, penes quæ sunt distinguenda & separanda, scilicet quòd liberè, hoc est, absque vlla ratione & causa liceat nobis imaginari & fingere: at opinari non sine causa, aut ratione aliqua attrahente & verisimiliter inducente atque inclinante.

Tex.154 Prætereà, cùm opinamur aliquid malum esse, atque terribile, cōtinuò perturbamur. Similiter & cùm opinamur quippiā esse tale, vt in illo sit confidendum. At cùm imaginamur talia, perinde afficimur, atque si in pictura, eadem spectaremus. Sūt autem & existimationis ipsius hæ differentiæ, scientia, & opinio, & prudentia, & ea, quæ sunt hisce contraria. De differentia quorum, alius sit sermo magis ad idipsum accommodatus.

Differentiam opinionis & imaginationis tertiò ex effectis ostendit, ex his scilicet, quæ consequuntur: quia cum opinione terribilis statim perturbatio animi adest, & cum opinione conuenientis voluptas adest & lætitia, vel iuxta rei conditionem variè afficimur, quod phantasiæ non contingit: non enim magis terremur aut delectamur, quàm si picta in pariete videremus, quę nec dolorem, licet terribilia sint, nec voluptatem inferunt, licet iucunda: opinio ergo & existimatio non sunt sine spe aut timore futuri boni aut mali, aut alio præsenti affectu: imaginatione autem nullo ex his affectibus perturbamur: ratio est, quia imaginatio simplex est apprehensio: existimatio autem & opinio iudicium addit de conuenientia aut disconuenientia, sicut cùm eleuato flagello equus timet, & quando in somnis adest iudicium, vt cùm in aqua, aut speculo canis videt panem, aut catus suam contemplatur imaginem: ex vehementi enim imaginatione solet sequi iudicium. Deinde ponit existimationis, id est, intellectus (nam vsq; ad sequentem tex. extimatiuam non distinxit ab intellectu) differentes habitus, vt scientiam, opinionem, prudentiam, & horum contrarios, de quibus, inquit, alibi determinandum esse, vt lib. 6. Eth. & libris Post. de quibus vlteriùs tractandum non est, sed de eis meminit, vt quod de minimo & viliori, scilicet de opinione tractatum & probatum est, de cæteris intelligimus esse demonstratum.

At verò cùm diuersum sit sentire, ac intelligere, & huius aliud imaginatio, aliud existimatio esse videatur, de imaginatione primò, deinde de altero dicamus oportet. Si igitur imaginatio, id est, phantasia, sit id, quo visum, phantasmaque aliquod in nobis dicimus fieri, & non aliud quicquam, quod per translationem hoc eodem nomine nuncupetur: ipsa profectò vna quædam est potentiarum earum, aut habituum, quibus discernimus, & aut verè percipimus, aut falsò. Tales autem sunt, sensus, opinio, scientia, intellectus. Tex.155

Altera appēdix cōclusio. Corollarium infert Arist. cùm determinatum sit, intelligere differre à sentire & imaginari, & huius quod est sentire, pars quædam sit extimatiua: & quod dictum est de imaginatione (à sensu atque intellectu differre) subinde dicendum est de existimatione, à sensibus scilicet externis, similiter

liter & ab intellectu differre: & ita explicatus textus facilis est & nullum habet miraculum, & cum antecedentibus & consequentibus connexionem habet. Explicat deinde nomen phantasiæ, quę dicitur à visis & ab apparentibus, quod dupliciter cōtingit: vno modo impropriè, communiter & metaphoricè, vt apparere & videri in omnibus reperitur potentijs, & sic per trāslationem dicitur & conuertitur cum vnaquaq; potentia, cui solet esse intra limites sui obiecti apparitio quædam. Hoc autem dicit Arist. quia definiturus phantasiam, à definitionibus & scientijs atque doctrinis reijciendæ sunt metaphoræ, vt contra Platonem arguit 2. Post. cap. 15. sicut quando dicimus, imaginamur, prouidemus aut intelligimus: & sic, inquit, imaginari translatiuè in mente & in habitibus intellectualibus, opinione, scientia & intellectu reperitur. Roganti, quare hos duntaxat habitus posuit, non sapientiam, non prudentiam, non artem? respondebis, quia omnes alij ad hos reducuntur: quoniam si sunt de dubio, ad opinionem: si de re certa vt principiorum, ad intellectum reducitur, vt sapientia: si conclusionum, ad scientiam, vt in agibilibus prudentia, & factibilibus ars. Quare valet argumentum Arist. à partibus sufficienter distributis & enumeratis saltem in virtute: quia hîc non est proprius locus, sed ex professo in libris citatis determinatur: meritò ergo inter omnes habitus intellectuales tres tantùm nominat, scilicet opinionem, scientiam, intellectum. Cùm autem vides in illis vltimis verbis tex. *Tales autem sunt, sensus, opinio, scientia, intellectus,* connumerari etiam sensum, intellige cum S. Thom. quòd præter sensum sunt illi tres habitus: de sensu autem, id est, phantasia iam dixerat, quomodo percipiat, & non refert sensum secundùm propriam opinionem. Quocirca reperi versionem ita legentem, *Huiusmodi autem sensus sunt opinio, scientia, & intellectus*, hoc est, pro hac sententia sunt isti tres habitus. Sed ponamus quatuor, de quorum numero sit sensus, qui licet non habeat iudicium veri & falsi, ita vt sciat & cognoscat, quod verum, quod falsum sit, tamen habet iudicium verum vel falsum: vel quia phantasia non est discretiua veri vel falsi, dic sensum sumi pro ea phantasia per translationem, de qua erat sermo: at mihi S. Tho. sententia placet.

Phātasia translatiuè in omnibus.

Ad tres habitus reliqui reducuntur.

Textus litera expēditur.

D. Tho.

At ipsam non esse sensum, ex hisce patere potest. Sensus enim vel est potentia, vel operatio, vt visus, vel visio. Atqui nonnunquam neutrum est istorum, & tamen apparent aliqua, videmurque videre, vt ea, quæ in somnis apparet. Deinde sensus quidem semper adest, imaginatio autem non semper. Quòd si idem esset imaginatio, ac operatio, bestijs imaginatio profectò cunctis inesset: at non esse videtur, vt api, aut formicę, aut vermi. Pręterea, illi quidē veri sunt semper: imaginationes verò plures fiunt, vt patet, falsæ. Præterea, cùm exactè circa sensibile operamur, non dicimus hoc nobis hominem videri, ac apparere, sed potius cùm non clarè sentimus, quando etiam fit, vt sit verus sensus, & falsus. Atque nobis (quod quidem paulò antea dicebamus) clausis etiam oculis visa videntur, atq; apparent. Tex. 156

Exactè discreuerat Arist. sensum ab imaginatione, nunc autem vice versa imaginationem à sensu exquisitè separat (per sensum autem externum intelligit) Primò, quia si esset sensus, aut actu aut potentia, sed in somnijs est imaginatio, & non est sensus in potentia; cùm actu somniemus: neq; in actu, cùm sit sensus ligatus (hoc argumentum quamuis non probat imaginationem differre à sensu, prout facultas est, bene tamen probat discriminari, quando manet imaginatio, nullo sensu externo operante.) Secūdò iam de ipsa facultate demōstrat, scilicet quòd imaginatio non sit aliqua facultas sensus externa: quoniam animalibus perfectis, non orbatis, semper inest sensus, cùm tamen non semper imaginatio adsit, vt patet de infantibus, qui nondum

Alia cōclusio statuitur, nēpe, quòd imaginatio nō est sensus.

dum habent in imaginatione ſpecies, verbi gratia, maternorum vberum, ideo indiſcriminatim bobus, capræ, aut aſinæ vbera ſugũt, & flammas pro pomo arripiunt: quod eſt ſecundum Philoponi diſcrimen inter phantaſiam & imaginationem ſumptum ab infantibus, in quibus nimio capitis humore imaginatio ab operatione retardatur, ſicut præcedens ſumptum ab adultorum ſomnio. Tertiò, quia ſenſus omnibus ineſt, imaginatio verò non, vt patet de inſectis, vt formicæ, apes, vermes, quibus imaginatio non ineſt, aut vaga, incerta atque imperfecta. Scio tamen, apibus imaginationem tribui & memoratiuam, qua ſuorum recordantur alueariorum; non tamen habent diſciplinabilem (ſunt qui turdis & pſittacis diſciplinam non denegent, ſed alia res eſt, ex appetitu omnia pendent, vt lib. 3. cap. 6. 7. 8.) ſed certè apes in aluearia regreſſæ vix propria reperiunt foramina, niſi poſtquam vltrò citroq; volitarũt; quod eſt indicium incertæ imaginationis. Parùm tamen refert, non enim id agimus, vt de perfecta aut imperfecta apiũ diſputemus imaginatione, ſed vt, Ariſtotele enarrato, à ſenſu imaginationem ſecernamus (vt ſuprà tex. 20.) et hoc eſt tertium diſcrimen inter ſenſum & imaginationem: quia certum eſt, omnia animalia ſenſu conſtare, ſed incertum eſt, an inſecta certam, aut vagam habeant imaginationem, ſed potiùs naturali inclinatione & inſtinctu ducantur, & non alicuius potentiæ actu, ſicut inſtinctu naturali propter finem operantur. Quartò, quia ſenſus ſemper veri ſunt reſpectu propriorum obiectorum (vt dudum ex cap. 6. huius dictum fuit) ſed imaginatio vt plurimùm falſa eſt, quia ſpontanea & plena fictionis: & hoc eſt quartũ diſcrimen. Quintò, quoniam cùm aliquid præſens notitia intuitiua perfectè ſentimus, non ſolemus dicere videri aut apparere, quod eſt propriũ imaginationis, ſed adhuc clauſis oculis & ceſſantibus ſenſibus, plura videntur & apparent etiam dormientibus: à ſenſu igitur exactè diſcriminatur imaginatio.

Tex. 157 Atqui nec vllus habituũ eorum erit, qui veri ſunt ſemper, vt ſcientia, vel intellectus. Eſt enim & falſa imaginatio, non ſolùm vera. Reſtat igitur, vt perſcrutemur, ſi ſit opinio. Fit enim opinio & vera, & falſa. Verùm opinionem quidem ſequitur fides; quippe cùm fieri nequeat, vt hiſce quiſquam non credat, quorũ habet opinionem. Beſtiarum autem fides quidem nulli; imaginatio verò compluribus ineſt. Præterea, fides omnem opinionem ſequitur, perſuaſio fidem, ratio perſuaſionem. At imaginatio quidem quibuſdã beluis ineſt, ratio autem nullis.

Separata imaginatione à ſenſu, nũc eam ab intellectualibus & rationalibus habitibus diſtinguit: quoniam phantaſia quandoq; eſt falſa, ſcientia verò & intellectus, & illi omnes habitus, qui ad hos reducuntur, ſemper ſunt veri: cùm igitur inter hos imaginatio non connumeretur, ſeparanda eſt ab opinione, quod maximè eſſe videretur (eſt enim opinio quãdoq; vera & falſa, ſicut & imaginatio) ſed non eſt opinio: quoniam opinionem ſequitur fides & credulitas, & vt dicebamus, ſpes, timor, aut alij affectus; at imaginationi & opinioni nihil horum adeſt, ob id in beluis imaginatio reperitur, fides autem nunquam: ergo imaginatio ab omnibus habitibus intellectualibus diſtinguitur: non enim contingit opinantem non credere, quia opinio non eſt ſine fide: fides verò non reperitur ſine credulitate & perſuaſione, hæc autem abſq; ratione eſt impoſſibilis: ergo de primo ad vltimum, quicunq; habet opinionem, habet rationem, ſed nullum brutũ habet rationem, ergo neq; opinionem: fides tamen ex perſuaſione vt cauſa efficienti naſcitur (credimus enim his, quæ opinamur) fides enim apud Ariſt. non diſtinguitur ab opinione, quia fides opinio eſt formidoloſa, ſolùm addit vehementiam opinionis (eſt enim fides intenſior & vehementior opinio quædam) ſerpentes tamen adiurationibus non perſuadentur, ſed inuiti trahuntur verborum aut rerum vi, aut de ſecreta dæmonis arte. Non enim eſt cur de his hîc ampliùs diſputemus, ſicut nec de

Cõcluſionem ſubiicit, quod imaginatio nõ eſt opinio, aut aliquis rationis habitus.

Bruta nõ ſunt perſuaſionis capacia.

eicuratione ferarum, quæ persuasionibus non domesticantur, sed potiùs assuefiunt. Persuaderi autem & assuefieri longè sunt diuersa: quoniam persuasio non est sine ratiocinatione & discursu: assuefactio autem naturæ fit propensione aut consuetudine, quæ altera natura est: quare canis latrans pro rege Hispaniæ, & non pro rege Franciæ assuetus est & attractus timore, aut spe, quæ sunt duæ velut habenæ, quibus etiam ipsa iuuentus brutorum more trahitur ab ipso fine per motionem appetitus (vt lib. 3. cap. 6. 7. 8. & quæstione propria in illa tria capita.) Quocirca 3. Ethi. cap. vltimo dicit Arist. *Pueri cupiditate viuunt, & in his ipsis maximè viget appetitio rerum earum, quæ voluptate afficiunt*: hinc ergo est, quòd pueros sub pedagogo viuere oporteat, vt secundùm rationem cupiant, hinc voluptate afficiendi; illinc autem dolore deterrendi, vt si cum hominibus non persuadentur, saltem assuefiant, vt bestiæ.

Notandũ documentum pro pueris, & proprius corporibus coërcendis.

Tex. 158

At verò patet, nec opinionem esse cum sensu, nec opinionem per sensum, nec opinionis, sensusve coniunctionem, & per ea, quæ dicta sunt, & hac etiam ratione. Patet enim, si imaginatio sit opinionis, sensusq; coniunctio, opinionem nõ cuiusuis rei, sed eius esse, cuius est etiam sensus. Dico autem imaginationẽ, si sit coniunctio sensus, opinionisve, coniunctionem esse opinionis albi, & sensus eiusdem albi. Non enim erit ex opinione quidem boni, sensu autem albi. Apparere igitur, est opinari rẽ eam, quam sentit, non per accidens.

Illatio, q imaginatio nõ est mediũ cõpositũ ex sensu, & opinione.

Infert Aristot. phantasiam non esse aliquid compositum, quod ex sensu & opinione constet: nam si ex illis constaretur, contingeret quidem vnum ex his tribus sequentibus modis, Primò, vt esset opinio cum sensu, vt essentialiter esset opinio, quam comitaretur sensus. Aut secũdò opinio per sensum, hoc est, essentialiter opinio, quæ habeat sensum tanquam sui causam. Vel tertiò, vt sit vtriusq; complexio ex æquo, opinionis scilicet & sensus, atque adeò quòd sint vnius obiecti. Sic membratim textus est distinguendus, qui vt efficaciùs & dilucidiùs inducatur, argumentum Arist. procedit supposita duplici compositione: vna per se, vt substantiæ ex materia & forma: altera per accidens, vt subiecti & accidentis. Ideo exemplum posuit de albo & bono, de quibus vel est opinio vel sensus: & in prima & secunda acceptione procedit de compositione per accidens subiecti & accidentis, vbi vnum se habet substantialiter, alterum accidentaliter & concomitanter: in tertia verò acceptione procedit de compositione substantiali, vbi esset per se vtriusq; complexio, ita vt inter sensum & opinionem æqualiter esset medium, & vtriusq; extremi proprietates seruaret: at hoc falsum est, inquit Arist. quia opinio quandoq; vera est, quandoq; falsa, sensus tamen semper est verus: non seruaret igitur imaginatio conditiones eorum, ex quibus componitur, atque adeò nõ deberet alterius esse opinio ab eo, cuius est sensus, siquidẽ eiusdẽ sunt obiecti: vnde complexio vnica, & apparere aliquid secundùm phantasiã, nihil aliud esset quàm opinari: id autẽ nihil aliud est quã sentire, & non secundùm accidens, sed per se, quãdoquidem illud est per se obiectum & non per accidens. In hoc latenter Platonem reprehendit, qui in Philebo & Sophista ita definit, imaginari & apparere, vt sit opinari rem eam, quam quis sentit, non per accidens, sed per se: alioqui non possent in vnum & idem conformari & conflari. Sed fortè sentire aliter apud Arist. qui contrahit ad sensum corporis, aliter verò apud Platonem, qui de sensu mentis intelligebat, vsurpatur.

Duplex cõpositio, ut iste textus aperiatur.

Plato hic ab Arist. reprehenditur.

Collisio Aristotelis cũ Platone cõciliatur.

Tex. 159

At apparent nonnunquam etiam falsa, de quibus simul veram opinionem habet. Sol enim pedalis quidem apparet: at persuasum est, terra ipsum esse longè maiorem. Fit igitur, aut vt suam is opinionem, quam habet

an, abijciat, re modo eodem habente, non oblitus, nec suasus: aut si adhuc illam habeat, eadem sit necessariò falsa simul, & vera. At constat opinionē tum euadere falsam, cùm res mutata latet.

Idem corollarium, quòd imaginatio ex sensu & opinione non confletur, noua ratione confirmat Arist. nempe quòd contingat sensum falli, vbi opinio vera sit, vt cùm credimus & opinamur Solem terra, quam habitamus, lōgè maiorem, visui tamen pedalis apparet quantitatis: non posset igitur imaginatio ex illa opinione & sensu cōflari & conformari, cùm adeò repugnet: aut oporteret, inquit, vt sensu in sua sententia perseuerante, opinionem reponeremus: quod fieri nequit, nisi vno ex quatuor modis, Primò, vt corrūperetur ad corruptionem subiecti, Secundò ad desitionem obiecti, Tertiò propter corruptionem formalis rationis, quoniam alia suasio adest. Demum, quia res ipsa mutatur: ergo ibi subiectum idem & eodem modo manet, deinde sine variatione obiecti & absque vlla obliuione, præterea tertiò sine dissuasione, quæ de nouo accedat: & re eodem modo sese habente, fieri non potest, vt ex hac opinione atq; sensu imaginatio componatur: nam si quandoq; ex contrarijs aliquid cōponitur, illud non contingit in sua summitate & excellentia manentibus, sed refractis & ad mediocritatem quandam redactis: hîc autem neque sensus neque opinio circa propositum exemplum suam remittunt sententiam: ergo nō poterunt in vnius imaginationis compositionem intrare. Ratio hæc ducit ad impossibile, quòd simul verè & falsè de eodem opinaremur, cùm vtrunq; componentium in sua consistentia & excellentia subsistat: non vtique conformabuntur sensus falsus cum opinione vera, vt vnam constituant imaginationem: maximè, quòd cùm imaginatio sit motus factus à sensu secundùm actum, ergo iudicium imaginationis potiùs deberet trahi ad motum sensus & ei assimilari, quàm ad sententiā opinionis: falsum igitur est, quòd imaginatio sit sensus aut opinio, aut ex vtroq; conflata.

Quatuor modis docet Arist. opinionē corrūpi, vnde ratio vim maximā habet.

Rationis vis.

Tex. 160 Neque igitur vnum est istorum imaginatio, neq; ex his est coniunctum. Verùm, quoniam fieri potest, vt aliud moueatur ab ipso, quod motum est, imaginatio verò motio quædam esse videatur, & non fieri sine sensu, sed sentiētibus, & eorum etiam esse quorum est sensus, fit autem vt motus oriatur à sensu iā actu, quem quidē necesse est ipsi sensui similem esse: imaginatio motio hæc est profectò, quæ neque sine sensu nimirum esse, neque competere non sentientibus potest. Atque multa per ipsam id agere, pative contingit, quod ipsam habet, & insuper & veram, & falsam esse.

Postrema est huius cap. pars, qua vltima manus huic libro apponitur, vbi repetita in primis conclusione negatiua, q imaginatio neq; sensus sit, neq; opinio, aut aliquod tertium ex his, naturā imaginationis exponit, munera, nomē & vsum: itaq; hacten⁹ quasi ex cōmunib⁹ diuisoria methodo & sanè peripatetica (iuxta documēta lib. 2. Post.) determinatum fuit, quidnam sit imaginatio: iam verò à præsenti tex. quid ipsa sit, ex proprijs affirmatiuè definit, scilicet quòd phantasia est motus factus à sensu secundùm actum. Pro quo in memoriam reuocat distinctionem mouentium ex 8. Physi. cap. 6. quę eadem est agentium, vt 1. de gene. cap. 7. aliud est mouens mobile, aliud mouens immobile, in phantasia autem mouens est ipsum sensibile: quare phantasia non est nisi in habente sensum, qui motus à sensibili phantasiam mouet: atque adeò cùm omne mouens, quatenus mouet, sit in actu: sensus ergo, vt moueat phantasiam, in actu debet esse, vt dum actu animal sentit, apparitiones fiant in phantasia. Ideo præpositio. A; causam efficientem denotat: nam si sensus non sit in actu per speciem sensibilem, nihil phātasiæ imprimet:

Qua methodo definiatur imaginatio.

Imaginatio quatenus à sensu in actu fiat.

sermo

sermo autem est non de imperfecta phantasia insectilium, vt muscarum & vermiū, sed de perfecta, quę est in perfectis animalibus & habentibus iam exactum sensum, quæ tantam dicit habere cum sensu assimilatatem, vt sine sensu in actu non sit, id est, & cuius pulsatio atq; motio duret, sine qua nō contingit imaginari: commotio igitur spirituum in imaginatiua à motione & pulsatione sensuum nascitur: atque ob id similis est imaginationis commotio sensuum motioni: quia sicut motus sensus, qui immediatè est à sensibili externo, sensibili ipsi cōformatur, ita motus imaginationis à sensu est, ipsiq; sensui conformis efficitur. Vnde infert Arist. contingere in habentibus sensum multa pati à sensibus secundū imaginatricem facultatem, quæ quandoq; vera, quandoq; falsa sunt: dicit etiam contingere per ipsam multa agere (fortasse hic extimatiuā insinuat, quæ ab speciebus sensatis imaginatiuę quasi patitur) agit autem nimirum fabricando & eliciendo species altas, insensatas ab ipsis sensatis deductas.

Integra phantasię definitio explicatur.

Ex hoc textu completur phantasię definitio in hunc modum, Est motus à sensu factus illi similis, quam habens, secūdùm eā multa agit & patitur. In primis facultatem phantasiæ per actum & operationem describit: quia ex dictis c.4.tex.33. vbi actus, qui distincta habent obiecta, distinctionem potentiarum arguunt: rectè ergo ex actu potentiam ipsam notificat, vbi motus non pro mutatione & forma ipsa fluente sumitur, sed pro termino: quia imaginari alteratio quædam est perfectiua, cuius fieri simul est & factū esse: talis ergo sensatio est imaginatio, quę est terminus illius alterationis subitę & perfectiuæ. Secundò, quòd sit ille motus factus à sensu secundùm actum, nō quòd sensus ipse exterior aut communis actu agat, cùm contingat clausis etiā oculis imaginari (tex. 156.) sed quòd motio sensibilium & vis ipsorum adhuc maneat. Et ob id tertiò subditur, quòd imaginatio similis est illi sensui, non solùm quoad obiectum repræsentatum, sed quoad modum etiam repræsentandi indiuidualiter & cum alijs indiuidui conditionibus, vt hæc particula, imaginatio, ab intellectione differat & ab opinione separetur, quæ abstractorū sunt & vniuersalium.

Phātasia cum extimatiua cō prehenditur.

Quartò, secundùm quam multa agunt & patiuntur animalia, id est, apprehendunt sibi conuenientia & disconuenientia: quibus verbis extim brutorum cum imaginatiua compre aut cogitatiuam hominum cum eadē ginatiua inuoluit. Nam dubium maxim est, an distingui debeant? tum, quia ex salio docebimus, non esse nouum aliqu ventriculum in homine, qui cogitatiuæ d seruiat: tum etiam, quia nec Aristot. hoc loco distinguit: videtur ergo quòd non distinguantur loco & subiecto ab imaginatiua, sed solo nomine & ratione. Sed de hoc futura est peculiaris disputatio: quia Aristoteli sufficienter de omnibus sensibus tractasse visum est, si postquam actum est de communi centro quinque exteriorum, de sola phantasia verba facit, eāmq; definit, nulla facta de extimatiua aut cogitatiua mētione aut distinctione: reducit ergo omnes ad imaginatiuam, secundùm quam dicit nos agere aut pati multa: nam inde principium est motus & appetitionis, & vltima est resolutio in motibus expectanda (vt lib.3.c.7. latiùs dicemus.)

Ordo essentialis inter sensus externos & internos.

Ex quibus omnibus habemus, ordinem esse essentialem inter sensus, cùm externi ad communem ordinentur, communis autem imaginationi subseruiat, & imaginatrix extimatiuæ ministret: extimatiua verò, quæ in brutis est vltima, pedisequa est cogitatiuæ in hominib', & ita pręcedētes in sequētes agūt, subsequentes autem à præcedentibus patiuntur: quare sicut perfectio sensuum externorum ex ipsis sensibilibus est, ita imaginatiuæ perfectio à sensu communi deriuatur.

Species in potentiis specie differentibus, quomodo specificè differant.

Vnde fit, vt pro diuersitate obiectorū & potentiarum sit etiam differentia specifica specierum: quoniā sicut sensus externi species secundùm sensibile externum specificantur, sic in sensu communi species à sensationibus exteriorum sensuum: in imaginatione verò iam species immaterialiores sunt & à præsentia rei magis abstractę; verbi gratia, species visus colorem duntaxat repræsentat: species autem in sensu cōmuni vltra colorem, visionem etiam significat: at in phātasia vltra colorem & visionem, in absentia reseruat perceptionem ipsius sensus communis: & ideo tex. vltimo huius cap. & libri dicuntur imaginationes immanere. qui est locus pro asserendis speciebus satis apertus.

Species sūt in imaginatione.

Sensui cōmuni non conuenit definitio phātasię.

Rogabis verò, quo sensu communis à phātasia differat, cùm sensus communis sit motus factus à sensu secundùm actum similis illi, secundùm quem agit

agit & patitur sensus ...
& sine quorundam miraculo & perturbatione, quos hoc argumentum perterruit. Primò dissertim prima particula: quia motus sensus communis, quamuis sit receptiuus, principaliùs consistit in actione: eius enim interest sensiones externorum sensuum percipere, atq; discernere operationes: sed virtus phãtasiæ, licet etiam sit actiua, cùm sit facultas viuentis, quæ mouetur à principio intrinseco; tamen principaliter cõsistit in moueri & pati: Cuius signum est, quia reseruat species in absentia, ideo per motum definitur: communis autẽ sensus nec conseruat species, nec per motum rectè definies, sed quia percipit & iudicat. Præterea imaginatio non est motus factus à sensu in actu existenti, sat est præcesserit sensus, & quòd eius motio maneat in imaginatiua: sensus autem communis neq; sentit, neque percipit, neque iudicat, nisi aliquis sensus exterior absolutè & formaliter sit in actu: quoniam iuxta Arist. simulacra exteriorũ sensibiliũ per exteriores sensus consignantur & constituuntur ante sensum communem, qui hoc modo dicitur sensus externos continere. Vel faciliùs & breuiùs secundò respondetur, quòd imaginatio est motus vltimatus, nam est locus apparitionum, vbi immanent phantasmata: in sensu communi non immanent, nec sunt vltimatæ illæ motiones: quare species in communi sensu vel omnino non manent, vel in modico tempore sistitiæ, & in via corruptionis. Vide solutionẽ aliam in quæstione ad hoc caput ad primum argumẽtum, quæ sit tertia solutio, seu istarum absolutio.

Tex. 161 Atque id præterea fit, quòd sensus quidem propriorũ est verus, aut raro admodum suscipit falsitatem. At est sensus eius etiã rei, cui propria sensibilia accidunt, vbi iam fit, vt ipse sit falsus. Nam non est falsus, si album dixerit esse, sed si album, hoc, aut aliud esse. Est præterea communiũ sensus, quæ quidẽ perinde, atque propria, ijs accidunt, quæ sunt per accidens sensibilia. Dico autem motũ, & magnitudinem, quæ, vt patet, accidunt sensibilibus, circa quæ maximè error, deceptioq; fieri sensu potest. Motus igitur is, qui fit à triplici tali sensu, differentiam ob idipsum nimirum habebit. Atq; primus quidem, cùm operatio sensus adest, est verus, cæteri verò falsi etiam esse possunt, & præsente, atque absente, præsertim cùm à sensu longè sensibile distat. Si igitur nihil aliud imaginatio habeat præter ea, quæ dicta sunt, sitq; idipsum, quod diximus, ipsa: imaginatio, motus is est profectò, qui fit à sensu iam operante.

Declarat Arist. quàm ob causam phantasiam falsificari contingat, nempe cùm triplex sit sensibile, proprium, commune & per accidens (de quibus cap. 6. latè dictum est) & quòd sensus respectu propriorum sensibiliũ raro fallitur, respectu autẽ aliorum aliquando decipi contingit, saltem in comparatione quòd hoc sit illud vel aliud, cùm ad diuersa comparantur, aut propter organi defectum deficientibus sensibus, vt in febricitantibus, aut ob medij infectionẽ siue obiecti distantiam & debilitatem (distantia enim maxima est deceptionis causa) aut propter connexionem ad sensibilia ipsa communia, vel per accidens. Quid igitur mirum, quòd ex tanta varietate imaginatio ipsa in plurimis reperiatur falsa? Primò, quia effectus debilior est quàm causa, & maiorem admittit defectum: motio ergo sensus, à qua producitur imaginatio, cõtinuò est remissior, quo magis à sensu elongatur. Prętereà quia sensus in præsentia cõtemplatur sensibilia, imaginatio autem in absentia: sæpe igitur imaginantes decipimur similitudine sensibilium delusi: quo magis à sensibilibus elongamur, tanto debiliorem & minorem recipimus sensibiliũ similitudinẽ: ex his ergo & alijs non paucis colli- *Radix et causa deceptionis imaginationis.*

colligimus, falsam esse imaginationem in plurimis. Dubium habet litera hæc, nempe quomodo dicat Aristot. maximè accidere errorem imaginationis circa sensibilia cōmunia, cùm illa sint per se, atq; adeò quòd magis contigat errare circa sensibilia per accidens? Hic torquentur Granatensis & Peresius cum Philopono, vt probent, sic nudè & absolutè accipiendum, vt circa cōmunia magis quā sensibilia per accidēs decipiamur: & fingūt sibi friuolas causas. Vel quia sensibilia per accidēs sensibilibus proprijs propinquiora sunt, ideo magis de certitudine veritatis participabunt. Præterea quòd non intelligitur de exacto, sed de cōfuso iudicio, vt cùm hominem à longe spectamus, animal cognoscimus: & circa quietem errare contingit, & ita deceptio maior est in sensibili communi, quàm in per accidens. Rursum, quia sensibilia per accidens sentiuntur cùm aliquo sensibili proprio, vt lac cùm dulcedine, & ideo dulcedinis consortio certificamur de lacte: at sensibilia cōmunia nunquam sunt alicui sensibili proprio affixa, vt illius iudicio certa sint: variè ergo cùm accidāt sensibilibus proprijs, maiorem dicunt deceptionem esse circa communia. Tamen cura hæc & solicitudo frustra, mea quidem sententia, suscipitur, quoniam Arist. lōgè aliter est accipiēdus: nam postquam dixerat, quòd sensibile commune & proprium sunt in sensibilibus per accidens tanquā in subiecto, infert hęc verba *Circa quæ maximè error, &c.* vbi relatiuum Quę, vel solùm sensibilia communia refert, vel si sensibilia etiam per accidens referat, semper (siue vno vel altero modo referat) comparatio est sensibilium cōmunium cū proprijs, vel communium & per accidens cum ipsis proprijs, & non confert sensibilia cōmunia & per accidēs inter se, sed cū proprijs. Et sicut c. 6. dixerat, quòd sensus circa proprium sensibile est verus, ita dicit, quòd circa cætera sensibilia falsus esse potest: & sic litera plana est & absque fictione exposita. Quocirca consideratione dignum est, quòd cùm dicit Arist. *Atque primus quidem, cùm operatio sensus adest, est verus, &c.* sūt verba accipienda de operatione sensus externi in præsentia rei; nam illa non est operatio imaginationis: quoniam hæc nō operatur, nisi operatio sensus fuerit perfecta, atque adeò cùm iam abscesserint sensibilia: nam sicut in præsentia sensus verus est, ita mo[...]onem verus, & parùm hallucinatur imaginatio. Cùm igitur circa alia sensibilia multæ sint deceptiones, manet impressio sensibilis in phantasia, sicut vestigium anuli in cera: at in sensu cōmuni impressio sensibilis est velut anuli in aqua, quo separato nullum in aqua superest anuli vestigium: & sensùs externus non agit, non agēte sensu communi, à quo pendet velut causa secunda à prima: quia communis influit virtutem sentiendi externis, qua dicitur eos continere & discriminare: quandiu ergo operatur sensus cōmunis in præsentia sensibiliū, sensatio circa præsentia perficitur: igitur nondum operatur imaginatrix facultas, nisi perfecta sit sensus operatio: ideo non semper secūdùm sensum operatur, sed post sensum perfectū aliud operatur, quod mirè permiscet atque fingit: vnde vt in plurimum imaginatio falsa efficitur. Absoluit autem textum Arist. repetendo definitionem imaginationis illis verbis, *Ipsa imaginatio motus is est profectò, qui fit à sensu iam operante:* vnde inferre possumus, cæcos à natiuitate colorum, aut surdi sonorum non habere imaginationem. Sic etiam rectè infert Arist. 1. Post. cap. 14. quòd deficiente sensu, deficiet scientia illius obiecti: quia non sunt phantasmata, quæ sensus speculetur: species autem & immutationes sensibilium in sensus externos atque communem imaginationis sunt obiecta. Sicut enim intellectus nō est sine phātasmate, ita neque phantasia, nisi remotè à sensu externo mouetur; proximè autem à sensu communi.

Imaginatio quomodo circa sensibile commune maximè decipiatur.

Aliorum placitū.

Censura Autoris.

Imaginatio operatur sensu non operāte.

Obseruāda similia.

Cæcus nō iudicat de coloribus.

2. Physi. tex. 6.

Breuis & perspicua resolutio.

Cùm autem visus maximè sit sensus, hinc est, quòd nomē imaginatio ab ipso lumine sumpsit, phantasiaque dicitur, quia sine lumine visio fieri nequit. At quia imaginationes immanent, sensibusq; similes sunt, ideo per ipsas animalia, bestiæ, inquam, atque homines multa agūt. Illæ, quia mentis sunt, vt patet, expertes. Homines, quia mens perturbatione nōnunquā, vel morbo, *Tex. 160*

bo, vel somno submergitur. Sed de imaginatione quidem, determinatū sit hactenus: satis enim quidnā ipsa sit, & cur sit, hisce, quæ iam dicta sunt, explicauimus.

Phātasia cur sic appelletur? Rationem nominis phantasiæ exponit à Græco descendere, quod lumen significat, vnde omnes res apparent: ideo à visu, qui cæteris sensibus & spiritalior & magis cognoscitiuus, nomen habet & cum eo analogiam sortitur: quia sicut sine lumine non est visio, ita sine apparentia & relucentia rerum non fit phantasia, cui, cùm mouetur à sensu, in actu multa apparent. Phos Græcè lumen, Phanos apparentia, phantasia inde nomen habuit: quia status est & locus luminis, quo fit apparentia & formarum refulgentia: ibidem enim sistūtur & consignantur sensibilium formę. Ex hoc enim habes, in imaginatione manere species, per quas animalia abeuntibus sensibilibus mouentur: quoniam similis motus velut aculeus infixus manet. Dicit tamen *Obseru. 1.* Arist. quòd bruta imaginatione mouentur, homo verò ratione (lib. 3. de Anima cap. 7. & ibi in quæst. post cap. 8.) nisi quando intellectus forti aliquo obstaculo impeditur, vt magna passionis perturbatione, aut ira, timore, aut vlla alia concupiscentia, &c. vt cùm infirmitate, vt phrenetici, & furia, ebrietateve correpti, vel tādem cùm somno submerguntur, vt dormientes. Quibus de causis intellectus phantasiæ non prævalet, quo vitio iuuentus maximè laborat: quando igitur ratio aliquo horum morborum suspensa manet, eius loco substituitur phantasia, quę eius loco inuigilat, vt hominem regat, & lædentia fugiat, amplectatur cōuenientia: quanuis in homine, clauo & gubernaculo rationis remoto, pertenuis sit imaginatio & instinctus naturalis debilis & infirmus, si cum alijs animalibus conferatur, vel exiguus est & quàm obscurus. Quare patet, à quibus imaginatrix facultas distinguatur, quid ipsa sit, cuius gratia hominibus collata.

DVBITATIO

Vtrum præter sensum communem & imaginationem, alia facultas sensitiua interna sit constituenda?

De numero quinq; sensuum exteriorū, *De numero sensuū interiorū.* de eorum ordine atq; functionibus superiùs disseruimus, quos manifestas facultates cum Auicēna appellare possumus: iam verò de occultis & internis, quę intra cerebrum latent, nec foras per aliquod organū se produnt aut manifestant, dicere cogor, & de numero, ordine, distinctione atq; munere meam sententiam inuitus dicere compellor. Qua de re alios libentiùs audirem, & prouinciam hanc libentissimè detrectarem: siquidem in nulla re minùs mihi fido aut certus sum, cùm tot sententias reperiā, quot sunt scriptores: antiquo tamen meo more breuissimè & quo potuero distinctiꝰ, aliorum placita referam accommodatè, vt ipsorum erratis diligentiùs animaduersis, quid hac in re peripateticæ scholæ probabilius magis sit, exquisitè colligere quisq; vel mediocri valeat diligētia. Nemo autem *Argumēta contra has facultates sensitiuas internas.* miretur, adeò in his facultatibus variatum esse: quoniam abstrusæ sunt & occultę, pluresq; rationes, quæ doctissimos quosq; perturbare valeant: Nam in primis sensus cōmunis sufficere videtur pro omnibus alijs *1. argu.* internis sensibus; atq; adeò phantasia ipsa superflua erit? Collectio vim habet ex ipsa phantasiæ definitione hîc ab Arist. tradita, quòd sit motus à sensu secundùm actum, quæ sensui communi conuenit, vt intelligenti quæ proximo cap. diximus, satis erit perspicuum: maximè, cùm Arist. lib. de memoria & reminiscentia cap. 1. dicat, quòd phantasma communis sensus affectio sit. *Conf. 1.* Confirmatur primò, quia si componit sensus communis & iudicat sicut ipsa phantasia, quo dato, quid opus est, ipsam à sensu communi diuersam facere? Et ne dicas, necessarium esse, vt species in absentia conseruentur: tunc obstat quod Arist. lib. prędicto de memoria dicit cap. 1. & clariùs lib. de insomnijs cap. 2. sensus externos species in absentia aliquandiu seruare, quanto ergo amplius sensus communis præstare poterit.

2. Conf. rit. Confirmatur secundò, quoniam Arist. nullam præsenti cap. rationem tradidit, qua conuincat aut saltem insinuet, sensum communem ab imaginatione differre. Secundò
2. argu. principaliter: quia si phantasia ponitur solum, vt reseruet species (quoniã locus est, vbi reponuntur species tãquam in thesauro) superflua igitur erit memoria, quæ hoc præstat officium (vt ex lib. citato patet) si autem cognoscit & iudicat: ergo superuacanea erit extimatiua, quandoquidem ipsa phantasia fingit & componit siue sensibiles, siue insensibiles species: quare vtrũuis dederis, alteram potẽtiam superfluam esse
3. argu. fatearis est necesse. Tertiò, quia non constat neq; Philosophis, neq; Theologis, neq; adhuc omnibus Medicis exploratum est, neq; his omnibus neque singulis inter sese conuenit, aut de numero istarum facultatũ internarum, aut de numero ventriculorum
Galenus. ipsius cerebri, atque de eorum vsu: nam Galeno visum est lib. de differentijs symptomatum cap. 3. præter sensum communem, qui origo est & radix sensuum exteriorũ, phantasiam ponere, quę fingendi & permiscendi licentiam habet: præterea cogitatiuam addit, quæ iudicandi vi prædita est, sicut memoratiua reseruandi species facul-
S. Tho. tas est: quæ videtur esse sententia D. Tho.
Greg. Nissenus. 1. p. q. 78. art. 4. q. vnica de anima art. 13. & Gregorij Niseni lib. 4. de viribus animæ
Ioannes Damascenus. cap. 6. & 7. & Damasceni lib. 2. de fide orthodo. cap. 17. In contrarium est, quòd in cerebro vel non sunt tot ventriculi, vel nõ eo ordine siti aut non in eum vsum distin-
Vesalius. cti, vt ex Vesalio constat lib. 7. de fabrica corporis humani per totum, potißimùm cap. 1. & 6. quare cùm non sint nisi tres vẽtriculi, non erunt plures facultates sensitiuæ internæ, cùm potentia corporea non sit
Auicennas. fine organo. Auicennas tamen, prętor quatuor illas facultates, imaginatiuam ponit, quam à phantasia distinguit, eo quòd imaginatio componendi habet vim, phantasia
S. Tho. verò reseruandi. D. Thom. has duas non re, nec subiecto, neque adhuc ratione, sed sola operatione distinctas esse cognoscit. Alij verò sensum communem & phantasiam in eodem collocant ventriculo, nempe anteriori, qui pro prima sua parte seruit sensui communi, pro altera posteriori phantasię: medium autem ventriculum extimatiuæ brutorum & cogitatiuæ hominum accommodant: postremum verò ventriculum in cerebello occipitis existentem, locum dicunt & sedem memoriæ: & tamen video Aristotelem neque eorum ventriculorum meminisse, neq; mentionem fecisse de aliqua interna facultate, sed de solo sensu cõmuni & phantasia verba fecit: extimatiuam enim nec definiuit, neq; vsum eius à phantasia distinctum esse docuit. Res igitur hæc varia nimis est, cuius resolutio in hunc vsq; diem desideratur: in tam perplexa ergo cõtrouersia, vt aliquid certum definire valeamus, certa aliqua separanda sunt ab his, quę vt dubia meritò in controuersiam vocantur. Principiò quantum ex ipsa dissectione coniectare licet (quam maximè Vesalius loco citato ante omnes & obseruauit, & ex præstit) supponendum est, nos neq; plures neq; pauciores cerebri ventriculos habere, quàm cætera animalia (credendũ enim est magistris vsu & experiẽtia peritis) nisi quòd in eisdem instrumentis anima rationalis, quam Dei beneficio sumus sortiti, superiorem multò habet operationẽ, quam ex dissectione manifestare non possumus, quòd intellectio separabilis sit, atq; ab omni organo seiuncta. Quare tres ventriculos connumerat Vesalius, & irridet Theologos atq; Philosophos quosdam, qui quatuor ventriculos libere excogitarunt, & sine ratione & fundamẽto sententias nouas sibi arrogarunt (nõ, inquit, absq; graui impietate & Opificis Sũmi offensione.) Huius itaq; viri diligentißimi solicitudine scimus, cerebrum, quod primò anteriori parte vno ventriculo coniunctum est, vbi sensus communis sedes residet, deinde bipartitum & diuisum duos habere ventriculos, vnum ad dextram, alterum verò ad sinistram: à parte verò posteriori in occipite paruum quoddam cerebrum seorsum seiunctum est, quod gratia distinctionis cerebellum vocatur, quod alijs fortasis vsibus vitalibus, quàm cognitioni potiùs accommodandum videtur. Sed quicquid de numero ventriculorum sit, hoc mihi pro certo habeo, ex numero & distinctione cellularum ipsius cerebri non statim sequi, tot & ipsis finibus cerebri numero æquales esse potẽtias sensitiuas interiores: quoniam potest anima ventriculos aliquos habere, non ad animalem & cognoscendi vsum, sed ad vitales alios fines, aut spirituum animalium generationem: atq; adeò & posset anima vno eodẽmq; cerebri ventriculo vt pluribus

Aristoteles.

1. notabile ad colligendũ numerũ sensuum interiorũ, inefficax argumentũ ex numero vẽtriculorũ ipsius cerebri. Vesalius.

pluribus vti: quod plerique; de primo ventriculo ingenuè fatentur, cuius priorem partē sensui cōmuni, posteriorem verò phantasię accommodant. Quare in neutram partem efficax colligetur argumentum de numero & ordine sensuum interiorum ex numero & ordine ventriculorum: nō est ergo adeò momentosum, cerebri ventriculos, eorum situm, ordinem & numerum exponere: quia inde neque à priori, neque à posteriori quicquam manifestum in proposito nobis problemate colligitur: quoniā (vt dixi) illi ventriculi non solùm cognitioni subseruiunt, sed etiam ad spirituum officinam: est enim harum partium vsus nō simplex, sed geminus, quę ob hanc causam amplitudinē habēt & latitudinem: & sicut vnus & idem neruus linguæ diuersa sui dispositione geminus est sensus, gustus scilicet & tactus, ita in proposita controuersia. Idcirco postquā constat, quòd numerus facultatum internarum ex vētriculis cerebri minùs efficaciter colligitur: accipiamus iam secūdò, vnde efficax sit sumendū argumentum ad distinctionem & vnitatē potentiarum ex actib^9 & obiectis: quod supponendum est ex iis, quę c. 4. dicta sunt: sola enim ratio formalis obiecti vnitatē potētię tribuit, & diuersitas rationis formalis potentiā realiter diuersam facit. Qua de re vidēdus est S. Thō. 1. p. q. 77. ar. 3. ad 3. vbi Caiet. q̄ sola distinctio rationis in obiecto sufficit distinctionē realē facere potentiæ: quoniam distinctio de genere est imperfectorū, quæ, quāuis minima sit in obiecto, maximā inducit potentię distinctionē: principiū enim vi, quàm magnitudine maius est 1. de cælo tex. 33. quo magis distat à principio, maior est distinctio: pro hoc vide etiā annotata suprà ad finem c. 4. circa solutionē ad 3. & 4. arg. quo modo interpretaberis dicta à Ferrarien. 4. cōt. gent. c. 24. q̄ licet distinctio rationis nō sufficiat distinguere in esse principij productiui & realis, bene tamē in esse causę finalis.

Notab. 2. efficax via ad inuestigandas potentias interiores sensuum est distinctio formalis obiectorum.

Distinctio minor quāto minus infert, tāto maiorem.

Tertiò accipiendū id, in quo omnibus cōuenit, nemine dēpto, sensum cōmunē & phātasiā necessariò, vt duas facultates distinctas, realiter separari, modò in distinctis cellulis & ventriculis, modò in vno eodémque; collocentur, qui secūdùm primā partem vicē gerat cōmunis, secundùm autem posteriorem munia phantasię exerceat. Ita enim distinguit Arist. inter has facultates, nulla de organo mētione facta, sed per operationes & effecta discurrit: quod ex dictis proximo c. 14. satis patere potest, cùm sensus cōmunis radix sit & sensuum exteriorum origo, quorū sensiones percipit, atque; in sensibilib^9 pręsentia dūtaxat perficit, non tamen in ab sentia. In pręsenti autem cap. phātasia neque; radix ponitur sensuū exteriorum, neque; ab illorū pręsentia pendet: quare distinctas cū habeat operationes atque; obiecta, distingui realiter est necesse: & tex. 153. phātasia spōtè quicquid vult fingit, quod sensui cōmuni non conuenit, cui passio illata inest, neque; concipit nisi solas formas actū à sensibilibus defluxas. Et tex. 156. posita est conclusio, q̄ phantasiā à sensu differt: quod nō solùm de externo, sed etiam de cōmuni illo interno sensu intelligēdum: quia (vt ibidē dicitur) clausis oculis multa apparēt phantasię, cùm sensus cōmunis nihil videat, aut sine exteriorib^9 sensibus operetur: necessaria igitur est illorū sensuū internorū, cōmunis scilicet & phātasię, distinctio ex operationibus atque; obiectis reperta: sensus enim cōmunis species in absentia obiecti nō seruat, nisi fictas & adūbratas ad eum modū, quo Arist. loquitur lib. de insomnijs c. 2. Et fabulosum etiā est & contra essentialē ordinem potentiarū, vt ab imaginatiua ad sensum cōmunem sit specierū regressus, ita vt illis speciebus imaginatiuæ sensus cōmunis sentire possit: corporeę enim sunt istę potētię, quib^9 denegatur reflexio: & quoniā species, quò magis sunt interiores, eleuatiores sūt atque; immaterialiores, ideo improportionatę pręcedētibus potētijs, quę nō possunt immutare nisi secundū mutationē rectā à sensibilib^9 prouenientē. Iecimus igitur fundamēta, à quib^9 pręsens cōtrouersia pēdet, cuius totū pōdus eò inclinat, an extimatiua brutorū & cogitatiua hominū, similiter & memoria ab ipsa phātasia realiter secernātur? quia S. Thō. locis citatis videtur pars affirmatiua probabilior, quam deducit ex illo principio; quòd sicut in corporalibus aliud principium est ad recipiēdum, aliud ad conseruandum (vt sunt enim corpora bene receptiua ratione humiditatis, vt aër & aqua: sic alia retētiua & cōseruatiua ratione siccitatis; vt lignum & lapis) ita in spiritalibus oportet esse potentiam, quæ bene recipiat & alteram, quæ bene conseruet. Idcirco post absolutam sensuum exteriorū doctrinā, eorúmque; operationes à sensu cōmuni & perceptas & elaboratas in ipsa obiecti pręsentia, vbi bene recipiūtur (quia in obiecti absētia nullo modo cōseruātur)

Principiū tertiū, sensus cōmunis à phātasia distinguitur.

Quæ Thomis pūct. cū S. Thō. & cōmuni opinione determinatur.

S. Thō. fundamentū vnum.

V opus

opus erat potentia alia, quæ sic reciperet, vt in absentia etiam imagines retineret, quibus animal pro propria indigentia ad sua munia commoueretur: & hæc est phãtasia, in qua species immanent, ideo dicitur locus & sedes sensibilium formarũ: at quia animalia non solùm commouentur his, quæ senserunt, sed noua quædam proprio instinctu sibi colligunt, quæ nullo sensu externo percipi poterunt, necessaria est potẽtia, quæ has insensatas species colligat, per quam ouis lupi inimicitiam præsentit, atq; canis amicitiam cognoscit, herbam conuenientem aut disconuenientẽ discernit: hanc extimatiuam appellant, in homine verò cogitatiuam: quoniam propter affinitatem ad rationẽ quodãmodo est discursiua & intẽtionũ particularũ collatiua. Sed quia hæc velox est ad percipiendũ, tarda verò ad retinendũ, opus fuit altera potentia, quæ species ita ingeniosè elaboratas conseruaret: hãc in brutis memoriá appellãt, quã in nobis ob hominis præstantiá reminiscentiam vocãt: quoniá habet annexã oblitorum inquisitionẽ. De quibus Arist. lib de mem. & remin. & S. Tho. q. vnica de ãia ar. 13. conatur hãc distinctionẽ potentiarũ exactiùs ex

Alterum fundamẽtũ sancti Thomæ.

alio principio demõstrare, quia immutationes sunt diuersæ: à rebus enim vsq; ad extimatiuã semper est ascensus secũdùm gradus, ab ipsis rebus ad perfectiorẽ animæ statum fit ascensus: vbi autẽ ad memoriá ventũ est, ab anima ad res fit regressio: ex quo diuerso immutãdi ordine diuersitas poten-

Autoris opinio à S. Th. opinione diuersa.

tiarũ ostenditur ipsi S. Thomę. Multorum sanè est, atq; iam facta est ista sentẽtia opinio cõmunis, à qua discedere vehemẽter timeo: præsertim, cùm cogar S. Thomã relinquere, cuius dogmata quotidie nõ solùm tenenda & accipienda, sed venerãda & suspicienda esse, libentissimè prædico: verũ magis est amica veritas: igitur viã hanc ingredior, quam Arist. tenuisse crediderim, extimatiuam à phantasia nõ distingui, neq; adhuc memoriá à phantasia separandã, sed totum negotiũ internũ ipsi' sensus solo sensu cõmuni & phãtasia absolui. Priorem partẽ,

Extimatiua à phãtasia non est diuersa potentia.

quòd extimatiua à phãtasia non sit potẽtia distincta, probo: quia si esset potẽtia separanda, maximè propter rationẽ S. Tho. vt insensibiles intẽtiones eliceret & elaboraret, cõponeretq; fingẽdo atq; miscẽdo: sed hęc omnia Arist. phantasiæ accommodat, vt ex tex. 153. patet, vbi illis verbis, *Licet nãq; cũ libet, fingere quicquid volumus, &c.* adeò spõtaneam phãtasiam docet, vt quicquid libet fingere possit: quare si pro libito cõponit, miscet atq; fingit, ipsa est quæ insensibiles intẽtiones elicit & educit, aut sanè non pro libito fingeret. Adhęc tex. 155. hac ratione vrget, cùm dicit, *Et nõ aliud quicquã, quod per translationem hoc eodem nomine nuncupetur*, vt imaginari per omnem potẽtiam trãslatitiè diuagetur; & tex. 160. illis verbis, *Atq; simul ta per ipsam id agere, pati ve cõtingit, quod ipsam habet, &c.* quòd secundũ phantasiam & per ipsam phantasiam id (scilicet quod liberè fingit, de quo fuerat loquutus) agere & pati cõtingit. Quid? quòd per vniuersam huius prolixi cap. contexturã, in hoc multus, imo totus Arist. esse videtur, vt omnia phãtasiæ tribuat, quæ nos solemus extimatiuę accõmodare: quare vel fuit in hac re Arist. diminutus, qui extimatiuę nõ meminit: vel perperam extimatiuam cum phantasia cõfundit: aut quod est probabilius, extimatiua à phantasia solo nomine differt. Prętereà ex definitione phantasiæ (quam hoc loco ex 8. Physi. tex. 26. repetit, motus à sensu secundùm actum) argumentũ sumitur: quia cõuenit phantasię & extimatiuę, quòd moueatur à sensu secundùm actum: cùm enim liberè fingit quod vult, & insensibiles deducit intentiones à sensu, secundùm actum mouetur: non est ergo cur extimatiuam à phãtasia distinguamus. Rursum species esse sensibiles aut intentiones insensibiles, nõ potest potentiam variare & distinguere: vtrũq; enim sub eadem ratione formali cadit, scilicet imaginabili, quod à sensu secundùm actũ mouet. Quocirca si duplex tantùm est obiectum internum partis sensitiuę,

Duplex obiectum partis sensitiuæ internæ.

Primum percipere operationes exteriorum sensuũ, & eis vim sentiendi ministrare sub vna nobis incognita & innominata ratione: Secũdum has concipere, pro libitóq; fingere, & quocũq; libuerit referre, & omnia interna sensitiuæ animæ munia per se ad hæc duo reducuntur: non erit profectò, cur ex alijs minutissimis & accidẽtarijs potentias sine numero superuacaneè multiplicemus? Hoc, meo iudicio, Arist. insinuabat & nobis significabat tex. 161. illis verbis, *Atque primus quidem, cùm operatio sensus adest, est verus*: vbi dicebamus, sensum communem non sequi actum perfectùm exteriorum sensuum, sed simul cum illis & circa eadem obiecta præsentia operari:

&

& phantasia illum actum iam perfectum sequitur, & ex imaginibus, quas ex sensib. collegerat, varia agit & patitur; fingit scilicet pro libito atque permiscet, & videndi gratia naturali instinctu noua quædam deducit inaudita & nullo alio sensu percepta, vt ouis inimicitiam lupi, conuenientiam herbæ, homo etiam volantes exercitus, smaragdinum montem, &c. Quæ mihi tantò videntur veriora, quantò ad pauciora & certiora principia reducuntur: sic enim magis sunt comprehensibilia: nam sicut vanum est, potentias has ex ventriculis cerebri dinumerare, ita eas multiplicare ex quibuscunque minimis accidentarijs, est aërem verberare: quare obiectum phantasiæ medium est inter purè intelligibile: & purè sensibile: & sicut imaginabile phantasma in ordine sensibilium supremum est, ita propinquissimum est intelligibili. Quam ob causam toties in sequenti lib. Arist. mentionem facit de phantasmate, & quòd necessum est, intelligentem phantasmata speculari, videndus S. Thò. 1. p. q. 55. art. [illegible] ad 2. & ibi Caiet. Posteriorem partem de memoria, quòd ipsa à phantasia non distinguatur, facile erit iam ex dictis colligere: eadem enim via efficacissimè deducitur, qua extimatiua reuocanda est in phantasiam, ita & memoria ab ipsa non est separanda: nam cùm phantasia sufficiat conseruare species, quas à sensu communi accipit, cur etiam non conseruabit insensibiles intentiones, quas naturali instinctu sibi fabricat? nulla enim maior ad vnum quàm ad alterum exigitur virtus. Deinde si eadem est ratio formalis obiecti, reliqua, quæ ab illo duplici obiecto [illegible] posito [illegible] sunt, vel saltem accidentaria, nec potentiam variare, neque distinguere valent: si ergo species sensibiles & intentiones insensibiles in vnius potentiæ & obiecti rationem formalem ita conueniunt, vt extimatiua à phantasia non distinguatur, cur recordatio præteriti à phantasia [illegible] secernatur? aut quare [illegible] distinguis à memoria, quam [illegible] habet [illegible] lationem, cogitatiuam [illegible] ab extimatiua distinguis? aut cur phantasiæ extimatiuæ & memoriæ munia non exercebit? quippe quæ ex vi potentiæ [illegible] ratione formali obiecti omnibus illis muneribus præstandis est sufficientissima: quare memoria non est à phantasia per se ex obiecto formali distincta. Quid? quòd Arist. in hoc sententia expressè est lib. de memor. cap. 1. vbi memoriam definiens dicit: *Est igitur memoria, neque sensus, neque æstimatio, sed alicuius horum habitus, aut affectio, cùm iam aliquantisper insederit*: ergo memoria non est potentia distincta, sed potentiæ operatio postquam cessauerit: & paulò infra, *Memoria profectò ipsa per se quidem in sensu principe constituenda est, per accidens autem in ipso intellectu*: & vt habet alia translatio, *Passio est primi sensitiui*: quare sicut phantasia imagines pro libito fingit siue sensibiles, siue insensibiles, ita eas in semetipsa veluti in thesauro, vel in promptuario repositas sibi reseruat. Expressis verbis concludit Arist. loco citato dicens, *Liquet igitur, in ea parte animæ positam esse memoriam, in qua collocata imaginatio sit, & ea per se memoriæ subiici, quæ possunt sub imaginatione cadere*: & tandem in fine cap. concludit, *Recolere autem nihil aliud est, quàm crebrò phantasmata vt imagines, non vt in se spectra sunt, respicere*. Hæc nobis pro nostro modulo comperta sunt; & facillimis rationibus de internorum sensuum & facultatum distinctione explorata: nam Greg. Nissen. demonstrationes (quas ex læsione capitis assumit cum Galeno lib. de causis sympto. cap. 3. vt ipse de viribus animæ refert lib. 4. cap. 7. quòd læsa anteriori cerebri parte, læditur sensus communis, atque externi, qui à communi deriuantur) etiam labefactantur: si verò medius capitis locus patiatur, iudicium atque discretionem lædi est necesse; posterior capitis pars si ægrescat, memoria labefactatur. Vnde demonstrari putant, quatuor esse organa quatuor internorum facultatum, quæ, quia separatim læduntur, separatim etiam curatione in suam naturam restituuntur: læso enim cuiuscunque facultatis sensoriæ organo atque ipsius numero, operationem quoque lædi est necesse. Hæc recepta videntur & experimento comprobata: tamen incertam existimo atque dubiam habere causam, ob idque ancipitem curationem: qui enim constare poterit, organum lædi ipsius facultatis, quæ propria est sensionis officina, quæ partem illam, quam diuinus spirituum generatiuam [illegible] ministratam [illegible]? ergo statim consequens est, quòd memoria distincta potentia sit à phantasia, atque in cerebello sita; quòd parte illa læsa, ipsa labefactetur: memoria enim (vt probatum est) non est potentia distincta, & illa læsio [illegible] meatuum obstructione spirituum transitum impediri, [illegible] eorundem

Obserua.

Memoria nō est potentia à phātasia distincta.

Galeni et Greg. Nisseni rationes ex capitis læsione refutātur.

generationē interturbari, aut alia huiusmodi, quibus solēt homines laborare, vt inanem aliquando imaginationem habeant, putātes se videre quæ nō vident: in cæteris verò rectè sapiant, & in phrenitide mens laborat, vt ægrotantis Theophili exemplo constat apud Galenum, quem D. Greg. locis citatis citat: & tamen in ipsis laborantibus non erat alicuius organi læsio, sed tantùm spirituum interturbatio illis vigilātibus euenit; quod nobis in somnis accidere solet, vt fiant apparitiones, quæ in vigilia à fortioribus motibus impediuntur: & sicut nocte intempesta minores voces & tenuissimi sibili auræ tenuis percipiūtur, & in meridie maiores soni non audiuntur, quia fortiorum occursu interrumpūtur, & sensibus exterioribus ligatis per somnū & iam quiescentibus, cessatur à vehemētioribus pulsationib⁹, & per insomnia multa, quę tenuiora & debiliora sunt, apparēt: eadem quoq; ratione maiora & terribiliora videtur nimirum, quia sicut pueris, aut in obscuro degētibus, quæ minima sunt, maxima apparent phātasmata: simili quoq; modo cōtingere potest in illis læsionibus capitis, & non ex organorū & potētiarum, quas fingūt, distinctione: & sicut huiuscemodi apparitiones insomniorū nō semper dormiētibus cōtingūt, quia vaporū multitudine meatus obruūtur, & via spiritib⁹ clauditur: hūc in modum fiet in illa capitis læsione interturbatis spiritibus, & specieb⁹ impeditis: quod & in aqua euenire videmus, ipsa enim quiescēte, quę sub ipsa sunt facilè inspiciemus: perturbata autē aut cōmota visio ipsa impeditur: sic læsa hac aut illa parte capitis vapores variè discurrūt, spiritus interrumpūtur, species confundūtur: ergo sicut potentiarū sensitiuarū interiorum numerus quaternarius non adducitur ex quaternario vētriculorum, sic etiā nulla est demonstratio conuincens ex illis capitis læsionibus atq; operationū labefactationib⁹. Similiter & aliud S. Thomæ principium ab omnibus ferè receptum, euertendum & labefactandum est, cui tota D. Thomæ fabrica innixa est, scilicet, quòd recipere & retinere diuersorū sit: quod ve libenter admitto in corporalibus, sed in spiritualiter & immaterialiter agentibus reijciendum puto: tum, quia varia est ratio agēdi in corporalibus & spiritalibus, quæ non reducitur tota ad inæqualem complexionem, humiditatem, &c. sed magnā partem habet vsus, aduertentia, studium & diligentia (vt lib. de memor. dicit Arist. & hic tex. 153. de artificiosa memoria) tum etiam, quòd argumentum à corporalibus ad spiritualia non rectè sumatur: quia quæ in corporalibus diuisa sunt, in spiritalibus vniri possunt: nam dispersa in inferioribus vniuntur in superioribus: non est ergo tam exactum hoc principium. Quid? quòd iuxta nostram sententiam illud principium S. Thom. saluari potest: quoniam ponimus sensum cōmunem ratione humiditatis benè receptiuum, malè autem conseruatiuū: phantasia verò, quę ad recipiendū & agendum species insensibiles, easq; conseruandum sufficientissimam & accommodatam habet dispositionem, non solùm id habet, vt imaginatio sit à sensu relicta, sed etiam vt multa denuò excogitet, cursusq; disponat, prosequutiones atq; fugas & rationes particulares ex affluentia & redundantia rationis conferat discurrendo, componendo & diuidendo: quod quidem, vt reminiscentia, habet ex eadē propinquitate & affinitate: ob id quæ in reminiscentia & memoria vulgò ponuntur iuxta veram Philosophiam & Arist. mentem, in ipsa phātasia reperimus: alioqui à memoria ad extimatiuam & phantasiam esset regressio & retrocessio specierum, atq; adeò descenderent à perfecto ad imperfectū: nā cùm sit vltima potentiarū sensitiuarum, ex ordine harū necessum est sit prēstantissima, quia immaterialiores recipit species: ex alia tamē parte infimā & abiectissimā faciunt, quia nolunt eam esse cognitiuam, sed tantùm reseruatiuam, quod repugnantiam habet: quia reminiscentia discursum habet ad inquirendum oblita ex aliquo principio noto, & quòd iudicet & reminiscatur, & quòd non cognoscat: hæc certè constare non possunt. Nunquā enim potuī cognoscentes facultates à conseruatricibus & specierum retētricibus separare: magna enim deberet esse & specierum transfusio & earundem reflexio à memoria ad extimatiuam: quæ omnia cùm vna eadémque possit præstare potentia, non est, cur in plures distinguamus: neq; enim hoc (vt existimant) ad bonitatem doctrinæ conducit, cùm nihil sit sine necessitate multiplicandum. Quòd si dicas, fortiùs & efficaciùs omnibus quinq; digitis comprehēdimus, quàm duobus: ergo meliùs est quatuor vel quinq; potentias inte-

Obseruāda simi-lia.

Primum S. Tho. fūdamētum eneruatur

S. Thom. principiū quatenus accipiendum.

Meliùs rē absolui per pau-

ciora, si se rat natura 2. de Celo cap. 12. interiores facere, quàm duas tãtùm? Facilè huic occurritur similitudini, melius per quin que fieri aliquid, quã per duo, cùm quinq; sint à natura ordinata: sed quando natura & doctrinæ ratio pauciora exigit, frustra per plura facimus, quod per pauciora perfici potest: vbi ergo pauciora sufficiunt, nõ est exigenda tanta operantiũ turba & operationum series: quoniam cùm phantasia idem sibi fabricet obiectum (quod extima tiuæ istis proponunt) non est cur extimatiuam à phantasia seiungamus: prçsertim cũ phãtasma intellectui immediatum semper ab Arist. proponatur, tanquam intellectus instrumẽtum aut materia. Aliud autẽ principium S. Tho. ex diuerso ordine immutationum sumptũ, bene colligit diuersitatem sensuũ exteriorum (vt supra nos enumerauimus) tamẽ nõ probat quod in pręsentiarum intẽdit: siquidem nõ est nisi vnus modus immutationis rectus à rebus ad animã: alius verò conuersiuus, qui est ab anima ad res, nõ est inter immutationes animæ spiritales sufficiens ad multiplicandas potẽtias, aut omnes sensus externi essent geminãdi. Rursum quoniã sensus immutatiõne priori fit in actu primo, id est, suscepta specie: posteriori autem fit in actu secundo velut cõsiderans: quia illa est vitalis tendẽtia in sensibile vt apprehensum, id est, in sensationis terminũ immanẽtem (iuxta ea, quæ habes infrà lib. 3. in quæst. supra cap. 3. vbi de ver bo mentis, & quæst. supra cap. 6. 7. & 8. vbi de motione & actione immanẽti.) Vnde re cordatio rei ad ipsam imaginem & simulacrũ, quod in anima est, primò & per se terminatur: vbi quasi in propria pictura simulacrum contemplamur, & crebrò imagines & phantasmata recolimus atq; respicimus (vt lib. de memor. & remi. cap. 1. à medio Arist. docet) ideo huius secũdę immutationis idem phantasma obiectum est, sicut & prioris immutationis, id est, idẽ obiectũ immanẽs intrinsecè terminat: & sicut hàc secũda immutatione ad rem priùs cognitam recolendã cõuertitur (nõ in se attingitur & apprehenditur) ita per priorem in rem illã cognitam mens tẽdit. Quamobrem vtraq; immutatione mẽs ad simulacra, quç in phãtasia reconduntur, se cõuertit, vt patet, cùm imaginabile ipsum inane quid est & in re nullũ habet esse, quod respõdeat: vel si habeat vnde rei conformetur, quando est aliquid in natura existens, tunc sua fœcundi-

2. S. Tho. fundamẽtum tollitur.

tate multa agit & patitur, atque pro libito fingit, componit, diuiditque citra ipsius rei comprehensionem, sed prout attingitur ab ipsa facultate. Quòd si opponas, sẽsus neq; posse componere, neq; diuidere: quia non possũt propositionem aliquã formare, nec actum sincathegorematicũ concipere: & ta men dicebamus, quòd nõ solùm phãtasia, sed ipse sensus cõmunis iudicet de differẽtijs sensibiliũ propriorũ: ergo sensus iudiciũ format, cùm tamẽ propositionẽ iudicatiuã non componant? Pro huius dubij solutione aduertendum, multifariã contingere iudicium: vno modo per simplicem apprehensionẽ cõuenientis, quod fit per naturalem conformationem & cõsentionem potentiæ ad suũ obiectum: & hàc vnusquisq; sensuũ exteriorum habet in apprehẽsione subiecti, & dicitur iudicare, sicut dicitur percipere & apprehẽdere: meliùs tamẽ appellabitur apprehẽsio, quàm iudiciũ: hàc autẽ apprehensionẽ sequitur dolor aut delectatio, quæ nõ est sine iudicio saltẽ apprehensiuo, non tamen est iudiciũ cõpositum, sed simplex, vt dictũ est. Secũdo modo cõtingit iudiciũ in sensu, nõ tantũ simplex, sed iã aliquo modo cõpositum, quia est discretiuũ & diuisiuũ: de quo in tex. 154. *Cũ opinamur aliquid malũ esse, atq; terribile, cõtinuò perturbamur*, atq; ad fugam accingimur: sicut quãdo existimamus cõueniẽs, afficimur ad sequẽdũ: incutit igitur phãtasia affectũ, nõ quando speculatiuè cõponit, diuidit ve, sed cùm quid sub ratione cõuenientis extimat: quoniam iam non veluti in pictura cõtemplatur, cũ animal per appetitũ conueniẽtis aut discõuenientis mouet: ergo vtrunq; iudiciũ & speculatiuũ & practicum in phãtasia reperimus. Tertiò cõpletum & absolutũ iudiciũ est mẽtis, quæ duobus dictis modis iudicat, componit, diuidiq;, & siue cõtrouersia propositionẽ format, actũ sincathegorematicũ cõcipit: de quo dubiũ est, an sit in phãtasia, an sit sola cõpositio rerum, nõ propositionũ. Qua de re de brutis neutrã partem aut affirmare aut negare audeo: tamen de phantasia hominis pro indubitato habeo, vel ex sua natura, vel saltẽ propter rationis præsidium & affinitatem ad mentem, non solùm est iudiciũ simplex aut cõpositiuũ rerũ, sed etiã discursiuum & collatiuũ intentionũ particularium & singulariũ, & etiã propositionum singulariũ formatiuũt & ita concipit actus sincathegorematicos

Iudicium quatenus sensui cõpetat.

Iudicare contingit multifariè.

Phãtasia cõponit et iudicat.

 & mo-

& modos illos particularitatis, copulationis & disiunctionis,& copulã,quę fit vnitiua prædicati ad subiectum. Ex his patet ad argumentum in dubio propositum. *Mẽs nostra quomodo diuinet.* Insuper ex his facilè intelliges,quo modo contingat diuinare & præsentire futura, non solo instinctu naturali,vt bruta, sed etiam aliqua præcognitione per eum modũ, quo Arist.lib.de diuinatione per somnium docet ex Philosophia:qua de re videndus est S.Tho.1.p.q.12.ar.11.& D.Aug.12.super Gene.c.13.in tom.3.& D.Greg.4.dialog. c.26. *Laurẽtius Vallensis.* Vbi cauendum,ne incidamus in errorem Laurentij Vallensis,qui rationẽ brutis tribuit ob formicarum prudentiã, apũ industriam,canum fidelitatẽ ad dominos, & solicitudinem in lepore inquirendo: opera nanq; sunt ista naturæ & intelligentiæ non errantis 2.Phys.tex.49. *Gometi' Perera.* In altero autẽ extremo vitanda est dementia cuiusdã,qui in sua Antoniana margarita sensum omnem, animãmq; brutis adimit,cui placuit brutorum naturã non animalem,sed lapideã facere. Media,regiáq; via incedendũ,vt ratio solis hominib' cõpetat,sensus brutis, cuius vi cognitiua suas absoluunt functiones. *Ad arg.* Superest iam receptui canamus,& solutis argumẽtis,huius libri 2.finẽ faciamus. *Ad 1. argumẽtũ.* Primũ argumentum tex.160.soluimus, scilicet quòd sensus cõmunis non est motus factus à sensu secundùm actũ,sed potiùs ipsa sensus cõsummatio:ideo licet immediatè ad operationẽ sensuũ feratur,mediatè tamẽ ad sensibilia & species ipsorum fertur: quoniam sensus cõmunis nihil aliud est,quàm principiũ quinq; sensuũ exteriorũ, eorundémq; finis:quia quinq; exteriores vniuntur in cõmuni sicut in eorundẽ principio & cõmuni termino. Rectè igitur phãtasia motus est à sensu secũdùm actum,id est,à sensu iã perfecto in actu suo: sensus verò cõmunis potiùs est ipsa perfectio secundùm sensum, à quã sensus perfectione incipit esse motus phãtasiæ:ideo sensus cõmunis est primum sentiẽs in singulis sensibus: quoniã nullius sensus operatio perficitur absq; operatione sensus cõmunis. *Ad 1. cõfirmationem.* Deinde quo modo sensus cõponat & diuidat,quod petebat prima cõfirmatio,iam dudũ in quodam dubio soluimus. *Ad 2. cõfirmationem.* Similiter secũda cõfirmatio soluta est, cùm probauimus,Arist.in hoc cap.expressè distinguere phantasiã à sensu,vbi cõmunem etiam innoluit,vt tex.156.& in tertia huius quæstionis suppositione patuit. Ad secundũ principale satis diffusè in quęstione respõsum est. *Ad 2. et ad 3. arg.* Similiter ad tertium,& ad ea,quæ in contrariũ adducta sunt. *Obiectũ sensus nõ potest esse substãtia per se.* Vnũ tamẽ vltimò admouendũ,nullũ sensum neq; externũ,neq; adhuc internũ percipere substantiã vt propriũ & per se obiectũ,sed accidens tantũ vt quantũ figuratum: solus intellectus est,qui per se percipit substãtiam: & sicut accidẽs in virtute substantiæ substãtiam producẽdã attingit,ita quoq; notitia accidẽtis sensitiua,vt est virtus substãtię,ad notitiã substãtiæ cum intellectu concurrit: atq; phãtasia hoc loco totã animę interiorem partẽ sonat:sensus autẽ cõmunis ad exteriorẽ pertinet,& cum quinq; exteriorib' cõputatur:& sicut sensus cõmunis sensibus externis subseruit,ita phantasia intellectui ministrat,de quo iam in sequenti libro. *Phãtasia cum sensu cõmuni cõfertur.*

SVMMA CAPITIS.

Posita intẽtione,sequentibus consistit conclusionibus.

Intentio. *Considerandum est,si intelligere idem sit, quod sentire, vt Empedocli cũ Homero,& plerisq; antiquorũ visum fuit.* *1.conclu.* ¶ *Sed certè sapere & intelligere nõ sunt idẽ cum sentire:quia hoc omnibus animalibus cõuenit,illud nõ nisi hominibus.* *2.conclu.* ¶ *Phantasia nõ est idẽ,quod opinio,& existimatio: quoniã phãtasia spontaneè & pro libito fingit,sed opinari sine causa & ratione nõ cõtingit:sermo autẽ est de phãtasia propria,nõ de translatitia,quæ per omnes potentias vagatur.* *3.conclu.* ¶ *Phãtasia non est sensus exterior,atq; adeò nec cõmunis:quia isti non semper operantur,phantasia autem semper adest, vt experimur:quoniã clausis oculis,vbi nõ est visus,neq; visio,multa nobis apparent:& si sensus exterior ab actu cessaret,phantasia adhuc operatur.* *4.conclu.* ¶ *Phãtasia ab opinione atq; adeò ab omnib' aliis habitibus intellectualibus differt:quia phantasia sine fide est,opinio autem non est sine credulitate, & persuasione:& cùm phantasia quãdoq; falsa sit,nõ erit vnus aliquis ex habitibus intellectualibus,qui semper sunt veri.* *5.conclu.* ¶ *Phantasia non cõstat ex opinione & sensu:quia ex cõtrariis,in sua excellentia manẽtibus,cõsurgeret,scilicet ex opinione vera & sensu falso.* *Definitio phãtasiæ.* ¶ *Relinquitur,phantasiam esse motũ factũ à sensu secũdùm actũ,secũdum quam multa agere & pati contingit: ideo quamuis circa sensibile commune & per accidẽs decipiatur,à lumine & apparentia nomẽ trahit.*

Libri secundi de anima finis.

Du-

D. INITIO FINE ET PARTITIONE HORUM librorum.

DVbitari solet, vnde initiũ faciendum sit tertij libri (vt circa c. 13. cæpimus insinuare) atq; adeò cõtrouersia est, si tertius liber exorditur à tex. 128. ita vt sequens caput sit in ordine quartũ, an potiùs sequẽs caput principium debeat præstare tertio libro? Duæ enim sunt partitiones, vna Græcorũ, quam non improbabilẽ censet S. Thomas: altera Latinorũ, quæ à sequenti cap. cum Cõmentatore Auerroe tertium librum exorditur: vtraq; probabiles suæ distributionis causas & rationes adducit. Mihi tamẽ, licet neutra opinio conuincentes suę partitionis habeat causas, non tantùm probabilior, sed verior *Commentator.* visa est Auerrois sententia, vt hic statuendus sit secundi libri finis, vbi de secundo gradu animatorũ, sensitiuo scilicet, tractatio completur & cognitio absoluitur, & tertius liber incipiat de tertio animatorũ gradu cõsiderare: vt sicut secundus liber de duplici animatorũ gradu considerabat, vegetatiuo scilicet & sẽsitiuo, ita tertius de duplici etiã gradu cõtempletur, nẽpe de intellectiuo & secũdùm locum motiuo, vt ita isti duo libri pari inuicem proportione sibi respõdeant. Hæc diuisio in primis ex Arist. sententia cõstare videtur, qui cùm 1. lib. cõtra antiquos disputãs cõcludebat 5. c. ad calcẽ illius, sequuturũ viam antiquorũ in hac disputatione, qui de vegetali & animali anima disputarũt, contra quos de intellectiua inferiùs agit: eandem ergo, quã illi, amplectitur librorum partitionẽ. Quare sicut toto 1. lib. post præfationem ex veteribus tota animę inuestigabatur natura, vbi falsę sunt notatę opiniones, vt in sequentibus vera sententia colligeretur & comprehenderetur: at 2. lib. animę examinata & cõprobata definitione 1. & 2. c. in 3. c. de animæ potẽtijs determinatum est in genere: in 4. autẽ cap. expositę sunt vegetatiuę aię vires, vbi absoluitur tractatio de vegetatiua, siue de primo animatorũ gradu: deinde c. 5. & 6. de sensu & sensibili generaliter agitur: à c. 6. ad 11. speciatim & exquisitè de singulis quinq; sensibus externis ordine perfectionis determinatur: vnde c. 12. documenta omnibus sensibus

Primi & secũdi lib. de anima method'.

cõmunia exponit, & demõstrato quinario numero sensuũ in cap. 13. duobus capitib' vltimis 14. scilicet & 15. de sensib' internis exactã tradit doctrinã, de sensu scilicet cõmuni, atq; phãtasia: ergo vel ex hac sola terũ cõsecutione & cõtextura constat, Arist. sententiam esse, tertiam partem deberi intellectiuæ animæ, quæ phantasia vt instrumento & materia vtitur, vt huius 2. lib. finis gradum faciat ad 3. librũ. Propositũ nanq; erat de gradibus animatorũ agere, vbi ergo de duobus gradibus actum est in 2. supererat ad concludendam de anima, & animatorũ gradibus tractationem de alijs duob' in 3. disputare: accommodatiùs ergo à præsenti loco finem faciemus secundi lib. & initiũ tertij: nam cur rogo de intellectu tractaturus per tria capita immediatè præcedentia (quibus ferè de intellectu nihil tactũ sit) initium 3. libri sumeret Arist. cùm horum capitũ disputatio tota sit de sensibus? Quòd si dicas fieri debere, vt sensus ab intellectu distinguatur: tunc certè fortior multò erit mea ratio, siquidem cõmodius multò erat, vt tractatio de sensu semel absolueretur & compleretur, vt illa doctrina de sensu separatum proposita expeditior esset, & luculẽtior tractatio de intellectu. Quid enim consequẽtiæ habet caput illud 13. (quod tu primũ tertij libri facis) cùm in illo de quinario numero sẽsuũ exteriorũ determinetur, vt pertinere possit ad tratactionẽ de intellectu? (idem dicã de c. 14. vbi sensus cõmunis stabilitur) quare vt cognitio de intellectu & doctrina ei' expeditior, liberior atq; dilucidior esset, cõueniebat, vt sensus distingueretur, & seorsũ secundũ suas partes exponeretur, ne doctrina de intellectu esset cõfusa, & tractatio de sensu mãca & imperfecta relinqueretur. Nec vitio mihi vertẽdũ est, φ hãc quęstionẽ in mediũ producã: tum, quia omnes eam versant tãquam hoc loco minimè indignã, & non est inter Gręcos & Latinos modica concertatio: tum etiam, quia ex diuisione intelligitur ordo, ex ordine autem distributio doctrinæ & propositum Autoris percipitur, quibus maxima lux horum librorum enarrationi indu-

Vtilis est quæstio de distributione et ordine.

inducatur, qua & obscuritas horum librorum pellatur, & difficultas vincatur & superetur. In nullo enim opere (teste Themistio t. lib. huius) Arist. magis ingenij sui subtilitatem demonstrauit, siue multitudinem quæstionum quæras, siue copiam rerum pulcherrimarum, siue reconditæ doctrinæ vbertatem & subtilitatem contempleris: ad quæ omnia illustranda, nihil est distributione & ordine conducibilius: distributione enim doctrina comprehenditur, & non solùm illustratur, verùm velut in tabella depictam mens ipsa præsentem conspicit atque intuetur. Quamobrem absoluta tractatione de sensibus, tam externis, quàm internis, gradum ad tractandum de intellectu facimus: vbi t. & 2. cap. potentia ipsa intellectiua, eiúsq; partes & obiectum declarantur: deinde cap. 3. & 4. operationes notificantur: quintum autem cap. veluti summa est & corollarium præcedẽtium: deinceps verò vsque ad finem de secundùm locum motiuo & animarũ cõparatione differitur. Quocirca illud quoque summopere est considerandum, quòd in isto 2. libro actum est primùm de obiectis, deinde de operationibus, tum tertiò de potentijs & facultatibus: quia tractatus iste de sensibus nobis est notissimus: at quia difficilior est & obscurior intellectus consideratio, non potuit exactè iste distributionis ordo obseruari, neque potuit commodiùs quàm ex sensibilibus tractari, vt ex analogia ad sensum expeditior esset tractatio de intellectu, atque ita illustrior & luculentior, vt vel hinc possimus etiam rationem diuisionis horum librorum colligere: oportuit nanq; priùs complere totã doctrinam de sensibus tam externis quàm internis, vt illis separatim, adamussímq; expositis, exactiùs possemus ab ipsis sensibus intellectum notificare atque illustrare. Maximè, quoniam intellectus non vno modo ab omnibus accipitur, neque vna ratione atq; fine: quia Albertus & Alexander triplicem faciunt intellectum possibilem, siue materialem in habitu, siue formalẽ, & aliũ, quem agentem appellãt: nam cùm in omni transmutatione fit tra... ans, transmutatum, & in quo est transmutatio (quod in ductione latè patet) ita intellectus transmutans est agens, transmutatus est possibilis: habitus autem est, in quo est transmutatio, quia transmutatione comparatur, quem Auicennas alio nomine vocat intellectum adeptum. Alchindus quatuor facit intellectus, vel & qui est semper in actu, vel semper in potentia, vel quandoq; in actu, quãdoq; in potentia, quem vocat intellectum demonstrantem: considerat enim ea, quæ requiruntur ad intellectus perfectionem, quæ sunt mouens, mobile & forma acquisita per motum, & quartum est operatio secundùm formam: vnumquodq; enim intantum est perfectum & in actu, inquantũ potest perfectam suam operationem complere: ideo penes mouens dicitur agens, penes mobile dicitur possibilis, penes formã acquisitam est intellectus iam in habitu, per operationem verò demonstrans intellectus nuncupatur: quoniam demonstratio præstantissima & luculentissima est operationum intellectus. Eadem ferè dicit Algazel & Auicennas: sed Aristot. secundùm potentias sumit differentias intellectus, secundùm quòd sunt animæ differentiæ, quę sine corpore animæ conueniunt, & fluunt ex principijs essentialibus ipsius: & ita diuidit intellectum in agentem & possibilem. Aliæ enim differentiæ magis ad operationes & habitus ipsos intellectuales spectare videntur, quæ obiter annotãda mihi fuere: quoniam & ad doctrinæ distinctionem, atque futuram 3. lib. enarrationem expeditiorem summopere conferunt. Enauigatis igitur secũdi libri procellis, & (vt nostræ tulerunt vires) omnibus difficultatibus superatis, vela ventis soluenda sunt ad immensum oceani pelagus tranandum: supersunt enim grauissimæ & difficillimæ de animæ parte intellectiua quæstiones, quas, Deo duce & auspice, tractare iam aggrediar.

Tertii lib. de anima series & distinctio

2. libri de ais methodus est distincta ab eo, quę est 3. lib.


Pro trãsitione ad 3. lib. nota intellectus varias acceptiones.

Enumeratio & ratio acceptionũ intellectus.

Aristoteles.

LIBER TERTIVS DE ANIMA.

Autoris propositũ circa enarrationem huius tertii libri.



ST ADMIRAbilis Aristoteles,& in enarrandis naturæ secretis diligentissimus: verùm nunquam magis se naturæ prodigium quoddam ostendit, quàm in eruenda animæ intellectiuæ substantia, numerandisq; potentijs, & declarandis eius operationibus. Res enim est, tum grauissima, tum difficillima,& quæ non solùm finis est, in culmine & fastigio naturæ posita, verùm magnum habet vsum & minimè contemnendum operæpretium, vt possimus sacrã ipsam Theologiam commodiùs reserare. Idcirco, quia hæc pars Philosophiæ totum hominem requirit, admonitum te velim, cãdide lector, nolle me in antiquorum placitis, aut referendis, aut refellendis nimium esse, & chartas ex illa vetusta antiquitate implere: nam qui ita faciunt, & seipsos labore inani conficiunt, & nullum aliud cõmodum reportant, nisi vt rem, quam illustrare contendunt, confundant, & alijs tædio sint: atq; vt veritas, quam diligenter inquirunt, incognita euolet, lateatérq; è manibus iam comprehẽsa excidat: præsertim cùm illos neq; de facie nouerimus, neque eorum scripta ad nostras peruenerint manus. Etenim non possum non mirari quorundam interpretum inanem curam, qui causas singulorum errorum inquirunt, & lõgissimam texunt vel diminutissimo verbo disputationem, cùm somniabũdi de illa antiquitate multa fingere cogantur: Aristoteles etiam ipse, de quolibet contraria afferente solicitum esse, stultum iudicat. Hæc enim ita sunt adducenda, quatenus & animæ naturam illustrent, & ad mysteria reuelata referanda conducant, iuxta decretum Leonis 10. in Cõcilio Lateran. nulla enim veritas catholicę veritati cõtraria est. Oportet igitur ita Aristotelem enarrare, vt veritates catholicas persuasisse videamur: nam Aristoteles ad illam reuelatam veritatem naturæ fundamenta iecisse videtur: & quæ in hoc libro asserit, fortasse in nihilo ecclesiasticis dogmatibus dissona apparebũt: vt possimus (iuxta Paulum) superædificare argentum, aurum, & lapides nimis preciosos: aliàs antiquorum errata si adduxerimus, & veritas demõstranda peribit, & cùm illi errores veritati repugnent, eos sine moderamine inducere, esset errores fouere, mẽdacia seminare, atq; hæresibus etiam ianuã aperire. Ecquid enim referam Græcorum peccata, quæ non tãtùm Philosophię principijs, sed etiam ecclesiasticis decretis aduersantur? vt quòd anima intellectualis nõ sit hominis essentialis forma, nec principiũ intelligendi vniuersalia: sed mortalem eam faciunt, aut vnam in omnibus hominibus, aut à cogitatiua nihilo differentem. De his & alijs, in quibus ab istis peccatum est, diligentissimè S. Tho. & in partibus, & contra gent. acerrimam instituit disputationẽ, quæ in hunc locum inuita adduceretur: vbi Aristotelis candida enarratio præ oculis habenda est, vt breuior sit & luculẽtior. Et ne strepitu vanarum opinionum fiat inaccessibilis, ex ipsa antiquitate dũtaxat inducam, quantum ad enarrandum Aristotelem sat sit: nostra enim nõ interest, quid illi senserint, sed quid insinuauerint, adumbrauerintve, vt ex illorum assertis tacitam animæ conceptionem atque huius scientiæ semina ostendamus. De alijs Aristotelis expositoribus Simplicio, Alexandro, Philopono, Themistio, atq; alijs grauissimis & præstantissimis etiam viris, qui diligentissimi in enarrando Aristotele fuerunt, pauca quidem adducam, & illa quidem necessaria: non quòd eos deserere velim aut aliqua ex parte contemnere, sed quia illi in multis etiam peccarunt, quæ veram & christianam Theologiam non redolent: ideo quisq; illorum suam viam ingressus esse videtur: quorum errores perfunctoriè commõstrabo, vt magis Aristotelẽ suspicias, qui in animæ natura demonstranda tanto acumine viguit, vt ferè omni ex parte pũctum veritatis attigisse videatur. Gratias ergo Deo Opt.& Max. agam⁹, qui tãta sua prouidentia

A placitis antiquorũ cur abstineat Autor hic, et initio secũdi capitis primi libri de aĩa.

Cõsilium Autoris de Arist. interpretibus.

uidentia voluit hęc Aristoteli Philosopho-rum principi ita manifesta facere, vt catholicę veritati non tantùm non repugnēt, sed eam pro suo modulo stabilire & confirmare videantur: idcirco (vt in calce huius tertij libri dico) anima nostra rationalis non solùm fide catholica ex veris Philosophiæ principijs, sed certissimè de sententia Aristotelis habenda est immortalis.

CAPVT PRIMVM

De intellectu possibili, eiúsque actione & obiecto.

Tex. 1.

Demonstratio li. 2. tex. 24 hic ad intellectuā accommodanda, vt infrà. q. de immortal. cōtra Auer.

De animę autem ea parte, qua cognoscit, atque sapit, siue sit separabilis, siue non separabilis magnitudine, sed ratione, considerandum deinceps est, quam differētiam habet, quoq; pacto tandem fit, intelligere.

Ratio ordinis et diuisionis librorum.

Statim ex ordine atq; verbis etiam ipsis colliges euidenter, nedum probabiliter tertij libri exordium hinc sumendum: quoniam præsens textus continet præsentis libri propositionem, quę est eius veluti quędam præfatio, qua tertij gradus animatorum, intellectiui scilicet, inquisitionem aggreditur. Cùm enim exactè de sensibus tā externis, quàm internis determinatum sit, perscrutandum supererat de parte ea animæ, qua sapimus: quod omnibus exploratum est ad intellectiuam partem pertinere: siue sapere principiorum sit simplicium, aut complexorum, cognoscere verò conclusionum, modò ad speculatiuam, modò ad practicam partem pertineat, non debemus amplius lectorem pressiori terminorum explicatione vexare: hęc libera sunt, quæ quisq; pro libito confingit. Hoc enim certum est, Aristotelem suam proponere intentionem, inchoandam iam esse tractationem de anima intellectiua, quomodo ipsa sit, atq; qua via ab alijs seiungatur, atque de modo intellectionis, quæ eius est operatio. Quocirca aduertendum primò, non de sola potestatiua parte determinare velle Aristotelem (vt Themistio & Simplicio placuit) sed de ipsa etiam intellectiua anima formaliter (qui... Caiet. dicat) quæ iuxta Philoponum pars quædam subiectiua & species animæ est: quare non de sola potentia, sed de substantia ipsa animæ disquiritur: quia controuersia est de actuatione eius atq; informatione, & quomodo coniungi atque separari contingat: quod est primum propositum Aristotelis. Deinde quomodo ipsa anima sapiamus & intelligamus, vt absoluat quod lib. 1. de anima à tex. 62. ad 66. cōtrouertebatur, si omnis animæ operatio coniuncti sit, an aliqua sit animæ propria operatio, vt intellectiua, quæ propriam habet operationem intellectiuam à corpore seiūctam: vt iam hinc animam nostram immortalem esse intelligamus, atque ex ipsa operatione deprehendamus, iuxta determinationem Aristotelis lib. 1. de anima tex. 13. quòd si anima propriam habet operationem sine corpore, ipsam separari contingit: quare & soluit quęstionem tex. 13. procemij propositam, affirmans, aliquam esse operationem animæ propriam: & quæstionem diluit in eodem lib. 1. à tex. 62. ad 66. propositam, docens differentiam inter intelligere, & alia opera: quia non est simile, si quis dixerit animā intelligere (quod animæ proprium est) & si quis dicat animam texere, aut ambulare, quæ sunt opera, quæ sine corporeo organo nō exercentur: ex vtroq; autem animæ immortalitas ostēdetur ad finem huius lib. Tum tertiò viam aperit ad soluendam aliā quæstionem, eodem lib. 1. de anima à tex. 89. propter Platonem propositam, si loco aut magnitudine sit separabilis: imponebatur enim Platoni, quòd tres animas collocaret: vnam in cerebro, vt intellectiuam: in epate nutritiuam, siue vegetatiuam: tertiam in corde, sensitiuam scilicet: cùm ipse fortasse vnam animam poneret, quæ in illis tribus partibus tres suas potentias & facultates præcipuas explicaret. Rursus considerandum, locum non habere Auerrois delirium, quòd sermo præsens sit de cogitatiua, quæ licet sit sensitiua intrinsecè, extrinsecè tamen est intellectiua, quatenus est rationis particeps: siquidem Aristoteles cautissimè loquitur de operatione intellectiuę essentiali & indiuidua: cogitatiua etiā neq; sapimus, neq; intelligimus, quanuis ipsa cognitiua sit. Hæc sunt igitur duo, quæ proponit Aristoteles tractāda de substātia animę intelle-

De qua parte aīæ sit præsēs sermo.

Caieta.

Non omnis aīæ operatio est cōpositi.

Anima separabilis.

Plato.

Auerro.

Duo proponit Aristoteles hoc tex.

intellectiuæ, & de statu eius quoad separationem aut dependentiam à corpore: quæ duo ex ipsa intellectione & operatione venari & explicare contendit, licet de substantia animæ expressè non determinet, vel quia non audeat, eò quòd opposita sententia communior esset & famosior; vel quia metaphysici negocij sit de separatis agere lib. 2. Phys. tex. 26. vel saltē quia de re adeò recondita dubiè fuit illi loquendum, tum pro conditione rei, tum etiam pro temporis oportunitate: verùm certum est ea apposuisse principia, ex quibus ipsa veritas certissima & constantissima sit. Idcirco velut obiter & obliquo ductu, quæ ad ipsam definiendam attinent, sufficienter attigit, vt nos peculiari quæstione ad finem huius libri ex omnibus principijs Aristotelis in gratiam philosophorum, & pro fidei fundamento demonstrabimus. Alia duo proponit disquirenda, nempe de differentia ipsius intellectus à sensu: atque tandem quomodo fiat intellectio, quæ est animæ intellectiuæ præcipua actio. Isthæc omnia nunc examinanda sunt, sed ad sequentia pergendum, ex quibus haud difficilè constabunt.

Quid Aristoteles de aiæ substātia, & separatione.

Si igitur ipsum intelligere sit vt sentire, aut pati quoddam, erit ab ipso intelligibili, aut aliquid aliud tale.

Tex. 2. Iste tex. et vniversū hoc caput iterū perlustratur infrà q. de immortalit. aiæ loco 9.

Incipit examinare quæ proposuit exordio sumpto ab vltima quæstione, quæ de operatione est: quia operationes ipsa anima notiores sunt, atque ex functionibus proprijs oportet animam inuestigare: quod cōmodiùs fieri non potuit, quàm ex similitudine ad sensus, vtpote qui omnibus sat noti sint; & ex his, quæ præcedenti libro diximus, satis exploratis: mutua ergo sensus cum intellectu collatione non tantùm intellectus naturam deprehendemus, sed etiā superiùs tradita sensuum cognitio absoluetur & perficietur. Prima igitur conuenientia (quam sæpe posuit Aristoteles, & sæpe sępius apud ipsum exposuimus) quòd sicut sentire pati quoddā est passione per se perfectiua (quicquid corruptionis ex accidenti contingat) sic intelligere pati quoddam est similiter perfectiuè: ergo sicut sentire est pati, quoddámq; cognoscere, ita intelligere pati est, & quoddā cognoscere: quanuis passionis nomen minùs quadret intellectui, quàm sensui. Id insinuat cùm dicit, *Aut pati quoddam erit ab ipso intelligibili, aut aliquid aliud tale*, scilicet, quia excellentiori modo patitur intellectus, quàm sensus: neuter enim patitur vera passione, in qua duo concurrunt, vnum est contrarietas, merito cuius est aliqua corruptio, & cum vnius cōtrarij inductione alterius cōtrarij abiectio, vt cùm calefimus: alterum est receptio formæ & actuatio, & hoc solùm manet in passione, quæ est sentire & intelligere. Distinctio est Aristotelis præcedenti lib. cap. 5. tex. 57. & 58. & infrà tex. 28. adhuc etiam inter sentire & intelligere in ratione passionis nōnihil discriminis Aristoteles subindicat: quia in pati, quod est sentire, licet per se non sit abiectio contrarij, sed absolutio & cōpletio, tameo per accidens contingit corruptionem esse & cōtrarietatem, eo quòd excellentiæ sensibilium sensuum temperiē dissoluunt ratione organi, in quo est ipsa vis sensitiua: quod in passione intellectus locum non habet, quia immunis est à corpore intellectus, & quia corpori nō miscetur, est hoc modo impassibilis non solùm per se, sed etiam per accidens.

Sicut sentire est pati, ita & intelligere.

Duplex passionu genus.

DVBIVM

Si intelligere pati, an agere sit?

Si obijcias, quòd nec sentire, neq; intelligere sit pati: quoniam intellectus non habet materiam, ratione cuius omnis passio prouenit: quare intelligere potiùs erit agere quàm pati, alioquin intellect⁹ virtus esset passiua, atq; adeò ignobilior, quàm potentiæ vegetatiuę, quę sunt actiuæ? Respōdetur, conclusionem Aristotelis notissimā esse, eámq; certissimam: nam passiuū à passione dicitur, & inde nomē trahit: est enim passiuum vnūquodq;, quatenus est in potentia vt actum recipiat: & ex hoc solùm, quòd aliquid non habet actū ex vi suæ naturæ coæuum, dicitur in potentia esse ad actum recipiendum. Diuerso igitur modo materia cæli se habet ad suam formā, qua semper in actu perficitur, & ad quam non est in potentia physica (nil moror de potentia metaphysica, de qua lib. 1. de cæl. tex. 20. dixi) & materia horum inferiorū, quæ est in potentia ad formam, & de potentia

Radix vnde intelligere sit pati.

tentia ad actum procedit: sic in genere intelligibili Deus semper est in actu vniuersaliter respectu totius entis: noster autẽ intellectus in potentia est ad intelligibilia. Et ex hoc sequitur, tam sentire, quàm intelligere in passione cõsistere: quia neuter à natura habet coæuam speciem, aut actum aliquem, sed sunt sicut tabula rasa, in qua nihil in suo genere sensibili aut intelligibili depictum est: vnde vterq; in potentia est ad actum, atque adeò susceptiuus specierum. Quare hęc est prima similitudo & commũnio sensus cum intellectu, & in hoc cõsistit, vt sicut sentire est quoddam cognoscere; quod quandoq; est in actu, quãdoq; est in potẽtia, ita & intelligere quoddam est cognoscere quandoq; in actu, quandoq; in potentia. Summa igitur est, quòd omne, quod procedit de potentia ad actũ, virtus est passiua, & formę receptio est passio: sed taliter se habet intellectus in sua intellectione: ergo intellectus erit virtus passiua, & intelligere passio quędam: quia nostro intellectui nullum intelligere est coæuum, sicut Deo & angelis, sed fit passione, id est, formæ receptione intercedente, qua intellectus de potentia transit in actum: sensus ergo & intellectus, quæ quandoq; cognoscunt, quãdoq; non cognoscũt, virtutes sunt passiuæ, & patiuntur cognoscendo: quia sunt potẽtiæ, quæ ad actum, quem non habebant, transmutantur. Rationes obiectionis iam sunt eneruatæ: quoniam intellectus non est materialis, ideo impassibilis est passione vera & propriè dicta: nos autem dicimus, passibilem esse passione non vera, sed impropriè & communiter dicta. Altera verò ratio nihilo plus colligit, nisi quòd agere à toto genere nobilius sit & pręstãtius, quàm pati: cum quo stat, quòd aliquod pati nobilius sit, quàm aliquod agere: præstat tamen ipsum pati, quod est sentire aut intelligere, quàm agere ipsius animę vegetatiuę: quia ista agit cum abiectione contrarij atq; repassione propria agentis, quibus sentire & intelligere vacant, cùm non sit cõtrarietas, neq; aliqua formæ expulsio, sed perfectio, potẽtiæq; absolutio, quæ in suum cõplementum absq; aliqua deperditione euadit: quod ex sequentibus notius euadet.

Resumitur prima communio sẽsus, & intellectus.

Solutio rationum.

Secundò eadem dubitatio inducitur, vt definiatur, si intelligere formaliter, an causaliter sit pati?

Iam ad sequentem textum properãdum nobis esset, nisi animus esset, in cuiusq; textus enarratione dubia propria & accommodata, quoad à me fieri poterit, dissoluere atq; determinare, vt omnia clariora & expeditiora sint: quia sic & intelligi poterũt, & Aristotelẽ illustrare valebunt, cùm quęstiones proprio loco tractantur.

Cõsilium Autoris in hac enarratione.

QVAESTIO.

An intelligere sit pati causaliter, an formaliter?

Idcirco oportet soluere maiorẽ difficultatem, quæ iam ex præcedentis solutione sese offert: nam si intelligere pati est sicut sentire, statim dubium nos tentat, si intelligere sit formaliter pati, an causaliter? quod est quęrere, an intelligere causetur ex actione intelligibilis in intellectum? Ratio dubitandi est rei difficultas, atq; scriptorum mira varietas & dissensio. Negãt enim plures, intelligere ab intelligibili fieri, sed tantùm terminari ad ipsum: adeo intelligibile terminatiuè solùm concurrit ad intellectionem, non causaliter vt principium: quia dicunt, intellectum non posse pati à corporalibus & materialibus. Sed quàm friuola sit hæc ratio, in solutione secundæ rationis ad præcedentem dubitationem dudum dicebamus: nobilius enim est pati cum excellẽtia, quàm agere vilia. Scotus in 1. d. 3. q. 7. impugnata hac opinione, quæ fuit Henrrici, dicit, quòd intelligere est causaliter pati, tamen quasi per accidens: quia non est illa passio à solo intelligibili, sed intellectu cõcurrente, quoniam est actio vitalis: ergo à principio intrinseco per eum modum, quo suprà de sensu agente diximus. Imaginatur enim Scotus loco citato, & quodlib. 13. artic. 3. quòd aqua calida quasi per accidẽs & denominatiuè calefacit, calor autem ipse per se: ita quoq; intellect⁹ quasi denominatiuè, & quatenus conseruat speciem, quam recipit, agit: sic Alexander tractatu de intellect. c. 5. tenet, quòd intellectio est actio, non passio. Sed hoc est in Philosophia absonum: quoniam esset vim agendi præcipuis agentibus tollere, & eam instrumentis tribuere: quod reprobat Aristoteles lib. 2. de generatione cap. 9. tex. 54. & 55. Præterea quia aqua calefacta, quãuis nõ videatur concurrere ad calefactionem per suam formam

Henricus q intelligere non est pati.

Scotus, q intelligere per accidens sit pati, per se verò agere.

formam substantialem, tanquam per principium Quo, nisi quatenus subsistit calori & ipsum sustentat: tamen concurrit tanquã principium Quod, quia instrumenta non agunt sine præcipuo aliquo agẽte. Rursum plura denominant, quæ non habent actionem, vt quando est denominatio ab aliquo extrinseco: sed de hoc discrimine actionis aquæ calidæ ad intellectionem statim cum resolutione huius quæstionis dicam quod sentio. Veritas autem est, quòd intellectus patitur ab intelligibili: ita expresse Aristoteles hoc textu, & Commẽtator & S. Tho. sic exponũt: patitur, inquam, speciem, quia recipit actum primum, quo informatus intellectus & iam factus in actu, intellectionem & actum secũdum producere potest: per speciem enim ab ipso intelligibili deriuatam reducitur intellectus de potentia in actum primum, quæ species non solùm vicem refert obiecti, quod intellectui repræsentat, sed etiam formæ, quæ actuat intellectum, & de potentia essentiali in actum primum reducit: cùm igitur (vt dicemus) intellectus sit velut tabula rasa, qui nullã habeat speciem penes se: ergo intelligere erit causaliter pati: quia ex illata passione ab ipso intelligibili defluxa, huius intelligibilis actione species intelligibilis in anima recipitur, iuxta dicta lib. 2. cap. 5. & dicenda infrà cap. 4. tex. 28. & 29. Et quòd hoc non faciat per se & seorsum intelligibile solitariè sumptum, sed cum phantasmate vt instrumento aut materia, & actione intellectus agentis vt præcipuo agente, non tollit, quin intellectus per se recipiat speciem, & causaliter patiatur ab ipso intelligibili, quod sui speciem & imaginem in intellectũ, vt accõmodatum susceptiuum, influit.

Schola peripatetica intelligere sicut et sentire quomodo pati causaliter, et quomodo formaliter.

Discrimen inter aquæ calefactionẽ, et mẽtis cognitionem.

Quocirca notanda maximè est differentia inter calefactionem aquæ; & cognitionem potẽtiæ cognitiuæ: quia calor aquæ est forma extranea, & illi minimè naturalis: ideo non dicitur aqua calefacere formaliter, nisi vt per instrumentum: at species est potentiæ cognitiuæ maximè cõnaturalis, & actus proprius illius potentiæ, secundùm quòd ad operationem ordinatur: ob id ipsa potentia intellectiua dicitur intelligere formaliter, non per speciem vt instrumẽtum, sed vt formam imbibitam & intellectui intimè vnitam. Rursum aqua non concurrit ad calefaciendum per formam substantialem, aut potentiam aliquam sibi propriã & connaturalem, sed, vt diximus, sustentando calorem: at species nõ tam ratione sui, quàm animæ & potẽtiæ, per se ordinatur ad operationem. Vnde sequitur primò, vt calefactio non denominetur à forma aut potentia aquæ, sed à calore, vt in composito substantiali à toto: at verò actio potentiæ cognitiuæ non ab specie, sed ab ipsa potentia nomen sumit: ideo in oculo dicitur visio, in intellectu dicitur intellectio: quia denominatio in omnibus est ab eo, quod modo dicto principium ponitur operationis. Vnde sequitur secundò explicatio illius triti & receptissimi axiomatis Commentatoris, quòd ex intellectu & intelligibili fit magis vnũ, quàm ex materia & forma: Ratio autem est eadem, quam nunc ponebamus: quam oportet nostra expositione semel illustrare, scilicet, quòd cùm duplex sit compositum, vnum substantiale ex materia & forma, alterum accidentale ex subiecto & accidẽti: & cùm in priori fiat vnio propter operationem totius compositi, quod resultat: & in posteriori fiat vnio accidentis ad subiectum propter actionem ipsius formæ (vt paulò antè de aqua calida dicebamus) at in vnione speciei cum potentia cognitiua (siue sensitiua sit, siue intellectiua, eadẽ est doctrina & ratio) fit coniunctio, nõ propter operationem alicuius tertij compositi, vt contingit in composito substãtiali (quia in proposito nullum tale resultat) neque propter operationẽ ipsius speciei & cogniti recepti (quia species non operatur nec cognoscit, sed intellectus) reliquum est, poni propter specificationem propriæ operationis ipsius cognoscentis & recipientis. In alijs enim omnibus non fit vnio, vt ipsa materia & potentia passiua recipiens operetur, sed in sola vnione speciei cum potentia cognitiua fit coniunctio propter actionem ipsius intellectus, qui vicem gerit materiæ: inde est, quòd à potentia (vt dicebamus) denominationem suscipiat cognitio, sicut in composito substantiali à toto, & in aqua calida à forma, quæ sunt principia operationum, vt dictũ est. Et hinc est, quòd magis fiat vnum cum ipsa specie: quia intelligibile intellectum penetrat, vt sic intimè receptũ in intellectu imbibatur, vt anima facta ipsum cognoscibile operetur tendendo in ipsum tanquam in connaturale, vt optimè exponit S. Tho. 1. p. q. 12. art. 4. quoniam cognitum, inquit, est in cognoscente

Obseruãda corollaria.

1. de denominatione.

2. quo explicatur assertum Auerrois magis vnũ ex intellectu et intelligibili, quam materia et forma infrà tex. 38.

3. cur cognitũ ad modũ cognoſcẽtis recipiatur

ſcente per modum ipſius cognoſcẽtis propter vniuerſalem rationem, quia quod recipitur, ad modum recipientis recipitur, & ſecundùm eius connaturalem modũ: vt hinc videas modum eſſendi formalis & primarij obiecti conformem & cõnaturalem eſſe modo eſſendi ipſius potentiæ: ſiquidẽ obiectum & potentia inter ſeſe comparantur, & ſunt perinde ac perfectio & perfectibile: perfectio autem in eodem generis ordine ſuo reſpondet perfectibili, atqui obiectum per ſuam ſpeciem in potentia recipitur, ſicut perfectio in perfectibili: ergo in ea modificatur ad modum & menſuram ipſius cognoſcentis. Etenim habitudo conformitatis & connaturalitatis, quæ eſt inter obiectũ & potentiam, cognoſcentem & cognitum, conſiſtit in ratione actus & potentiæ, perfectionis & perfectibilis (vt lib. 2. cap. 5. q. de ſenſu agente in ſolutione ad. 3. & 4. dixi, & infrà q. de immortalitate animæ loco 9. & Caietanus elegantiſsimè & diligentiſsimè 1. p. q. 87. art. 1. notauit) vbi obiectum rationem ſortitur actus & perfectionis, potentia autem in ratione perfectibilis & potentiæ connumeratur.

QVAESTIO

Obiter & perfunctoriè de menſura cognitionis reſoluitur.

4. qua de cauſa cognitionis menſura ex cognoſcente & nõ ex cognito ſumatur.

Ex quibus patet, quòd menſura naturalis cuiuſq; cognitionis non ex ipſo obiecto cognito, ſed ex natura cognitiui ſumenda eſt: nimirum quòd ipſum cognitiuũ, dum cognoſcit, non ſolùm aſsimilatur obiecto, ſed euſque fit aſsimilatio, vt in obiectum tranſmutetur, ipſumq; fiat obiectum: ergo neceſſe eſt, fiat ſecũdum modum ipſius cognoſcentis, atq; adeò neceſſum etiam eſt, cognitum per modum cognoſcentis recipi: quoniam trahitur, vt iuxta eſſe & conditionem ipſius cognoſcentis modificetur. Quæ doctrina illuſtrior & dilucidior tibi erit, ſi per omnem cognitiuorum gradum inductionem feceris: vnumquodq; enim, quod cognoſcit, vt eſt in actu, ita cognoſcit: vnde ſenſus, qui actus eſt organicus & materialis, non poteſt rem cognoſcere niſi organicè & materialiter exiſtentem (lib. 2. de anima cap. 5. & cap. 12.) intellectus autẽ

Quatuor gradus cognitiuorũ diuerſi modè ſũt in actu.

noſter, qui nõ eſt actus organicus, eſt tamen actus corporis, ſubſtantiam materialem immaterialiter ſiue vniuerſaliter cognoſcit (infra tex. 9. & 10. & cap. 3. q. de obiecto intellectus) intellectus tamen angelicus, qui abſtractior & altior eſt, cùm non ſolùm ſit actus organicus, vt ſenſus, ſed neque actus corporis, vt noſter intellectus, actus eſt omnino à materia ſeparatus, ideo per ſe primò ſubſtantiam à materia ſeparatam aſſequitur, & cognoſcibile primò cognitum ab angelo immune eſt à materia. Denique in ſupremo gradu & excellentiſsimo rerum faſtigio diuinus intellectus cõſideratur, qui actus eſt purus, non ſolũ ab organo & corpore, ſed omnino à materia & ab omni prorſus potẽtialitate ſeparatus: & vt eſt in ſe puriſsimus actus ſubſiſtens atque irreceptus, quia eſt ſuum eſſe, tale debet correſpondere intelligibile primarium & connaturale, vt ſit puriſsimus actus irreceptus & ſubſiſtens, atq; adeò ipſemet Deus, ſiue eſſentia diuina. Vides perpetuò obſeruari inter cognoſcentem & cognitum vniformitatem generis, conformitatem ordinis, atq; gradus connaturalitatem (loquimur de potentia paſsiua, non qualis eſt materia prima, ſed vt eſt facultas cognitiua ad eliciendas vitales operationes.) Sed dices, cur ex potentijs ſumatur cognitionis menſura, licet ſint in gradu imperfectiori (quia in ratione perfectibilis) & non potiùs ex obiectis, quæ ſunt in ordine ſublimiori, nempe in ratione actus & perfectionis? Reſpondeo (vt lib. 2. tex. 62. & hoc 3. lib. tex. 37. & 38. vt in præſenti textu declaro) cognitiuũ, dum cognoſcit, euadere ſimile obiecto, in quod tranſmutatur, non ſolùm vt fiat vnũ cum ipſo, ſed etiam vt fiat ipſum: quapropter ſpecies, quæ vice obiecti vnitur potentiæ, eò vnitur, vt ipſa ſpecie mediante cognoſcẽs, quod eam recipit, operetur & cognoſcat, hoc eſt, vt eliciat operationem nõ qualemcunq; ſed vitalem, atq; adeò quæ recipiat vitam ſecundùm modum ipſius cognoſcentis: ergo licet cognitiuæ operationis principium actiuum & formale atq; ſpecificatiuum ſit ſpecies, quæ vice obiecti determinat & actuat potentiam, tamẽ quia ipſa ſpecies, vt in ſe conſideratur, neq; viua eſt, neq; vitaliter operatur, neq; cognoſcit niſi iuxta modum ipſius cognitiui: legitimè ſequitur, menſuram cognitionis ſumẽdam eſſe ex modo cognitiuorum, licet ſint perfecti-

Obiectio communis.

Solutio ſingularis.

fectibilia: nam quamuis semen cognitionis ab obiecto per emissas species suscipiatur, tamen cognitiuum est, quod speciem iuxta suum modum viuificat, & per quam iam in se viuificatam, vitaliter operatur. Atque vt intelligas, hæc gratis asserta non esse, accipe rationem, meo iudicio, à priori. Certū enim est, quòd vniuscuiusq; rei vnitas ab esse sumitur, operatio verò indicat esse, atque adeò vnitatem manifestabit: cùm igitur species (vt quæstio per principium initio positū resoluit) cum potentia non coniungatur propter alicuius tertij operationē (quia nullū tale resultat) sed propter operationem ipsius speciei (species formalis est ratio operandi, non quod operatur) fit, vt species & potentia copulētur propter operationem ipsius cognitiui: ergo consequens est, debere temperari, mensurari & modificari ad modum ipsius. Igitur si hæc aduertisti, mirari desines, cur ex ipsis cognitiuis (licet sint imperfectiora) & non ex cognitis (quamuis præstantiora sint) mensura cognitionis sumatur; propter quid assignatur: quia species vnitur ad specificandam operationem potentiæ, quæ potētia totam cognitionis substantiam iuxta determinationem & specificationē speciei elicit: cognoscere enim est vitaliter operari, & species ab vnione potentię vitam nanciscitur, differēter tamen iuxta diuersitatem ipsorum cognitiuorū. Exemplo tibi sit species, quæ in aëre alium modum habet, quàm in speculo, vbi iam videtur: & in oculo, vbi iam viuit: & in phantasia, vbi iam à rei præsentia non pendet. Ad quæstionem igitur, cur ex specie & potētia fiat magis vnū, quàm ex materia & forma? patet, quia in solis cognitiuis vnio fit formæ propter operationē ipsius suscipientis. Ad alteram, cur mēsura cognitionis ex cognitiuis, non autē ex cognitis sumatur, eadē ratio est: quia licet species recipiatur propter operationem, quæ speciei respondet ex principio formali specificata, potentiæ tamen debetur vt principio elicitiuo, quæ viuificat speciem: hæc autem omnia connaturalitatem obiecti & potentiæ indicāt. Vnde his tam multis expeditis, vnde fluxit regredia tur oratio: licet intelligere causaliter sit pati, formaliter est agere: quia anima iam in actu primo facta per speciem semouet ad actum secundum, quia virtus est animalis & viua, quæ mouetur à principio intrinseco, & quasi à susceptus

Elegans ratio.

Sūma, dictorūque resolutio, cur mēsura cognitiōis à potentia sit? et cur maior vnio sit specieī et potētię, quàm materię & formę.

Conclusio à principio intēta ex interpositis prīcipiis deducitur.

pro semine. Et si dicas, quòd idē est actiuū & passiuum respectu eiusdem: respondetur non inconuenire habitudine diuersa: quia vt intellectus est in potentia essentiali ad actum primum, id est, speciei receptionem, causaliter ab intelligibili patitur: adeò passio in ordine ad obiectum intelligibile est, quod eam facit, vt fœmina purè passiuè se habet in receptione seminis: veruntamen vt in potentia accidentali cōsideratur in ordine ad actum secundum, dicitur formaliter agere (vt suprà de sensu agente dictum est lib. 2. cap. 5.) quare licet in receptione actus secundi recipiendo patiatur, & ita non sit pura actio, tamen formaliter agit, & illa passio quasi materialiter concurrit: alia igitur est comparatio habitudinis intellectus ad obiectum, à quo patitur & suscipit speciem: alia verò ad actum secundum, quem facit. Quicquid autem sit de vera mente Commentatoris, in quo consistat maior hæc vnitas, infrà cap. 5. tex. 38. Ex illa enumeratione triplicis vnionis & compositionis, atq; ex nostra explicatione de maxima illa vnione intellectus ad intelligibile resoluitur facilè quæstio apud multos ambigua, scilicet, an species magis agat, quàm intellectus? In promptu est responsio, quòd potentia cognitiua præstantior est & magis præcipua causa: patet, quia intellectus habet se vt potentia, atq; vicem materiæ gerit: & vnio speciei cum intellectu fit propter operationem ipsius intellectus: ergo principaliter fit ab ipso, quod iam est in intelligibili assimilatum, & vitaliter in ipsum tēdit obiectum: ergo à principio intrinseco (opera enim vitę nō fiunt ab aliquo externo principio) ob id species intellectum penetrat, in quo ita intimè imbibitur, vt actio sit propria ipsius intellectus & principalius ab ipso: sicut in intellectu angelico, vbi intellectio principalius ab intellectu, secundariò verò ab specie, quantumuis angelo cōgenita sit, quia resultat species in angelis per quandam emanationem à sua natura: sic in nobis, vbi species non est congenita: ob idq; dicebamus, vocari intellectionem à forma intellectiua, secundùm quam principalius fit, nempe ab intellectu. Idē dicendum de sensu & de sensibili specie quoad actionem & passionem hoc solo facto discrimine, quòd species intelligibilis indiget intellectu agente, sensibilis autem à solo fit sensibili. Verum est, quòd etsi intellectus sit prin-

Intellect' passiuus, et actiu' habitudine diuersa.

Potentia cognitiua principalius agit quàm species.

principalius agens Quod; tamen ipsa species est agens Quo, quia est radix actionis, forma atque perfectio ipsum intellectum in actum deducens, cui præstat agendi principium. Quare intellectio ab intellectu habet rationem communem, ab specie verò particularem, scilicet quòd sit in tali natura: quod sub alijs verbis dicitur, quòd intellectus tribuit totam substantiam intellectioni: forma autem intentionalis siue species tribuit propriæ naturæ specificationem.

Nota.

Tertiò eadem difficultas exactiùs resoluitur, si intelligere formaliter abstrahit ab actione & passione?

Intelligere sicut et sentire est qualitas formaliter abstrahens ab actione et passione; infrà vbi de appetitu q. sup. c. 6. 7. 8. in responsio. ad 5. Caiet. hîc & lib. 2. c. 5. et 1. p. q. 79. ar. 2. circa 2. dubitationē, q cognoscere est pati, ad prædicamētum qualitatis pertinens.

Quòd si rursus instes, intelligere vtrum sit formaliter agere, an pati? respōdeo, quòd realiter vtrunque includit tam agere, quàm pati habitudine diuersa, tamen formaliter videtur ab vtroque abstrahere, tanquam quid nobilius & præstantius actione & passione: quod Caietanus circunloquitur his verbis, scilicet actiuè, passiuéque vitaliter immutari, quod est dicere, supposita actione intellectus procedente ex passione ab intelligibili, intelligere formalissimè actio quædam vitalis est, vt suprà de sensatione dicebamus: & hæc est communio, siue conuenientia prima intellectus & sensus: volo dicere, quòd hæc vitalis immutatio abstrahit ab actione & passione, & potiùs qualitas quædam est, quàm actio & passio: quod si semel intellexeris, res erit in portu. Patet tamen ex definitione qualitatis, quæ illa est, secundùm quam quales esse dicimur: sed à vitali immutatione dicimur sentire, aut intelligere: ergo sentire & intelligere qualitates sunt: quoniam sunt actiones immanentes, quæ non transeunt in materiā externam, fiúnque subitò: vnde vocitandæ sunt potiùs qualitates, quàm actiones aut passiones. Quid igitur aliud est intelligere aut sentire, quàm in actu esse, formalique effectu, vt album esse, aut calidum esse? recepta enim specie eleuatur ipsa potentia cognitiua, & iam seipsa superior facta in actu primo per modum somni, seipsam actuat per modum vigiliæ, quæ vigilia habet se veluti luminosum splendens, aut veriùs sicut ipse lucis splēdor: intelligere ergo & sentire est actum exercere immanentem, qui ob id, quod immanēs est, in ipso manet sensu aut intellectu: quare necessariò qualitas quædā erit, quæ ad passionem vel passibilem qualitatem pertinet, & in illa tertia specie qualitatis collocatur. Profectò visio ipsa beatifica non tam actio est, quàm qualitas quædam per modum vigiliæ permanens, id est, qualitas quædam actualis (vt in Deo sunt origines & emanationes nostro modo intelligēdi) est ergo sentire & intelligere passio vel passibilis qualitas: quia est completio & perfectio ipsius cognitiuæ potentiæ: intelligere enim & sentire nō est nudè pati, aut agere, sed vitaliter immutari, hoc est, percipere, iudicare, discernere: quare forma liter non est receptio speciei sola, nec nuda actio potentiæ cognitiuæ, sed formalissimè & proprijssimè est perceptio quædam, iudicium siue discretio: ergo etsi ibi concurrant actio & passio, absolutè tamē sentire sicut intelligere qualitas est: quia nō distinguitur ab ipsa expressione & cōsideratione, quam in intellectu verbū mentis appellamus: hoc autem suprà lib. 2. c. 5. tex. 57. & 58. dicebat Aristoteles esse alterationis alterius generis, & fortasse infrà tex. 28. & 29. ad finem capitis 3. vbi de verbo mentis, & ad finem capitis 8. vbi de motione animali, propter rei huius difficultatem & excellentem subtilitatem hoc ampliùs illustrabimus. Nō enim nego esse passiones, vt recipiuntur in potentia, & fateor esse actiones, vt ab ipsa eliciuntur: tamen dico, quòd secundùm suum esse absolutum sunt qualitates & immanentia quædam iudicia: quia nihil aliud sunt, quā in actu esse, vt cōsiderare (ita Aristoteles lib. 2. loco citato asserebat) quod est effectus formalis actualis ipsius formæ, in quem istud secundum alterationis genus, tanquam in formæ absolutionem & existentiæ complementū, terminatur. Omnia autem, quæ de hac re dicta sunt, vno verbo absoluentur ex lib. 2. tex. 37. vbi dictum est, *At viuere viuentium est esse*: sed intelligere sicut & sentire est quoddam viuere, ergo & quoddam esse: nō est igitur actio aut passio formaliter, quia non est relatiuum, sed qualitas erit & quid absolutum: sentire enim non est nisi ipsius speciei esse, quare qualitas est. Receptio enim specierū tam in sensu, quàm in intellectu facit hanc iudicij actualem & continentem immanentiam: nam si calefactio, verbi gratia, in transeuntibus actionibus à calore non seiungitur, quid mirùm, si in superiori natura & actione immanente atque

Visio beatifica qualitas est, infrà c. 3. q. de obiecto intellectus ad 1. vbi de verbo mētis, et tex. 28. et ad 5. arg. in q. super c. 6. 7. 8.

Attendes

Obseruanda explanatio & resolutio elegans.

sublimi

Notitia actualis est obiecti similitudo.

sublimi hæc vniantur & fiat vnum: quāuis in inferiori natura diuersa sint? Vnde resoluitur acris illa cōtrouersia doctorū, si notitia actualis sit naturalis similitudo obiecti? quod negat Capre. in 4. d. 49. q. 2. ad quem alludit Ferrarien. 3. cōt. gent. c. 49. dicuntq; solùm esse actionem & tendentiam in obiectum, non tamen esse similitudinem. Sed certè absurda videtur sententia, quòd notitia non sit rei cognitæ imago, cùm omnis cognitio fiat per assimilationē, vt antiquitas affirmauit, cognoscere esse quoddam assimilari: quod lib. 2. de Anima tex. 62. approbat Arist. præsertim cùm cognoscere non sit qualecunq; operari, sed vitaliter & immanenter operari: & notitia speciei perfectio & complementum esse videtur, atq; adeò actualis quædam species siue similitudo, quæ se habet ad speciem sicut actualis existentia ad substantiam: ita videtur tenere Caiet. 1. p. q. 79. artic. 2. Sed Soto in 4. d. 49. q. 2. art. 3. eandem habet sententiam, licet in ratione, ob quam non detur species diuinitatis, aberret, quod tractare non est hui⁹ loci: ergo cognitio siue notitia similitudo est & imago actualis obiecti, quæ supposita actione obiecti & passione potentię, qualitas quædam est: quoniam nil aliud esse videtur, quàm species in actu completo, siue speciei splendor quidam per modum actus, qui est vita quædam, vt Arist. 9. Meta. tex. 16. quòd hæc operatio non est perfectio passi extrinseci, sicut transiens operatio, sed sicut immanens in ipso operante, vt finis & perfectio eius: ideo qualitas est in tertia specie qualitatis ad passionem pertinēs: cognoscere autem passio est perfectiua, vltimaq; habentis perfectio, in qua actuali assimilatione (quod contingit in visione Dei) nostra fœlicitas sita est. Patet igitur iam, quo modo intelligere sit sicut sentire: vtrunq; enim est quoddam cognoscere. Præterea palàm est, quo modo (vt vulgò dicitur) intelligere sicut & sentire sit causaliter pati, & formaliter agere. Tādem vltimò secundùm nostram & peripateticam sententiam sit potiùs vitaliter immutari: quia est qualitas immanens & assimilatio actualis per modum vigilię, quo ab specie separatur, quæ se habet per modum habitualis similitudinis & somni. Hæc est igitur prima sensus & intellectus cōsensio, qua iam constat, in quo genere sit intelligere, actionis, passionis, an qualitatis, &

Toti⁹ textus enarratio ad tria potissimū capita reuocatur.

qua via: veniamus iam ad sequentes differentias, quibus ista illustrabuntur.

Vacare igitur ipsam passione, sed formæ susceptiuam esse oportet: & potentia talem, sed non illā esse: & similitudinem subire cum sensu, vt quemadmodum sese habet ad sensibilia sensus, sic sese habeat ad intelligibilia intellectus. *Tex. 3.*

Optima literę distributio.

Ex prima sensus cum intellectu communione pręcedenti textu enarrata pro discrimine intellectus à sensu infert iam aliquas conditiones intellectus, vel alias consensiones & similitudines ipsius cum sensu (Caiet. non vult vocari proprietates, & rectè dicit, cùm sint communes sensui & intellectui.) Prima, quòd intellectus impassibilis est: & vt habet Argyropyli translatio, quā sequimur, *Vacare igitur ipsam passione*, vera scilicet & perfecta, vt iam antè exposuimus. Secunda, quòd sit formæ susceptiuus. Tertia, quòd sit in potentia talis, id est, ad illud obiectum. Quarta, quòd nullam habeat formam aut speciem, cùm dicit, *Sed non illam esse*: quod in alijs translationibus dicitur, *Sed non hoc*: vbi Philoponus, Themistius & plerią; alij dicunt intelligi, sensum determinari ad hoc singulare, & ad talem speciem: intellectum verò, vt qui sit vniuersalium, latissimè patet non coarctatū ad aliquod singulare. Quæ certè vera sunt, tamen contextui literæ non quadrant, neque communi illi principio, vnde deducuntur, videntur conuenire, scilicet de communione sensus cum intellectu: nam de separatione postea agendum: itaque hoc potiùs esset sensum ab intellectu discriminare, quàm intellectum ex communione ad sensum notificare. Accōmodatius literæ contexturæ erit, vt ab ipso subiecto atque ab ipsa potentia negetur actus, cuius dixerat susceptiuam esse: quoniam vnūquodq; quod recipit, carentiam habet illius, ad quod est in potētia, nihil enim recipit illud, quod habet: quare si intellectus potentia est talis, actu non est illud, quod est in potentia. Et hæc est Arist. expressa mēs, quod nō solū eius propositū,

Themist. & Philoponus.

Vera Aristot. mēs.

sed etiam solus & nudus literæ contextus præ se ostendere videtur. Quinta, intellectũ dicit eandem habere ad intelligibile habitudinē, quàm sensus ad sensibile: similis enim est vtriusq; potentiæ ad intellectũ proportio. Placuit in hęc mēbra textum distribuere, quo luculentior esset enarratio: nam cōstituta intellectione in genere actionis & qualitatis (vt expositum est in præcedenti tex.) hæc quinq; in præsenti ad indagādam & notificandam differentiam infert, quorum enumeratio ita sumitur: Nam vel consideratur subiectum, vel obiectũ, vel habitudo subiecti ad obiectũ: ex subiecto enim sumuntur tria. Primum iuxta rationem generalem, quòd sit intellectus formæ susceptiuus: Secundum, vt potentia talis: Tertium in ratione peculiari ipsius intellectus, quòd sit impassibilis vera & perfecta passione, quia corpore vacat: Quarta, ex parte termini recipiendi excluditur & obiectum negatur à recipiente, quòd intellectus sit in potentia ad id, quod non habet. Postrema, quinta scilicet similitudo (expositis iā subiecto & termino) habitudinem potentię ad actum, & subiecti ad obiectum describit.

Sufficientia enumerationis.

Quare ex vnico fundamento & antecedēti, scilicet communionis sensus cum intellectu in passione, hæc omnia eleganter intulit Aristoteles, quæ alij non continuant, sed seorsum & disiunctè sensus & intellectus conuenientias numerant: cùm tamen oporteat literam Aristotelis continuare, & rei consequentiam docere, atq; radicem & vim doctrinæ aperire, vt doctrinæ elegantia atque docendi vis omnibus sit explorata.

Consequētia cōtextus.

QVAESTIO

Vtrum Aristoteles demonstratiuè procedat?

Sed multò maior est difficultas, nimirum quodnam habeat firmamentum præsens Aristotelis doctrina, & quas habeat vires peripateticus iste discursus, & an Aristoteles scientificè demonstret, an tātùm probabiliter disserat, & hypotheticè atq; conditionaliter procedat? Hoc vnum est de pręcipuis, quæ in hoc libro examinanda sunt, ex cuius exacta intelligentia cætera stabilienda sunt. Res enim est subobscura, quam ferè omnes expositores prætereunt, & in qua Caietanus lubricè & ambiguè loquitur, nihilq; resoluit, quod nos tanquam certum asserere valeamus: Nam in primis dicit, processum istum in proportionali similitudine sensus ad intellectum fundari, vt proportionalis conuenientia intellectionis ad sensationē deducatur. Nil tamē probat, quia sic Aristoteles nō categoricè & assertiuè, sed hypotheticè & cōditionaliter procederet, & tota eius fabrica nō posset ruinā non minari, vbi fundamentum tam debile nutaret: quare processus nō esset doctrinalis & scientificus, si sic argueret, nēpe intelligere sicut sentire est cognoscere, ergo sicut sentire est pati, ita & intelligere: certũ enim est, quòd in antecedenti similitudo est, quę non tenet in omnibus, quia sic esset identitas: igitur cùm illa similitudo vaga sit, & incertum in quo consistat, continget nescire in quo assimilentur: ergo non demonstrat, quia nō deducit ex aliquo euidenti & certo. Et si secundò dicas cum Caietano, processum istum non suppositiuũ, sed verè constitutiuum esse, licet sit conditionalis: quoniam in proportionalibus discursus ex proportionalitate sumptus scientificus est, vt si ex cōditionibus ossis in homine spinæ proprietates deducas in piscibus, dicēs, ossis & spinæ similis est atque proportionalis vsus: ergo sicut in nobis os terreum est, ita quoq; in piscibus spina terrea erit. Sed redit eadem difficultas: quia de osse scitur assertiuè esse terreum, vnde colligitur natura spinæ: at in præsenti nihil scitur assertiuè, sed conditionaliter tantùm dependenter ex vi antecedentis & ex vi similitudinarię proportionalitatis, quæ adhuc ambigua & incerta sunt: non enim video, quo modo illud antecedens (quòd intelligere sit sicut & sentire) vagum cùm sit, dubium atque hypotheticum, præsidium aliquod præsenti doctrinæ inferre posset? vbi enim fundamentum nutat, ædificium stare non poterit. Docuit Aristoteles lib. 1. Poster. per totum, sed præsertim cap. 2. 4. 5. & 6. quòd ex hypothesi nihil absolutè scitur, nisi ipsorum etiam principiorum habeamus demonstrationem, *Non scit*, inquit in illo cap. 2. *qui illorum principiorum demonstrationem non habet*: quia vsq; ad prima principia non resoluit. Minùs autem multò ex similitudinibus atq; exemplis demōstrabitur: quia etsi exempla tacitum adferant dissentiendi pudorem, tamen necessitate

Elegās re solutio de doctrinæ firmamēto.

Caiet. explo ditur.

Euasio Caiet. eneruatur.

tate absoluta assentire non coguntur: aliunde ergo hæc omnia suæ necessitatis causam trahunt. Quam controuersiam vt semel finiam, in primis receptum ab omnibus scio, Aristotelem disciplinarū tradendarū optimum magistrū esse, qui in hac Philosophię potissima parte nō debuit sui ipsius immemor esse, vt nulla ratione, quod intenderet, demonstraret: esset enim vitiū maximū, & insigne in sciētijs peccatum. Quo habito & constituto aduertendum, Arist. in præcedenti textu voluisse intellectionem ad pro priū genus reuocare, dixitq; in genere esse passionis, seu (vt nos eleganter annotauimus) quia passio illa est tam sublimis & excellens: licet secūdùm nomen intelligere sit pati, atq; adeò ad genus passionis reuocetur, tamen re vera qualitas est, & in tertia eius specie collocatur, scilicet in passione, vel passibili qualitate: constituto autem genere, in quo collocatur intelligere, cętera facilius expediuntur. Quocirca secundò cōsiderandum, quòd intelligere sic ad passionem tanquam ad suum propriū genus reduci, Aristoteles non probat in præsenti, tum, quòd sæpissime in lib. præcedenti expositū sit, & ex professo in cap. 5. tum etiā, quia infrà tex. 28. repetit. Relinquit igitur tanquam per se notum, vel assumit tanquā principium iam lib. 2. cap. 5. demonstratū, scilicet, quòd sensibile facit sensum in actu, non motu physico, siue trāsmutatione corruptiua, sed alio genere mutationis sublimiori, intentionali scilicet, immateriali & perfectiuo. Itaq; duo ostēderat, Prius, quòd sensibile promouet sensum aut sensitiuum ipsum de potentia in actū: Posterius, quòd id sine alteratione fit & transmutatione de contrario in contrarium, sed perfectiuè celebratur sine aliqua deperditione per solā actuationem & propriæ formæ receptionem. Secundum assumo principium omnibus Philosophis notissimum, quòd physicæ demonstrationes maxima ex parte sumuntur ab his, quæ longo experimēto explorata sunt (sic enim ignota ex notis ratiocinamur, & singula ab experientia expendimus) vt quòd homo sit risibilis, eo quòd rideat: ignis calefactiuus, eo quòd ferè semper calefaciat, & sic de alijs: ergo cū neminem lateat, homines quādoq; in actu, quandoq; in potentia cognoscere, conficitur statim, vt nullius rei cognitionem insitam, aut nobiscum natam habeamus (nihil enim est hoc principio certius & exploratius.) Atque cùm eadem experientia certissimum sit, sensum in sua cognitione pręscribi & determinari ad certum genus entis (vt discurrenti per singulos sensus, tam internos, quàm externos patet) intellectū autem non coarctari aliquo genere entis, vt qui in omnem naturam latè sese diffundat: proinde colligitur, esse in nobis aliquā potentiam sensu superiorem, cuius cognitio nullatenus limitata omnium sit comprehensio. Ex his igitur exploratis principijs firmamētum & præsidiū est huius doctrinæ, quod absolutè & assertiuè, categoricè atq; demonstratoriè absq; aliquo vitio ab Aristotele sumitur: & non est processus suppositiuus, sed constitutiuus: quoniam illius suppositi principij, quòd intelligere sit pati sicut sentire, & experimentum habemus expressum, & demonstrationem ex præcedentibus, inferiùs quoq; repetendam locis nuper citatis. Quare antecedens illud siue principium sumptum ab omnibus recipitur, & ita Aristoteles posuit illud in præcedenti textu, & per suas partes explicat in præsenti: quoniam tota futura fabrica illi innititur, & futura doctrina ex illo est stabilienda: meritò ergo tanquam firmamentum & totius doctrinæ præsidium ex præcedentibus assumpsit, quod, quia experimento certissimū est, & ab omnibus vt communis quædām conceptio receptum, veluti perfunctoriè & quasi nihil agens po nit. Ideo & nos posito hoc doctrinæ præsidio, ad enarrationem Aristotelis redeamus, quia de hac re iterū incidet sermo eo loco citato tex. 27. & 28.

Autor doctrinam firmat.

Obserua intelligere in quo sit genere.

Expende vnde sit doctrina deriuāda.

Principia in philosophia vndetracta.

Sūmaria dictorum cōplexio.

Quare necesse est, ipsum, cùm vniuersa intelligat, non mistum esse, sicut Anaxagoras dixit, vt superet, atque vincat, id est, vt cognoscat, atque percipiat. Alienum nanq;, cùm apparet iuxtà, prohibet, atque seiungit. *Tex. 4.*

Quibusdam videtur conuenientiam aliā esse inter sensum & intellectū, quòd vterq; denudetur à natura recepti: alijs verò differentiam, quòd intellectus immistus sit, *Literæ cōsequētia.*

cùm tamē sensus corpori misceatur. Vtrûque diuerso tamen respectu verum est:tamē iuxta nostram enarrationem atq; Aristotelis mentem magis quadrat contextui & doctrinæ consequentiæ, vt postquam posuit huius tertij libri fundamentum,cōclusiones aliquas inferat ad enodandam intellectus possibilis naturam, quam ex iam posito fundamento inuestigare conatur. Sicut ergo posuerat Arist. intellectum impassibilem corruptiuè (vt exposuimus) quo à sensu differt, qui corruptiuè patitur, si non per se, saltem per accidens: ita nunc intellectum immistum esse docet. Qua in parte Anaxagoras approbatur,quatenus antiquitùs (contra Empedoclem & alios,qui philosophabantur intellectum ex omnibus principijs compositū esse, vt omnibus assimilaretur) asserebat immistum esse intellectum:quod licet somnabundus dixerit Anaxagoras, Aristoteles tamen benignè recipit: quia cùm intellectus in vniuersum omnia cognoscat & omnia sit in potentia, nihil erit in actu: neque ex corporibus cum Empedocle misceturialioqui si ex omnibus constaret,neque omnium esset capax, neque omnium cognitiuus: quoniam intus existens, alienum & extrinsecum prohiberet, ne reciperetur atque adeò ne cognosceretur:visui enim, per viride vitrum intuenti, omnia apparent viridia, & gustui amaritudine infecto omnia amarescunt: similiter ergo si intellectus alicuius corporis misturam haberet, non posset esse omnium cognitiuus. In hoc textu aduertēdum primò est, Anaxagoram ab Aristotele corrigi, quatenus ille loquebatur de intellectu diuino, qui, vt vinceret & omnibus dominaretur, à chao separatus & ab omnibus sequestratus erat: cuius philosophādi modum aliquantulum immutat Aristoteles, suoque proposito accommodat, intellectum scilicet humanum immistum debere esse, vt omnia possit intelligere: quare sicut ille de intellectu diuino asserit immistum esse, vt omnia moueat, ita Aristoteles de intellectu humano docet immistum esse, vt omnia valeat percipere & intelligere: ille posuit immistum, vt imperet: nos verò, vt aptus sit ad intelligendum:& hoc est, quod in textu Aristoteles moderatur dicēs, *Vt superet, atq; vincat, id est, vt cognoscat & percipiat.* Mox cōsiderare oportet, triplici de causa colligi intellectum esse immistū, vt omnia cognoscat. Primò ex rebus ipsis materialibus, quibus si misceretur intellectus, determinaretur profectò ad certum genus cognoscibilium, vt de visu & gustu iam nunc posuimus exempla,& in tactu apertissimum est, qui non percipit omnia tangibilia, sed extrema: quia mediocritas tangibilium, ex quibus componitur, prohibet, ne recipiat tangibilia in mediocritate. Idem sanè esset de intellectu, si esset materialis & mistus, tunc certè quod esset intus & connaturale, extraneum impediret ne reciperetur: quare intellectus non esset omnium cognitiuus: si igitur sensus carere debet illo genere sensibilium, cuius est cognitiuus: ita & intellectus, qui vniuersaliter omnium est cognitiuus, ab omni genere cognoscibilium debet esse seiunctus atque denudatus. Quod secundò probo ex ipso modo cognoscendi:quia si intellectus esset materialiter mistus ex aliquo corpore, quanuis reciperet species sine materia, tamen non posset nisi indiuidualiter certum aliquod & determinatum singulare cognoscere: at intellectus est vniuersalium: quia ponimus differentiam inter singularia & vniuersalia: ergo per aliquam potentiam cognoscimus ipsa vniuersalia (hæc autem ex communi sententia probantur) intellectus ergo, qui vniuersalium est cognitiuus, vniuersaliter est immistus, atque ab omnibus denudatus: per id enim, quod intus esset, actuaretur,& non esset in potentia, vt alia fieret: quamobrem sicut sensus nihil est actu eorum, quæ sentiuntur, ita intellectus nihil est actu eorum, quæ intelliguntur: nullam ergo debet habere certam & à natura insitam speciem (pro hac ratione facit quod cap. 3. dicimus, potentiam non posse actuari nisi vnico actu: vide ibi.) Tandem tertiò idem ex parte cognoscentis colligitur: quia cùm obiectum intellectus sit vniuersale, quod est perpetuū & incorruptibile, quippe cùm abstractum sit: ergo potentia intellectiua, quæ ab illo obiecto speciē sortitur, incorruptibilis erit & immaterialis, quare & immista: quoniam omnis virtus materialis & mista corruptibilis est. Hæc autem tria simul patent, vt ad vnam radicem reuocemus: quia si esset virtus materialis intellectus, statim ipsum

Anaxagoræ sententia ad mētē Aristot. trahitur.

Tres elegantes rationes, q intellect' sit immistus.

Summa triū rationum.

esse corpus, aut virtutem in corpore fateri esset necesse: quare aliquid intus haberet, quod alienam formam recipere necessariò prohiberet: id autem ita locum habet in receptione spirituali sicut in materiali. Quo fit, rectè Caiet. hic dicere, immistionē esse tam compositionis, quàm inclusionis & cu iusuis extrinsecę adiunctionis: ideo immistio nō est ab omnib' simpliciter, sed à corporeis: nam & de ijs loquebatur Anaxagoras & Arist. cuā, qui in fine huius tractatus cap. 5. tex. 37. dicit, *Animam ipsam ea vniuersa quodammodo esse, quæ sunt: nam ea, quæ sunt, aut intelligibilia sunt, aut sensibilia*: vbi de corporalibus expressè loquitur: quoniam eodem cap. 5. tex. 39. subdit, *Cùm autem nulla res sit præter magnitudines separata, vt videntur res ipsæ sensibiles*: quare intellectus nō intelligit nisi ex phantasmatibus.

Caiet.

QVAESTIO

An recipiens à natura recepti denudetur?

Examinatur axioma Arist. quòd recipiēs denudatur à natura recepti, quod erat tertio loco in enarratione huius textus considerandum: quoniam ex eo firmamento, quod ad hanc doctrinam præcedenti textu apposuimus (scilicet intellectum in genere esse potentiarum passiuarum, qui ob id ab intelligibili de potentia in actum reducitur, atque adeò in potentia est, vt vniuersa recipiat) infert in præsenti Aristoteles, intellectum non componi ex principijs omnium rerum, vt placuit Empedocli, sed simplicem esse & nudum ab omni forma; atq; adeò immistum, vt censebat Anaxagoras, ea saltem ratione, vt omnia cognoscat, nihil actu complecti debet eorū, quæ est intellecturus: quare neque corpus est, neq; virtus dependens à corpore, neq; corruptibiliter transmutabilis siue per se, siue per accidens: non enim miscetur naturæ, nam recipit omnes intentiones & formas spiritaliter, & res ipsas materiales immaterialiter, & indiuiduas vniuersaliter: ex quo ergo fit vniuersim cognoscit, vniuersè debet esse immistus: quo probatur illud principium, quòd omne recipiens debet denudari à natura recepti, aliàs reciperet se, aut moueret se: quare necesse est, vt denudetur ab illis recipiendis. Sed hoc communem habet in his libris difficultatem, nimirum qua de causa recipiens à natura recepti denudetur, vt quod intus est, extraneum prohibere possit. Quoniam in primis anima seipsam cognoscit: similiter & angeli suam substantiam cognoscunt: & tamen iuxta prædictam sententiam à proprię substantię & entitatis cognitione impediri deberent: ergo propositio illa non est vsquequaq; vera. Deinde cogitatiua seipsam cognoscit: præterea tactus calorem atque frigus percipit, quamuis ex ipsis constet & componatur. Rursum principaliter dubium augetur: quoniā Commentator vult, quòd recipiens denudetur à natura recepti, quia nil est actu eius, quod recipitur: quod ex prædictis exemplis falsum esse docetur de tactu: cogitatiua etiam atque anima, quæ percipiunt se, vel suam substantiam, vel ea, ex quibus hæc ipsa componūtur. Quòd si dicas, debere recipiens denudari à natura recepti secundùm naturam speciei, non autem secundùm naturam generis: tunc quęrerē, quæ sit huius ratio, quomodo angelus seipsum cognoscat, cū neq; à natura generis, neq; speciei, neq; ab indiuidua etiam natura denudetur? Res est difficultatis plena, quę tamē breuissimis à nobis absoluenda est, dum principiò constiterit, axioma Aristotelis verū esse atq; recipiendum. Et vt plura in pauca conijciā, duplex est ratio & causa, vnde axiomatis huius veritas pendet. Prior est physica, quia idem respectu eiusdem non potest simul mouere & moueri: quoniam nihil est mouens & motum nisi respectu diuersorū: idcirco cùm cognoscens ex natura sua nō habeat in se cognoscibile, ab illo debet moueri vt ex vtroq; sicut ex esse & fieri, ita ab agente & patiente vnus fit effectus, atq; id, quod potētiâ cognoscit, fit actu cognoscēs. Ex hoc igitur, quòd cognoscens non habet in se actu cognitum sed in potentia, sequitur, quòd moueatur ad illud, vt fiat actu tale: nil enim mobile est ad id, quod actu habet, cùm præsente forma cesset motus, vt alibi cum Aristotele lib. 1. de gener. tex. 53. diximus. Posterior verò est metaphysica ratio atq; causa, & ob id prior atq; multò vrgentior: quia nihil potest simul esse in actu & in potentia: modò si aliqua virtus actu est aliquod obiectum, profectò ab ipso specificabitur, ab eodemq; determinabitur tanquā ab vltimo, quo in actu constituitur

Rationes, quòd recipiens à natura recepti nō denudetur.

1. ratio.

2. ratio.

3. ratio.

4. ratio.

Obserua has duas rationes.

repugnabit igitur illi vlterior determinatio atque ſpecificatio: aut ſi non repugnat, in potētia erat ad alteram cognitionem, quod eſt argumentum, non eſſe actu ſpecificatam & determinatam. Ipſa enim cognoſcitiui natura conditionem induit determinabilis, atq; ipſa cognitio determinationem dicit: quare quod ex ſe determinatum eſt ad actum, non poteſt eſſe in potentia, vt ſecundùm illum actum ampliùs determinetur, cùm potentia ſe habeat vt determinabilis, actus vt determinans. Quod ſub his verbis nos diximus atque his rationibus oſtendimus: alijs verò dicit Ariſtoteles, ſcilicet, quòd recipiens debet denudari à natura recepti: quæ propoſitio locum habet in his naturis, quorum vna rationem ſubdit determinabilis, altera determinantis: non tamen in his, in quibus neutra ſe habet reſpectu alterius, vt determinabilis, aut determinatio: id eſt, non ſe habent ſicut potentia & actus: quia ſi recipiens receptum iam in ſe haberet, iam ipſum, quod recipit, deberet adeſſe, veluti differentia vltima, vltimatéque determinans. Rurſum (vt idem quaſi à principio redintegremus) recipiens, qua recipiēs; eſt in potentia: quare actu nihil eſt eorum, quæ recipit: ergo anima, quæ quatenus cognoſcit, recipit & patitur, actu nihil eſſe poteſt eorum, quę cognoſcit: ſiquidē cognoſcere eſt quoddam pati atq; recipere, & potentia ipſa cognoſcens determinabilis eſt per cognitionem, & ab ipſo cognoſcibili tanquā à propria perfectione perfectibilis. Simile eſt de materia 1. Phyſ. tex. 63. quę, quia pura eſt potentia vt omnes formas & actus recipiat, nullam habet: & ſi aliquam haberet formam, non eſſet in potentia ad illā (vt de forma corporeitatis coęua materiæ dicunt Scotiſtæ) non tamē repugnaret, per alias formas determinari: ſimiliter in propoſito diaphanum nō repugnat per albedinem aut alios colores actuari: albedini verò conuenire non poteſt, vt per alios colores contrahatur, quia eſt vltimus actus. Sic (propriùs ad rem accedendo) viſus, quia per omnes colores eſt determinabilis, nullum habet colorem: tactus verò, quia eſt determinatus per tangibilium mediocritatem, non eſt receptiuus aut cognitiuus illorum, niſi cùm extrema ſunt & excellentia: quoniam ſic, & eſt in potentia, & à natura recepti denudatur. Quare ſi

Eadē propoſitio iterū expenditur: de hac potētiæ determinatione videin frā text. 21. & 22.

anima aliquod obiectum actu eſſet, non eſſet in potentia ad illud: & ſi nihil remaneret potentiæ, omnino non denudaretur, vt aliquid reciperet & de nouo cognoſceret, præterquam illud, quod actu habet: quare in vniuerſum quod repugnat naturæ potentiæ, repugnat etiam receptioni atque adeò determinationi. Bene igitur infert Ariſtoteles, ex eo quòd intelligere eſt pati ſicut ſentire, & quòd intellectus eſt potentia paſsiua omnium cognitiua, & quòd ab omnibus eſt determinabilis, atque adeò ab omnibus denudatus, quibus perfici deſiderat: aut quomodo, ſi haberet, reciperet, aut in potentia eſſet? Anima enim, quæ actus eſt corporis phyſici in genere naturæ, in genere tamen cognoſcibili in potentia vitam habet, id eſt, in eſſe intentionali eſt determinabilis: quo in genere ſi alicui corporis portioni miſceretur, fieret profectò, vt iam illud corpus actu haberet vt determinans: ab illo igitur nec moueretur, nec immutaretur, ſed natura organi impediret, vt illud idem, quod eſt, non intelligeret: ſicut conſtitutio tactus tollit, vt non percipiamus medias & remiſſas qualitates tangibiles, ſed eas tantùm, quæ ab illo temperamento recedunt. Quocirca bene dicebamus; aſſumptam Ariſtotelis propoſitionē vniuerſaliter eſſe veram, ſiue ſecundùm eſſe naturale, ſiue intentionale: quia anima nil eſt eorum, quę intelliguntur, antequam intelligantur, niſi in potentia: argumentum, quo concludit, hoc eſt, Omnia cognoſcit, ergo ad omnia eſt in potentia: igitur nihil habet actu eorū, quæ cognoſcuntur, ſiue ſecundùm eſſe reale, ſiue ſecundùm eſſe intentionale. Similiter natura communis à cognitione non impedit, quia eſt determinabilis per particularem: exēplo ſit forma corporeitatis determinabilis per omnes formas corporeas: & ſaliua, quæ determinabilis eſt per omnes ſapores: diaphanū per omnes colores: bilis autem nō eſt determinabilis per ſapores, imo eos impedit: quia iam eſt lingua bilis amaritudine actuata & vltimatè determinata: ſicut in metaphyſicis ſpecies vltima iā actuata eſt vltima formali differentia & incontrahibili. Secus de ſpecie ſubalterna, quæ determinabilis eſt in omnibus & contrahibilis, perſimilis eſt & eadem ratio. De hac re iterum infrà cap. 5. vt videamus, ſi intellectus ſimul poteſt plura cognoſcere.

Perpende, et obſerua dictorum ſummā.

Ariſt. litera q; cū ſecutio.

Vis, rationiſq; efficacia.

Argumētorum solutio. Ex quibus non erit difficile ad proposita respondere argumenta. De angelo enim, *Ad primā rationem.* quod cognoscit se per suam essentiam, & habet actu naturam cognitam, quæ etsi sit determinata respectu sui, determinabilis est respectu aliorum: quia ex natura sua resultant species, quæ iuxta illorum naturam sunt congenitæ: corpus enim determinatum respectu sui in pluribus est determinabile, sicut tactus certis tāgibilibus determinatus, ab aliis est determinabilis (vt sæpe dictum est) & sic in istis propositio veritatem habet, licet aliquam limitationem admittat, sed in intellectu possibili (de quo sermo præsens instituitur) vniuersaliter & absq; vlla prorsus exceptione vera est assumpta propositio: quia cùm sit omnia in potentia, ab omnibus est determinabilis. *Attende vires huius doctrinæ.* Quare adeò ampla est sua potentia & capacitas, vt in omni esse siue reali, siue intentionali nihil actu habeat eorum, ad quæ est in potentia: quia si vniuersaliter est omnium cognitiuus, oportet, vt penes se non habeat alicuius naturæ determinationem, & (vt post dicemus) est sicut tabula rasa, in qua nihil est depictum: si igitur vniuersaliter est in pura potentia, vt materia prima in genere naturali & materiali, fit, vt intellectus in genere intelligibilium ab omnibus sit determinabilis: quia ad omnia est in potentia, atq; adeò denudatur ab omni actu, quem recipit, & ad quem erat in potentia: similiter est in potentia, vt seipsum cognoscat, vt inferius determinabimus. *Ad secūdam rationem.* Quod autem additur de cogitatiua, dico, quòd non est per se sensibilis, sed cū adminiculo vel alterius sensus, vel quatenus cum intellectu coniungitur: sicut de sensu exteriori diximus, quòd non percipit se sentire, nisi vt coniungitur cum sensu communi: absoluté ergo seipsam non cognoscit, quia sensus, virtus materialis *Ad tertiā et quartā rationem.* cùm sit, non est reflexiuus. Ex his solutum est quod tertiò proponebatur. Sed pro solutione ad quartum & vltimum non obstat, quia si vno modo determinantur respectu vnius, altero modo & respectu alterius, determinabiles adhuc manēt: hoc ideo est, quia sunt substantiæ immateriales & spirituales. *Obseruāda cōsideratio, ob quā aīa nostra, sicut angelus, suam substātiā cognoscit.* Quo fit, vt in nostra anima natura corporalis intus existens impedimento esset ad cognoscendum alia, non tamen impedit ipsa substantia animæ aut angeli: Ratio huius est, quia angeli & animæ natura ita est determinata, vt sit cognitiua & cognoscibilis atque adeò determinabilis: certè si albedo (quæ nunc tantùm est visibilis & vltimatè determinata) visiua esset, ex hoc ipso per omnes colores esset determinabilis: & si cum hoc etiam esset spiritalis, posset se reflexè cognoscere: quare cùm anima rationalis, similiter & angelus sint substantiæ intellectiuæ, sunt ab omnibus determinabiles, & quia sunt spiritales, sunt etiam intelligibiles: esse igitur determinatum, quod respectu sui habent, non impedit rationē determinabilis respectu aliorū: omnis enim potentia per omnes actus suos est determinabilis, & quicquid repugnat determinabilitati potentię, repugnat etiam receptioni: idcirco vnum contrarium non est determinabile per aliud, sed corruptibile potiùs: cognitiua verò potētia per cognitionem est determinabilis: & intellectus, qui omnium materialium & corporum est cognitiu', ab omni natura corporea debet esse denudat' & alienus. Hæc sunt, que pro huius propositionis enodatione conducere videntur: quæ, quia peripateticæ doctrinæ *Resolutio egregia propositiones.* firmamento sunt, placet in gratiam studiosorum per propositiones resoluere: quo clariora & distinctiora sint, si primò aduerteris, Aristotelem non assumere propositionem, quam examinamus, in cōmuni (licet sic etiam vera sit) sed in particulari & contractè ad naturam cognitiuā: quam ob causam notanter dixit, non absolutè intus existens, sed intus apparens, *Alienū nanq; cùm apparet, iuxtà prohibet;* apparere enim cognitiuis tantùm conuenit: certè quanuis Arist. ex proprijs philosophetur, axioma tamen propositū sicut in cognoscendo, ita in essēdo veritatē habet: atq; adeò ille actus solus potentię cognitiuæ repugnat, qui est indeterminabilis per alios: vnde quia intellect' determinabilis est per omnem materialem quidditatē, ab omni natura corporea immunis erit. Prima propositio, Recipiens denudatur à natura recepti: patet, quia aliter *1. propo.* recipiens se reciperet, & mouens esset motum, & esset in potentia, quod iam est in actu: quare recipiens ab omni eo denudatur, cuius est receptiuum: & hæc est fundamentalis conclusio: & sicut in materia forma intus existens prohibet receptionem alterius, ita in cognitiua potentia intus apparēs prohiberet cognitionē aliorū. Secunda propositio ab Aristotele intenta, *2. propo.*

& quæ præcedentem explicat, est, Recipiens denudatur ab eo, cuius est primò & per se receptiuum, hoc est, ab eo, ad quod est in potentia: patet, quia debet denudari à natura, quam primò & per se respicit, & à qua (inquantum huiusmodi est) specificatur & determinatur. Ex hac propositione patet, recipiens non debere denudari à natura generis, quamuis recipiat speciem: patet in visu, qui receptiuus est omnium colorum, non tamen denudatur à qualitate, quæ est genus: quia colorem primò & per se respicit, non qualitatem, ideo à colore & non à qualitate debet denudari: visus enim qualitatem recipit non per se primò, sed quia est in colore, quem recipit: quare potentia visiua non est in potentia, vt possit qualificari, sed vt possit colorari: sic de alijs potentijs dicendum. Tertia propositio ab Aristotele intēta, quam præsenti textu explicare contendimus, est, Intellectus denudatus est ab omni quidditate materiali & natura corporali: patet ex præcedenti, quoniam intellectus noster quidditatem materialem primò & per se respicit, & ad ipsam est in potentia, & ipsius est primò & per se receptiuus: ergo eo quòd omnem quidditatem materialē cognoscere potest, ab omni quidditate materiali & sensibili denudari debet. Propterea si vna aliqua natura sensibilis animæ insita esset & cōnaturalis, illa proculdubio prohiberet, ne aliæ naturæ sensibiles in ipsa reciperentur: nam si receptiuum alicuius denudatur à natura recepti, optimè consequitur, vt quod non denudatur à tali natura, non sit illius capax: vt visus non reciperet colorem, quem actu haberet, nec gustus saporem, quo afficitur: ita neque mens perciperet quidditatem materialem, quam primò & per se respicit, nisi

Attende. ab ea denudaretur: percipere tamen potest quidditatem propriam: quia ipsam nō primò & per se, sed secundariò respicit. De hoc modo cognoscendi animę tex. 15. & 16. tāgitur: atq; de ipso intellectus obiecto, quod nunc supponimus, inferiùs ex professo, cæteris omnibus expeditis, circa caput 3. de-

Obseruanda propositio. terminabimus. Quarta propositio, Intus existens prohibet extranei cognitionem non quancunq;, sed distinctam atque perfectam: patet exemplo & experientia: quia visus intuēs per viride vitrum multa videt, licet confusè, indistinctè & imperfectè: ita de anima dicendum, quòd intus existens non prohibet ne absolutè recipiantur extranea, sed ne verè & distinctè fiant cognoscibilia: quoniam id, quod intus appareret, intellectui esset connaturale, & semper actuaret & esset cognitum: quare præpeditur intellectus ab aliorū cognitione. Ob id axioma propositum ad potentias cognitiuas contractum, non receptionem, sed receptionem talem, scilicet discretiuam ostēdit: quia in natura cognitiua potentia receptiua in cognoscendo & iudicando consideratur, vt sit talis, quæ determinabilis sit per omnes à se cognoscibiles actus. Hæc igitur conclusio totam hāc doctrinam moderatur, distinguit atq; complet, quam nobis accipimus à manifesto experimēto latè per omnes sensus sumpto, vnde analogiam sumimus ad ipsum intellectum, in quo si esset aliqua natura materialis, ab ipsarum naturarum corporearum perfecta & distincta cognitione impediretur: & substantia ipsa immaterialis angelica si in genere immaterialium aliam immaterialem includeret, à distincta cognitione aliarum per propriam naturam prohiberetur. Ex his poteris, candide lector, plura tibi maiora & subtiliora colligere.

Quo fit, vt neque vlla sit ipsius natura, nisi ea solum, qua possibilis est. Is igitur, qui intellectus animæ nuncupatur (dico autem nunc eum, quo ratiocinatur anima, & existimat) nihil est actu prorsus eorum, quæ sunt anteà, quàm intelligat ipse. *Tex. 5.*

Corollarium infert Aristoteles, quo naturam intellectus possibilis exponit, nimirum quòd nullam aliam naturā habeat, quàm in potentia esse, nihilque actu contineat, vt latenter Democritum reijciat omnia in actu ponentem: & hanc ob causam inquit, *Is igitur, qui intellectus animæ nuncupatur, nihil est actu prorsus eorum, quæ sunt anteà, quàm intelligat ipse:* & per parentesin insinuat alium esse intellectum, quem agētem nuncupamus, de quo posteriùs habendus est sermo: nūc verò de possibili intellectu, quo ratiocinamur, est disputatio, vt intellectus à sensu separetur, & qui est in potē-

tia

tia ad actum, vt ab angelico & diuino intellectu abstineamus. Cùm igitur disputatio præsentis textus & capitis de possibili & humano instituatur intellectu, qui, possibilis cùm sit, in potentia est, vt omnia fiat, adeò vt à principio sit sicut tabula rasa, quæ nihil picturæ habet, sed postea rerum pingitur formis: ita mens susceptis speciebus fit ipsa intelligibilis in actu. Quare hoc solo definiri potest intellectus possibilis, quòd omnibus formis suscipiendis sit idoneus. Tribus igitur natura intellectus possibilis constat; Primùm in negatione consistit, illis verbis, *Vt neq; vlla sit ipsius natura, nisi ea solùm, qua possibilis est*: contra antiquos lib. 1. c. 2. ponentes intellectum ex omnibus compositum, vt omnia cognoscat, docet, naturam intellectus in negatione omnis naturæ sitam esse. Secundum est, quòd sit omnis naturæ cognitiuus: quod affirmatione constat ibi, *Is igitur, qui intellectus animæ nuncupatur*: quidditas intellectus asseritur in actu, quia eo ratiocinatur anima: quo carpitur Anaxagoras, qui de intellectu absolutè loquebatur, nempe de diuino: nos verò cum Philosopho de humano sermonem habemus. Tertium est, quòd sit in potentia, vt omnia intelligat: ob idq; in actu nullam habet naturam, nisi quòd in potentia est, vt omnia intelligat, ibi, *Nihil est actu prorsus eorum, quæ sunt anteà, quàm intelligat ipse*: contra Platonem affirmat, intellectum actu non continere formas intelligibiles, atq; adeò non solùm esse in potẽtia ad ipsum cognoscere, sed etiam ad ipsas naturas cognoscibiles, vt in duplici sit potentia, & essentiali ad rerũ naturæ species suscipiendas, & in potentia accidentali ad ipsum cognoscere: quare tam respectu actus primi, quàm secundi in potentia est. Quocirca nõ malè sumemus analogiam ad explorãdam naturam intellectus possibilis ex ipsa materia prima: quoniam ita intellectus possibilis ad formas intentionales se habet, sicut materia prima ad formas physicas & reales, quæ nullam formã habet actu, sed omnium est primũ subiectũ. Quod hîc Theophrastus diligentiùs debuit inspicere, ne intellectum cum materia confunderet: quoniam natura materiæ in sua essentia nullũ includit actum, quem tamẽ intellectus exigit, quia est vis quædam & facultas cognitiua: ideo materia prima absolutè est pura potentia, intellectus autem non nisi secundum quid, nimirũ in genere & ordine rerũ cognoscibilium & immaterialium: perinde ac dicere solemus, quòd oculus actus quidam est, sed in genere colorum pura potentia: sic opinamur, intellectum nostrum actũ quidem esse & formam intellectiuam, cui tamen non repugnat puram potẽtiam esse in illo genere. Ex qua differentia infrà tex. 16. cum Arist. colligemus, qua ratione materia, cùm sit pura potentia, non intelligat: & intellectus, licet sit pura potentia, intellectiuus est. Idcirco hîc inter materiam & intellectum multum discriminis est: quia materia prima in ordine rerum sensibiliũ principium quoddam est substantiale: intellectus autem possibilis in ordine rerum intelligibilium facultas quædã animæ est, quæ ad naturalem potẽtiam refertur. Rursum materia simpliciter & omnino est in potentia, vnde repugnat sine forma posse conseruari: at verò intellectus possibilis est in potentia secundùm quid, nempe in genere intelligibilium, vt oculus in pótentia in genere colorum: sunt tamen facultates & perfectiones ipsius animæ. Præterea licet sicut in materia prima formæ physicæ recipiuntur, ita in intellectu possibili species intelligibiles: tamen materia prima recipit esse simpliciter substantiale & physicum: intellectus verò non nisi esse intelligibile & spiritale. Adhæc, ex intellectu possibili & specie magis vnũ fit, quàm ex materia & forma (quod superiùs exposuimus) licet conueniant, quòd sicut materia prima per seipsam susceptiua est omnium formarum, & non per aliud ab ipsa, ita intellectus possibilis seipso recipit intelligibile, & fit ipsum magis vnitè, quàm ipsa materia. Denique materia prima recipit formas reales transmutabiliter cum abiectione contrarij, intellectus verò possibilis sine alteratione corruptiua, sed tantùm perfectiua: tametsi in hoc communicent, quòd sicut materia prima omnium sensibilium formarum subiectum est, ita intellectus est susceptiu⁹ vniuersaliter omnium specierum, cùm non sit determinatus, vt aliquod certum & determinatum genus entis intelligat, sed vniuersaliter omnem quidditatem & naturam cognoscere potest. Et vlteriùs in hoc differẽtia latet: quoniam materia impeditur à forma recipienda per quancunq; formam receptam: quia si vnam recipit, alteram expellere est necesse, & per receptam impo-

Intellect⁹ possibilis quid sit, ex suis partibus inuestigatur.

Natura intellect⁹ possibilis magis declaratur ex analogia ad materiã primam.

tens sit ad aliam recipiendam: cùm tamen intellectus plures simul accipiat species, & quo plures recipit, eo capacior & habilior sit ad alias recipiendas. Pergamus igitur iã, quia de natura intellectus posibilis exactiùs posteriùs perscrutandum est, cùm de intellectu agente erit sermo, & munus vtriusq; intellectus distinguamus: & quia de hac comparatione materiæ ad intellectum posibilem tex. 16. ad finem huius capitis pauca adijciam: dummodo interim ex præsenti tex. notionem nostri intellectus ex peripatetica schola concipiamus, quæ est intellectus posibilis animæ rationalis: vbi intellectus ponitur loco generis, quia diuinum, angelicum, agentem quoq; intellectum comprehendit: posibilis ponitur loco differentię, quia differt ab omni intellectu in actu: anima autem ponitur tanquã subiectum, quia animæ facultas & vis quędam, intellectus est.

Definitio intellect⁹ posibilis.

Tex. 6.

Quocirca neque cum corpore mistum ipsum esse, consentaneum est rationi. Qualis enim quidam fieret, calidus, aut frigidus: & instrumẽtum aliquod ipsius esset profectò, sicut est sensus: nunc autem ipsius nullum est instrumentum. Atque bene, recteque censent, qui formarum locum animã inquiunt esse. Attamen neque tota est locus, sed intellectiua: neque est actu, sed potentia, formæ.

Secũda cõclusio, ꝙ intellect⁹ est immistus.

Altera est Aristotelis collectio, nempe intellectum posibilem à corporis affectionibus separatum esse: nam cùm ostendisset, intellectũ suapte natura & quidditate non esse mistũ naturę corporeæ (quia cùm omnis naturæ corporeę sit cognitiuus, quidditatiuè non erit corporeus) consequenter hîc demonstrat, quòd in se non sit talis naturæ corporeę, id est, quòd nõ habeat commistionem corporis in sua actuatione, ita vt sit actus corporis & à corpore pendens: alioqui si calore, frigore, aut sanguine, aut id genus alia corporea conditione aliquo modo afficeretur, intellectus organicus esset sicut & sensus: quare in aliqua determinata corporis parte certum haberet instrumentum, vt de oculo & auditu, cęterisque sensibus oculis conspicimus, & suprà lib. 2. tex. 122. latiùs dictũ est. At intellectus hoc insigne habet priuilegium, vt adeò à corpore separatus sit, vt nec sit facultas corporis, neq; virtus aut actus eius, ita vt ab eo pendeat, vnde illius naturam & immaterialitatem deprehendemus, quo sit, vt læso corpore intellectus operatio per se minimè lædatur, nisi ex accidenti, quia sensuum ministerium impeditur. Etenim visus, quia est actus diaphani, sic determinatur, quòd non potest recipere nisi ea, ad quæ determinatur per diaphanum: sic de intellectu dicendum esset, si ab aliqua natura corporea determinaretur, quòd non posset recipere nisi ea, ad quæ se extenderet potentia & determinatio illius obiecti: quare intellectus per illam corpoream affectionem impeditur ab vniuersali cognitione: ergo cùm corpus determinet & contrahat, intellectus autem vniuersaliter abstrahat, non poterunt ita conuenire, vt intellectus, qui vniuersaliter est perceptiuus, corporeus sit. Hanc conclusionẽ non alio medio demõstrat Aristoteles, quàm præcedentem: nam si intellectus (quia omnium est receptiuus) ab omni natura denudatur, ita quoq; immistum esse oportet, hoc est, nullã habere determinatam naturam: aliàs nõ esset omnium receptiuus, si ad aliquam vnam naturam misceretur, aut determinaretur. Deductio nota est, quia sicut susceptiuum nõ recipit nisi ea, ad quæ est in potentia, sic si mistus esset alicui naturæ, impediretur intellectus ab omnium cognitione: cùm igitur sit vniuersaliter omnium cognitiuus, vniuersaliter est immistus. Præsens igitur conclusio eadem radice & medio, qua in præcedenti textu, ostẽditur: repugnat itaq; intellectui actum esse totius corporis, aut partis. Vnde quod lib. 2. tex. 11. sub dubio proposuerat (non ex nostra, sed aliorũ sententia, vt ibidem diximus) hîc expressè & ex professo demonstrat: forma enim, quæ recipitur in subiecto tanquam eius determinatus actus, media quantitate, calore, & frigore, & cæteris dispositionibus recipitur: adeo quantam esse, calidam, aut frigidam est necesse: quod inductiuè in omnibus latè patet, nimirum, quia compositum, in quo subiectãtur accidentia, prius est ipsa forma

Præsentis, et præcedẽtis cõclusionis idem medium.

Ambiguitatem lib. 2. tex. 11. in pręsenti illustrat.

forma educta de potentia materiæ: quare forma actus est illius organi, anima autem rationalis non sic educitur, sed de foris aduenit: obid intellectus neque est actus corporis eductus, neq; à corpore comprehenditur aut determinatur. Profectò si aliquã vnam naturã intellectus in se haberet determinatam, perinde se haberet ac visus, nubeculam intra se habens, quæ extraneum à cognitione prohiberet: quia cùm iam esset determinata & actuata, non esset in potentia. Hanc conclusionem probat quasi à communi hominum cõceptione: quoniam Plato & aliorum pleriq;, ob id quòd anima immista sit, eam locum specierum appellabant, insinuantes, quòd ipsa sola specierum sit receptaculum, non cum corporis communione, vt in sensu contingit, vbi anima sensitiua se sola absque corpore species non recipit: intellectus verò absq; corporeo organo eas admittit & conseruat, & in solo, nudoq; intellectu, immateriali & incorporeo fundantur: vnde Aristoteles intellectiuam partem in recipiendis speciebus loco assimilat. Quod Platonis dictum Aristoteles in duobus corrigit, Prius, quòd ille de omni anima loquebatur, cùm tamen de sola intellectiua sit intelligendum. Posterius, quòd ille à principio ponebat animam actu imbutam omnibus speciebus, cùm tamen non habeat illas nisi in potẽtia, vt iam dictum est: rectè igitur Aristoteles intellectus possibilis naturam notificat: quia si esset mistus, aut virtus corporis esset de numero sensuum, & materialiter, & indiuidualiter cognosceret. Diuus Tho. 1. p. q. 79. art. 6. & 7. explicat animam esse locum specierum, non solùm quia eas recipiat intellectus per modum actus trãseuntis, sed etiam immanenter & immobiliter: quia per seipsum vicẽ gerit memoriæ, cùm non tantùm ipsarum receptiuus sit, sed cõseruatiuus, Itaq; licet memoria à potentia cognitiua in sensu distinguatur, in intellectu memoria non est distincta potentia, sed idẽ intellectus vim habet habitualiter conseruandi quod recipit: sed dicitur locus specierum, & nõ memoria: quia memoria habitudinem habet ad præteritum, locus autẽ à præsenti, præterito & futuro abstrahit.

Intellect⁹ locus est specierũ.

Differẽtia inter memoriã & locum specierũ.

DVBIVM

De separatione animæ humanæ.

Sed tunc ambiges, si Aristoteles dubitationem propositam in lib. 1. de anima tex. 13. præsenti loco diluat, & concludat separabilem esse? Ratio dubitandi est, quoniam prædicta nostra expositio affirmatiuę partifauere videtur: sed opposita pars suadetur, quoniam etsi sphęra, verbi gratia, separata sit secundùm suam quidditatem atque perfectionem à sensibilibus affectionibus, non tamen statim sequitur, quòd secundùm suam realem existẽtiam ab eis seiungatur: quia licet sphęra secundùm suam naturam concepta hæc accidentia non includat, nec determinetur ad aliquod certũ genus entis, tamen reipsa constare non potest nisi in aliqua determinata natura: sic quoq; in præsenti nostro negotio, quanuis anima metaphysicè considerata, & eius intellectus abstractè pręconceptus à cuiuscunq; naturæ determinatione separatus cõcipiatur, non tamen demonstrat Aristoteles, quòd in re existat intellectus immistus atq; separatus: quod tamen necessarium esset, vt efficax esset præsens demonstratio, atq; deduceret, animam, eiusq; possibilem intellectum à corporeis & sensibilibus affectionibus separatum esse: oportunè ergo præsens adducitur dubitatio, vt præsentis textus vim perpendamus. Pro quo notandum, quòd trifariam dicitur aliquid habere esse physicum, atq; compositum esse physicum, Primo modo quidditatiuè vt ex materia & forma componitur, de quo Aristoteles lib. 1. phys. agit. Secundo modo perfectiuè, de quo tetigi lib. 1. de gener. cap. 3. quatenus formaliter pertinet ad considerationem metaphysicam, & est quoddam ens compositum, de quo Arist. lib. 6. & 7. Metaph. Tertio modo existenter, quod est me dicæ cõsiderationis. Modò igitur omnibus in confesso est, Aristotelem legitimè demõstrare intellectum esse immistum, atq; adeò separatum à conditionibus materiæ quidditatiuè & perfectiuè, cùm nec componatur ex materia & forma sensibili, nec conditiones sensibiles in sua perfectione includat: si enim ex affectionibus sensibilibus componeretur, aut eas perfectiuè includeret, definitus esset & determinatus ad aliquam certam naturam: igitur nõ esset vniuersaliter omnium cognitiuus. Nec ratio etiam infert, quòd nõ habet immistionem secundùm existentiam, vt in fine huius 3. libri dicemus latiùs, vbi disputabitur de animæ

Dubitatiõe posita lib. 1. tex. 13. soluit Arist. hoc tex. et sequenti.

Triplex compositũ physicũ ex Caietano.

mæ immortalitate. Interim tamen pro præsentis textus explanatione sic deduco: quia si intellectus esset quidditatiuè aut perfectiuè igneus, aqueus, lapideus, aut alterius cuiusuis sensibilis naturę, impediretur procul dubio à propria functione, quæ est omnium vniuersalis perceptio & cognitio. Quod argumentum profectò maiores multò vires habet, si igneus, aqueus, aut alio modo sensibilis naturæ existeret: quoniam multò magis à perceptione vniuersali impediretur: plus enim impediret intus existens extranei cognitionem, vt latè in pręcedentibus demonstratum est: quouis autem modo intellectus determinetur actus dependenter à corpore, ab vniuersali omnium cognitione impediretur: repugnat ergo intellectum sic esse actum corporis totius, siue partis. Vnde quod principiò huius tex. expressè dicit Arist. ibi, *Quocirca neque cum corpore mistum ipsum esse, &c.* indistinctissimè & absolutè in fine sequentis tex. affirmat dum dicit, *Sensitiuum enim non est sine corpore: at intellectus ab eodem est separabilis*: quare etsi nec quidditatiuè nec perfectiuè esset mistus, ex hoc solùm, quòd existeret mistus secundùm suum esse & existentiam, prępediretur, ne omnia perciperet. Eapropter intellectus, non tantùm primo modo quidditatiuè siue metaphysicè non est corporeus, nec secundo modo physicè siue actuatiuè, quia non informat corpus vt perfectio pendens à corpore, sed nec tertio modo inexistenter & indiuidualiter corpori inexistit inseparabiliter à natura corporea, quoquo modo intellectus non esset sine corpore, non esset vniuersaliter perceptiuus, atq; adeò ratio Arist. nil efficaciter concluderet: rectè igitur ex hac demonstratione inferimus animæ separationē, & postea eius immortalitatem ostendemus: quia illa natura & quidditas materialis, quæ inexisteret intellectui, subterfugeret cognitionem nostram. Et hoc est, quod Arist. dicit, cùm approbans aliorum sententiam ait, *Atq; bene, rectèq; censent, qui formarum locum animam inquiunt esse: attamen neque tota est locus, sed intellectiua*: vt ex hac comparatione ad locum inferas, intelligere operationem esse solius partis intellectiuæ: quia ipsa sola recipit species intelligibiles, quę sunt intelligendi principia: sanè si intellectus in corporeo organo actus esset, eius operatio in organo reciperetur (vt lib. 2. tex. [illegible] de sensu dictum est) atq; adeò sola intellectiua non esset locus formarum, neq; intelligere solius intellectus esset operatio, sed totius coniuncti: meritò ergo sequitur, quòd si solus intellectus est locus specierum intelligibilium, quòd solius intellectus erit intelligere, & ita immistus erit atq; adeò ab omni corporeo organo immunis. Soluit igitur Arist. præsenti textu dubitationem illam positam lib. 1. quòd anima, eiusq; intellectus separabilis sit, atq; functionem habeat & separatam operationem: ideo dicit Aristoteles, intellectus non est mistus cum corpore, nec habet insitam formam corpoream atq; sensibilem, aliàs non posset omnia intelligere: quare neq; est actus alicuius organi, nec virtus alligata corpori, vt sensus: alioqui si illis qualitatibus afficeretur, illæ sanè impedimento essent, ne vniuersas formas intelligeret, quando per illam naturam iam intellectus in actu factus, non esset in potentia, vt alia intelligeret.

Obseruanda textus resolutio.

Atqui passionis vacuitatem non similem esse sensitiui, atque intellectiui, patet in sensuum instrumentis, atque in ipso sensu. Sensus enim ex vehemente sensibili sentire non potest. Auditus nanq; non audit sonum post magnos sonos: & visus non videt, atque odoratus non olfacit, post vehementes colores, atque odores. At intellectus aliquod valde intelligibili intellecto, non minus sanè, sed magis percipit, intelligitq; inferiora. Sensitiuum enim non est sine corpore: at intellectus ab eodem est separabilis. *Tex. 7.*

Aliud discrimen intellectus à sensu ponit Arist. scilicet quòd intellectus & sensus dissimilis est passibilitas: quoniam sensibilium excellentię corrumpunt sensum (vt lib. 2. tex. 123.) at excellens intelligibile perficit atq; confortat intellectum: quare etsi intelligere & sentire conueniant in hoc

Aliud discrimē sensus, & intellectus.

quòd

quòd in pati consistunt (vt suprà expositũ est) vtriusque tamen operatio salus erit & ipsius facultatis perfectio absque aliqua deperditione per se corruptiua: nam sicũ sensus fit actu sentiens, nullus abijcitur ter minus à quo (vt lib.2.cap.5.) sed fit perfectionis additio, multo potiori iure intellectus intelligendo absque vlla prorsus corruptione perficietur. Differunt tamen, quia intelligere non fit in organo corporeo, sicut sentire: vnde per excellentiam obiecti non corrumpitur intellectus, sicut sensus: & licet vtriusq; potentiæ salus & perfectio à suo proueniat obiecto, tamen passio sensus admistam habet corruptiuam alterationem, vnde non admittit vehementes ob iecti pulsationes: ideo non est similis sensus & intellectus vacuitas, hoc est, non similiter denudantur ab obiecto: quoniam etsi vtraq; potentia sui obiecti sit receptiua, tamen intellectus sine medio organo aut aliquo instrumento corporeo: hinc etiam habet, vt non corrumpatur, sed à suo obiecto quantumuis excellenti perficiatur. Hãc rationem pro causa & radice huius discriminis assignat Aristoteles præsenti textu: nã licet sentire & intelligere absolutè conueniant in hoc, quòd neutrum est verè pati, tamen sentire intra suam latitudinem inue nitur cum mistione alicuius passionis respectu valde & vehementer sensibilis, cùm tamen intelligere omnimodo passionis sit expers. Subdit Arist. intellectum à præstãtissimo intelligibili non prohiberi, quominus minora & imperfectiora percipiat: ideo neq; fatigatur, neq; debilitatur intelligendo, sicut sensus, nisi fortè per accidẽs, quòd phantasmatum indigeat speculatione tanquam materia, non tamen tanquam instrumento (vt cap.4. explanabimus circa expo sitionem textus 30. & tex.36. inferiùs.) In præsentia sensus & intellectus non vsurpãtur vt res sunt, sed vt facultates cognitiuæ, quæ sentiendi, aut intelligendi proprias exercent operationes: ob id considerantur respectu suorum obiectorum in excellentia: idcirco vehemens sensibile est, quod ha bet vnde vehementer sentiatur, qualis est lux respectu oculi: valde verò intelligibilia dicuntur, quæ habent vnde multùm intelligantur: talia sunt quædam metaphysicalia, quæ manifestissima sunt naturæ, quæ quo plus habent de entitate, plus quoque participant de intelligibilitate: per vehementer enim sensibile atq; valde intelligibile significat Aristoteles excessum obiecti ad potentiam, in sensu tamen: nam respectu intellectus nõ vult Aristot. aliquod esse intelligibile, quod intellectum excellat: falsus tamen est, vt post pauca dicam. Cùm ergo intellectus realiter non alteretur, nec trãsmutetur sicut sensus, sed solùm intentionaliter speciebus afficiatur, fit, vt non habeat vnde terribilis obiecti pulsationes metuat: quinimmo quocunq; præstantissimo intelligibili percepto, habilior & vegetior ad suas functiones exercẽdas eua dit: nimirum quia beatitudo in intellectu essentialiter collocatur: vnde beati visa diuina essentia intelligentiam aliarum rerum non perdunt, sed potiùs firmatur & illustratur. Quare Theologia (quæ sapiẽtia est 1.p.q.1.art.6.) Theologos non debet stultos reddere, aut ad tractandas res ineptos: sic censet Aristoteles in præsenti ex perceptione superiorum illustrari & firmari ad inferiora exactiùs deprehendenda: valeat ergo vulgarium omnium iudicium & præpostera existimatio. Verum est, quòd ob vehementem contemplationem & abstractionem ab occupatione sensibilium & rerum externarum non sic circa singula sunt instructi: quoniam vniuersaliora & potiora ex professo meditantur: sed alibi de hac re vide D.Tho. 1.p.q.1.artic.6.& 2.2.q.2. circa art.6.7. & 8. nos eò, vnde digressi sumus, redeamus. Docet igitur Aristoteles, quòd quamuis intellectus facultas sit incorporea, quæ ob id per se non debilitatur nec fatigatur, tamen quia nunquam intelligit sine corpore, per accidens contingit aciem eius minui: quoniam obsequium corporis debilius redditur: vnde eget quiete, somno, vt vis corporea restituatur: nam quod caret alterna requie, durabile non est. Sensus autem suam functionem per se in corpore exercet, & pro sui constitutione quatuor primarum qualitatum proportionata mistione indiget, & illa proportio est, quæ à vehementi sensibili tentatur: ob id vehemens est aliquod & excellẽs sensibile. Negat tamen Arist. excellentiam & vehementiam intelligibilis: in quo caue errorẽ, christiane lector: nam supremum intelligibile (quod Deus est, & in cuius visione nostra beatitudo consistit) soli Deo est connaturale, & supra facultatem omnis intellectus creati: quod eleganter ostendit S.Tho. 1.p. q.12.

Pro Theologis est ratio, & Aristoteles.

Intellectus per accidens debilitatur, sẽsus autẽ per se.

q.12.artic.4. Hinc ibidem art.5. egregiè infert, intellectum beatorum egere lumine gloriæ, ipsoq; confortari, cùm tamen sensus Solem in sua sphæra intentis oculis conspicere nequeat. Notissima est ista differẽtia inter sensum & intellectum, quam experiẽtia etiam cõprobat, quòd per intellectũ continuò intelligendo sine line procedamus: in sensu verò minimè, quia non habet supra se reflexionem, est quidem materialis & corporeus. Sed dices, sensum esse actum corporis & organi, in causa est, vt sentire à vehementi sensibili sit verè pati: intellectum autem nõ esse corporis actum, causa est, quòd intellectus nec à valde intelligibilibus verè patiatur: ergo cùm cogitatiua & phantasia, & cæteræ virtutes sensitiuæ interiores sint actus organi corporei, paterentur à valde cogitabilibus: quod tamen falsum esse creditur ex eo, quòd nil tale experiamur. Caietanus respondet, Aristotelem nõ reddere propriam causam, sed consonantiam, atq; huius differentiæ non conuincentem, sed apparentem rationem & plausibilem proportionem. Quod falsum mihi videtur: nam si hoc ita esset, doctrina tanti Philosophi solida & demõstratoria nõ esset: maximè quia lib.2. tex.123. & 143. deducit sensum pati à vehemẽtia sensibilis: ex organo & sensu, & ex v roq; causam reddit, quia debet seruari organi harmonia, & sensus in actu symphonia: idẽ enim est actus sensus & sensibilis: apertè ergo vult, quòd sensum esse in corpore tah, causa est & ratio patiendi ab excellenti sensibili: atq; adeò intellectus, qui à corpore separatur, omnimodam excludit passionem corruptiuam: quapropter non probo quod Caiet. dicit: quia cogitatiua sicut reliqui sensus ab excellenti sensibili disturbatur: incidimus enim aliquando in aliqua, quæ difficulter & non sine læsione cogitamus. Ex hoc textu duos habemus confutatos errores, Prior est dicentium intellectũ esse imaginationem, de quo vltimo cap. libri 2. dictum est, vbi imaginatiuam Aristoteles cum sensu computat. Posterior autem est, intellectum non esse animæ facultatem, sed vnam aliquam de substantijs separatis: nam intellectus, licet sit separabilis à corpore, potentia est animæ, quæ (vt initio 2. lib. diximus) actus est corporis physici, &c. & homo per ipsum intellectum, vt per propriam potentiam, formaliter operatur & intelligit: nec sola vnio extrinseca ipsius intellectus ad phantasmata nos faceret formaliter intellectiuos & intelligentes: de quo fortasse inferiùs contra Commentatorem dicemus. Nunc pergendũ est, dummodo priùs annotemus, quàm expressè Aristoteles in vltimis verbis huius textus dicat, intellectum hoc à sensu differre, quòd separabilis est à corpore.

Obiectio notanda.

Caiet. reycitur.

Duos errores eliminat Arist.

Nota.

Tex. 8. Factus autem vnumquodq; perinde, atq; is, qui dicitur actu sciens: quod quidem tum accidit, cùm ipse per seipsum operari potest. Est quidẽ & tunc quodãmodo potentia, sed non perinde, vt erat anteà, quàm didicisset, vel inuenisset. Atque tunc seipsum etiam intelligere potest.

Cùm igitur intellectum possibilem potentiam esse constet, æquum est, vt intelligamus, vnde de potentia in actum reducatur. Reperitur enim intellectus in triplici statu, Primò in pura potentia, veluti in pueris: Secũdò in actu primo, vt in adultis dormientibus, aut non considerantibus, qui dicitur intellect⁹ in habitu: Tertiò in actu cõpleto, vt in contemplantibus & considerãtibus: reducitur igitur de potentia in habitum & actum ab ipso intelligibili, cuius specie & forma suscepta fit ipsum, non secus ac cera suscepta figura fit ipsum sigillum: itaq; intellectus potentia est, quæ per susceptam intelligibilis speciem operatur. Vnde conuincitur falsam esse opinionem Auicennæ, quòd species non conseruentur in intellectu possibili, quia (vt iam dictum est) ipse est locus specierum, in quo habitualiter conseruantur. Aduertẽdum etiam, possibilem intellectum ab intelligibili poni in actu primo: nam si quid intellectus agens ibidem operetur, postea docebimus cum Aristotele tex.17. nunc autem leuiter tantùm & quasi per similitudinem docet, quòd ab ipso intelligibili veluti à generante propriam speciẽ nanciscatur intellectus possibilis. Præterea considerandum, quòd intellectus iam factus in actu primo, per seipsum potest operari sine extrinseco aliquo redu-

Triplex status intellect⁹.

reducente: nimirum, quoniam transformatus in ipsum intelligibile atq; eius seminarium in se habens, considerare & cõtemplari poterit non solùm alia à se, sed etiam seipsum deprehendere. Vnde habes, quòd licet sensus & intellectus cõueniant, quòd vterq; reducatur in actum ab ipso obiecto veluti à generante, tamen in sensu non immanẽt species habitualiter sicut in intellectu, qui iam factus in actu primo sine alterius indigentia alia à se & seipsum intelligere valeat: quia ad hoc sufficit, quòd specie & forma obiecti informetur. Consideranda est huius textus doctrina pro textu 15. quo docebimus animam non se intelligere per speciẽ quidditatis materialis, cùm ipsa sit immaterialis: neq; per suam essentiam sicut angelus, quia quandiu est in corpore, pura potentia est: nec per species innatas, quia debet eas à phantasmatibus emendicare: quare non fluunt ab essentia pro hoc statu: neq; habet eas influxas à superioribus, quoniam in hac vita duntaxat cognoscit per conuersionem ad phantasmata: fateamur ergo est necesse, quòd se intelligit per reflexionem ex discursu, quoniam deprehendit seipsam operantem, nõ substantialiter per se, sed quòd accessoriè & accidentaliter intellectiones recipit, atque ab intelligibili de potentia in actũ deducitur. Cũ igitur percipiat se fieri in actu vnum de genere entium (vt rectè dicebat Alpharabius) non secus ac æstimatiua species insensatas à sensatis elicit: sic anima immaterialem speciem sui fabricat à materialis quidditatis specie: nam materialis species animam propriè repræsentare nõ potest, sed (vt dixi) percipiens, quòd intelligendo fiat in actu vnum determinatũ ens, & certa natura statim fit sibi præsens. Pulchra sanè Philosophia, quæ si attentiùs cõsideretur, non tantùm facilis, sed vera est, quod anima per species quidditatum materialiũ se cognoscit, non affirmatiuè per illas, sed negatiuè remouẽdo ab illis: sicut enim oculus non se videt per speculum, sed in obiecto & opposito speculo per prǽstantissimã oculi partem, pupillam scilicet atque visus aciem, ita mens nostra non se contemplatur per rerum materialium spectra & simulacra, sed ipsis propositis atq; perceptis, seipsam per præstantissimam eius partem, quæ est acies mentis & acumẽ intellectus, intuetur: ergo ipsa cùm videat de potentia in actum se reduci, certa quadam cõiectura se inuestigat atq; inuenit, vt cùm alia intelligit, seipsam quoq; aduertat: rerũ enim causas cùm diligenter perquirat, atque ex operationibus singula definitè cognoscat, sese quoq; ex operatione tenet, atq; seipsam geminata & reflexa intellectione perfecta quadam circuitione & conuersione percipit. Verùm antequam vlteriùs progrediamur, oportet verba huius textus diligentiùs considerare & ponderare. In primis cùm dicit, *Factus autẽ vnumquodq;, &c.* differentiam notat inter intellectum & materiam, quia materia prima non fit ipsa forma, at intellectus fit ipsum intelligibile: idcirco dicebamus, quòd ex intellectu & intelligibili magis fit vnum fit, quàm ex materia & forma. Mox prætereundum non est verbum illud, *vnumquodq;*, quo significat intellectum nostrum, quoniam infimus est in genere intelligibilium, qui intelligere nõ potest per species nimirum vniuersales & abstractas, vt angeli, sed per species dearticulatas, & licet vniuersales nimis, tamen particularibus proximas: est enim noster intellectus intellectuum vltimus, qui ob id sigillatim fertur in vnumquodq; per rationes proprias: angelus verò vniuersim per vniuersales & communes rerum formas: quare quæ sunt minùs vniuersales, sunt animæ nostrę magis proportionatę: ideo oportet, vt faciat vnumquodq; singulatim. Tum etiam considerandum quod dicit, *quodammodo potentia* potens scire: quo notat differentiam intellectus à materia prima, quæ omnis formæ expers est, quod est valde cõsiderandum: quia licet sit in potentia omnia intelligibilia, non tamen in pura potẽtia, sed in communi & indeterminatè, & indiget specierũ determinatione: nihil aliud est intelligere, quàm determinari secũdùm hoc, vel illud intelligibile: quòd insinuabat etiam cùm dixit, *Factus autẽ vnũquodq;, &c.* etenim intellectus non est vt materia prima, nuda, pura & simpliciter in potẽtia, sed secundùm quid in ordine intelligibilium. Tandem cùm dicit, *Actu sciens*, docet Aristoteles modum essendi in actu primo, & non modum habendi promptè & delectabiliter, id est, speciem & actum primũ, non tamen habitum: distincta enim qualitas est habitus ab specie, aut est ipsarum specierum coordinatio (vt alibi diximus) & habitus pluribus actibus comparatur: species autem

Discrimẽ intellect⁹ à sensu.

A ia quomodo se cognoscat

Ponderãtur verba textus.

autem vnico gignitur actu, & licet potens est operari & sit in potentia, dissimiliter autem quàm priùs, quando erat in potentia essentiali ad actum primum: nam iam est in potentia accidentali ad actū secundū: est igitur in media potentia, quoniā iam propinqua est, vt seipsam intelligat: de hoc pauca suprà lib. 2. cap. 5. tanguntur, & infrà tex. 15. Nunc autem Arist. præsenti textu tria vult intellectui in actu competere, Primum, quòd posit iam per seipsum operari, vt intelligamus iam non indigere externo reducente & motiuo (vt sensus eget) quòd factus in actu penes se iam habet, nō quòd excludat phantasmatis speculationē, sed quòd habet iam in se formam & operandi principium. Secūdum, quòd si adhuc est in potentia, dissimiliter tamen ac priùs: quia non est in potentia essentiali ad habitum, sed in accidentali potentia ad actum. Tertium, quòd iam poterit seipsum intelligere eo modo, quo exposuimus. Vnde intelliges quod Arist. dicit lib. 2. tex. 59. *Sensitiuum, cum iam ortum ac generatum est, habet iam sensum perinde ac scientiam*, non quòd ab ipso obiecto immutetur ad primum actū speciei, similiter & ad secundum sensationis, quia ille est passiuus, sensatio autem actiuè est à potentia tendente & transferente se in obiectum comprehensione directa: quapropter ibidem subdit, *& sentire actui simile est, ac contemplari:* distinguit ergo inter scientiam & contemplationem, & inter sensum & sentire.

Tex. 9. Cùm autem aliud sit magnitudo, aliud magnitudinis esse: & aliud aqua, aliud aquæ esse, & in alijs itidem multis (non enim vniuersis hic modus accommodatur, sed sunt in quibus hæc ipsa sunt eadem, non diuersa) aut alia sanè, aut parte quidem eadem, sed aliter sese habente, carnem, & esse carnis discernit. Caro nanque non est sine materia, sed perinde atq; simum, hoc est in hoc.

Dissentiunt Aristotelis expositores & variè censent circa huius loci contextum, & quo modo præcedentibus cohæreat. Simplicio enim placet de intellectione impartibilium agere in particulari, posteaquam de intellectione in communi disputatum est. Philopono autem (cur, Aristoteles disputat, an intellectus corruptibilis sit, an æternus) videtur, quòd, hactenus differentijs inter intellectum & sensum positis, iam quomodo fiat ipsum intelligere, determinet. Sed nos, has & multas alias expositiones vnico verbo complectentes, dicimus, hanc esse huius capitis secundam partem, in qua & intellectionis & intellectus naturam à priori aperit Aristoteles, nimirum obiectum intellectus proponendo, quod est vniuersale à materia indiuiduali separatum. Quare cùm intendat demonstrare, quòd obiectum intellectus pro hoc statu sit quidditas rei materialis, idcirco determinare incipit, quatenus quidditas ab indiuiduo separetur: ideo cùm dicit, magnitudo, aqua, aut caro, idem est quod quidditas & natura: cùm autem horum esse nominat, indiuiduum intellige: quod clariùs dices, cūm multis aliud sit quidditas, aliud indiuiduum, in quo ipsa subsistit. Exemplū ponit, Primò de magnitudine in mathematicis, quæ licet abstrahant à materia sensibili, concreta tamen sunt materiæ intelligibili. Secundò de aqua in naturalibus simplicibus, in quibus non tantùm est materia intelligibilis, sed etiam sensibilis. Tertiò de carne in naturalibus mistis, quæ non tantùm concernunt materiam intelligibilem, & sensibilem, sed etiam eam in sua definitione includunt, vt simum, quod per nasum, definitur. Rectè igitur Philosophus mentem suam colligit, quòd si in his omnibus aliud est quidditas, & aliud ei⁹ esse, & quidditas ab indiuiduo differt, necessum est, ꝙ homo quidditatem ab indiuiduo alia potentia à sensu discernat, nempe intellectiua: at si quidditatem & indiuiduum eadē intellectiua parte homo percipiat, oportet intellectum aliter circa quidditatem, aliter circa indiuiduum sese habere: quod statim exactiùs enodabimus, si intellectus singulare percipiat, an tantùm indirectè per reflexionem & discursum per coniunctionē ad sensum: Aristoteles vtrunq; probabile censet. Mihi tamen probabilius multò est, vt intellectus nō solùm vniuersale, sed singulare attingat: aliàs inter singulare & vniuersale

Contextura explanatur.

Obiectū intellect⁹ quidditas rei materialis examinatur infrà c. 3.

Intellectꝰ singulare percipit, infra in quæstione de obiecto intellectꝰ c. 3. ad 2. principale.

uersale non posset differentiam statuere: quòd si inter vtrunq; dijudicat, vt re vera experimur, vtrunq; cognoscat opus est. Quo argumento præcedenti libro cap. 14. demonstrabamus, sensum cõmunem omnium sensuum exteriorum differentias percipere, vt externis sensibus copulatur & coniungitur: sic intellectus de se vniuersale percipit, singulare verò vt ad phantasmata cõuertitur, & ei cõtinuatur necessitate quadam naturalis immutationis & proportionis. Sed de hac graui difficultate quæstionem propriam habebimus inferius ad finem cap. 3. Subdit autem Aristoteles per parenthesin, quidditatem ab indiuiduo differre, *Non enim vniuersis hic modus accommodatur, &c.* hoc dicit propter Deum & angelos, in quibus natura & indiuiduum eadem sunt, & non diuersa: idem enim est esse & essentia in separatis à materia, & suppositum non differt à natura: nō quod indiuiduum non habeat aliquod accidens, quod non habeat natura, vt Commentatori Auerroi visum fuit, sed quòd illa accidentia, etsi indiuidualia esse videantur, ab essentia fluunt veluti propria ipsius speciei. Quocirca huiusmodi accidentia substantiarum separatarum sensu nō comprehenduntur, non solùm ex eo quòd immaterialia sunt, verumetiam eo quòd non sunt indiuidua: quandoquidem speciem, secundùm quòd talis est, comitantur, & nihil est in substantijs immaterialibus, quod ad rationem speciei non pertineat: adeo indiuiduatio ipsarum fit ratione formæ, atq; species in ipsis seipsa est indiuidua: ob id species non multiplicatur in pluribus indiuiduis: Gabriel enim, eiusque species, non potest esse in alio indiuiduo. De hac autem distinctione suppositi à natura, atque de differentia inter substantias materiales & immateriales in quæstione propria dicemus. Malè igitur Caietanus de Thien. dicit, Aristotelem per carnem intelligere viuum, vt extendat se etiam ad immaterialia. Certè contextui literç & menti Aristotelis non quadrat, vt ex dictis patet, & ex ijs, quæ ipse in textu sequenti dicit, quòd caro proportionem dicit calidi & frigidi: nam caro (inquit Aristoteles) non est sine materia, ergo per carnem non intelligit immaterialia. Ineptè alij euadunt hoc argumentum, dicentes, quòd quia substantiæ separatæ sunt nobis ignotæ, quas

Accidentia substãtiarũ separatarũ speciem sequuntur.

Quæst. de distinctio ne naturæ à supposito.

Caietanus de Thien. reiectus.

proprijs nominibus non valemus appellare, ideo eas sub exẽplo carnis in reb. naturalibus circunscripsit. Sed certè ineptè etiam, quoniam caro conditionem habet oppositam quidditati & esse rerum substantiarúmq; separatarum, cùm dicat, *Caro namq; non est sine materia, sed perinde atque simum, hoc est in hoc*, id est, quidditas in materia: quod substantijs separatis minimè quadrare potest, quia necessariò in ipsis species ad indiuiduum seipsa determinatur: forma enim, quæ est in materia, necessariò est in materia aut sensibili, aut intelligibili, vnde indiuiduum à natura differt: at quia in substantijs immaterialibus neq; est materia sensibilis, neque intelligibilis: quia non est aliud natura, & aliud indiuiduum: consequenter sicut impossibile est multiplicari indiuiduum, ita impossibile est multiplicari naturam. Vnde habemus etiam, quòd sicut quidditas ab indiuiduo, vniuersale à singulari distinguitur, ita sensus distincta est potentia ab intellectu: & cùm intellectus vniuersalium sit, sensus erit singularium, nisi quatenus singularia ab intellectu reflexè & discursiuè cognoscuntur per quandam continuationem ad phantasmata, vt pòst dicemus: impossibile nanque est, singulare, quod materiale est, directè intelligi ab intellectu nostro: patet, quia non est sine materia: vt repugnat ergo tali singulari materiali separari à materia, repugnabit quoque & intelligi: quoniam nulla potest species materialis in intellectu esse, quæ ipsum directè repræsentet, ob id non nisi reflexè intelligitur. Sed quia præsens textus examinari sine sequentibus non valet, ad sequentis enarrationem pertranseo.

Sensitiua igitur parte calidũ discernit, & frigidum, quorum quædam est ratio, caro. Alia verò esse carnis discernit, aut separabili, aut sese habẽte ad seipsam perinde, atq; sese habet, cùm extensa fuerit linea flexa. *Tex. 10.*

Prosequitur Aristoteles quod ab initio capitis instituerat declarare, quid sit intelligere, quóve pacto fiat intellectio: & cùm operationes ab obiectis dignoscantur (vt lib.

Intellectꝰ attingit etiã singulare.

lib. 7. cap. 4.) meritò de obiecto intellectus & ipsius intellectionis sic figura & superficie tenus differitur: quoniam pòst ex professo est demonstraturus. Ideo quod præcedenti textu dixerat, in præsenti exẽplo explanat, nimirum, quòd sensu sentimus esse carnis, alia verò potentia quodquid est ipsius: consistit enim ratio carnis in certa calidorum & frigidorum, &c. proportione: hanc autem carnis quidditatem intellectus directè percipit: at esse carnis & indiuiduum ipsius non nisi reflexè: nam intellectus posteaquam carnis quidditatem percepit, regreditur quærendo cuiusnam sit, & in quo existat illa quidditas, quò quidditatem magis comprehendat: non est intellectus contentus ipsius quidditatis cognitione in seipsa, sed eam in suo indiuiduo magis explorare atque expendere nititur. Vult itaq; Aristoteles, quòd singulare & vniuersale diuersa potentia percipimus: quandoquidem sensus est singularium, intellectus verò vniuersalium: vel quia si eadem potentia percipiatur vniuersale & singulare, quòd aliter intellectus ad vniuersale, aliter ad singulare se habet, cùm singulare non nisi indirectè & per reflexionem dignoscatur: eadem ergo virtute intellectus formam & formam in materia singulari cognoscit, sed intellectu diuersimodè sese habente, quem meritò comparat lineæ rectæ, & eidem circunflexæ: eadem enim licet sit linea, aliter tamen est disposita: sic noster intellectus, qui directa acie in vniuersale tetendit, recurrit ad se & reflectit se supra phantasmata, ad quæ se conuertit. Quare iuxta Aristotelem intellectus singulare cognoscit (vt habet præstantissimorum Latinorum, Græcorum atque Arabum interpretatio) aliter intellectus nunquam sensum corrigeret, neque vocaretur ab Aristotele sphæralis, reflexiuus aut conuersiuus: quoniam singulare attingit secundùm continuationem cum sensu. Nam rogo, quando discurrit intellectus & subsumit singularem propositionem, quomodo syllogizat, si singularis notitiam non format? Rursum si intellectus vniuersale cum singulari conferat, vt sæpe facit, profectò necessum est collationis extrema cognoscat, aliàs vtriusque, vniuersalis scilicet & singularis, iudex esse non posset?

Rursus in ijs, quæ in abstractione consistunt, eadem esse videntur. Rectum enim se habet, vt simum: est enim ipsum cum continuo semper. Quòd si quidditas sit diuersa, aliud est profectò esse recti, aliud ipsum rectum, vt ibi: si enim dualitas. Quare fit, vt hęc etiam alia, vel alio modo sese habente parte discernat. Omnino igitur vt res separabiles sunt à materia, sic se habent & ea, quæ sunt circa intellectum ipsum. Tex. 11.

Conclusionem textu 9. positam, atque tex. 10. exemplo naturali declaratam, in præsenti textu exemplo mathematico exactiùs exponit: nam non respiciunt materiam, nisi intelligibilem: quia abstrahuntur à materia sensibili. Ideo docet Aristoteles, quòd sicut res sese habent ad esse, sic se habent ad intelligere: quoniam naturalia cognoscuntur abstractione à materia indiuiduali, non tamen sine materia in communi: mathematica verò intelliguntur, non tantùm abstracta à materia indiuiduali, sed etiam à materia naturali. Id significat Aristoteles cùm dicit, *Rectum enim se habet, vt simum*, id est, sicut simum, quod nasum vt naturalem materiam concernit, sic rectum materialis intelligibilem respicit: quoniam sicut non possumus intelligere simum sine naso, qui eius est materia naturalis, sic rectum nunquam deprehendes, nisi *cum continuo semper*, quod eius est materia intelligibilis. Subdit præterea Aristoteles, *quòd si quidditas sit diuersa, aliud est profectò esse recti, aliud ipsum rectum*: quia quidditas & indiuiduum re idem sunt, ratione tamen differunt: ergo per potentias diuersas percipiuntur, siquidem ratione & formali obiecto differunt. Quòd autem rectum dualitatem Aristoteles appellet, non te turbet: quoniam loquitur more Platonicorum, qui significabãt vnitatem & essentiam

Continuatio literæ.

Aristot. quorsum more Platonico loquatur.

tiam puncto, dualitatem recto, trinitatem circulo, & sic de alijs numeris censebant: constat enim linea recta duobus extremis punctis, & medium eius ab extremis non exit: in circulo autem est centrum & linea curua, cuius medium extrema egreditur. Sed valeant ista: quoniam Aristoteles non frustra & sine causa platonico more loqui videtur, sed quia vult essentiam & indiuiduum non esse duas res, quod Platoni arrisit: sed si aliqua dualitas ibi est, non est rerum, sed rationum: non abs re igitur sicut res se habent ad esse, se habebunt ad cognosci, *Omnino igitur* (inquit Aristoteles) *vt res separabiles sunt à materia, sic se habent ad ea, quæ sunt circa intellectum ipsum*: quo enim modo se habent obiecta in suo esse, sic se habent potentiæ in sua operatione. Quocirca latè differt inter Aristotelem & Platonem: quoniam noster intelligendi modus Aristoteli sphæralis est, quia ad singularia intellectus regreditur, vt aliquo termino consistat, & finiatur intellectio: cùm tamen Platoni rectus sit intelligendi modus, & quasi suspensus in vniuersalibus & abstractis ideis. Est autē alterum grauius & maius discrimen, quòd Platonici intellectus nostri obiectum ideale ponunt extra omnem rem sensibilem & naturalem: veriùs tamen Aristotelici obiectum intellectus dicunt quidditatem esse rei materialis, quæ à rebus ipsis non re, sed ratione sola separatur. Itaque licet vniuersale sit in singularibus, sine ipsis tamen intelligitur absque mendacio: quoniam abstrahentium non est mendacium, vt dicitur lib. 2. Physi. text. 18. & Sanct. Tho. 1. par. quæst. 85. artic. 1. ad 1. tantam enim intellectus vnitatem & conformitatem ad sensum obseruat, vt ad intelligendum composita ad sensus sese componat atque accommodet. Si hoc autem intellectus obiectum quidditas ipsa sit in se, aut species, quæ à quidditate prouenit, dicemus cap. sequenti: nunc tamen videtur esse ipsa quidditas rei, sicut obiectum visus non est species ipsa, sed ipse color: sic in intellectu proportionabiliter loquendo, quòd species non est obiectum intellectus, sed ipsa quidditas rei intellectæ.

Differt inter Platonem, & Arist.

QVAESTIO

An indiuiduum addat aliquid supra naturam?

Pro enarratione horum trium textuum operæpretium fuerit intelligere, quid sit id, quod supra naturam addit supposi- tum. Quæ res, licet valde sit difficilis, magnæ tamen est vtilitatis omnibus disciplinis, præsertim Theologiæ pro materia Trinitatis & incarnationis: quare alia quæstio de obiecto intellectus in caput sequens relinquitur, vt hic hanc possimus exactiùs examinare: seorsum enim atque suis sedibus quæstiones sunt tractandæ, vt dilucidius lumen eis inferatur. Principio igitur de proposita quæstione plures sunt, quàm recensere vacet, opiniones, neq; adhuc de hac re apud aliquem constat: ne ergo eas tumultuariè referamus, sed potiùs vt vel sola enumerationis methodo proposito negotio lucem aliquam inferamus, sic eas omnes ad certa reduco capita. Sunt enim qui dicant, suppositum nihil supra naturam addere ex parte rei, sed tantùm ex parte modi significandi: qui, mea quidem sententia, in meridiana luce caligant: quoniam persona aliquid dicit ex natura rei supra ipsam speciei naturam, & modus significandi (nisi confictus sit) ex modo sumitur essendi. Idcirco alij asserunt, id, quod in supposito supra naturam reperitur, ex parte rei esse, tamen dicunt esse extrinsecum quoddam & accidentarium: itaque suppositum quoddam totum esse dicunt constans ex natura & accidentibus, quibus indiuiduatur. Sed hi etiam falluntur: quoniam suppositum non esset prima substantia, quæ directè ponitur in prædicamento substantiæ, vbi non collocantur accidentia, sed in reliquis nouem generibus: quare suppositum per accidens esset in prædicamento substantiæ. Propriùs ad veritatem accedunt, qui tenent, additum illud non solùm ex parte rei considerandum, sed etiam esse intrinsecum supposito atque personæ. Tamen id dupliciter exponitur: nam sequaces Scoti in 3. d. 1. quæst. 1. art. 3. exponunt per negationem actualis & aptitudinalis dependentiæ: discipuli verò S. Tho. 3. p. quæst. 4. artic. 2. interpretantur positiuè. De his omni-

Opiniones variæ methodo relatæ de addito supposito supra naturam.

1. opinio.

2. opinio.

3. opinio.

Obseruat Autoris resolutionem.

omnibus dicerem libenter meam sententiam, nisi timerem alas extra nidum extendere: nunc enim Aristotelis agimus enarratorem: sat ergo fuerit lectorem admonuisse, quòd harum opinionum multitudinem (quas tumultuariè refert Caietanus 3. p. loco citato) haud difficile fuerit ex hac sola enumeratione, & ad certa capita reductione ad veritatis scopum dirigere, & in vnitatem & concordiam redigere. Modus igitur significandi suppositi ex parte rei sumi debet: quod autem additur ex parte rei, non debet esse extra genus substantiæ: sic enim substantiam non contraheret nec determinaret. Intrinsecum ergo illud additum explicatur vel per hecceitatem (vt Scotistæ 2.d.3.q.6. vocant) seu personalitatem aut actum subsistendi (vt Thomistis placet) quoniam existentia est vltimus actus ipsius substantiæ & terminus generationis, vt ex S. Thom. bene aduertit F. D. à Soto in antepraedicam. cap. 4. q. 1. versus finem, & per illam explicamus & denotamus ignotam nobis differentiam indiuidualem & materialem, quæ speciem determinat & contrahit ad esse incommunicabile ipsius suppositi, per quam suppositum intrinsecè constituitur.

Egregiè explicantur & cōciliantur S. Tho. et Scotus.

Quare si rem penitiùs consideremus, Thomistæ & Scotistæ hac in parte parùm aut nihil discrepant: quoniam duplex illa negatio, actualis scilicet & aptitudinalis dependentiæ, ex illo positiuo oritur: ex eo enim suppositum non est, neque potest esse in alio, quia non terminatur ad aliud, sed ipsum est in se terminus vltimus, basis & superiorum prædicatorum subsistentia. Ad quod alludebat Aristoteles in definitione primæ substātiæ in prędicamentis dicens, substātia prima ea est, quæ neque in subiecto est, neq; de subiecto aliquo dicitur: & 5. Meta. tex. 5. inter essentiam & substantiā distinguit; & 7. Metaph. tex. 20. inter quodquid est & id cuius est. Quocirca illius positiui, quo cōstituitur suppositū & persona, illa negatio duplicis depēdentiæ est effectus: itaq; positiuū, quo suppositū intrinsecè cōstituitur & positiuè cōstat, habet pro effectu formali illam prędictam negationem, sicut esse album effectus est formalis albedinis: quo modo intellecta Scoti opinio vera est, ingeniosa & subtilis. Etenim negatio neq; prædicatur, neq; est ipsa, quę personam facit, sed quæ formaliter denominat, atq; vt Zifra in algorismo numerū denominat, cùm tamen ipsum Zifra secundùm se numerus non sit, sed accōmodatiuè vt punctus lineæ terminatiuus, qui cùm nullam habeat partem, tamen lineam terminatiuè constituit, vt de puncto habes infrà cap. 5. circa tex. 25. Et si quęrat quis, quid sit illud positiuum, quod fundat duplicem negationem? Facilè dicam, quòd est subsistentia, quæ primum substantiam constituit: itaq; non dicit aliam formā neq; aliam naturam, nisi subsistentiam incōmunicabilem: quia de ratione naturæ non est per se incommunicabiliter subsistere, quod est de ratione personæ.

Attende.

Illa igitur incōmunicabilis subsistentia, quę in schola S. Tho. est persona, vel personam constituit, parit duplicem illam negationē apud Scotistas: neutrum enim est sine alio, sicut causa formalis sine suò effectu: ideo persona non constituitur aliquo positiuo & affirmatiuo, quin mox intelligatur terminatio, vt in puncto lineæ: neq; sola est negatio sine positiuo fundamento subsistentiæ, vt de puncto dicimus infrà loco dudum citato. Aduerte tamen, quòd non distinguimus inter subsistentiam, hecceitatem, vel personalitatem, vel differentiam materialem, quæ est principium incōmunicabilitatis ipsius suppositi: dummodo de re constet, de nomine nihil moror, hoc enim Theologi, aut metaphysici muneris erit exactiùs limare: placet tamen vocare modū incommunicabiliter subsistendi: itaq; suppositū supra naturam modum quendam incōmunicabilitatis addit.

Autoris opinio mediat inter Scotū & S. Tho. et est vtriusque nexus.

Quòd si vrgeas rogando, quidnam sit ille modus incommunicabilis subsistentiæ, si positiuum quid sit, an priuatiuum? respondebo, quòd trifariam consideratur: quia materialiter positiuum includit, & formaliter negationem prædicat, vnde ipsam naturam determinat atq; modificat; quare non opus est fingere personalitatem realiter diuersam esse à natura, quāuis ipsam diuersificet, vt species diuersitatē generis facit in speciebus (vt S. Tho. iuxta Aristot. docet lib. 10. Metaph. tex. 24. lect. 10.) nec opus est fugere ad puram negationem, cùm alia sit ratio & essentia speciei, & alia ratio & essentia indiuidui quoad hunc modum incōmunicabiliter subsistendi: quoniam absolutè essentia indiuidui non est alia ab essentia speciei, vt Soto in vltimis verbis quæst. 1. super prædicab. de proprio, quòd nō est aliud proprium supposi-

positi, & aliud speciei: ad quod alludimus in præsenti per hunc nostrum modum incõmunicabiliter subsistendi, qui modus negat formaliter & completiuè, siue terminatiuè, vt Scoto placuit: affirmat tamen materialiter & originaliter ratione illius subsistẽtiæ, vltra quam nõ est vlterior depẽdentia: & sic est cõplementum & vltima actualitas naturæ, quæ est S. Tho. mens. Tres igitur sunt rerũ gradus, Primus est rerum & substantiarum materialium, in quibus suppositum à natura differt secundùm includens & inclusum: quoniam suppositum includit subsistentiam: deinde reliqua accidentia indiuiduantia: & rursum tertiò suppositum à natura ratione distinguitur: quare in materialibus substantijs trifariam suppositum à natura differt. In secundo autem gradu immaterialium & separatarum substantiarum, vt sunt angeli, suppositum & natura videntur tantùm bifariam differre, nempe secundùm rationem, & insuper secundùm includens & inclusum: quia in supposito includitur aliquid extrin secum, nempe actus existendi: non tamen differunt secundùm inclusionem alicuius intrinseci: quandoquidem nil intrinsecum includit suppositum naturæ intellectualis, quod in ipsa natura non includatur: quoniam in hoc rerum gradu natura seipsa indiuiduatur, & seipsa constituit indiuiduũ: itaque quanuis suppositum includat alia, quæ accidunt speciei, non tamen includit aliquid, quod sit determinatiuum essentialium principiorum, vt S. Tho. quodlib. 2. q. 2. art. 2. in materialibus autem substantijs materia & eius signatio intrinsecè est determinatiua & contractiua naturæ. Tertius gradus est substantiæ increatæ, vt Dei, in quo suppositum à natura neque differt primo modo secundùm inclusionem alicuius intrinseci, quod sit naturæ diuinę cõtractiuum & determinatiuum: neque differt secundo modo secundùm inclusionem alicuius accidentis ab extrinseco: quoniam in Deo nullum est accidens: solùm ergo different secundùm rationem & modum significandi concreti & abstracti, & quatenus ipsum suppositum significatur per modum totius, natura autem per modum partis. Ratio horum est, quia suppositum creatũ materiale tria includit, Primùm intrinsecum determinatiuũ naturæ, quæ est differentia materialis indiuiduans, quæ significatur per materiam signatam quantitate. Secundum est accidentium collectio, quæ signationem materiæ comitantur, vt collectio proprietatum indiuidui, &c. Postremò quòd suppositum materiale rationem habet totius & completi, natura autẽ partis & incompleti: cùm tamen suppositũ creatum immateriale duo tantùm includere videatur, scilicet essentiam, quæ seipsa indiuidua est: & deinde includit accidentia, quæ nil faciũt ad indiuiduationem, quoniã in illo gradu substantiarum separatarum nihil est, quod indiuiduationẽ constituat, nisi sola ipsa natura specifica, quę de se est indiuidua: suppositum tamẽ, cui accidit aliquid præter rationem speciei, significatur per totum, & natura ipsa per partem: at verò in diuinis suppositũ nihil includit, neq; quoad essentiam, neq; quoad accidens, sed tantùm secundùm rationem totius & partis. Quare hæc significatio totius & partis in suppositis creatis sumitur ab aliquo, quod se tenet ex parte rei: in supposito autem diuino non sumitur ab aliquo, quod se tenet ex parte rei, nisi secundùm rationem & modum nostrum intelligendi: quoniam relatio nes diuinarum personarum constitutiuæ neq; contrahunt, vt materia signata in substãtijs materialibus: neq; sunt accidens, vt actus existendi in substantijs immaterialibus, sed tantùm intelligitur nostro modo intelligendi dare modum incõmunicabilis subsistentiæ: quoniam relatio constitutiua personæ notatur differre à persona, vt forma ab eo cuius est forma, quatenus vna significatur & cognoscitur in abstracto, alia verò significatur & cognoscitur in concreto: & ita verè diuinæ personæ cõstituuntur & distinguũtur per relationes in ordine ad nostrum modum intelligendi.

In triplici ordine rerum suppositum à natura separatur.

Obseruanda cõsideratio pro relationibus diuinarũ personarũ cõstitutiuis.

Quanuis hæc non sint omnino aliena & extranea, vtpote quæ ex hac sua doctrina cum magno Theologorum vsu accõmoda tissimè deducantur, ad Arist. regrediẽdum: nisi quia de hac re dicere cœpi, eã pro mea virili cõplere non grauabor, vt omnib' suis numeris absoluatur. Intelligemus enim ex his, quæ dicta sunt, quo modo loquutiones vsu disciplinarũ admittendę sint: siquidem nõ debemus propositiones pro libito cõcedere aut negare, ne à cõmuni sensu aliena & extranea admittamus. Trifariam igitur sumitur suppositum, Primò logicè, quod attinet ad prædicationem & verificationem

Natura de supposito quatenus prædicetur.

Suppositũ triplex

nem propositionum. Deinde physicè, vt respicit motum & actiones, quarum est principium. Tertiò autem metaphysicè, vt secundùm suum esse & propriam rationem consideratur.

Veritas propositionũ vnde examinãda.

Frustra sanè quæritur de veritate propositionum, nisi priùs de identitate rerum disputemus: ab eo enim, quod res est, vel non est, propositio dicitur vera vel falsa, & nominibus vtimur loco rerum: est ergo identica propositio, cuius extrema identificantur, vt homo est homo: formalis autem, quando vnum extremum formaliter de alio dicitur, vt homo est albus. Etenim in quacunq; prædicatione vera & affirmatiua significatur vnitas quædam extra modum: & quando concretum prædicatur, significatur vnitas cum habente formam, vt in prædicto exemplo, homo est albus, quæ est vnitas secundùm quid: cùm autem prædicatur abstractum, significatur vnitas simpliciter, vt homo est albedo: quare non importatur eadem vnitas, cùm concretum & abstractum prædicatur, ideo non est eadem ratio & causa veritatis: ob id prior propositio, homo est albus, vera est: posterior verò, homo est albedo, falsa.

Prędictæ doctrinæ vsus.

Ex hoc logico principio Theologi dicunt falsas esse huiusmodi assertiones, deitas generat, essentia generatur: Philosophus tamen 3. Physi. negat, quòd actio sit passio formaliter ex solo diuerso modo significandi concreti & abstracti: & in præsenti loco asserit, *Cùm autem aliud sit magnitudo, aliud magnitudinis esse, &c.* id est, aliud est quodquid est, aliud ipsum cuius est, quia aliter significatur, vt habens & quod subsistens est, aliter vt id quo subsistit. Hæc enim præcisa ratio sufficit diuersificare propositionis veritatem: quia hic diuersus modus significandi grammaticalis denotat in rebus differentiam secundùm includens & inclusum: quoniam extremum concretiuè sumptum per modum totius aliud includit, abstractiuè verò significatum aliud excludit: nisi fortè cùm alterum extremorum propter suã infinitatem aut amplissimam communitatem in abstracto etiam aliud includat explicitè, aut saltem implicitè, vt in hac propositione, ens est entitas, vbi prædicatum abstractiuè positum propter ipsius infinitatem non excludit subiectum, quia non significatur perfectio vt pars, sed vt totum: itaque non est exclusio virtualis, licet formaliter ex modo significandi exclusio aliqua esse videatur.

Entitas quare prę dicatur de cõcreto in abstracto

Modus significãdi & distinctio rationis falsificãt propositiones.

Quare iste modus significandi sufficit ad falsificandas propositiones: quod etiam facit distinctio rationis ratiocinantis, quoniam habet fundamentum in re iuxta ea, quæ Caietanus 1. p. quæst. 77. artic. 3. circa solutionem ad 3. optimè notat, & nos suprà lib. 2. cap. 4. in quæst. de distinctione potentiarum: præterquam quòd in schola S. Tho. natura & suppositum distinctione quadam reali distinguuntur, non sicut res & res, sed sicut includens & inclusum, vt 1. p. q. 3. artic. 3. aliquid enim includitur in supposito, quod non est in natura, vt paulò antè dictum est.

Suppositũ à natura quomodo distinctione reali distinguatur.

Ob id logicè sicut actio non est passio formaliter, licet identicè sint eadem res, sic etiam Sortes est humanitas, identicè vna eademque res sunt: ideo vera est propositio, formaliter tamen est falsa: quia physicè Sortes includit multa, quæ non sunt in natura humanitatis, verbi gratia, materiam signatam, has carnes, hæc ossa, quæ non sunt in essentia hominis, vt singularia sunt: quoniam humanitas sumitur abstractiuè & præcisiuè: Sortes autem est homo, vera est, quia homo in concreto, si non formaliter & explicitè, saltem virtualiter & implicitè importat accidentia singularia ipsius indiuidui, quatenus de significato materiali supponit pro supposito, cuius hæc accidentia sunt propria. Idem etiam est in substantijs immaterialibus, vt Gabriel est Gabrieleitas: in supposito enim aliquid includitur, quod non est in natura abstractè & præcisiuè considerata, & quia natura prædicatur vt pars de supposito tanquam de toto: in Deo autem, quanuis suppositum à natura physicam aut metaphysicam differentiam non habeat, est tamen differentia logica ex modo significandi per modum totius & partis: quare formaliter loquendo istæ sunt falsæ, Deus est deitas, Pater est deitas, quanuis ratione materiæ veræ sint: quia deitas infinitatem dicit, qua virtualiter includit quicquid in supposito est: tales enim sunt Dei naturales perfectiones, vt quod est in vna per modum proprij vnius, sit in alia per modum proprij alterius: Ratio huius est, quia omnes perfectiones diuinæ formales sunt infinitæ, ideo sese includunt, & vnaquæque illarum naturaliter extendit

Deitas prædicatur de supposito ratione inclusionis sicut entitas.

Perfectiones diuinæ formales se inuicem includunt.

extendit se ad omnia: & quod in vna considerarur vt materia, in altera est vt forma: infinitas autẽ connectit & concatenat omnes diuinas perfectiones, & facit vt se inuicem includãt, licet vnaquæq; habeat suum proprium, secundùm quod est consideranda: nam si propositio assumpta, Deus est deitas, aut Pater est deitas, esset falsa, iam Deus non esset deitas: quare in Deo daremus aliquid, quod non est Deus, quinimo quod Deo minus esset, neq; deitas includeret omnem perfectionem, quã Deus dicit.

Excusatio Autoris, qua facit trãsitionem. Non potui, candide lector, ab his abstinere, etsi parùm videantur extra mentem Arist. adducta esse: tamen oportuit hæc diligentiùs semel adnotare, vt insignis huius loci, quẽ enarramus, doctrina verè philosophica & profunda omnibus innotescat: quoniam vniuersaliter verum est quod Philosophorum princeps hîc nos docuit, nempe quòd in omni natura, siue materiali, siue immateriali, siue creata, siue increata, aliud est quodquid est, & id cuius est. Quod quibus differentijs & discriminibus in singulis naturis contingat, sat sit sic figura & superficie tenus animaduertisse, vt tu ex his paucis maiora, subtiliòraque multò tibi colligas: nos autem ad nostram regrederemur Aristotelis enarrationem, nisi ista adeò necessaria mihi in disciplinis videretur, vt opus sit ea resumere atque in certa capita contrahere. Sed quia istius quæstionis enodatio magnarum dubitationum est solutio, sic quæ in examine harum rationum dicta sunt, sequentibus assertis resoluo.

Obserua hæc sex asserta. Primò, quæ prima substantia vocatur, naturam complet, non quidem quoad essentiam, siue in latitudine naturæ, sed ipsam naturam ad hypostasim perducendo, cõstituendo atq; complendo. Deinde indiuidualitas, quæ speciei accidit, indiuiduo intrinseca est. Tum etiã; suppositalitas indiuiduo aduenit, extrinsecùsque accidit: at hypostasi intrinseca est. Quartò habes ex hoc, quòd natura à supposito differt, quia suppositũ sumitur pro natura indiuidua, & superaddit subsistentiam & incommunicabilitatem, quæ non solùm naturæ, sed etiam indiuiduo extrinsecùs aduenit (hæc in genere dicta sunt, & hypostasi materiali planè cõueniunt.) Tum quintò, de supposito creato, tamen immateriali vt Gabriele, assero, quòd naturam sequitur suppositalitas sicut vnitas eius, Gabrielei tatem Gabriel, qua est in aliqua materia irreceptibilis: ideo non est diuisio numeralis in angelorum & immaterialium specie, sicut in materialibus, in quibus est receptibilitas: in angelis autem ex irreceptibilitate est indiuisio, quæ est ratio formalis vnitatis, qua constituitur suppositum incommunicabile: & quę in inferioribus diuiduntur, in superioribus sunt vnitè ex superiorum eminentia: vbi inter naturam & suppositum non est distinctio illa physica inclusi & includentis, quæ in rebus materialibus reperitur. Sextò, in Deo autem adhuc minor est separatio, quia superior & eminentior natura, vbi nõ realis, nec adhuc formalis est distinctio ex natura rei, sed secundùm rationem, in virtute duntaxat propter incomprehẽsibilitatem Dei. Quo fit, vt in rebus materialibus, verbi gratia, in homine humanitas resultare intelligitur ex partibus componentibus, vnde indiuidualitas profluit, quam demum subsistentia complet in suppositum: sic metaphysicè considerando ordine intentionis: quoniam ordine executionis & physicè à supposito inchoatur & à toto, quod suis partibus prius est: ille enim ordo est essẽtię, iste autem existentiæ. *Diuersus ordo essẽtiæ et existentiæ.* Secundò infero, quòd cùm personæ diuinæ non comprehendantur à nobis plenè, nisi quatenus ex creaturis instar personæ creatæ eas cõcipimus, constituuntur tamen ex relatione, quæ nõ est re distincta, sed sola ratione à persona separatur, vt Pater in esse hypostatico cõstituitur paternitate, quæ re idem est quod Paternitas, ratione tamen ab ipsa essentia & à Patre constituto intelligitur distingui ex nostro modo concipiendi. *Notanda resolutio de cõstitutione, & distinctione diuinarum personarum.* Nolo dicere, quòd à posteriori distinguantur ex nobis, aut his, quæ apud creaturas concipimus, sed quòd quamuis personę diuinę sint simplicissimę, in se habent vnde distinguantur, prout in nostra sunt cognitione. Sic modus loquendi, quem sancta Dei Ecclesia nos docuit, ab hac Aristotelis doctrina non dissonat, sed huic innititur, scilicet quòd proprietates relatiuę, quibus personę diuinæ distinguũtur, re idem sunt quod essentia, quia sunt subsistentes & sunt diuinæ, & secundùm rem idem quod persona ipsa: tamen ratione distinguuntur, non vt in se sunt, sed vt sunt conceptæ & nobis significatæ: quia tam immensam Dei perfectionem non possumus vno conceptu exhaurire & comprehendere. Sequitur etiam, quòd sola hæc distin-

Ta disti ctio rationis inducit realem distinctionem. ſtinctio rationis ſufficit inducere diſtinctionem realem perſonarum diuinarum: patet ex dictis lib. 2. cap. 4. in quæſt. de diſtinctione potentiarum ad 4. minor diſtinctio maiorem infert: & quidem rationalitas, quæ ab humanitate ſola ratione differt, humanitatem realiter ab irrationali ſeparat. Quid ergo mirum, quòd diſtinctio rationis inter eſſentiam diuinam & relationem inferat diſtinctionem realem perſonarum, & quidem illam minimam omnium diſtinctionum realium? quoniam eſſentiâ non ſeparantur tres perſonæ diuinæ, quanuis ſeparentur ſubſiſtẽtiâ: vt perpetuò vera ſit doctrina Dionyſij cap. 1. de diui. nomi. quæ diſperſa ſunt in inferioribꝰ, in ſuperioribus ſunt vnitè. Hæc omnia patent, quia conſtitutio ſuppoſiti in diuinis fit non per aliquid, quod includat rem realiter diſtinctam, vt in nobis & cæteris omnibus materialibus: nec adhuc per aliquid, quod formaliter ſeparetur, vt in angelis & immaterialibus: ſed tantùm per id, quod ſola ratione ſeparatur: ob id conſtituit inquantum eſt idem re, quia idem eſt ſuppoſitum & natura. *Autoris conſilium memoriæ commendandum.* Meus in te amor, germane lector, non potuit me temperare, quin diuitias, ſub his verbis Ariſtotelis incluſas, enodarem atq; patefacerem: tanto veritatis & tui deſiderio teneor, vt & Ariſtotelẽ, Theologum, & chriſtianum facere videar. Quídnam ea ratione ſunt iſtę diſciplinę addiſcendæ, vt Theologiæ ancilletur & ſubſeruiat? Deum Opt. & Max. ob imperfectionem noſtri intellectus pręſenti ſtatu non poſſumus niſi ex creaturis percipere: & ita ſeparantur ibi conſtituens & conſtitutum, non re, nec formaliter ex natura rei, ſed ratione ex ipſo reali modo ſignificandi, qui eſt noſter modus cõcipiendi. *De verificatione propoſitionum.* Tandem habes pro altera quæſtione de verificatione propoſitionum, vt ritè, rectéq; loquaris ad normam Philoſophiæ (quam hîc te docet Ariſtoteles) & ad fidei regulam (quam à dulciſsimis Eccleſiæ catholicæ Romanæ vberibus ſugimus) quòd concretum de abſtracto non affirmatur, diuerſa tamen ratione: quoniam in rebus naturalibus aliquid realiter includitur in ſuppoſito, quod non in natura: quare falſa eſt, humanitas eſt homo, in angelis & immaterialibus propter diſtinctionem illam formalem inter eſſentiam & eſſe: in Deo autem ſola diſtinctio rationis falſificat propoſitionem, vt iſta, eſſentia generat, paternitas generat: quanuis iſtæ concedantur, Deus generat, Pater generat. Ratio non ſola eſt ex modo ſignificandi abſtracti & concreti, vt dudum dicebatur, ſed quia quoties concretum adiectiuum de abſtracto dicitur ex modo reali, quo concipitur, ex parte ſubiecti exigitur ſuppoſitum, quod ſubſtantiuè ſubſtet illi adiectiuo, quod per modum accidentis aut actionis ſignificatur: quare conceditur, Deꝰ generat, Pater generat: alias verò negat Eccleſia catholica cap. Firmiter. extrà de ſumma Trinit. & fid. cath. & cap. Damnamus. paternitati enim, quæ ſignificat patrẽ per modum formæ, non poteſt competere generare, quæ eſt actio, & concernit ſuppoſitum, atque exigit ſubſiſtens. Lege & meditare hæc attentè, quia ratio expoſtulat, vt ad ſequentia pergamus.

Dubitabit autem non iniuria quiſpiam, quonam modo intelliget intellectus, ſi ipſe quidem ſimplex ſit, ac paſsionis expers, nihilq; habeat cum vlla re prorſus commune, ſicut Anaxagoras aſſerit, intelligere autem pati quoddam ſit, vt diximus. Quo nanq; quippiam eſt vtriſq; commune, hoc nimirum alterum agere, alterum pati videtur. *Tex. 12.*

Determinato obiecto intellectus (quod eſt quidditas rei materialis, atq; ſuo modo etiam ſuppoſitum, cuius eſt illa quidditas, licet modo diuerſo, vt expoſitum eſt, & clarius ſequenti cap. patebit) dubitatio eſt, cũ omne, quod patitur, cõmunicet cum agente in materia, atq; intellectus immaterialis ſit (vt rectè Anaxagoras exiſtimauit) quomodo poſsibilis erit, cùm nihil ſit in hac actione & paſsione commune? ſine communione autem agentis & patientis non ſequetur actio. Eandem dubitationem rationabilem eſſe, iterum ſic oſtendo: nam vel intellectus intelligit materialia, aut immaterialia: ſi materialia, non communicat in materia, cùm ipſe intellectus immaterialis

rialis sit,si immaterialia consideret, neutiquam in materia communicabit, cùm immaterialia in materia, à qua sunt immunia, communicari non possint. Dubium igitur est, quonam pacto noster intelligat intellectus, cùm suprà dictum sit, quòd intelligere sit pati quoddam.

Tex.13. Præterea ambiget quispiam, si ipse etiam intelligibilis sit. Nam aut cæteris rebus inerit intellectus, nisi alia ratione sit intelligibilis ipse. Intelligibile autem vnum quoddam est specie, aut aliquid ipse mistum habebit, quod ipsum intelligibilem perinde, atque cætera, facit.

Secunda est dubitatio, & vt præcedens militabat contra actiuam intellectionem, hæc contra ipsius intellectus passiuam intelligibilitatem assurgit, si ipse intellectus à nobis sit intelligibilis? Probabilitas dubitationis sic breuiter deducitur: aut intellectus est intelligibilis per se, aut per aliud à se: si per se, tunc sequitur, quòd omne intelligibile sit intellectiuum, & habeat intellectum: consequentiæ vis innititur cuidam hypothesi, quòd omne intelligibile vniuocè & vna ratione est intelligibile: ergo sicut anima nostra intellectiua est & intelligibilis, ita quodcunq; aliud intelligibile: si verò non per se, sed per aliud à se intelligat, tunc sequitur, quòd habebit aliquid aliud, per quod fiat intelligibile: quare qua ratione intelligibilis est, intelligit: ergo omne intelligibile erit intellectiuum: quia habito modo intelligibilitatis in quauis re, inuenta erit in omnibus alijs: siquidem communis est & vna ratio intelligendi. Atque adeò sequetur absurdum, quòd lapides, quia sũt intelligibiles, sunt etiam intellectiui: quoniam siue per se, siue cum addito sit intelligibilis mens, eodem modo cætera intelligibilia intelligent: nisi velimus aliquid peculiare nostro intellectui tribuere, vnde ipse sit intelligibilis: quod gratis & pro libito asseritur. Summa igitur ambiguitatis est, quòd intelligibile videtur esse specie vnum & vnius rationis formalis: ergo si aliquid intelligibile simul est intellectus, in

quocunq; reperietur intelligibile, erit & intellectus: quod tamen apertissimè falsum est.

At enim ipsum pati diuisum est priùs vna quadam ratione communi, atque intellectus potentia quidem est quodammodo intelligibilia ipsa: actu verò nihil est eorum anteà, quàm intelligat ipsa. Oportet autem in ipso nihil esse perinde, atque in tabula nihil est actu scriptũ anteà, quàm in ipsa scribatur: hoc enim in ipso fit, atq; accidit intellectu. *Tex.14.*

Quæstionem tex. 12. positã soluit Arist. summa autem hæc est, quòd passio duplex est, vna corruptiua, altera perfectiua: de quibus satis multa dicta sunt suprà lib. 2, cap. 5. & initio huius cap. quod enarramus: & de passione corruptiua verum est, quòd agens & passum in materia cõmunicant (vt lib. 1. de gener. diximus in Commẽtarijs nostris ad 7. & 9. cap.) in passione verò perfectiua non est necessaria talis communicatio in materia, cùm consistat in solo recipi & perfici: quia nihil aliud est, quàm perfectio & consummatio à proprijs obiectis per eductionem de potentia in actum, vbi nulla est contrarij abiectio, aut subiecti corruptiua transmutatio, sed est consensio potentiæ, eiúsq; tendentia in obiectum: quod Aristoteles exemplo tabulæ, in qua nihil scriptũ est, ante oculos proponit. Nec vitio ei vertendum est, quòd in re physica oratorem agat, & Rhetoris munus sumat: quoniam res, quam versat, difficilis est & abstrusa, quæ à positis exemplis non solùm amplificatur, sed persuadetur. Exemplum autem accommodatum esse ex eo patere potest, quòd sicut tabula actu substantia quædam est, ita anima nostra non solùm actu substantia est, sed eius intellectus potẽtia quædam est & virtus, siue facultas animæ. Rursum sicut tabula in potentia est, vt in ea pingantur & scribantur multa, ita intellectus in potentia est, vt intelligat. Præterea sicut tabula in potentia est remota ad picturam,

Intelligere est passio.

Intellectus cõparatur tabulæ.

qua accedente decoratur & ornatur, ita intellectus in potētia remota est ad speciem, qua intellectus agentis vi informatus in potentia redditur propinqua, vt actu possit ipse considerare: passio itaq; intellectúsq; perfectio est, quòd depromatur de potentia in actum, vt in tabula oculis fieri conspicimus: ita intellectus ab informitate & priuatione separatur, dum speciebus & intellectionibus formatur, sicut literarum accessione tabula illustratur: aptè ergo Arist. exemplo tabulæ expressit, quòd perficitur intellect⁹, cùm aliquid patitur. Quid? quòd exempla (vt in 1. Elench. Aristoteles docet) etsi falsitatis quidpiam habeant, doctrinam non vitiant: quoniam exempla non tam adducuntur, vt vera sint, quàm vt ad cognitionem eorum, quæ inquirimus, nos manuducant, & inuenta, causa sint disciplinæ. Mitto quòd Aristoteles altiorem sensum intendit: vult enim tacitè Platonem reprehendere, qui in Menone asseruit, animam imbutam omnibus scientijs corpori infundi, vbi repentè ob insolitum domicilium, eiúsq; obscuritatem & insolentiā perturbata in obliuionem rapitur: quod lib. 1. Post. cap. 1. Aristoteles etiam redarguit, & hîc proposito tabulæ exemplo egregiè cōdemnat: quia cùm omnis cognitio intellectiua fit, & deducatur de potētia in actum, rectè illic dixit, quòd fit ex præexistente cognitione: hîc autē affirmat, quòd à principio & primæua sua origine anima est sicut tabula rasa, quæ ideo corpori infunditur, vt eius obsequio & ministerio, tāquam in propria officina, suas perficiat functiones. Miror etiam Platonem, qui vel sui immemor, vel (quod verius censeo) à veritate coactus in Philebo ad hoc Aristotelis exemplum & verisimum dogma alludēs, mentem libro comparauit, sensus verò scribas fecit, quasi nil cognoscat, nisi secundùm sensuum consignationem. Qua de re multò plura lib. 1. Poster. cap. 1. & lib. 2. cap. vltimo, & nos fortasse inferiùs demonstrabimus, quòd eò anima corpori vnitur, in quo creatur, vt proprias possit exercere operationes: ideo quòd non tantùm vnitur corpori propter melius esse corporis, sed etiā propter melius esse animæ, quæ, cùm natura sua forma sit & actus, perficitur & completur actuando corpus, vbi proportionatas species acquirit. Sed de hoc (vt dixi) latiùs inferiùs: nunc verò sat sit, quòd animæ intellectus ab obiecto deducitur per impressionem speciei de potentia essentiali, vt iam factus in actu primo, possit considerare & operari in actu secūdo. Omnis itaq; intellectus vniuersaliter est omnium intellectiuus: sed diuinus intellect⁹ semper actu omnia intelligit: noster verò humanus intellectus in altero extremo omnia in potentia cognoscit: angelicus autē inter diuinum & humanum mediat. Reliqua, quę ad prædictæ dubitationis exactiorem solutionem desiderantur, ex iam citatis locis petenda sunt: vitiosum enim esset, eadem iterum repetere, aut huc inuita adducere.

Mirabile Arist. artificium.

Plato pro Arist.

Aia vnitur propter melius esse sui.

Triplex intellect⁹ distinguitur.

Est etiam intelligibilis & ipse, vt intelligibilia cūcta. Nam in hisce quidem, quæ sine materia sunt, intelligens, & id, quod intelligitur, idem est. Etenim idem est contemplatiua scientia, & id, quod ita sub scientiam cadit. *Tex. 15.*

Breui, apertóq; sermone posset sic præsens locus declarari, Primùm, quòd Aristoteles respondeat ad quæstionem tex. 13. propositam, videlicet quòd intellectus sit intelligibilis per suum actum, sicut in vniuersum omnis potentia innotescit per ordinem ad suum actum (vt de ipsa materia pronuntiauit Arist. lib. 1. Phys. tex. 69.) quare mens tunc se intelligit, cùm alia intelligit, id est, cùm informatur aliquo actu & forma: sicut enim materia ratione formę cognoscitur, sic intellectus possibilis ratione formæ, id est, speciei, atq; per propriam operationem est intelligibilis: quia necessarium est, vt mens se intelligat, ipsam priùs alterius obiecti forma, vt leonis, lapidisve, &c. specie informari, vt per illam sui propriam cognitionē deducat, & seipsam deprehendat. Cùm igitur dicit Aristoteles, *Est etiam intelligibilis & ipse, vt intelligibilia cuncta*, sensus est, quòd se intelligat, ex hoc quòd alia intelligit: quia nō potest cognoscere se per speciem à seipso abstractam, sed ab obiecto, quod anteà intellexerat deriuatam, vt per species aduentitias aliarum rerum in propriam cognitionem regrediatur. Vnde infert, quòd ipse intellectus per eundem

Prima expositio similitudinaria per analogiā potētiarū ex cōmunibus.

eundem modum, quo fit cognoscens alia, fiat etiam à se cognitus: Idq; exẽplo scientiæ speculatiuæ interpretatur, quæ non solùm est scientia, sed scibile: sic anima sciens est & res scita: ideo mens discursiuè ex aliarum rerum cognitione supra suum actum se reflectit: & cùm intentione directa in res tendat, intentione tamen reflexa supra se regreditur, atq; se inuenit & experitur: itaque immediatè immutata à rebus excitat se, vt mediatè sui cognitionem formet. Sed hæc solutio (quicquid sit de veritate eius) præterquam quòd frigida & ieiuna est, nil habet consequentiæ, vnde neruum literæ tangat, ex communibus tamen & generalibus sumitur principijs, nimirum ex generali modo cognoscendi potentias per suos actus (vt suprà lib.2.tex.33.& 1.p.q.77.) alia igitur inquirenda est solutio, quæ non tãtùm vera sit, sed etiam efficaciter ex proprijs sumatur & procedat principijs. Secũdò aliter sumenda est Aristotelis solutio, quæ altiorem sensum habet, in qua indicat dupliciter aliquid esse intelligibile, Primo modo, quod est immateriale à materia omnino & secundùm rem separatum, vt sunt intelligentiæ & substantiæ spiritales, quæ per se & suopte genio intelligibiles sunt, nimirum quia intellectui proportionatæ & à materia abstractæ. Secundo modo sunt intelligibiles res materiales, vt homo, leo, lapis, quæ licet suapte natura sensibiles sint, quoniam materiæ sensibili coniunguntur, per accidens tamen ratione abstractionis intellectus agentis abstrahuntur & depurantur atq; illuminantur, vt intelligi queat quidditas relucens in phantasmate. Inter hæc autem duo genera intelligibiliũ nostra mediat anima, quæ per se de ordine priorum intelligibilium est, cùm à materia sit Immunis & separata, atq; adeò per se intelligibilis, licet, quia immergitur & infunditur materiæ, vt intelligatur, alio indigeat, vt per propriam operationem circa alia ad sui cognitionem excitetur. Sic quæstionẽ propositam soluamus negãdo hypothesim, scilicet, quòd omnia intelligibilia sint eiusdẽ rationis: quædam enim sunt suapte natura intelligibilia, vt immaterialia: quædam verò, quæ per se sunt sensibilia, tamen illuminatione intellectus fiũt intelligibilia: quare disputatiuè Aristoteles asserebat omnia esse intelligibilia vniuocè. Summa igitur responsionis est, quòd intellectus noster est

Secunda expositio, quæ ex proprijs dicit propter quid.

Vis respõsionis cõ-

intelligibilis, non absolutè sicut alia, quæ sunt materialia & intelligibilia, dũtaxat in potentia, sed sicut cũcta intelligibilia, id est, quòd non est in ordine sensibiliũ, quæ sola abstractione agentis intellectus intelligibilia sunt denominatione extrinseca & potẽtia remota per reductionem & trãslationẽ ab ordine sensibilium ad ordinem intelligibilium: ideo sensibilia per se & ratione sui non sunt inclusa in ordine intelligibilium: at anima nostra, eiúsq; intellectus nõ eget huiusmodi transferente: quia est per se in ordine intelligibilis, hoc est, suapte natura inclusus in priori ordine & gradu rerũ immaterialium, cùm sit secundùm rem à materia separatus: quoniam materiales res non continentur per se, neq; intrinsecè includuntur in gradu & ordine rerum intelligibilium: quia sunt sensibilia, & intra ordinem sensibilium inclusa: Cuius rei signũ est, quoniam indigent depuratione & separatione à materia, vt transferantur ab ordine sensibilium ad gradum intelligibilium: propter quam trãslationem necessarius est intellectus agens, ad cuius cognitionem, sequenti cap. enarrandam, iam nunc nos præparat Aristoteles. Anima autem nostra per se & ratione sui non indiget huiusmodi translatione, cùm ipsa, eo quòd immaterialis sit, includatur in ordine rerum intelligibilium: vt intelligas, Aristotelem sensisse animam rationalem à materia separatam, atque incorruptibilẽ & immortalem: qua de re ex professo ad finem huius libri, & cap.3. ad finem tex.25.& 26. Ex quibus patet, quàm appositè pro causa atque exemplo subdat Aristoteles, *Etenim idem est contemplatiua scientia, & id, quod ita sub scientiam cadit:* nimirum quoniam in separatis à materia idem est intelligens & quod intelligitur, hoc est, idem est constitutiuum in esse intellectus & in esse intelligibilis: nõ enim ex alio neq; aliunde habent, quòd sint intelligentes & quòd sint intelligibiles, siquidem vtrunq; eis competit, ex eo quòd reipsa separantur & denudantur à materia: ideo sicut scientia est scibilis, ita intelligens est intelligibilis: ex eadẽ enim causa sunt, & conformia, & sibi correspondentia. Aristoteles verò loquitur de separatis à materia, vt non te conturbent molestæ Sophistarum importunitates, quæ contra Aristotelis doctrinam minimè militant: sat sit verũ & genuinũ Arist. sensum tradidisse: siquidem

formis tex.25. & 26.

Arist. cẽset animã immortalẽ loco 9. ad finem.

Intellect⁹ est quod intelligitur in separatis à materia.

dem res sensibiles non sunt immateriales, vt quanuis separatione à materia transmutentur, vt fiant aliquo modo intelligibiles, non tamen possunt fieri intelligẽtes: quoniam non separantur à materia omnino secundùm rationem & secundùm rem. Cùm igitur intellectus noster sit à materia separatus, quo constituitur in esse intellectus, nẽpe immaterialitate & separatione à materia secundùm rem, eodem cõstituitur necessariò in esse intelligibilis: ideo idem est intellectus & intelligibilis, & econtra, si est intelligibilis, est intellectus. De qua abstractione à materia suprà cœpimus dicere lib. 2. cap. 12. quod attinet ad sensus: & cap. sequenti & circa cap. 5. latiùs dicemus de immaterialitate & abstractione intellectus: ad illum locum te remitto, visita illum, curiose lector, & vtrunq; concorda & corrige: quæ omnia in quæstione illa de immortalitate animæ toties promissa perficientur: sed ad rem præsentem redeamus. Non solùm si aliquid est per se intelligibile, est à materia secundùm rem separatum, sed statim consequitur, vt sit intellectus: & quod amplius est, secundùm proportionẽ & mutuam correspondentiam actus & potentię, ita vt si est intelligibile in potentia, sit intellectus in potentia: & si est intelligibilis in actu, sit intellectus in actu: Patet, quia quod cõstituit in esse intellectus, in eodem ordine & gradu constituit in esse intelligibilis: sed anima nostra est intelligibilis in potẽtia, quia immaterialis & separata à materia, vnde etiam habet, quòd sit intelligẽs, vel intellectus in potentia: & sicut species intelligibilis constituit ipsam actu intelligentem, ita quoq; constituit eandem intelligibilem in actu: & sicut sine specie est intelligens in potentia, sic quoq; sine aliarum rerum speciebus est intelligibilis in potentia quare secundùm naturam suam est intelligibilis & intellectus in potentia: secundùm verò speciem receptam intelligibilis atq; intellectus est in actu. Rationẽ & causam reddit Arist. ibi, *Nam in hisce quidẽ, quæ sine materia sunt, &c.* quoniam in separatis à materia idem, quod constitutiuum est intellectus, est etiam constitutiuum intelligibilis: nam eadem quidditas ratio est & eius quod intelligit, & eius quod intelligitur: habent enim se sicut actus & potentia, quę ob id in eodem ordine sunt congenea, & eiusdem rationis. Ibi, *Etenim idem est contemplatiua scientia, &c.* exemplo scientiæ & scibilis, quæ congenea sunt, rem aperit: neque enim ex alio est scientia, quàm ex eodem, quo scibile est: eodem ergo, quo est intellectus, est intelligibilis, & ex eodem in vtroq; esse constituitur: quia intelligere actus est, intelligi verò potentia, quæ sunt in eodem ordine. Cùm igitur constet, intellectum nostrum secundùm rem separatum esse à materia (secus extra rem loqueretur Arist.) eadem ratione secũdùm se erit in ratione intelligibilis: quoniam secundùm rem separatus est à materia. Insuper quomodo est intellectus, eodem modo est intelligibilis, vt dudum dicebamus: nam si separari à materia secundùm rem constituit rationem & intellectus & intelligibilis: & separari omnino à materia facit actu & intelligentia & intelligibilia (vt patet in angelis) separi autem à mate[ri]a secundùm rem (vt anima nostra, quę quanuis sit actus corporis, non pẽdet à corpore) non tamen prorsus separari (cùm aliquo modo copuletur materiæ) facit potentia intelligentem, atq; etiam potentia intelligibilem: per receptam autem speciem vtrunq; fit in actu, intelligens scilicet & intelligibilis: qui est alius sensus illius loci, *Intelligibilis et ipse, vt intelligibilia cũ cta*, id est, redditur actu intelligens & intelligibilis per species aliarum rerum: quia ex se nudè considerata non potest mouere & excitare intellectum, nisi priùs ipsa actuetur, & aliarum rerũ speciebus informetur. Quòd si opponas, Anima est intelligibilis in potentia: ergo absolutè non est intelligibilis, sicut homo in potentia non est homo? Respondetur, quòd dupliciter dicitur aliquid intelligibile in potentia, Primo modo, vt potentia significat differentiam intelligibilitatis: sic enim significat quòd determinatur ad esse intelligibile tanquam quid clausum in ordine rerum intelligibilium: nam sicut materia dicitur ens in potentia, id est, ens potentiale, sic anima dicitur intelligibilis in potentia, id est, per se intelligibilis, sicut cuncta separata à materia sunt absolutè intelligibilia: ideo de anima non colligit argumentum propositum. Sed locum habet in intelligibilibus secundo modo ex accidenti, quæ sunt suapte natura sensibilia: vnde in his sicut non sunt absolutè intelligibile, ita neq; possunt esse intellectus, sicut homo in potẽtia non est homo: quia per se non clauduntur in illo ordine,

Intellect⁹ consequitur ad per se intelligibile.

Optimè explicatur, q intellectus est quod intelligitur.

Quanuis anima sit intellect⁹ & intelligibilis in potentia, absolutè tamen talis nominatur.

dine, sed ex aliquo extrinseco. Etenim materialia & sensibilia, qua talia sunt, nõ sunt absolutè intelligibilia, nisi in potentia satis remota atq; extrinsecùs aduenientè: ea propter in ipsis, qua talia sunt, non est intellectus: noster autem intellectus, quâmuis sit in materia & magnitudine, tamen à magnitudine non pendet: ideo absolutè est intelligibilis, non vt sensibilia per conditionẽ diminuentem, potentia & denominatione ab extrinseco prouenientè, sed intrinsecè, absolutè & secundùm se. clauditur in ordine intelligibilium, quoniam separatur à corpore: tamen quia est actus in corpore, est intelligibilis in potentia modo exposito: sed hoc exactiùs infrà textu 38. vide obsecro. Quo fit, vt noster intellectus tam in ordine intelligibilium, quàm intellectuum vltimum locum teneat, & ideo comparatur materiæ in genere intellectuum & intelligibilium: angelus tamen semper est intelligibilis in actu. In altero autem extremo sensibilia sunt intelligibilia in potentia, tanquam per modum & conditionem diminuentem: sed anima nostra medio modo, est enim intelligibilis de se, vt angeli: at verò propter immersionẽ in corpus est intelligibilis in potentia: eadem ergo est intelligibilium & intellectuum coordinatio; & in vtraq; mens nostra infimum est sortita locum: nam siue quoad esse intellectus siue quoad esse intelligibilis, in vtroq; coordinationis ordine infima est, quia nõ est actu, sed potẽtia, vti iam diximus, & ab initio vt tabula rasa. Vnde patent omnia, & quòd ex eodem est intellectus & intelligibilis, & quòd non omnia intelligibilia intelligant.

Anima nostra est sicut materia in genere intellectuũ et intelligibilium.

Tertia expositio nõ omnino reyciẽda, licet dicat quia est.

Non omnino mihi displicet altera huius loci expositio, nimirum quòd intellectus noster sit intelligibilis sicut alia intelligibilia, duntaxat per aliquid à se distinctum; differt tamen à rebus materialibus, quòd intellectus & intelligibile in anima idem sunt, sicut in omnibus separatis secundùm rem à materia: quod non contingit in rebus materialibus, quæ licet sint aliquo modo intelligibilia, nõ tamen sunt intellectus, nec possunt iudicare, nec ab intelligibili pati: quia sola ratione à materia separantur.

Aĩa nostra quo conceptu se cognoscat.

Si tamen opponas, quo conceptu & specie mens nostra se intelligat, an per propriam, an per alienam? & si immediatè in seipsa, an per speciem aliarum rerum, an potiùs in aliquo conficto conceptu sese intueatur? Non possum paucis respondere, cùm res sit difficultatis atq; obscuritatis plena, in qua nemini, quod viderim, cum altero conuenit: vltra ea, quæ suprà posui, dicam nunc quod sentio, interim dum de hac re ex professo disputatur. Tripliciter igitur aliquid intelligi potest; Primò in se & per suam essentiam, vt angeli cognoscunt semetipsos. Secundò in specie propria, vt materialia à nobis intelliguntur per species à proprijs phantasmatibus deductas. Tertiò in conceptu aliorum confictos, vt quod in aliena imagine conspicitur. Primus modus cognoscendi animæ non conuenit pro hoc statu, cùm proprius sit substantiarum separatarum, qui tamen animæ separatæ conueniet (vt 1. p. q. 89.) Tertius cognoscendi modus imperfectus est & confusus: & nos cum Aristotele inquirimus nõ de communi cognoscendi modo, sed singulari, proprio & distincto: ideo cognoscit se anima secũdo modo, notitia scilicet deducta ex propria operatione & functione, quæ licet sit indirecta & reflexa atq; mediata, est tamen propria, distincta & singularis animæ notitia, ad quam non perueniet mens, nisi priùs & immediatiùs concurrente aliqua specie intelligibili, per quã priùs natura fit intellectus in actu, quàm sit intelligibilis in actu: ante susceptam enim speciem mens vtrunq; erat in potentia, scilicet & intellectus, & intelligibilis: igitur cognoscit se per propriam speciem, quam anima fabricat ex aliarũ rerum cognitione: priùs ergo immutatur à rebus immediatè, vnde sui deprehendet originem & existentiam; & se in actu esse deprehendit, inde propriã, distinctam & singularem sui notitiam fabricat. Sed hæc inferiùs exactiùs: nũc verò ad Aristotelis enarrationem properemus: quãdoquidem de hoc suprà tex. 8. quæ inferiùs perficientur cap. 5. in quæst. de obiecto intellectus ad 2. vbi de notitia abstractiua & intuitiua, & ad 3. vbi de cognitione animæ nostræ, vel in fine huius libri, vbi de immortalitate animæ differemus.

Sed cur non semper intelligit, consideranda est causa. In ijs autem, quæ materiam habent, vnumquodq; intelligibiliũ potentia est. Quare illis quidem *Tex. 16.*

non

non inerit intellectus: nam intellectus talium, potentia sine materia est, ipse autem intelligibilis rationem subibit.

Variè exponitur præsens locus: quidam alteram solutionem esse dicunt: alij nō nisi præcedentis appendicem, & hi de intellectu, illi verò de intelligibili interpretantur. Fortasse omnia rectè dicta sunt, quæ idcirco libentissimè inducam, vt quisque eligat quod viderit præsenti textui magis quadrare. Principiò videtur causam à priori reddere, cur non omnia intelligibilia talia sint, vt etiam intelligāt: videlicet, quia sunt materiæ coniuncta, & vt dicit Aristoteles, intelligibilia sunt nō actu, sed potentia per conditionem diminuentem (vt præcedenti tex. dictum est.) Quare cùm in rebus materialibus intelligibile non reperiatur immateriale, hoc est, abstractum à materia secūdùm rem, & fiat intelligibile abstractione secundùm rationem, fit, vt illa abstractio faciat esse intelligibile: quia facit apparere quidditatem, non tamen facit quòd sit intellectus: quoniam intellectus actu debet esse immaterialis & secundùm rem à materia separatus: minùs ergo requiritur, vt aliquid sit intelligibile: & maior abstractio & immaterialitas exigitur, vt aliquid sit intellectiuum: quoniam, vt recipiat speciem intelligibilem, vniuersalem, immaterialem & abstractam, oportet, vt recipiens in abstractione & immaterialitate proportionetur. Etenim sicut calefactiuū non est quod formaliter aut saltem virtualiter calidum non est, ita profectò intellectiuum non erit quod actu & formaliter à materia non separatur, vt angeli: aut virtualiter non seiungitur à materia, vt anima nostra, quæ licet secundùm rem vniatur corpori vt forma, non tamen est actus corporis, ita vt à corpore dependeat, eiq; immergatur: siquidē intelligere & velle in corpore vt organo non fiunt: ob id anima nostra secūdùm virtutem intellect⁹ à corpore abstracta est. Et ex hac ratione cōcludit Aristoteles, ex hoc quòd est intellectus in potentia, id est, immaterialis & separatus à materia, vt rationē intelligibilis subeat: quia vnde habet quòd sit intellectus, habet etiam quòd sine conditione diminuente sit intelligibilis. Alijs verò non ineptè videtur, Aristotelem præsenti loco causam reddere, cur intellectus noster sit *intelligibilis & ipse, vt cuncta intelligibilia* (vt præcedenti tex. dictum est) scilicet, quòd est intelligibilis; non vti priùs dictum est, vt intelligibilia, quæ per se & suapte natura talia sunt veluti immaterialia: sed vt materialia in hunc sensum, scilicet q̄ sicut materialia non cognoscūtur per proprias substantias, sed per species ab ipsis deductas; sic anima pro hoc statu per speciē à sua substantia diuersam deprehenditur. Et in hoc anima à cæteris intelligibilibus materialib⁹ differt, quòd mens nostra, cùm immaterialis sit, & intellectus & intelligibilis rationem subire potest: cætera verò intelligibilia materialia, etsi intelligi queant, non tamen possunt intelligere: quia secundùm rem à materia nō abstrahuntur: quod necessariò exigitur; vt aliquid sit intellectiuum. Et hoc est, quod præcedenti textu dixit Aristoteles, quòd in separatis à materia idem est intellectus, & quod intelligitur: quod probauit à posteriori de scientia speculatiua: & ideo pro hoc statu non se intelligit per suam essentiam, sed per speciem atq; notitiam à sua substantia distinctam. Alij verò dicunt, præsenti loco Aristoteles tacitam diluere obiectionem, quare anima non semper sese intelligat? Respōdetq; causam esse, quòd non semper habeat intentionem & speciem in actu intellectam: Huius autem ratio est, quia indiget abstractione intellectus agentis, qui se ad phantasmata conuertat, quæ sunt potentia intelligibilia, vt ea faciat actu intelligibilia: quòd si species habeat iam penes se comparatas, adhuc tamē potest non intelligere: quoniā necessum est, quòd mens aduertat & consideret, siquidem ad vsum specierum etiam iam comparatarum necessaria est mentis conuersio ad phātasma, vt infrà tex. 39. docet Aristoteles. Sunt & alij, qui hæc, quæ dicta sunt, simul connectunt, interpretantes hunc locum, quòd Aristoteles respondet, cur non semper intellectus intelligat propter rationem iam nunc appositam, scilicet, quia anima debet fieri sibi præsens ex conuersione ad phantasmata, & immediatiùs intelligit alia, quàm se: imo adhuc alijs rebus intellectis, vt sese conuertat, indiget speculatione phantasmatis: quoniam naturam vniuersalem semper deprehēdit in aliquo particulari subsistentem: igitur si mens non semper se cognoscit, ratio est & causa,

quia

Prima expositio, cur non omnia intelligibilia intelligant.

Secūda interpretatio, q̄ intelligitur per species acceptas, vt intelligibilia materialia.

Tertia, cur aīa nō semper se intelligat.

Quarta alias videtur repetere, et colligere.

quia indiget immutatione ab intelligibili in potentia. Deinde asserunt, Aristotelem causam reddere, cur anima intelligibilis sit & intellectus, & tamen multa intelligibilia (vt quæ materiæ concreta sunt) neque intelligunt, neque sunt intellectiua (cuius rei enarrationem & præsenti & præcedenti subdidimus textu) maior enim abstractio & immaterialitas requiritur, vt sit intellectus, quàm vt sit intelligibile: & prior sciscitatio, scilicet cur anima non semper se intelligat, propter hanc secundam posita est, vt intelligamus, quare non omnia intelligibilia intelligant. Ex hoc profectò quòd sunt intelligibilia in potentia, id est, secundùm esse & rem materialia, bene infertur, quòd non sunt actu intellectus, neq; adhuc potentia: ad id enim requiritur separatio à materia secundùm rem, & non sufficit sola separatio secundùm rationem, vt sit intellectus: Nisi velis paulò subtiliùs philosophari, & asseras intelligibilia in potentia esse etiam in potentia intellectus: hoc tamen pacto, vt sicut sunt intelligibilia abstractione prouenienti ab extrinseco, ita sint intellectus non ab intrinseco, sed extrinseca denominatione, quatenus ordinē vtroq; modo dicunt ad intellectum, tam vt intelligibilia, quàm vt intellecta. Verū est, quia vnumquodq; denominatur secundùm id, quod est, dicuntur absolutè intelligibilia in potentia, quæ est conditio diminuens: in se enim habent vnde intelligantur, scilicet quidditatem, quæ sola illustratione intellectus agentis reluceat & appareat: non tamen dicuntur absolutè intellectus, quia nō habent immaterialitatem: vnde ergo materialia sunt, licet sint potentia intelligibilia propter separationē à materia secūdùm ipsius rationis abstractionē, nō tamen sunt potentia intellectus: quia non sunt separabilia secūdùm rem à materia. Quocirca rectè comparatur noster intellectus ipsi materiæ secundùm quandam proportionem: sicut enim materia non est actionis principium, nisi informetur forma, ita intellectus noster se intelligendi vim non habet, nisi specie intelligibili actuetur. Mox vt materia nullam habet de se formam, sed omnes recipit quasi aduentitias, sic mens nullam habet speciem, cùm sit ab origine vt tabula rasa: quare quem habet ordinem materia ad formas indiuiduales & naturales, habet quoq; intellectus ad formas vniuersales & intentionales. Rursum sicut materia forma non informatur, etiamsi præsens sit secundùm rem, nisi exerceat actum formæ: ita mens non immutatur ab specie intelligibili, nisi præter hoc, quòd sit præsens secundùm rem, sit etiam præsens vi obiectiua, ipsa scilicet se anima aduertente & considerante: has & similes comparationes proportionabiliter facere potes (vt suprà tex. 5.) Siue igitur secundùm Latinos sermo sit de intelligibili, cur non intelligat: siue secundùm Græcos expositores de intellectu, cur non semper se intelligat: vtroois modo exponas, veritas præsentis loci constat, & quòd intelligibilia materialia non possint intelligere, & quòd mens, vnione ad corpus interturbata non semper seipsam consideret, imo verò vi diuellitur à contēplatione: non enim considerat, nisi dum vtitur sensu. Hactenus de primi capitis enarratione: cætera verò, quæ examinanda essent de obiecto intellectus (si quidditas sit rei materialis, & an singulare ab intellectu intelligatur, atq; si necessaria sit conuersio ad phātasma ad vsum specierum iam comparatarum: adhæc si idem sit cognoscendi modus animæ separatæ & coniunctæ: similiter de substantia animæ si mortalis sit, aut immortalis, & pleraq; id genus) in sequentia consultò reijcio: præsertim cùm plura ex illis ex sequentis capitis doctrina elucidanda sint: idcirco ibi commodiùs explicabuntur. Transeamus igitur ad secundum caput, si modò priùs huius summam proposuerimus.

Ex abundanti, omne intelligibile est intellect⁹, vide infrà text. 54. de denominatione intelligibilis.

Intellect⁹ noster declaratur ex collatione cū materia.

Elegans summa.

Excusat se Autor à multarum quæstionū tractatione, sui cōsilii rationem reddens.

SVMMA CAPITIS.

Proposita intentione, Aristoteles ex collatione sensuum possibilē intellectum esse apertè demonstrat per quatuor conclusiōnes: ad primam, tertiam, & quartam singula corollaria. Tandem duas quæstiones soluens, alio corollario præsens claudit caput.

Iam igitur de parte intellectiua agendum, & quo pacto ipsa anima sit atq; intelligat considerandum. *Intentio.* *¶ Sicut sentire passione absoluitur, ita & intelligere, quod, sicut & sentire, pati quoddā est.* *1. conclu.* *¶ Vnde quia intellectus omnis formæ est susceptiuus, non tantùm impassibilis est, sed etiam ab omni forma denudatus: quia intus existens prohiberet extraneum.* *Corollarium.* *¶ Possibilis intellectus nullam aliam naturam habet, quàm vt sit potentia omniū* *2. conclu.*

omnium susceptiua: ideo rectè locus dicitur specierum. 3.conclu. *¶ Intellectus ab excellentia intelligibilium non corrumpitur (sicut sensus à vehementi sensibili) sed perficitur potius.* Corolla. *¶ Quo fit, vt intellectus dupliciter sit in actu primo & secundo; cùm iam ab habitu egrediens considerat.* 4.conclu. *¶ Obiectum intellectus est quodquid est rei; quod à supposito, cuius est, ratione saltem separatur.* Corolla. *¶ Hinc sequitur, mentem nō intelligere singularia; aut aliter se habere, cùm ipsum intelligit: quoniam res, vt se habent ad esse, ita ad intellectum referuntur.* 1. quaestio. *¶ Si intellectus immaterialis est, quomodo intelligere est quoddam pati?* 2.quaest. *¶ Cùm omne intelligibile vnius sit rationis, quomodo anima intelligibilis sit, atq; intelligens, non tamen omne intelligibile est intellectiuum: si enim semper seipsam intelligat, intellectus ab intelligibili non separatur; si per aliud à se, ergo ab alio erit intelligens, & non à se?* Ad primam. *¶ Passio ista non est corruptiua, sed perfectiua; quae ob id communione materiae non indiget.* Ad 2. *¶ Intellectus intelligibilis est, id est, de se sicut immaterialia suapte natura intelligibilis: & ne cūcta, quae verè sunt intelligibilia, v. d. est intelligibiles perinde ac materialia, licet per speciē ab ipsis rebus acceptam.* Corolla. *¶ Quare in promptu ratio est, cur non semper actu sit, vt sese intelligat: quia eius cognitio pendet ab intelligibilibus in potentia, quae abstractione indigent.*

CAPVT SECVNDVM.

De intellectu agente, an sit, quid sit, & qualis sit?

Tex.17. CVm autem in omni natura sint quaedam, quorum alterū quidem vnicuiq; generi materies est, quod id esse patet, quod est potentia illa cuncta: alterum verò causa est, & efficiens omnia, nimirum efficiendo, atque agendo talem subiens rationem, qualem ars cōditionem ad materiam subit, necesse est & in anima differentias has easdem inesse.

Capitis scopus. Intellectus possibilis natura proximo capite explicata, docet iam Aristoteles necessarium esse alterum intellectum, quem agentem vocat: de quo determinat esse & quid sit, eiúsq; natiuas proprietates atque munia nobis proponit, & propter quid (quia separatus est & immortalis) iuxta quatuor illa, quae initio lib. 2. Poster. de vnaquaq; re tractanda sunt: vtraq; enim pars intellectiua, tam possibilis, quam agēs ad intellectionem perficiendam necessaria esse videtur. Caietanus hoc caput diligentissimè exponit, nimius tamen est in singulorum octo terminorum ponderatione: & licet quae dicit, omnia vera sint, multùm tamen sunt scrupulosa, minuta nimis, parūq; grata, atque dum plus nimio premit, hoc praestat, vt veritas ipsa dilabatur. Caiet. Breuiùs sic & apertiùs nos dicemus, quòd cum Aristoteles velit ostendere in anima nostra praeter intellectum, quo ipsa patitur, esse alium intellectum, per quem agit, ne videatur sibi doctriuam hanc gratis & de nihilo fingere, eam ratione & exēplo manifestè demonstrat. Pro quo expendas velim, Arist. cùm dicit, *Cùm autem in omni natura, &c.* naturam sumere vniuersaliter & communiter quasi in confuso, hoc est, non determinatè ad materiam & formam in physicis, neq; ad actum & potētiam, vt in metaphysicis, sed vt haec, & quaecunq; proportionalia sunt, cōplectantur, ita vt quocunq; modo contingat vnū esse, oporteat in eodē genere si sit quod patitur, sit etiam & id, quod agit: vbi natura contra operationem distinguitur, siquidem ponitur principiū patiendi atque agendi, à quibus initijs operationes oriuntur. Et sic vult Arist. in natura animę duas has differentias esse: quia si datur intellectus, qui est principium patiendi in intellectionem, necesse quoq; est intellectū esse, qui sit principium eandem intellectionem agendi: nam intelligere functio est, quę ad aliquā certam naturā arctatur, & in aliquo vno genere, vbi si vis est ad omnia fieri, erit quoq; ad omnia facere. Ratiocinatio autem sic nectitur, In omni natura, quae quandoq; est in potētia, quandoq; est in actu, oportet dari aliquod proprium in illo genere, per quod patiendo fit in potentia ad omnia illius generis: & aliquid, per quod agendo & efficiendo fit actiuū principium, à quo, vt proprio & proximo agēte, in actum reducantur omnia, quae erant in illa potentia (haec est maior assūpta propositio, quae sequitur, minor est, quę sub illa sumitur.) At anima nostra natura quaedā est,

est, quæ quidem in potentia ad intelligendum, plerunq; verò actu intelligit: ergo fateamur necesse est in anima nostra intellectiua duas facultates: quarum vna sit velut materia ad omnia fieri in potentia, altera vtcunque ad omnia facere, nempe præter intellectum possibilem, de quo hactenus, deinceps ponendus est intellectus agens. Quare ex diuersitate ipsius atque officiorum, diuersitatem colligit facultatum: & si intelligere propriè non sit intellectum corruptiue pati (quoniam actione sua perficitur & absoluitur) tamen vbicunq; passio est, debet esse agens proprium: & hoc vniuersaliter cõcludit ratio Aristotelis. Maiorem propositionem Aristoteles declarat similitudine artis, vbi materia, verbi gratia, est informe lignum, quod nullã habet formam artificialem: ars autem in mente fabri lignarij aut statuarij agens est, quod idoli aut lectuli formam inducit: & sic in eodem genere actiuum & passiuum reperiuntur: sic ergo in re præsenti. Nec valet, si dicas, esse quidem rationem agendi ipsa scilicet intelligibilia, siue rerum quidditates, quæ iuxta mentem Platonis sunt ideæ separatæ: quoniam cautissimè Arist. eas eliminat, tum alibi sæpe, tum etiam præsenti loco atque ratiocinio: quia si in omni natura, vbi est principium patiendi, principium quoque est agendi, & non vt idea separata & remota, sed vt res, quæ est coniunctum, proximum & proportionatum agendi principium (vbi excludit separatas illas Platonicas ideas) eapropter non infert, ex eo quòd in omni natura sint talia agendi & patiendi principia, sic in anima contingere: nam licet efficaciter si concluderet, & huic interpretationi contextura fauere videatur, tamen altior est sensus, scilicet quòd sicut in omni natura, ita & in anima: qua via non solùm rem esse ostendit, sed necessitatem rei & indigentiam modi manifestat, & in omnibus causam similem atque proportionalem esse: vnde suæ Philosophiæ radices altiùs iecit. Nec te moueat, quòd Aristoteles similitudinibus vtatur contra præceptum tradendi disciplinas 2. Poster. cap. 13. vbi docuit non esse vtendum similitudinibus & translationibus: Aristoteles enim physica tractat, quæ non possunt nisi ex sensibilibus procedere, præsertim ad manifestanda occultissima animæ nostræ secreta: sæpe enim

Ars intellectũ agẽtem conuenientissimè manifestat.

libris Physicorum ad indagandam naturã ex arte, quæ naturæ æmula est, vtitur, vt ex iis, quæ circa artẽ externis cõspicimus oculis, scilicet debere esse actiuum proprium, proprium; passiuum: sic quoq; vniuersaliter in omni natura sit concipiendum. Qua via, lib. 1. Phys. primam materiam subiectum omnium formarum colligimus, tanquam omnium potentiam: & 8. eiusdem habemus vnum primum motorem efficientem omnium: vt sicut materia pura potentia est vniuersaliter receptiua formarum omnium naturalium, sic primus motor actus sit primus & omnium rerum principium: quare si omnes formæ sunt in potentia materiæ, omnes quoq; erunt in actu à primo motore: imo verò materia prima non esset in potentia passiua, nisi quia primus motor est in potentia actiua: potentia enim per prius dicitur de potentia actiua, quàm de passiua (vt infrà tex. 20.) accommodatè ergo per artem manifestatur natura: quia ex sensibilibus ascendimus per ordinem naturalem ad intelligibilia. Nonnihil tamen discriminis est inter artem & intellectum agentem: nam primò vnus est intellectus agens respectu omnium intelligibilium: ars autem vna & eadem non est respectu diuersorum artificiorum: ideo actiuitas intellectus agẽtis vniuersalior est, quã artis, & simpliciter in omni intellectione vna & eadẽ. Secundò, quoniam ars non inducit formam sine alio agẽte vt artifice: at ipse intellectus est qui agit vt facultas intelligentis. Tertiò, ars inducit formam non præexistentẽ in materia: at intellectus latentem quidditatem apparere facit, sicut lumen colores, vt sequenti tex. 18. Quartò, ars non abstrahit à materialibus, sed versatur circa singularia: intellectus autem abstrahit à materialibus & versatur circa vniuersalia. Quintò, ars & materia eius non sunt in eodem, cùm materia sit extra artificem, ars autem in artificis mente: at intellectus agens & possibilis in eodem sunt, vt in anima ipsa: vnde operatio artis absolutè est trãsiens, operatio intellectus agentis absolutè est immanens, quatenus manet in ipsa anima, licet secundùm quid & impropriè dici posset trãsiens respectu intellectus possibilis & phãtasmatis, quæ illuminat: accõmodatiùs ergo dicetur velut trãsiens: nam vt sit immanens, nõ exigit, vt maneat in eadẽ potentia, sat est quod

Intellectus agens & ars differunt.

in eodẽ supposito (vt cap. sequẽti in quęst. de verbo mẽtis, &c. c. 8. de motione & appetitione.) Quibus discriminibus non obstantibus, proportionabiliter & accommodatè loquẽdo in omni natura vniformis est modus & indigentia ponendi actiuum & passiuũ: ideo Aristoteles suæ propositionis radices & causas vniuersaliter est prosequut⁹.

Obserua mentem Arist.

Ex quo patet, quòd non infert, quòd agẽs & patiens sunt in anima, sed quòd anima eadem numero existens agens sit & patiens secundùm diuersas potentias & facultates: quia eadem anima habet vtrunque, sicut subiectum plura habet accidentia.

Expẽditur efficacia huius rationis Arist.

Roganti verò, quid compulerit Aristotelem in hanc venire sententiam? respondebo, quòd à veritate coactus: magna enim vis est momentum rationis ab Aristotele adductæ: cùm enim ille acerrimo suo ingenio inspexisset intellectum vniuersalium esse, quæ non sunt ab ipsis singularibus re seiuncta (vt magistro eius Platoni placebat) sed vniuersalia inexistũt singulariter in indiuiduis, quibus realiter coniungũtur: indiuidua autem maximè materialia mens percipere nõ potest (vt in quęstione de obiecto intellectus habes) fit, vt necessaria sit facultas animę, quę indiuidua materialia illustret, & quasi à sordibus depuret & à crassitie materiæ abstrahat, vt ab intellectu percipi valeant: sicut enim Platoni agens intellectus erat superfluus: quia ponebat intelligibilia actu separata, quæ mentem mouere poterant, cùm essent secundùm se proportionata: ità Aristoteli necessarius est, quia ponit ipsa intelligibilia & vniuersalia non in actu, sed in potentia, quæ nisi illuminentur ab intellectu agente, atque à singularitate abstrahantur, nunquam à possibili intellectu deprehendentur, qui non potest cognoscere, nisi immaterialia & vniuersalia, quæ in rebus sensibilibus per se actu non sunt, nisi per agentem intellectũ in actu constituantur: ergo vt fiat obiectum proportionatũ, quod valeat mouere & perficere intellectũ possibilem, necessarius est intellectus agẽs. Aristoteles non cognouit hominem nõ alligatum singulari, aut tempori & loco non obligatũ: ergo vniuersalia non habent esse extra animam: nihil enim est vniuersale, aut posterius est (quod lib. 1. tex. 8. exposuim⁹, & in cap. de substãtia, corruptis primis substantijs impossibile est secũdas remanere.)

Vis rationis resoluitur in Physica & Meta.

Hæc est Aristotelis ratio ... profunda, ... soluet ad rationem actus & potentiæ, quæ ... ut duæ & illæ primæ entis differentiæ ... enim potest esse in actu & in potentia secundùm idem: cùm ergo anima quandoq; in actu, quandoq; in potentia sit, necessum est habeat prædictas duas differentias, eandem rationẽ contractiùs subsumit Philosophus naturalis per rationem materiæ & formæ, quæ patiendi & agendi duo sunt principia: ergo cùm anima descendat, seu veniùs ingrediatur corpus, cui infunditur velut tabula rasa (vt ibi quemadmodum in propria officina deducat sibi proprias atque emendicet elaboratas species; vt tanquam artifex suam illam informem tabellam proprijs characteribus depingat) adeò necessarius est intellectus agens, qui possibili coniunctus, cum illustret & varijs picturis exornet: & hæc est collatio artis ad intellectum agentem, quam Aristoteles præsenti textu ponit. Similiter in proposito potentia, quæ recipit, patitur, determinatur & perficitur ab obiecto, obiectũ autẽ in ipsã agit: quare cùm omne opus per se intentũ, & in aliqua potentia receptum, sit ab aliquo actiuo (vt deducenti per singula patet) intelligere autem sit quoddam opus intentum à natura & in possibili intellectu receptũ, fiet ergo ab aliquo proximo motiuo & actiuo, quod hîc cum Aristotele vocamus intellectum agentem.

Perficitur ratio Arist. quòd intellect⁹ agens nõ est separatus, sed vnicuiq; homini proprius, infrà tex. 19.

Nec te conturbet quorundam cauillatio, quòd sufficiat agens remotum, externum & vniuersale, atq; adeò superuacaneum esse huiusmodi intellectũ agẽtem in singulis hominibus: tũ, quia omnis actio debet esse à causa secunda, propria & proxima: tum etiã, quia omnis natura debet habere principia propria & sufficiẽtia, vt proximè perficiat propriã suam operationem: aliàs profectò natura manca esset, quæ ad propriã operationẽ & finem per se peruenire non posset: esset insuper otiosa. In omni igitur natura datur agens & patiẽs (vt hîc dicitur) & ad modũ vniuocorũ sibi in eodẽ genere correspondentium (5. Meta. tex. 5.) vt in animalibus mas, & fœmina: in plantis quid proportionale: ergo in intellectiuis si patiens est intellectus proprius & coniũctus, agens quoq; erit nõ solùm intellect⁹, sed proprius & cõiunctus.

Cur cogitatiua immediatè nõ subser-

Quærẽti autem, sicut sensus exterior immediatè seruit communi: communis autem imaginatione mini-

uiat intellectui possibili. ministrat: hæc autem phantasiam moueat (vt in 2. lib. latiùs dictum est) cur phantasia non mouebit intellectum posibilem immediatè sine hac mediatione intellectus agentis? respondebis facilè, quòd actus cogitatiuæ præparat quidem materiam ad intellectum: quia est vltima & suprema inter sensitiuas: nō tamē perficit neq; cōsummat intelligibile, neque egreditur metas sensus. Cuius rei duplex est ratio, Prior ex parte obiecti, quia phātasma imago est singularis reiq; materialis species, vbi intelligibile formale nullū est in actu, sed tātùm in potentia: quod vt in actum deducatur, opus est intellectu agēte irradiante phātasmata, & perficiēte quod phātasia inchoauit. Posterior, quia etsi sensus subordinētur in suo ordine & genere, vt sese inuicem secūdùm seriem promoueant, tamen phātasia nō sic subordinatur intellectui tum, quia nō essentialiter & necessariò, vt patet in brutis, in quib⁹ est phantasia sine intellectu: tum etiā, quia in homine licet phātasia immediata sit intellectui, non tamen in eodem ordine: quia sistit sensus in cogitatiua, quæ cùm materialis sit, & non possit mouere intellectū possibilem, necessariū est copulationē fieri phantasiæ & intellectus possibilis per agentē aliquam & actuantē potentiam, ipsisq; altiorem. Etenim quidditas rei materialis, verbi gratia, lapidis, à duobus pendet, hinc à phātasmate: nam anima debet esse quodāmodo lapis, infrà tex. 38. illinc, ꝙ debet esse quidditas immaterialiter abstracta ab illustratione intellectus agētis, qui suo fulgore facit quidditatem apparere & relucere, nō apparentibus nec relucentibus cōditionib⁹ materialibus, vt Caiet. hîc & 1. p. q. 79. ar. 3. & nos infrà q. de obiecto intellectus: illustrato itaq; phātasmate, intellectui relucet quidditas & principiū formale speciei, non autem principia materialia indiuiduitquia, repugnat illis sub tali lumine splendescere, hoc est, sub illa immaterialitate abstractiua: quare quamuis cogitatiua penes se habeat quidditatē obiectiuè relucentem, non tamē sibi, sed intellectui possibili, qui solus informatur specie intelligibili, quę est obiectum formale intellectus: cogitatiua ergo non se extēdit nisi ad id, quod sub lumine proprio ipsius cogitatiuę relucet, cuius penes se speciem habet, quæ est principiū formale cognoscendi. Hinc cōtinuatur actio inter intellectū agentem & possibilē ad ipsa phantasmata, sine quibus nihil intelligit anima.

Cur cogitatiua nō percipiat quidditatem.

Hanc ob causam ponimus agentem intellectum, qui ex parte obiecti materialitatē tollit à phantasmate: & licet ex parte intellectus possibilis sit immaterialitas (quia tamen est potentia passiua) illustrari quoque debet, vt actuetur: sicut visus ipse affici debet lumine, vt colores videat. Quid autem sit hæc illustratio, seu separatio, aut abstractio intellectus agentis, statim in propria quęstione de intellectu agenti reperies: nūc sat est intelligas, quòd est constitutio obiecti intelligibilis in suo esse quidditatiuo in esse vniuersali & immateriali. *Vsus agētis intellectus.*

Atque quidam est intellectus talis, vt omnia fiat: quidam talis, vt omnia agat, atque efficiat, qui quidem vt habitus est quidam, & perinde ac lumen: nam & lumen colores, qui sunt potentia, actu colores quodammodo facit. *Tex. 18.*

Generatim & quasi in cōfuso proposuerat Arist. duas illas animę partes, quarū vna agens, alia patiens dicitur: hîc verò in particulari & propria forma idem docet, nempe, intellectui possibili, qui est ad omnia fieri, respondere alterum intellectū, cuius proprium sit omnia facere: quē tamen dicit se habere per modū habitus & formę, ne quis putet habitū esse principiorū congenitum, aut alium habitum acquisitum: quod esse nō potest, eo ꝙ habitus acquiritur ex actibus, & ille habitus naturalis principiorum præsupponit notitiā terminorū, vt exeat in actū: ob idq; non posset intellectus agens facere omnia intelligibilia in actu, neq; esset primū efficiens in genere intellectionis, cùm ante ipsum præcederent aliqua intelligibilia, nimirū terminorū notitia, ex quibus resultat ille habit⁹: quare cōparatur habitui, quatenus forma est: & quia sicut habitib⁹ vtimur cùm volum⁹, ita intellectu agēte vtimur ad intelligendū liberè pro arbitrio nostro deductis impedimētis. Sed meliùs Arist. in tex. subdit, intellectū agētem esse habitum perinde ac lumen: qua similitudine actiuitatem intellectus agētis nobis exponit: nam sicut lumen colores, qui sunt *Intellect⁹ agens rectè cū lumine & habitu cōfertur.* *Tex. 19.*

in potentia visibiles, facit actu suo modo visibiles (vt in lib. 2. cap. 7. diximus) sic intellectus agens sit quoddam lumen spirituale & veluti phātasmatum habitus, quæ dum illustrat, facit, vt intelligibilia, quæ erant in potētia, fiant intelligibilia in actu. Comparatio igitur Aristotelis sumi debet inter modum agendi agentis intellectus ex vna parte, & modum agendi habitus & luminis ex altera parte, vt sit assimilatio, quòd liberè intellectu agente vtamur tanquam habitu: & sicut lumen facit apparere colores, ita intellectus agens faciet intelligibilia in potentia esse actu intelligibilia. Ideo vtitur Aristoteles hac voce *quodammodo*, vt semper accommodatè similitudinibus vtamur: & prꝺterquam quòd ad tollendam diuersitatem opinionum circa naturam colorum, si in tenebris sint non tantùm potentiâ visibiles, sed etiam potentiâ colores (vt quidam putant) an tantùm sint potentiâ visibiles, vt probabiliùs creditur: propter quam discordiam dicit *quodammodo*: dicit etiam, quia nil est tam simile, quòd non habeat aliquam dissimilitudinē, aliàs non simile esset, sed idem, vt dicit D. Ioannes Damascenus elegantissimè lib. 3. orthod. fid. cap. 26. impossibile est in omnib⁹ simile inuenire exemplum. Ob id cùm ea, quæ ad naturam luminis & coloris latè in lib. 2. loco citato dictum est, & quæ hîc de intellectu agente dicenda erāt, ex sequentibus pendeant, non abs re sequentis textus enarrationem aggrediar: nā intentio Arist. est, quòd intellectus agens facit intelligibilia, quæ sunt in potentia, esse actu intelligibilia, perinde ac lumen facit colores in obscuro iacentes actu apparere. Quod à similitudine atque exemplo, vt addiscentes apertè intelligant, declarauit, qui est fructus, qui ex hoc expectabatur labore. Cætera in sequentibus persequamur.

Similibus non semper pulosè vtendum.

Tex. 19. Et is intellectus separabilis est, & non mistus, passioneq; vacat, cùm sit substantia actus. Semper enim id, quod efficit, atque agit, præstabilius est eo, quod patitur; & ipsum principium omnino materia.

Palàm ex dictis est intellectum agētem esse, & quid sit, atque cuius rei gratia: nunc Arist. ostendere aggreditur qualis ipse sit, dum eius proprietates & natiuas conditiones proponit, quæ sunt numero quatuor, Prima, quòd sit separabilis: Secunda, quòd sit immistus: Tertia, quòd sit impassibilis: & hæ tres cap. præcedenti attribuuntur intellectui possibili, qui etiam separabilis est: intellectus enim nullius corporis est actus (lib. 2. tex. 11. & 21.) immistus autem, quia simplex & cum corpore minimè compositus, nulliq; potentię organicæ addictus: nō enim est potentia organica, sed est omniū perceptiuus, ideo ab omnibus denudatur: intellectus autem agens immistus dicitur, quia constituit actiuè omnia intelligibilia: at verò intellectus possibilis est impassibilis passione propria & corruptiua: nā passione perfectiua bene patitur, vt præcedēti cap. intellectus autem agēs vtroq; modo est impassibilis, & corruptiuè, & perfectiuè: quanuis aliqui oppositū teneant dicētes intellectū agentē intelligere, quos post pauca refellā. Quarta proprietas est, ꝙ sit actus secundùm suam substātiam (hæc cōditio propriè cōuenit soli intellectui agenti: nam tres priores vtriq; intellectui cōmuniter conueniunt) ꝙ autē actus sit, proprium est agentis: & ita in textu Arist. substantiam capit pro natura & essentia, id est, secūdùm suam essentiā actus est & forma, actiuus, nō passiuus: fortasse enim de mente Arist. nullas species suscipit in se, vt statim dicemus. Vt autem quatuor hęc doceat cōpetere intellectui agenti, in hunc modum arguit, Intellectus agēs actu est & sua substātia actiuus (vt tex. 17. & 18.) & intellectus possibilis separabilis est, immistus & impassibilis (vt cap. præcedenti demonstratum est) quanuis sit pura potētia in genere intelligibilium: ergo cùm à toto genere agēs præstātius sit, quàm patiens, intellectus agens, qui prꝺstātior est possibili, erit quoq; potiori iure separabilis, immistus & impassibilis: quod agit enim prꝺstat eo, quod patitur, & forma excellētior quā materia, intellect⁹ agēs perficit & format possibile: eadem enim inter ipsos versatur differētia, quę inter actum & potentiā, vt 3. Phys. tex. 17. Ex illa proprietate prima, ꝙ intellectus agens sit separabilis, occasionem errādi sibi arripuerūt multi (quos longū & vanū esset recēsere) vt asserant intellectū agentem substātiam aliquā sepa-

Quatuor conditiones intellect⁹ agentis.

Intellect⁹ agēs in nobis inexistit, suprà tex. 17.

separatam esse; & ita omnia, quæ hîc de intellectu agente docet Arist. ad nescio quem intellectũ separatum referebant, quia sicut Sol extrinsecùs illuminat omnes colores, ita Deus vel aliqua intelligentia functionẽ hanc intellectus agentis exercebat: & sicut prima causa, quæ est principium totius esse in primo ordine, motrix est totius vniuersi sitûs, ita in secundo ordine vnicuiq; cælo sua adscribitur intelligẽtia, quæ ipsum cælum moueat: præter quas vna alia sit intelligẽtia, quæ super animas nostras influit, quę dicitur intelligentia mundi terreni. Sed nõ vacat recensere innumeros modos ponendi intellectum agentem substantiam quandam esse actu & verè separatam: nam hoc pugnat cum veritate ipsa & Aristotelis mẽte: quoniam homo animalium perfectissimus, mancus & diminutus à natura esset institutus, qui cùm sit in fastigio naturę positus, non habet tamen in seipso sufficientia principia, quibus possit propriam suam operationem complere, quæ est intelligere: ergo ad complementum & perfectionem humanæ naturæ spectare videtur, vt sicut homo habet possibilem intellectum in se, habeat quoq; agentem: vt sicut habet vnde recipiat intellectionem, habeat quoq; vnde ipsam agat & producat: & sicut non obstat intellectum possibilem separatum esse, vt dicamus ipsum esse extra hominẽ, fit, vt quamuis intellectus agens separatus sit, tamen coniunctus est nobis ipsis. Quare ambo intellectus in anima sunt, eique insunt vt coniuncta principia intelligendi, vt patentibus verbis tex. 17. dicit Aristoteles: ob id tex. 18. dicit se habere per modum habit⁹, vt intelligamus coniũctum esse in nobis ipsis: in quo etiam conuenit cũ arte, & differt à lumine, quod separatum est. Mox hæc positio aduersatur naturali potentiarum ordini: quia phantasmata materialia in nobis sunt, in quibus intelligibile non actu, sed potentia est: debet autem fieri actu actione agentis intellectus: ergo erit homini proprium & coniunctum ipsarum specierũ actiuum principiũ: nam si lumen externũ est separatum, ideo est, quia colores separati sunt & extra nos: quare vbi phantasmata adeò sunt intima & coniuncta nobis, lumen, quod ipsa illustrat, debet quoq; coniunctum esse. Confirmatur, quoniam omnes opiniones falsitatis redarguit Aristoteles, dum vtrunq; intellectum non tantùm in anima esse docet, sed esse facultates & animæ partes seu differentias (vt ipse dicit) atq; ita propria & proxima principia ad perficiendam intellectionem: secus non esset in nobis intelligere, cùm volumus; sicut nec vt videamus colores, lumen semper, vt cupimus, ad manum habemus. Res est apertissima, & de qua apud peripateticos & veritatis studiosos nulla debet esse dubitatio: valeat ergo istorum delusio. Quòd si roges, vnde intellectus agens dicitur ab Aristotele esse semper in actu; siquidem quandoq; non illustrat phãtasmata, sed est in potentia ad illustrandum: quare est indeterminatus & in potẽtia, sicut intellectus possibilis? Respondetur, latam differentiam esse: quoniam intellectus possibilis est in potentia, sicut indeterminatum ad determinari, informe vt formetur: est enim tabula rasa, quę ab omni denudatur forma & intelligibili: omne igitur intelligibile aliqua est determinata natura: ideo tex. 5. dicitur, *Vt neque vlla sit ipsius natura, nisi ea solùm, quæ possibilis est*: quoniam de se nihil est actu eorũ, quę sunt, sed secundùm suam substantiam tabula est rasa & pura potẽtia: at intellectus agens dicitur esse in potentia non intrinseca, cũ semper sua natura actus sit, sed extrinseca, quatenus indiget phãtasmatum determinatione: ob id opposita conditio tribuitur intellectui agenti, vt sit actu ens, suáq; substãtia actus in eodem genere, in quo possibilis est in potentia, nẽpe in esse immateriali & intelligibili: in eodẽ agens intellect⁹ ponitur sua substantia actus: ob id etiam prior, quia continuò atq; perenniter intelligit, quoniã est semper intellectus in actu, seq; sibi pręsentem habet, independenter atq; indefessè intelligit. Præterea potẽtia possibilis intellectus passiua est: at potentia intellectus agentis actiua indiget sola determinatione & modificatione à ministerio phantasmatis: ob id dicitur actus intelligibilium, quia est quędã virtus luminis immaterialis actiui. Quare sicut non est alia intellectus possibilis natura, nisi quòd possibilis est vocatus, ita per oppositũ contraria conditio hîc attribuitur intellectui agenti, vt sit actu ens, id est, ex sua substantia actu existens sicut possibilis in potẽtia: nam sicut colores illuminantur per participationẽ luminis corporum cælestium superiorum, ita phantasmatum illuminatio deriuatio quædam est ab intel-

Intellect⁹ agens & possibilis differenti modo in potentia.

intellectu agente, & sigillatio quædam luminis diuini iuxta illud Psal. 4. Signatū est super nos lumen vultus tui, &c. De hac autē illustratione intellectus & determinationē phātasmatis habes statim in quæstione de obiecto intellectus. Sed vt huius textus explanationem absoluamus & viā ad sequētem sternamus, dubitari potest, si intellect⁹ agens actu sit ex hoc quod intelligat: quia hoc, quod est actu esse, nihil aliud esse videtur, quàm intelligere. Albert⁹ enim in summa de homine cap. de intellectu agēte q. 4. & 5. videtur affirmare, intellectum agentē per suam essentiam intelligere, non speciebus forinsecùs acquisitis aut extrinsecùs accedentibus, sic enim in potentia esset ad illas species suscipiēdas. Themisthus asserere videtur, intellectum agētem intelligere & species suscipere, nō qua āgēs, sed qua possibilis est intellectus: vtrunq; enim coniungit in vnum, sicut materiam & formam in compositum. Sed certè Albertus cum veritate pugnat: nam intellectus noster nō potest seipsum per se intelligere, nisi aliunde mutuata specie. Et Themistius minimè philosophicè loquitur, potiùs confundit intellectū agentē cū possibili: sunt enim facultates animæ realiter distinctæ, vt ex obiectis & functionibus patet iuxta doctrinā superiùs positā lib. 2. c. 4. de distinctione potentiarum. Neothericorū plurimi hac in parte hærent & ambiguè loquuntur: dicam tamē breuiùs quod sentio cum Peripateticorum schola, Primò contra Themistium, quòd hi duo intellectus, agens scilicet & possibilis, realiter distinguuntur, vt ex eorum obiecto & functione patet. Secundò contra Albertum & plures alios, quòd si intellectus agens intelligeret, speciem in se susciperet & actum possideret (intelligere enim quoddam pati est) ergo non intelligit, licet agat: quia nullo modo recipit, sed purè actiue concurrit illustrando phantasmata, & intellectum possibilem quasi in obscuro iacētem de potentia ad actum promouendo. Cùm igitur intellectus agens non sit in potentia, nō perficitur aliqua operatione: omnem enim operationem, quam agit agens intellectus, alter intellectus, possibilis nuncupatus, recipit & absoluit, & in se illam operationem recondit: vnde agens semper est in actu, quia est lumen quoddam: possibilis autem intellectus quandoque est in potentia, quàm nisi intellectus agentis luce perfundatur, intellectionem nunquam absoluet. Quàobrem agens intellectus semper est in actu, testante Arist. ibi, *Passionisq; vacat. &c.* hoc est, in procinctu ad agendum præparatus: non enim patitur ab aliquo, sed est tā quam forma & origo intellectionis: omnis nāq; intellectio ab eo actiuè egreditur, nulla autē in ipso passiuè recipitur. Cùm igitur ex præcedenti capite intelligere sit quoddā pati, intellectus agēs nō intelligit, licet agat & producat intellectionem: ideo prior est & altior potentia, quam non solùm ab intellectu in potētia, sed ab intellectu in actu separat Arist. cuius causam de proposito reddit in sequenti textu. Tamen quia ea, quæ cognoscunt, nō cognoscētibus sunt digniora, videtur, quod intellectus possibilis dignior esse (vt qui cognoscat) quàm intellectus āgens, qui nō cognoscit. Ideo dico, quòd ex dictis atq; dicendis constat, intellectū agentem esse dignitate & ordine priorem possibili, vt agens patiente, actus potētia, forma materia dignior est: intellectus autem agens est actus & forma, erit ergo dignior. Hęc cōstātia sunt apud omnes (quod addo, vt mihi verosimile & probabilissimum) quod intellectus agens cognoscit, non quidem per suā substantiā, quandiu materiæ cōiungitur, intelligit tamen per eam, quā intellectus possibilis in se speciē susceperit & cognitionē, non per quā agens in se sumat & patiatur. Vel sic dicatur, intellectus agēs semper intelligit, sicut agens & virtus propria actiua, quę facit intelligere. Phrasis ista sanctorum est & scripturę, vt ad Rom. 8. Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilib⁹, id est, facit postulare. Ita in pręsenti Arist. dicit, intellectus agēs semp intelligit, id est, virtus est & vis quędā semper in actu, atq; de se in procinctu posita, vt faciat nos intelligere, si aliūde nō adsit impedimentū: intellect⁹ autē possibilis potentia est atq; indiget speciei informatione. Est sanè intimus intellectus agens possibili intellectui, vt notione illi⁹ vti posset vt propria: ideo si adeò sunt intimi & propinqui, vna eademq; specie & notitia ambo fruūtur: sicut anima per agentem & possibilem intellectum dicitur cognoscere, agere & suscipere cognitionē, ita actuatione & determinatione illius agēs cognoscit, in quo ei⁹ dignitas maximè relucet & commendatur, & ita omnium notiones agendo perficit. Itaq; species non producit sibi intellectus possibilis, sed agens eas donat & actus

Intellect⁹ agēs quo modo dicitur intelligere.

Albert⁹.

Themist.

Resolutio Autoris.

actus intelligendi ipsius est possibilis intellectus intellectu agente concurrente, & ille actus dicitur esse vtriusq; huius vt agentis, illius vt possibilis: ambo coeunt ad intelligendum, & intellectio profecta ab agente in possibili suscipitur, à quo educitur: & ideo in seculo altero intellectus agēs donat notiones possibili, ipsumque illustrat, qua via ambo conueniunt ad intelligendū vnā eandemq; intellectione: nec ibi cessabat abstractio, quia quāuis nulla sit abstractio à rebus materialibus & inferiorib⁹, bene tamē abstractio à superioribus, quæ est illuminatio & participatio quędā, quatenus ex vniuersalibus particularia deducuntur. Et ita rectè Themistius, secūdùm omnem statum intellectus agēs perfectio est intellect⁹ possibilis: ergo possibilis sine agente etiam in animabus separatis nec exactus nec absolutus esset, & proprio lumine careret: verba autē Themistij sunt, Intellectus agēs intellectui potestatis assistēs vnus cum illo efficitur & redditur, nō vt ipse dicit, vt vnum fit ex materia & forma, sed vt vnū fit ex agēte & patiente, quæ copulātur ad vnā actionem & effectū etiam in transeuntibus: hic autem immanens est actio, qua vterq; vtrusq; potest intellectus modo iam explanato: sed ad Aristotelem redeo.

Themist. benignè recipitur.

Tex. 20. Sciētia autem ea, quę est actu, est idem quod res: ea verò, quæ est potētia, in vno prior est tempore. Absolutè autē neq; tēpore, sed non nunc quidem intelligit, nūc autē non intelligit. Separatus verò, id est solū, quod est, atq; id solùm est immortale, perpetuūq;. Non autem recordamur, quia hoc quidē expers est passionis. Intellectus verò passiuus extinguitur, & sine hoc nihil intelligit.

Scop⁹ præsentis textus est intellectum agentē ab intellectu in actu separare.

Non est cur existimemus hunc locū adeò tenebrosissimi esse, vt varias admittat intelligentiās, fortasse extortas atq;, meo iudicio, violētas siue diuinatorias: plana res est, si semel mentē Arist. eiusq; dicendi consequētiam percipiamus. Illis igitur omissis expositionibus, quæ parū videntur Arist. literæ quadrare, prosequar eam, quæ mihi magis germana esse videtur, videlicet, quòd cùm Arist. in præcedētibus constituerit intellectum agentē separatū & distinctum ab intellectu possibili, vt actus distinguitur à potentia, ne quispiā falsò existimaret, q̄ intellectus nō distinguatur ab intellectu possibili iam in actu posito: & vt respōdeat dubitationi nostræ, quam in calce præcedētis textus posuimus, & asserat intellectū agentem in actu esse, nō tamē intelligere, docet in pręsenti textu nō esse idem intellectum agentem, & intellectū in actu: nam intellectus agens semper est in actu (vt præcedēti textu cum Arist. dicebamus) intellectus autem possibilis licet quādoq; sit in actu, rursum iteratò poterit esse in potentia. Id autē probat primò, quia scientia in actu, hoc est, intellectus in actu idē est quod res, quę intelligitur (vt pręcedēti capite dictum est, q̄ ex intellectu & intelligibili magis vnū fit, quàm ex materia & forma) at intellectus agens neq; idē, neq; simul est cū re scita: nō est idem, quia nō intelligit, neq; recipit aliquid, quod cū ipso vniatur. Quòd autē non sit simul, sed q̄ antecedat, probat secundò, quoniam omnis potentia posterior est suo actu: quia licet in eodem potētia antecedat actū, absolutè tamen actus prior est ipsa potentia, vt 9. Meta. tex. 13, quod enim est potentia sciens, fit ab actu sciente: quare intellectus agens, qui de intellectu possibili facit intellectum in actu, nō solùm distinguitur ab intellectu in actu, sed est prior & altior. Tertiò, intellectus agens semper intelligit, hoc est, semper est in actu ad perficiendam intellectionem absq; hoc quòd aliquid in se recipiat, aut transmutetur (vt in fine pręcedētis textus dictū fuit) at intellectus possibilis quandoq; intelligit, quandoq; nō intelligit, & dicitur corrūpi & per transmutationem cōpleri (vt lib. 1. de Anima tex. 65. cum Aristotele annotaui.) ergo intellectus agēs distinct⁹ est ab intellectu in actu: imò verò intellectus possibilis, qui est in potētia, fit intellectus in actu per operationē intellectus agentis. Optimè quadrat hęc nostra expositio cū cōtextura, & satis cōsona est veritati & menti Arist. quā statim ex ipsis verbis, si rectè perpendas, deduces. Pro cuius maiori manifestatione infert Arist. ad cōmendationem intellectus agentis, q̄ ipse solus sit separatus atq; verè immortalis &

Obserua.

perpetuus:acsi dicat, quāuis intellect⁹ possibilis separabilis, immistus, impassibilis sit atq; immortalis, tamē cùm intellectus agēs prior sit & sua substantia actus quidam, fit, vt ipse verè sit perpetuus, magisq; separatus atq; immortalior: nam hæ proprietates, quæ intellectui agenti & possibili conueniunt, per prius agēti cōpetunt, quàm possibili: nihil enim de actu & potentia dici potest vniuocè. Quare cū intellectus agens & possibilis distinguantur secundùm rationē actus & potentiæ, consequens est, vt esse immortale & separatum analogicè de ipsis dicatur: quare propriùs & veriùs de agēte, quàm de possibili: atq; animæ immortalitas constantiùs & firmiùs concludetur ex operatione intellectus agentis, quàm ex operatione intellect⁹ possibilis, vt insinuat S. Tho. 3. cōtra gent. cap. 45. Dixerat enim Arist. lib. 1. tex. 13. *Si igitur operationum animæ, vel affectuum aliquis proprius sit ipsius, fieri potest, vt ipsa anima separetur*, quòd si est aliqua animę propria operatio, anima separabilis est atq; immortalis. Modò quasi ædificans super hoc fundamentum, cùm inuenisset Aristoteles propriā intellectus agentis operationem, secundùm quam nō quādoq; in actu, quandoq; in potentia est, sed semper in actu, infert statim ex hac propria & perenni atq; separata operatione solius intellectus agentis immortalitatem, & inde animam immortalem esse: nam intellect⁹ possibilis operatio separabilis est, sicut separatur nauta à naui (nullius enim corporis est actus lib. 2. tex. 11.) gubernatio tamē nautæ non est extra nauim, sicut rectū aut sphæricum tangere planum in puncto, contingit quidem cogitatione & mente, re autem nūquam: sic intellectus possibilis operatio, etsi ratione & cōsideratione separata sit, nunquam tamen reipsa sine phātasmate cōtingit intelligere: atqui intellectus agētis operatio verè & actu separatur, non tantùm nostra consideratione secundùm eius formalem rationem, sed etiā in essendo secundùm esse reale in rerum natura. Constātissimè igitur ex intellectus agentis operatione atq; firmissimè concluditur animę rationalis immortalitas: est enim intellectus agens semper paratus ad omnia facere, velut quidam internus mentis nostræ sol, cuius irradiatio media est inter immanentem & transeuntem: non enim est omnino immanens, quia non manet in ipsomet intellectu agente (diximus suprà ipsum agentē intellectū neq; pati, neq; recipere aliquid) neq; omnino transiens, quia nō exit in externam materiam, sed superior est & altior vtraq;: communicat sanè cum immanente, quia in ipsa anima manet, & horum est operatio: cum transeunte autem cōuenit, quòd phantasmata illustrat, & sua irradiatione in tellectum possibilem exornat, absolutè tamen immanens est. Occurrit Aristoteles tacitæ obiectioni, quare cùm intellectus agēs semper fit in actu & immortalis, post mortem non reminiscamur? Respōdetq; facilè, quoniam post mortem non manet idē modus intelligendi (vt lib. 1. tex. 65. & 66. dixerat) recordari enim nō est sine sensu, qui secundùm imaginatiuam seruit ad intelligentiam, secundùm cogitatiuam ad componendum mirabilia, secundùm memoriā ad intelligendum hæc ipsa, secūdùm quòd quodam tenus habitudini temporis obligātur: ideo animæ separatæ non recordantur eorum, quæ hîc viuentes nouimus: quoniā intellectus passiuus, id est, imaginatiua extinguitur, sine qua anima separata nil intelligit, non absolutè, sed secundùm quid ad eum modum, quo hîc coniuncta intelligebat. Itaq; apertè non definit animam manere, aut non manere separatam (nō enim erat de hoc dubitatio) neque si species hîc acquisitæ maneant, necne (quia non est ad propositum) certum tamen est, ipsas non corrumpi ad corruptionem subiecti, cùm anima sit immortalis: neq; ab aliquo contrario, quia nullum tale habent accidentia spiritualia: nec ob dependentiam à phantasmatibus: quoniam postquàm semel producuntur species intelligibiles, à solo intellectu agente & possibili cōseruari possunt: ideo suprà tex. 6. dicebatur, intellectū possibilem esse locum & thesaurum specierū: supponit ergo animam manere post mortem, & conseruari posse species, quod directè & secūdùm doctrinæ consequentiā determinat esse. Idcirco licet intellectus agēs maneat post mortem, & semper in actu sit, non tamen recordamur vt in hac via: quia iste modus intelligendi per ordinē ad phātasmata corrumpitur: & ita cogitatiuam vocat intellectum, quatenus intellectui ministrat & rationem participat, vt lib. 1. Ethic. cap. vltimo & lib. 6. Ethic. cap. 1. quòd sensus obedit rationi: quamuis ergo sit perpetuus intellectus agens, obliuiscitur eorum, quæ

Nota pro aīæ immortalitate li. 1. text. 13. vt infrà quæst. de immortalitat. aīæ loco 10.

Operatio intellect⁹ agentis.

Cur post mortē nō reminiscimur.

Aliud determinat Aristot. aliud tacuit.

quæ hic aguntur, quatenus ea non intelligit conuersione ad phantasmata, sicut dicit. Forsasse, nisi mea me fallit coniectura, vult ostendere etiam, quòd intellectus agens est nobis coniunctus, & non extrinsecùs copulatus per ordinē ad phantasmata (vt quorundam opinio habet, cuius postea autor habetur Aristotelis Commentator) nam intellectus agēs, etiam dum est separatus, nobis coniungitur, & tamen non per habitudinem ad aliqua phantasmata. Sed verior mihi sensus esse videtur, vt contra Platonem loquatur, qui intellectū agentem separatū ponebat, & possibilem à principio ideis, rerúmq; formis imbutū in corpus descendere: quare volebat nostrum scire quoddam esse reminisci. Cui errori obuiam exit Arist. quia cùm dictum sit intellectum possibilē esse sicut tabulā rasam: & quanuis intellectus agens perpetuò & perenniter agere ponatur, non sequitur, quòd nostrum scire reminisci sit: siquidem reminisci non sequitur ad intellectum agentem, qui perpetuò est in actu, sed ad possibile, qui quandoq; est in actu, quandoq; est in potentia: & sicut intellectus agens omnino expers est passionis, ita possibilis eiusdem est particeps, qui sine phantasia (quam vocat passiuum vel corruptiuum intellectū) nil prorsus intelligit. Quare non putat Aristoteles, intellectum agentem in fatuis, dormientibus & alijs impeditis intelligere posse propter impedimentum & ligationē intellectus possibilis. Idcirco neq; ego puto Aristotelem post mortem loqui (nullum tale verbū est in texto) sed loquitur in hac vita & de nobis, & nō de intellectu nec de anima, sed de hominibus, cùm dicat, *Nō autem recordamur, &c.* nā si de intellectu post mortem loqueretur, quorsum de cogitatiua, quæ tunc non est, mentionem fecisset? nonne vides quàm extra propositū sit ista expositio? Et sic Aristoteles neque variat neq; mutat doctrinæ cursum, sed à principio ad finem capitis vna eadémq; firma & constanti sententia de constitutione intellectus agentis diligentissimè definit: quoniam cùm in rebus non inexistant nisi sensibilia, intelligibilium autem nullum sit, necessariam esse animæ facultatem quampiā, quæ obiectum mētis vniuersale separet & constituat, quæ ob id quòd actu est separabilis, erit immista & impassibilis: quare per ipsam intellectus possibilis in actu constituetur, quia prior est ex eo quòd est agens & in actu, ideo veriùs separata & immortalior: hinc autem post mortem non recordamur (veriùs legendum absolutè non recordamur, vt dixi) quoniā sine phantasmatibus anima ad eundem modum non intelligit. Hæc est literæ connexio, quam cupio lectori maximè pbaru videtur enim mihi clara & aperta Aristotelis mens: quam ob causam summam capitis subijciam, antequam ad quæstionum examen accedam.

Altera in- (margin)

Propria et genuina expositio.

Epilogus & totius capitis cō prehēsio.

SVMMA CAPITIS.

Tres conclusiones continet, Prima, esse intellectum agentem, quid sit, & cuius gratia. Secunda, qualis sit, per aliquot eius proprietates. Tertia, quòd agens intellectus à possibili non solùm vt in potentia, sed vt in actu distinguitur. Demq; tacitæ occurrit obiectioni.

1.conclu. *Cùm in omni natura, vbi aliquid est omnia fieri, respondeat in ipsa aliquid, quod sit omnia facere, præter positum intellectū possibile ad omnia intelligibilia percipienda, constituendus est agens intellectus, qui omnia illa agat, qui ad intelligibilia, vt ars ad materiam, lumen ad colores, se habebit.* 2.conclu. *¶ Si intellectus possibilis separabilis, immistus & impassibilis ex dictis est, potiori iure agens, quia actus est, ideo potentia præstantior.* 3.conclu. *¶ Intellectus agens non est idem quod possibilis, iste in actu factus: quia quidē non est idem re, neque quandoq; intelligit, quandoq; non, sed semper: quoniam vterq; vtrumq; immortalis atq; perpetuus.* Tacitæ obiectionis solutio. *¶ Quo fit, vt post mortem non reminiscamur, quia per alium modū intelligit anima, nēpe sine phantasmatibus. Vel melius non recordamur (vt vult Plato) quia agens intellectus passionē vacat, possibilis autem sine cogitatiua nihil intelligit.*

Attende Autoris sensū elegantiorē.

QVAESTIO
De intellectu agente.

Recta doctrinæ methodus non patitur, vt in loco tam proprio & accōmodato nō expectamus veritatem hanc peripateticam de intellectu agente: præpostere enim in alium differretur locum. Grauissima igitur est hæc difficultas, & quæ plurimos torsit. Principiò, quia si non ponitur sensus agēs, videtur q non ponatur intellectus agens: 1.ratio. à simili

à simili patet, quia sicut sensus se habet ad sensibilia, ita intellectus ad intelligibilia.

2. ratio. Deinde, quoniam iam quòd esset intellectus agens, non probat Aristoteles, quòd sit potentia ab intellectu possibili realiter distincta: sat enim erit, quòd formaliter aut sola ratione distinguatur, cùm obiecta non usque adeo seiuncta sint.

3. ratio. Adhæc, quia dubium est, an ipsius intellectus agentis sit aliqua operatio, nécne? & an per illam intelligat, an non? & quomodo phantasma ipsum, quod materiale est, faciat immateriale & intelligibile? quia non abstrahendo, siquidem phātasmata propter actionem intellectus agentis non mutantur, sed manēt in eodem esse.

Confirmatio 1. Confirmatur, quia lumen intellectus agentis se habet ad phantasmata, sicut lumen ad colores: requiretur ergo vel propter medium, aut propter phantasma, quod habet vicem obiecti, aut propter ipsum intellectum possibilem: non primum, quia medium nullum est, cùm ibi non sit situs neq; distantia, sed tantùm est ordo potentiarum: neq; secundum, quia si in phantasmate nō recipitur lumen intellectus agētis, non poterit per ipsum phantasma præparari: si autem recipiatur, vel lumen illud est materiale, & sic non depurabit phantasmata, sed materialia qualia inuenit relinquet: si autem immateriale, non poterit recipi immateriale lumen in phātasmate materiali: nec tertium dandum est, quoniā immaterialitas possibilis intellectus, sufficit ad recipiendam speciem: ergo non est necessaria alia illustratio, aut formarum separatio, quæ per intellectum agentem fiat.

Confir. 2. Cōfirmatur etiam, quia sequeretur, animā simul esse in potētia ad omnia fieri, & in actu ad omnia facere; non ergo est unde intellectus agens requiratur: quoniam virtus possibilis intellectus abstracta est & immaterialis: poterit igitur recipere sine actione intellectus agentis: quia sicut visus albedinem lactis sine dulcedine eiusdem videt, ita intellectus percipiet quidditatem sine cōditionibus materialibus.

4. ratio. Tum etiam, quia Aristoteles dicit tex. 18. intellectum agentem esse habitum, & non cōstat, an actiuus sit: Vtrumuis dederis, magnum sequitur incommodum: quoniam nō est actiuus, quia eius actio non est immanens, sed instar artis & luminis, vt docet Aristoteles: neq; factiuus, cùm non transeat in externam materiam.

Confir. Cōfirmatur, quia omnis habitus inclinat & propendit, vt sibi simile producat: sed intellectus agens imprimit suam actionem in possibilem tribuendo speciē & formam: quare non tantùm esset habitus, sed etiam ab ipso intellectu agente effluerent species in possibilem: vnde superuacanea & superflua essent phantasmata.

Tandem (vt multa alia omittam) oporteret quærere ab Aristotele, quid sit intellectum agentem phantasmata illuminare, cùm talis luminis ipsa phantasmata capacia non sint: est enim lumen spirituale, & phantasma materiale: quare non minùs possibilis intellectus cōuerteretur ad speculationem ante illuminationem intellectus agentis, quàm post ipsam irradiationē, cùm semper phantasmata inuariata maneant. Hęc sufficiant argumēta, ad quæ omnia dubia de hac materia facilè reducūtur.

In oppositum tamen est doctrina Aristotelis in pręsenti capite, qua intellectum agentem necessarium esse docet. Etenim conclusio huius quæstionis respōsiua affirmatiua est, in qua omnes, quotquot fuêre, cōueniunt, vno aut altero dempto, vt Durādo in 1. d. 3. q. 5. & Ioāne Pico Mirandulano, qui Platonem sequuti sunt, diuersa tamen ratione moti. Communis tamen conceptio est, agentem esse intellectū, & necessariū vltra intellectum alium, quē vocant possibilem. In hoc tamen discrimen est, quòd Aristoteles dicit & docet intellectum agentem nō esse separatum aliquem intellectum, sed propriam animæ differentiam & facultatem (vt in enarratione capitis huius latè deduximus) quia intelligere actio est homini propria, ergo à propria facultate (vt lib. 2. cōtra gent. cap. 76.) etenim intelligere proprius effectus est & actio hominis: ergo in eodem ordine debet habere intellectum possibilem, & agentem in eodem genere: alioqui non esset homo dominus suarum operationum, neq; in sua potestate haberet, vt volūtariè cogitaret, quādo in seipso propriis operationis proprium principium non haberet: res est certa, & in expositione capitis latius deducta. *Intellect⁹ agens propria est hominis facultas.*

Vnum tamen scito, sanctum Thomam innumeras de hac re opiniones ad tria capita reduxisse, duo scilicet extrema: vnum Platonis negantis intellectum agentem, quia sunt vniuersalia separata, quæ mouere possunt intellectum possibilem. Alterum fuit Democriti, qui intellectum à sensu non separauit. Sed tertium est Aristotelis media via incedentis, *Tres omniū opinionum radices.*

dentis: nec enim intelligibilia separata ab indiuiduis cognoscit, vt Plato, & intellectum differre à sensu fatetur contra Democritum: ob id cùm phantasmata materialia non possint intellectum possibilem immutare, necessaria est in anima facultas, per quam reddātur habilia, vt materia sint intellectionis; vide S. Tho. 1. p. q. 84. art. 6. Quare hac breui opinionū collectione facilius totam hāc materiam comprehendes, si intelligas principia, vnde declinare cœperunt autores, & à quibus Aristoteles cœpit intellectum agentem indagare, nimirū ex suo obiecto, munere atq; officio: nam cùm

Intellect⁹ agēs à possibili distinguitur.

mēs vniuersaliū sit, quorū nullum est extra animam, at sēsus siue interior, siue exterior nō percipiat nisi singulare materiale, colligitur, quòd phantasia, quæ suprema est pars sensitiua intellectui proximè colligata, cùm materialis sit & singularis, per se intellectū immutare non poterit: necessaria igitur erit alia vis & animæ facultas, quę possit quidditatem intelligibilem in phantasmate latentem deprimere, cuius possit esse intellectio: hanc autem vnus intellectus agit, alter recipit: ergo vterq; intellectus erit necessarius, & vnus ab altero distinctus, vt patet ex diuersitate actus & potentiæ, & ex ratione agēdi & patiēdi. Per hūc modū intellectus agens ponitur necessarius, vt sui luminis irradiatione rerum quidditates apparere faciat; vniuersaléq; constituat intelligibile, & vt intelligatur accōmodatum, qui nunquam ab actu cessat: non quòd semper intelligamus, sed quòd quantum est ex parte agētis intellectus semper intelligerem⁹, si phantasmata prompta essent, & reliqua cessarent impedimenta propter ligamentū sensus (1. p. q. 84. ar. 8.) suapte tamē natura semper suppeditat, vnde intelligamus. Ne tamen rem hanc repetamus, aut sine ordine referamus, placet breuiùs, distinctiùs & faciliùs quæstionem hāc resoluere, proposita argumenta soluendo: contrariorum enim solutiones veritatis erunt confirmationes.

Ad primam rationem. Non datur sensus agens.

Ad primum latè diximus lib. 2. c. 5. quare sensus agens non sit ponendus, & quod sensibile est proportionatū sensui, & in suo genere perfectius, quia est in actu: potentia verò ab illo perficitur & actuatur. Sententia est Aristotelis lib. 12. Meta. tex. 51. vbi probat intelligibile præstantius esse intellectu: nam nobilitas intellectus ex nobilitate pēdet intelligibilis: ideo probat, quòd Deus est suum intelligibile, alioqui perficeretur ab aliquo extrinseco. Quare optimè comparantur sensus & intellectus in hoc, quòd vterq; est potentia passiua & vtraq; perficitur, dum patitur ab obiecto: obiectum ergo vtriusq; præstātius est ipsa potentia, quoniam est actiuum: agens autē (vt hîc tex. 19. habetur) honorabilius est & præstantius patiente: si autem sensibile sine sensu agente sufficit mouere sensum, non autem intelligibile, sed indiget intellectu agēte, hoc prouenit ex eo, quòd sensibilia, quæ sentiuntur, singularia sunt, & in rebus existentia: at intelligibilia vniuersalia sunt, quæ in rebus non inexistūt à singularibus separata, nisi sola intellectus operatione: & hoc est munus intellectus agentis constituere vniuersale intelligibile, quod in rerū natura sine intellectu non erat: cętera lib. 2. loco citato, vbi de sensu agente.

Ad 2. argu.

Ad secundum sat dictum est in enarratione capitis: res enim certissima est, & cōstantissimè deducitur ex doctrina S. Tho. 1. p. quæst. 77. artic. 1. & ex ratione actus & potentiæ, & quia impossibile est idem secundùm idem agere & pati: quod enim in corpore fit per membrorum diuersitatem, in aīa per facultates diuersas, quæ habent correspondentiā ad materiam & formam, cùm vna agat, altera patiatur, vna sit actus, altera potentia.

Intellect⁹ agens & possibilis realiter distinguuntur.

Quare ex diuersitate actionis & modi diuersitas obiecti colligitur, cùm vna ad agēdum, altera ad patiendum ordinetur, vt S. Tho. ibidem art. 3. & Arist. 2. huius tex. 33. per obiectum distinguit potētias: actiuę autem & passiuæ potentiæ non est idē obiectum, vt 9. Metaph. tex. 2. potentia patiēdi est ab alio inquantum aliud, & potentia agendi in aliud inquantum aliud: non est ergo idem obiectum secūdùm idem, vt ibi S. Thom. exponit. Quare intellectus agens & possibilis potentiæ sunt animæ, tum ab ipsa anima, tum etiam inter sese realiter distinctæ: neque sufficit sola distinctio rationis, vt placebat Themistio.

Ad tertiū argu.

Ad tertiū, quod cum suis confirmationibus præcipuas huius rei difficultates inquirit, paulò latiùs & distinctiùs respondere oportet. Et ad principale dico primò, quòd intellectus agens propriam habet operationem circa phantasmata & intellectum possibilem, persimilem ei, quam lumen externum circa colores & visum exercet: irradiat enim phantasmata, & facit quidditatem apparere, & intel-

Propria operatio intellect⁹ agentis.

intelligibile cõstituit, vt actu immutare valeat intellectum possibilem, quem etiam possibilem intellectum suo fulgoris splendore perfundit. Secũdò in particulari dico, hanc operationem intellectus agentis non esse intellectionẽ, ita vt per eam ipse patiatur & intelligere dicatur, nisi eo modo, quem ad finẽ tex. 19. latè habes: Hæc duo, quæ petebat argumẽtum, clara sunt & iam soluta. Tertiam petit difficultatem, quid circa phãtasmata agat hæc intellectus agẽtis irradiatio? Hoc opus hic labor est, neq; est vna omnium sententia: mirè enim variant & discrepant autores: quæ quia longum & inutile esset recensere, quo potero, dilucidiùs referam quæ magis mihi rationi consentanea esse videtur. Principiò (vt certa ab incertis seiungamus, & incipiamus à communioribus, quæ ab omnibus recipiuntur) certum & indubitatũ est apud omnes, intellectum agẽtem, cùm lumen quoddam sit, illuminare sic absolutè, siue recipiatur, siue non recipiatur in phantasmate (hæc enim res dubia est, de qua modò abstineo, statim seorsum dicam) & cùm phantasma & rei sit singularis (verbi gratia, Petri) & in quo sua est quidditas & ratio speciei (licet nullus sensus, siue interior, siue exterior substãtiam cognoscat, sed solùm accidens, tamen accidentia, quæ maximam partem conferunt ad cognoscendum quodquid est lib. 1. tex. 11. consignant substantiã, & eam circunscribunt & faciunt quodãmodo sensibilem, etsi per accidẽs lib. 2. cap. 6. tex. 65. itaq; sub illis inuolucris accidentium substantia inclusa est, vt homo sub proprijs vestimentis) at lumen phantasiæ, quoniam est debilius, tantùm ostendet Petri phantasma singulare & materiale secundùm externam apparentiam: accedens autem lumen intellectus agentis, quoniam superius est & immaterialius, facit, vt in illo ipso phãtasmate Petri reluceat quidditas hominis interiùs residens: quia phantasma illud, & Petri, & hominis est. Sũt enim hæc duo lumina phãtasiæ & intellectus sicut Lunæ & Solis lumen, vbi Sol propter maiorẽ luminis præstantiam plura ostendit, quæ non apparent sub lumine Lunæ. Quid igitur mirũ, quòd accedente lumine intellectus agentis resplẽdeat quidditas vniuersalis, quæ sub lumine phantasiæ, veluti in obscuro, latebat? & sic vniuersale, quod sub singulari continetur, percipitur: in Petro enim homo est & ratio

Intellect' agens nõ intelligit.

Inuariato phãtasmate, pulchra collatione Solis & Lunæ constituitur intelligibile.

Sensibile phãtasma quod per se soli' est accidẽtis, inuoluit quodquid est substãtiæ infrà q. 3. ad c. 3.

Pulchra luminum analogia & collatio.

eius, & phantasma Petri (quòd ex figura & cæteris accidẽtibus colligit stigmata, quibus singulare phãtasma Petri significatur) phantasma etiam hominis est, sed non apparet sensui, ppter eius luminis debilitatẽ & materialitatẽ, & illustrante agente intellectu, à possibili percipitur, nõ à sensu: quia intellectui & non sensui proportione accõmodatur: & hoc est intellectum agentem abstrahere vniuersale à particulari, nõ per realem decisionem, aut materialem depurationem, aut aliquam detractionem, sed tantùm per quandam ostensionem & apparitionem eius, quod latitabat, & subindicabatur, quo vniuersale attingitur ab intellectu, non considerato neq; intellecto singulari: ideo non mutatur, nec variatur phantasma, vt putabat Durandus, sed quia sub diuerso lumine diuersa & diuersimodè ostenduntur: vt enim est consentaneum rationi, q Sol plura ostendat quàm Luna, sic agens intellectus plura & præstantiora ostẽdit quàm phantasia: & hoc est, quod dicitur abstrahere intellectus agens, vnum scilicet ostendere, alterum verò non, quod fit sine mendacio (1. p. q. 85. art. 1. ad 1.) sicut cùm videmus colorem non viso sapore, sic intellectu percipimus quidditatem & vniuersale, non perceptis per intellectum materiali & singularis: hoc enim modo inuariatum phantasma redditur & constituitur intelligibile: quibus soluta est tertia ratio sine alicuius offensione. Veniamus igitur ad cõfirmationes, in quibus dissensio est, quas etiam oportet planè & distinctè declarare. In prima enim confirmatione proceditur ex cõparatione inter intellectum agentẽ & lumen externũ, de quo diximus lib. 2. c. 7. requiri formaliter propter mediũ actuãdũ, obiectiuè propter colores perficiẽdos, quibus vim confert, vt possint visum mouere: atq; adeo etiam propter ipsam potentiam visus, quæ non est capax specierum, nisi illuminetur, cùm color non sit nisi diaphani motiuus: magis tamen requiritur propter obiectum, quod est velut fons & origo cognitionis, iuxta ea quæ dicebamus hîc in solutione ad primum, quòd in potẽtijs passiuis obiectum habet rationem actiui & generantis: itaq; lumen propter tria ista requiritur, diuerso tamen modo. Pari proportione de lumine intellectus agentis philosophandum nobis erit, concedendo requiri propter tria illa, quæ in argumento petuntur:

Abstrahere quid.

Durand.

Ad primã cõfirmatione.

Resumitur doctrina de indigentia luminis ex c. 7. lib. 2.

Officia tria luminis intellectualis

ex propor tione luminis externi expenduntur, & primò requiritur propter phantasmata.

tur: nam sicut lumen externum requiritur propter colores obiectiuè, sic lumen intellectus agentis requisitum est propter ipsa phātasmata, vt obiectū intelligibile, quod in ipsis latet, appareat (est enim phantasma materia obiecti) & sicut lumen externum in colore formaliter non recipitur, sed tantùm coniungitur effectiuè conferendo efficaciam & vigorem, vt moueat, sic lumen intellectus agentis in phantasmate non recipitur formaliter, nisi quatenus vim tribuit, vt per maius illud & præstantius lumen quidditas, quæ latebat, depromatur, vt intellectui possibili apparere possit sub lumine superiori, quàm sit lumen sensus, sub quo non apparet quodquid est: & hoc est abstrahere siue separare, aut intelligibile constituere cognoscibile in re indiuiduali & materiali, indiuiduo & singulari non cognito (1. p. q. 85. art. 1.) hoc est, cognoscere quidditatem in indiuiduo, non prout in indiuiduo existit, sicut dicebamus cognoscere colorem pomi non cognito sapore, abstractio est sine reali spoliatione aut denudatione: cōsistit igitur ista abstractio in sola relucentia vnius, & non alterius. Quare lumen intellectus agentis requiritur propter phantasma, vt sub illo latitans quidditas, & occultatum intelligibile obiectū refulgeat: quoniam phantasma materia est intelligibilis & intellectionis: propter quod anima in hac vita adeò colligata est phantasmatibus, vt sine ipsis nihil vnquam intelligere possit: est enim anima nostra media inter separatas, vt sunt angeli, & inter coniunctas, vt est alia sensitiua, & ita aliquid de vtroq; participat: quia & vniuersale cognoscit, quod est in materia indiuiduali, à qua tamē lumine intellectus agentis abstrahitur: necessarium ergo est propter phātasma & ex parte obiecti, vt sicut lumen colores visibiles in potētia actu visibiles reddit, sic istud lumen intellectus agētis intelligibilia in potentia, quæ in ipsis delitescunt, facit intelligibilia actu. Quare sic poterunt phātasmata præparari, vt habilia fiant instrumenta, aut materia intellectionis, sine hoc quòd lumen intellectus, quod immateriale est, materialiter aut immaterialiter recipiatur in ipso: tantùm enim coniunguntur & fiunt vnum, sicut lumen externum cum colore in genere causæ efficientis. Hanc autē phantasmatis efficientiam postea exponemus, si solùm sit instrumentalis, an etiam principalis, an tantùm se habeat vt materia, aut quo alio modo cum intellectu agente vniatur.

Qualiter intellect⁹ agens abstrahat.

Secūdò lumen intellect⁹ agētis proportionabiliter requiritur propter mediū perinde ac lumē externum.

Aliud, quod petitur in confirmatione prima de exigentia luminis propter medium in lumine externo, res est certa requiri ad actuandum formaliter medium (de quo lib. 2. cap. 7.) tamen cùm in anima nullum sit medium aut distantia, & intellectus agētis lumen immateriale sit, non videtur, quo modo propter medium exigatur: sed videtur mihi, quòd licet nulla sit distantia loci, aut aliqua intercapedo corporis: & quia in spiritualibus idem facit ordo, quod in corporalibus operatur situs, fit, vt lumen intellectus agentis requiratur etiam propter medium, non quidem corporalis distantiæ, sed propter mediū ordinis & habitudinis: nisi enim lumen intellectus agentis inter phantasma & intellectū possibilē mediaret, nūquam intellectio perficeretur. Propter hoc igitur mediationis genus secundùm ordinem & habitudinem requiritur lumen intellectus agentis, quod est forma perficiēs phantasmata, quæ habilia & capacia reddit, vt vigorem habeant, vt possint intellectum possibilem secundùm quidditatem, quę in ipsis est, immutare: & hoc est mediū quoddam proportionale, propter quod requiritur intellectus agentis lumē: est enim ibi virtualis quædam mediatio, non situalis, aut corporalis. Quod autem tertiò in eadem confirmatione petitur, si requiratur propter potentiam, certum est de lumine externo, quod, nisi visus diaphanus sit, non poterit moueri à colore, qui ab Aristotele definitur in 2. lib. tex. 67. motiuus diaphani & perspicui: sine lumine ergo visus non patietur à colore. Pari igitur rerum consequētia dicamus oportet, lumen intellectus agētis requiri ex parte potentiæ, vt sit capax quidditatis immaterialis: tam cùm intellect⁹ agēs forma sit actiua & perfectiua intelligibilitatis, fons & origo intellectionis, sit, vt sicut sine ipsius lumine phantasma non potest mouere intellectum possibilem, ita nisi ipse intellectus possibilis ab agente illustretur & fulgore suo perfundatur, speciē intelligibilem recipere nō possit: quoniam lumen intellectus agentis non tantùm ex parte obiecti facit in actu esse ea intelligibilia, quæ erant in potentia, atq; ex parte medij proportionem & ordinem recipiūt, vt intellectui possibili accommodetur, sed etiam ipsum intellectum possibilē actuat,

Tertiò lumen intellectus agentis requiritur propter intellectum possibilē.

vt

vt illa potentialis immaterialitas posſibilis intellectus præparetur & disponatur ad recipiendam ſpeciem,& virtutem accipiat ad intelligendum:& ſic omnis virtus ad intelligendũ originaliter ſit ab intellectu agente,qui tex.19.dicitur præſtãtior,& tex.20. ſemper agere & in actu eſſe. Ducor in hanc ſententiam ex ſimilitudine viſus, qui, niſi recepto lumine,perſpicuus ſit,coloris imaginem non recipiet,cùm color non ſit motiuus niſi perſpicui. Rurſus quia intellectus posſibilis tabula raſa eſt & pura potentia (vt cap.1.huius dictũ eſt)indiget ergo actu & influxu intellectus agentis: ſine motione enim ipſius tanquam primi mouentis nunquam recipiet ſpeciem intelligibilem: neceſſum ergo eſt, ante ſpeciei intelligibilis receptionem,anteire influxũ & motionem intellectus agentis. Et ſi licet magna paruis cõponere,ſimile habemus 1.p.q.12. art.5.quòd ad videndum Deum requiritur lumen gloriæ, quod disponat & eleuet intellectum, vt ibidem latiùs habes: ergo vt intellectus posſibilis exuatur à ſua potentialitate & in actũ proferatur,neceſſum eſt, vt ab intellectu agente aſſumatur & moueatur tanquam à fonte & principio omnis intellectionis: niſi velis aliquam actionem ibi eſſe ſine primo mouente. Præterea cogor id dicere:quia ſi lumen intellectus agẽtis,quod ab ipſo egreditur, ſicut lumen à Sole, & non recipitur in ipſo tanquam in ſubiecto,neque in phantaſmate,vt dictum eſt:quia immateriale lumen non poteſt recipi in phantaſmate materiali: reciperetur enim materialiter ad modum ipſius phantaſmatis:& cùm nullum ſit medium,in quo recipiatur, ſupereſt, neceſſariò lumen intellectus agentis, quod accidens eſt ipſius, aut ſine aliquo ſubiecto manere(quod vetat natura) aut in intellectu posſibili tanquam in ſubiecto eſſe,quod eſt noſtrũ propoſitum. Tandem adducor ad id:quoniam ſi intellectus agentis illuminatio tantùm eſſet neceſſaria propter phantaſmata,in anima ſeparata,fruſtra eſſet & ſine aliqua functione contra Ariſtotelẽ in hoc cap.tex.20. dicentem intellectus agentis operationem perẽnem eſſe:& quòd ſi ipſa manente poſt mortem non recordamur, ideo eſt, quòd phantaſia perit,non quòd intellectus agẽtis actio corrumpatur:ob id ex hac operatione intellectus agentis (quæ ſemper & prius conuenit,& in omni ſtatu animæ reperitur)efficaciùs animæ immortalitas cõcludebatur. Quam ob cauſam S.Thom.2. contra gent.cap.45. docet,lumen intellectus agentis neceſſarium eſſe in anima ſeparata,vt ſubſtantiæ ſeparatæ ab ipſa intelligantur. Etenim intellectus agens non ſolùm intelligibilia in potentia facit intelligibilia in actu, ſed etiã dat intellectui posſibili virtutem ad intelligendum per modũ cuiuſdã luminis: & ita virtus animæ ad intelligendũ,tam ex intellectu agente,quàm posſibili reſultat(vide S.Thom.de anima q.vnic.art.15.) per lumen ergo intellectus agentis intellectus posſibilis remouetur à potẽtia,& ſicut oculus,ex obſcuro ad perſpicuum trahitur: quare illa immaterialitas intellectus posſibilis ſola non ſufficit,quia eſt potentialis:indiget ergo diſpoſitione & præparatione, ſicut materia prima capax eſt omnis formæ, non tamen ſine præuia diſpoſitione ipſam recipiet. Sic ſolues primam confirmationem cum omnibus ſuis particulis: tibi autem facile erit dicere pro forma argumenti: etenim ſicut communis ſenſus externis omnibus vim tribuit ſentiendi, ita agens intellectus posſibili intellectui vim tribuit recipiendi:ob id intellectus agens quaſi ſplendor & ſol animę eſt, posſibilis autem vt materia illuſtrata. Ad ſecundam confirmationem quoad primam eius partẽ nihil inconuenit animam eſſe in potẽtia per intellectum posſibilem,in actu autem per agẽtem intellectũ:quod enim in corpore per diuerſa membra fit,vt dextrũ ad mouere,ſiniſtrum ad moueri,fit in eadẽ anima per diuerſas illas virtutes agentis & patientis intellectus; non eſt ergo anima in actu & in potentia ſecundùm idem. Quoad ſecundam autem,quæ petit,quare immaterialitas intellectus posſibilis non ſufficiat,in calce præcedentis confirmationis ſufficienter dictum eſt, quòd intellectus posſibilis multis de cauſis indiget lumine intellectus agentis, vt ibidem expoſitum eſt. Exemplum autem de dulcedine & albedine non eſt ad rem, cùm reſpectu viſus ſe habeant diſparatè: albedini enim impertinens eſt dulcedo,vt viſum immutare posſit: at phãtaſma neceſſarium eſt,vt immutetur intellectus:quia nũquam per illuſtrationem intellectus agentis relucere poteſt quidditas & obiectum intelligibile, niſi ſit in aliquo materiali & ſingulari, quo ſenſus afficiatur: quidditas ergo illa nunquam mouet intel-

Ad ſecũdã cõfirmationẽ.

Anima ſimul eſt in actu et in potẽtia ſecundum diuerſa.

Quidditas materialis non mouet niſi in phãtaſmate.

intellectum, nisi coniuncta sensui & rei singulari (quod in quæstione de obiecto intellectus exactiùs manifestabimus) præterquàm quòd rem hanc quisq; in se experitur: nunquam enim possumus aliquid sine phantasmate intelligere, vt infrà à tex. 30. ad 39. itaq; phantasma nunquam transfertur de ordine sensibilium in ordinem intelligibilium, nisi intellectu agente illustrãte, vt sub illius lumine intellectui possibili reluceat quidditas vniuersalis, & quodquid est, ipsaq; substantia, sicut sub lumine phantasiæ apparet phantasma materiale, & singulare sub collectione accidentalium proprietatum sese offerebat: sed de hoc plura statim.

Ad quartã confir.

Ad quartũ facilè dicitur, quòd habitus non sumitur pro qualitate acquisita ex actibus, vt scientia: neq; pro congenita, vt est habitus principiorum; neque pro infusa, vt est fides: neq; pro naturali, quæ priuationi opponitur, vt visus dicitur habitus, cæcitas verò priuatio: sed largiùs quatenus omnis forma dicitur habitus, vt actuat subiectum, quod per formam illam promptè & faciliter aliquid operari potest: hoc modo lumẽ dicitur habitus colorum, quia ratione luminis fiunt actu visibiles & motiui diaphani potentes visum immutare, & intellectus agens habitus phãtasmatum: ratione enim ipsius phantasmata in suam exeunt operationem. Vocatur etiã habitus, quia est forma & actus, vt sic à possibili sæcernatur, qui est in hoc genere pura potentia. Rursum habitus nũcupatur, quia sicut habitibus voluntariè vtimur cùm volumus, ita intelligere in nobis est, & in nostra potestate situm facere omnia intelligibilia cùm volumus deductis impedimentis. Ob id Aristoteles dixit tex. 18. quòd intellectus agens non est absolutè habitus, sed habitus quidã perinde ac lumen: simpliciter tamen habitus non est, sed facultas & animæ potentia: quam ob causam neq; connumeratur inter habit⁹ actiuos, neq; inter factiuos. Quo autẽ modo cum arte cõueniat, dixi tex. 17. & tex. 19. quòd operatio intellectus agentis non est intelligere passiuè, nihil enim in se recipit: ob quam rationem eius actio non dicitur immanens, cùm transeat in phantasmata & intellectum possibilem: tamen quia non est in externam materiam, sed manet in ipsa anima, absolutè vocari debet immanens, vt ibidem tex. 17. dicebamus: videtur enim esse altissima intellectus agẽtis operatio, quæ & transeuntis & immanentis veritatem simul in se eminenter contineat.

Intellect⁹ agẽs quo modo sit habitus.

Ad cõfir.

Ad confirmationem iam responsum est in argumento quarto, quatenus contendit probare intellectum agentem habitum esse. Sed quatenus secundò addit, quòd species intelligibiles effluerent ab intellectu agenti sine phantasmate, negandum est: secundùm doctrinam positam in secunda cõfirmatione præcedentis argumenti. Siue enim phantasma tantùm se habeat vt materia, siue adhuc causa sit instrumentalis intellectionis, vt alij volunt: siue principium tantùm sit motiuũ, vt alijs placet: siue non tantùm motiuum, sed etiam effectiuũ, perfectiuum atq; intellectionis completiuum in virtute intellectus agentis (tot enim sunt modi dicẽdi, de quibus statim dicam, quod sentio) tamen cõcors est & vna omniũ sententia, quòd sine phantasmate nihil intelligimus: quare non effluunt à solo intellectu agente species sine phantasmate, neq; phantasma sine lumine intellectus agentis, quod ipsa phantasmata illustrat: non sunt ergo superflua phantasmata, sed valde necessaria. Est enim lumen intellectus agentis veluti vniuersalis causa & æquiuoca, ideo ei non assimilatur effectus & species intelligibilis; sed phantasmati assimilatur effectus: quia est agens vniuocum, suam imprimens speciem; habet se intellectus agẽs ad phantasmata, sicut lumen ad colores, quod colores non variat, sed illustrat: sic in re proposita. E conuerso enim quidditas in phantasmate relucens in ordine ad intellectum possibilem se habet sicut colores ad visum: quare sicut lumen facit colores visibiles, colori tamẽ assimilatur visio, ita intellectus agens facit intelligibile in actu tribuendo immaterialitatẽ: phãtasmati verò assimilatur intellectio, quia speciem & formam sui similem tribuit: inde etiam specificatur ab illa quidditate in phantasmate relucente propter irradiationem intellect⁹ agentis. Quare nemo est, qui hanc doctrinam percalleat, quòd dicere audeat intellectum agentem superfluũ, aut phantasmata superuacanea esse, cùm tanta sit phantasmatis & intellectus agentis ad intelligẽdum subordinatio & necessaria connexio.

Variæ opiniones de concursu phantasmatis.

Intellect⁹ agentis et phantasmatis cõnexio.

Cætera autem, quæ grauissima sunt, & vnde & quo modo species intelligibiles producantur, iam dicemus in solutione ad vltimum. Ad quod dico primò secundùm id, quòd

Ad quintam.

Intellect⁹ agẽs obiectiuè phãtasma illuminat.

quòd superficie tenus quærit, quòd intellectus agens non illuminat phantasmata formaliter, id est, lumine recepto in ipsis: quoniam cùm phãtasmata materialia sint, lumen intellectus agẽtis, quod immateriale est, nõ potest in ipsis subiectari, vnumquodq; enim recipitur ad modum recipientis: esset igitur lumen in phantasmate diuisibiliter & materialiter, quod eius naturæ repugnat: illuminantur tamen phantasmata ab intellectu agente obiectiuè, sicut colores à lumine externo obiectiuè illustrantur: quare necessaria est hæc illuminatio, vt fiat intellectio, ante quam nõ contingit intelligere; sicut nec videre colores non illuminatos. Et cùm amplius quæritur, quid sit intellectum conuerti ad phantasma & ipsum speculari? Respondetur, quòd non est quidditatem in phantasmate tanquam in speculo conspicere, perinde ac cùm quis imaginem videt in speculo, vbi simul cum imaginẽ speculum conspicitur: phantasma autem directè ab intellectu non intelligitur, propterea quòd materiale est & singulare: sed ideo conuertitur ad phantasma, quia nõ potest vniuersale percipi, nisi per cõtinuationem ad phantasiã: Ratio est, quia cùm vniuersalia extra singularia non existant, cognosci non possunt nisi cum habitudine ad aliquod singulare, in quo subsistunt, quod singulare sensu & imaginatione percipimus: quare nil eliud est intellectum se ad phantasmata conuertere, quàm suo imperio & voluntatis motione phantasiam cõmouere ad formandum phãtasma aliquod illius singularis, quod cognoscere cupit: & ita illud phantasma, vt singulare, phantasiam afficit, & in ipso iam per intellectum agentem illustrato quidditas relucet, & habitudo est ad intellectum possibilem, cui iam quidditatem relucentem ostendit: quæ quidditas resplẽdet vt intelligibile obiectũ quidditatiuũ, vt in intellectu possibili producatur intelligibile formale, quod est species. Hanc vim mouendi per suam irradiationẽ phantasmati tribuit intellectus agẽs: sic tamen, vt adhuc phantasmate illustrato, quod est rei singularis similitudo, à phantasia percipiatur, sed quidditas relucẽs ab intellectu consideratur: vnumquodq; enim est in accommodato subiecto, & apparet sub proportionato lumine. Sed hæc solutio, quæ vera est & communis, in se plurima inuoluit dubia, Primò id, quod in phãtasmate singulare relucet; quomodo erit vniuersale? & si phantasma est materiale, quî fieri poterit, vt quidditas ipsa abstracta sit & immaterialis? Deinde quomodo quidditas immaterialis & vniuersalis in re materiali & singulari esse potest? Mox dubiũ est, quomodo cum intellectu agente ad intellectionem concurrat; vt causa sine qua non, & per accidens? & si per se causa est, si instrumentalis, aut principalis? Tum etiam si moueat intellectum possibilem, atq; perfectè compleat intellectionem, eamq; terminet? Ad hæc quare species intelligibiles necessariæ sint, cùm videatur illa quidditas in phantasmate relucens sufficere? vnde superfluæ videtur species intelligibiles? Rursum iam quòd species intelligibiles necessariæ sint, inuestigandum est, vnde educantur, & quo agente, & in quo susceptiuo, & quomodo à phantasmate pendeant? & si ab intellectu agente effluant, vt extrinsecùs videantur in intellectum possibilem ingredi, aut potiùs ab intellectu possibili, sicut à propria sua potẽtia, educi? Demũ an illa quidditas in phantasmate relucens sit id, quod intelligitur, an potiùs species ipsæ intelligibiles, seu aliquod tertiũ ab intellectu productum, quod speciem expressam, aut verbum mentis appellant? Grauia sunt ista dubia & difficillima, quibus non tantùm pugna redintegrari videtur, verùm & vulnera recrudescere. Vt tamen omnia ista dubia apertè & verè soluãtur, & peripatetica doctrina constet, placet mihi modum dicendi Caietani tanquam fundamentum proponere, vnde isthæc omnia non tantùm breuiter, sed dilucidè exponantur. Caietanus 1.p.q.79.art.3. in ea est sententia, quòd phãtasmate obiectiuè illustrato resplendet in ipso quidditas & natura, quæ intellectui apparet, non tamen singularitas ipsius: & hæc est abstractio, quam facit illuminatio intellectus agentis. Secundò hæc quidditas prius natura intelligitur effectus intellectus agentis, quàm species intelligibilis in intellectu possibili producatur: nam illa quidditas obiectiuè se habet: ergo ordine naturæ præcedere debet. Tertiò quòd intellectum agentem facere phãtasma, quæ sunt intelligibilia in potentia, vt sint intelligibilia in actu, non est quòd ipsum phantasma aliquo modo fiat intelligibile, cùm sit singulare, materiale & de genere sensibilium, sed quòd in phantasmate illustrato reluceat actu intelligibile:

Intellectũ cõuerti ad speculãdum phantasma quid sit.

Obserua plures difficultates ex solutione propositæ quæst. emergentes.

Prima. *Secunda.* *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.* *Sexta.* *Septima.*

Caiet. opinio ab Autore legitimè exposita assumitur pro fundamẽto ad soluẽdas præ dictas difficultates

ligibile: sicut ergo respectu visus color obiectiuè præcedit speciem visibilē, & color nō mouet visum, nisi illuminatus, ita quidditas in phantasmate illustrato apparens prior est specie intelligibili, & phantasma mouet per illam quidditatem in ipso ratione illustrationis apparentem: Hæc videtur esse opinio etiam S. Thom. 2. contra gent. cap. 77. dum dicit, quòd actio intellectus agentis in phantasmate præcedit receptionem intellectus possibilis. Quartò, quòd intelligibile in actu est duplex, vnū est obiectiuū, vt quidditas illa in phātasma te relucens: alterum formale, vt species intelligibilis: quæ duo intelligibilia differunt, quoniā posterius intelligibile formale, quale est species, est immateriale secundùm esse: deinde abstrahit ab hîc & nunc secundùm esse: tum est similitudo quidditatis vniuersalis secundùm se totum: at obiectiuum & prius intelligibile est immateriale, non secundùm esse, sed secundùm relucentiam, & ita tantùm abstrahit ab hîc & nunc secundùm repræsentationem, non secundùm esse: & sic non est tantùm similitudo quidditatis, cùm coniunctam habeat similitudinem singularitatis, quia singulare est & materiale in essendo: quæ differētia pro hac opinione explicanda valde notanda est. Quintò necessitas ponendi huiusmodi intelligibile obiectiuum est, quia quidditas priùs debet ex parte obiecti præcedere, quàm species intelligibilis producatur, sicut color visibilem speciem antecedit, & obiectum similiter omnem potentiā passiuā: ergo necesse est lumine intellectus agentis quidditas obiectiuè in phantasmate apparere incipiat & præcedat, quæ sit intelligibilis in actu, id est, speciei intelligibilis productiua: quare quanuis phantasma sit in organo corporali materialiter & indiuidualiter sub lumine sensus, sub lumine autem intellectus agentis inde intellectui ratione illustrationis vniuersaliter repræsentat, nō obstantibus cōditionibus materialib⁹ phātasmatis: quia abstracta est illa quidditas, & secundùm relucentiā intelligibilis, quæ intellectui sine cōditionibus materialibus repræsentatur & obiectiuè apparet, atq; ope intellectus agentis intellectū possibilem incipit mouere, vt in ipso speciem intelligibilē producere valeat: quare priùs erit intelligibile in actu in phantasmate, quod dicimus esse obiectiuū intelligibile,

Duplex obiectum actu intelligibile, et differentiæ ipsorum.

quàm in intellectu possibili recipiatur intelligibile formale, quod est species. Sextò obiectū actu intelligibile duplex est, vnum motiuū, hoc est, quidditas relucens in phantasmate, quod necessariò ordinatur & præ requiritur ad intellectionem, tanquam primū & immediatū mouens post intellectus agentis irradiationem: alterum est obiectū actu intelligibile formale, vt species impressa, & idem est terminatiuum, si sit id, quod intelligitur, & non sit ponendum verbum ad terminandam intellectionem: de quo ad septimam dubitationem vnum verbum subijciā, interim ꝙ quæstio illa de verbo mētis determinatur. Modò igitur sat est intelligere, ꝙ quidditas illa in phantasmate relucens propter illā irradiationis relucentiam habet vnde moueat intellectū possibilē, saltem instrumentaliter cum intellectu agente productiua est speciei intelligibilis, non tamen actu habet vnde possit actū intelligendi terminare: ad hoc enim nondum habet spiritualitatem requisitā, nec immaterialitatem sufficientem, neq; abstractionem intellectui possibili correspondētem, sed tātùm vt sit instrumentū intellect⁹ agētis: de quo verificari potest, quòd intellectus possibilis patitur ab illa quidditate in actu intelligibili secundùm rationem motiui: est enim quidditas illa actu intelligibilis adhuc in phantasmate existens, prout materia, aut instrumentum, aut participatio quædam est ipsius intellectus agentis. Secundùm quam obiecti distinctionem varia & Aristotelis & S. Thom. loca in cōcordiam rediges, explicando aliquādo obiectum intelligibile ratione intellectus agētis efficiētis actu intelligibile, & phātasma ta, quę erant intelligibilia in potentia, intelligibilia in actu reddētis, vt sermo sit de obiecto motiuo, id est, de hac quidditate, quæ in phantasmate relucet: aliquando autem sermo est de obiecto actu intelligibili formali aut terminatiuo, cuiusmodi sūt species intelligibiles: at intellectus agens facit phantasmata esse intelligibilia in actu non tantùm causaliter, quia ab intellectu agente recipient virtutem immutandi (vt censet Ferrariensis super Sanct. Thom. loco citato) sed etiam vltra causalitatem illam, ponimus cum Caietano in ipso phantasmate esse quidditatem illam secundùm relucentiam valentem mouere & immutare possibilem intellectum: a qua

Duplex obiectum intellect. & proterminatiuo inquiretur de verbo mētis.

Obserua pro cōcordia diuersorum locorum.

qua enim ratione color in obscuro visum non mouet, sed vt illustratur lumine, & participat lucis influxū à corporibus superioribus: eadem sanè ratione phātasma, quod secundùm se non est intelligibile, tamen vt participat lumen intellectus agentis, eleuatur & fit quędam intellectus agentis participatio, atq; vt cum ipso coniungitur, relucet quidditas illa in phantasmate, quæ immutat intellectū possibilem, atq; adeò phātasma illud simul est in genere sensibiliū & intelligibilium: nam vt materiale & singulare est sub lumine phantasiæ, sensibile est: vt autē quidditas illa abstrahitur, & relucet sub lumine intellectus agentis, intelligibile est: qua in re phantasma nostræ animę correspondet, quę & connumeratur cum coniunctis, & etiam participat aliquid de separatis intelligentijs. Doctrina hæc consonat ipsius vniuersi connexioni, in quo mirus ordo est & rerum concatenatio, vt lib. 4. de cæl. tex. 22. explicabam in ipsis elemētis iuxta tritum illud Dionysij testimoniū, Supremum infimi attingit supremi infimum: aliàs non posset esse transitus ab vno ordine in aliud, si non esset aliqua connexionis coniunctio, quatenus quidditas & natura eius rei, quæ per phantasma repræsentatur, quæ à phantasia cū conditionibus materialibus percipitur, ab intellectu sine cōditionibus singularib' accipitur & assumitur, vt nō solùm dicatur phātasma ratione sui, & dicatur etiam intelligibile in actu ratione sui effect' (id est, speciei intelligibilis, quā iā sufficit ponere in intellectu possibili, vt discipulus ille S. Thomæ 2. contra gent. c. 77. existimat) sed etiā ratione huius quidditatis in ipso phantasmate relucentis: nam phantasma secundùm quòd lumine superiori attingitur & à lumine intellectus agentis assumitur, eleuatur ad aliquid altius, & ascendit ad superiorem ordinem, nempe immaterialium & vniuersalium. Confecta iam res est, & hoc vno posito fundamento, si bene percipiatur, nihil est quòd propter subortam illam dubiorum turbam conturbemur. Nam prima dubitatio soluta est per distinctionem intelligibilis obiectiuè & formaliter, & per tres differentias inter ipsa assignatas: aliud esse habet phantasma in essendo, vnde materiale est, aliud secundùm relucentiam & splendorem ex fulgore intellectus agentis prouenientē, quo modo vt immateriale relucet. Eodem modo ad secundam, q̃ quidditas immaterialis & abstracta secūdùm relucentiam esse potest in re materiali indiuidualiter existēte: nam irradiante intellectu agente phantasmata micare velut speculū, & vt stellæ scintillare, videntur. Maior est difficultas tertiæ dubitationis: Sed vt multa in pauca conijciamus, in primis audiēdi nō sunt dicentes phantasma duntaxat cōcurrere per accidēs vt causa sine qua non, quo niam (vt sæpe dictum est) mira est dependentia intellectus agentis à phātasmate, vt superiùs dicere cœpimus, & infrà cap. 4. latiùs explicabimus. Isti occasionem errandi sumunt à S. Thom. qui 1. p. q. 84. artic. 6. in vltimis verbis articuli dicit, quòd phantasma non est totalis & perfecta causa intellectionis, sed magis quodammodo est materiæ causa (quem locum commēdat Caietanus) non tamen negat S. Thomas causalitatem, sed totalitatem & perfectionem, aut principalitatem causandi. Vult ergo S. Tho. quòd concurrat effectiuè, ministerialiter tamē & instrumentaliter, quatenus assumitur ab intellectu agente. In veritatē non impinges, si dicas, quòd intellectus agens & phantasma se habeant vt causa vniuersalis & particularis, & vtraque sit in suo genere principalis atque immediata, intellectus agens vt causa prima immediatione virtutis, phantasma autem vt causa secunda immediatione suppositi: ideo intellectui agēti non assimilatur effectus, qui est causa prima atque æquiuoca, sed phātasmati assimilatur, quoniam est causa secūda & vniuoca: non quòd etiā intellectui non assimiletur, quia ab vtraque causa oritur atque vtrique assimilatur: nam phantasmati, notitia similior in re repræsentata, in modo autem repręsentandi, intellectui: nā vniuersaliter atq; immaterialiter, vnde phantasma vim habet immutandi ab influxu agētis intellectus, cuiusq; immaterialitatē imbibit & participat. Sed inter istos tres modos prim' est improbabilis: Tertius probabilis: Secundus autem nō tantùm probabilis, sed etiam verus, vt ex Sancto Thoma & Arist. locis citatis deducitur. Ex quo patet, quanta sit indigentia phantasmatis ad intelligendū, cùm nisi sensus sit in actu, intellectus non intelligit: neq; erit phātasma, ad quod speculandū se conuertat: neq; materia certa, cui assimiletur effectus, scilicet formale intelligibile: neque erit obiectum moti-

Ad dubia superi' posita perfuncto riè respondetur.

Ad primam dubitationē.

Ad 2.

Ad 3.

Phantasma cum intellectu agēte concurrit triplicìter.

1.

2.

3.

Tres modi dicendi comparātur.

Sine phātasmate cur nō cōtingat intelligere.

motiuum, scilicet quidditas relucens, quod necessarium est præcedat, maxime respectu potentiæ passiuæ. Sequitur secundò, doctrinam Caietani 1. p. q. 85. art. 1. à multis commendatam & à Ferrar. approbatam 2. contra gent. cap. 77. non esse absolutè veram, vt iacet, videlicet quòd phantasia ex sola coniunctione cum intellectu redditur virtuosior & habilior: ex eo enim quòd in eadem anima phantasia & intellectus radicantur, fiunt conformiores, & phantasia, quæ inferior est, redditur habilior: quoniam sicut calor instrumentum est vegetatiuæ, & in planta non generat carnem: at vt instrumentum est vegetatiui, quod coniungitur sensitiuo, vt in animali est, carnē generat: sic sensitiuū, quod secundùm se singularium cognitionem non egreditur, vt coniungitur intellectiuo, ascendit ad vniuersalitatem & immaterialitatē aliquam, saltem secundùm relucentiam, vt dictum est. Itaq; phantasia ex coniunctione & assistentia in ministerio intellectus habilior fit & abstractior, ita vt accommodata sit ad ascensum & gradum spiritualitatis: ob id phantasia hominis perfectior, habilior & vigorosior est phantasia bruti, quia participat rationem, cui cōiungitur: ideo communiter intellectus particularis appellatur, & rationem dicitur participare, vt in hoc cap. tex. 20. dicit Aristoteles: hoc ergo in nobis intrinsecè habet phantasma, quòd clarius & virtuosius est, quàm bruti, in quo phantasma intellectui non coniungitur. Hæc quidē vera sunt, tamen non perfecta neque consummata: siquidem si hoc sufficeret, non requireretur intellect' agēs propter phantasmata, quæ secundùm se ex sola radicatione habilia sunt ipsa: igitur cum intellectu possibili ad intellectionem sufficerent. Deinde hæc phantasiæ dispositio materialis est: vltra illam ergo requiritur virtus actiua intellectus agētis. Præterea frustra esset intellectus agentis illuminatio, & ipsius cōuersio ad phantasma superuacanea. Solū ergo isti grauissimi viri assignant materiā causæ ex radicatione & coniunctione, ipsum tamen actiuū obliuiscuntur, quod tam solertè Aristoteles indagabat. Per hūc autem modum dicendi ansa daretur ad defendendam Durandi opinionē, qui negat intellectū agentem, & dicit solum possibilē sufficere: ergo præter illam phantasiæ cum intellectu radicationem, in eadem anima necessaria est actio & motio intellectus agētis, qui quidditatem relucere faciat. Perperam isti dicunt, phantasmata per solam naturalem quandam resultantiam ab anima prouenire, in qua, quia cum intellectu radicantur, habilia & clara esse, & sufficientia ad speciē intelligibilem producendam. Et si dicas, S. Thomam istorum sententiā expresse ponere 1. p. q. 85. art. 1. ad quartum? Ingenuè fateor sententiā esse S. Tho. tamen S. Thomas non excludit actionem intellectus agētis, nec phantasmatum illuminationem: quod hi faciunt, cùm cōtendant lumen intellectus agentis non imprimi phātasmati: quod nos etiam fatemur, quia nō recipitur formaliter in phantasmate: hoc tamen nō tollit, quin obiectiuè illuminentur sicut colores, qui partim à sua natura habilitatem habent mouendi visum ex natura talis subiecti, partim autem ex motione, luminisq; illustratione: sic phantasmatum natura & habilitas lumine intellectus agentis perficitur, vt in ipsis reluceat quidditas, quę mouere possit intellectum. Quòd si dicas, hos autores ita sentire & in hunc modum explicandos, vt ex alijs locis ipsorum patet? Nil moror, dummodo veritas constet: & si nobiscū sentiant, gratias habere veritati debemus, quæ nos in vnū traxit. Difficultas, quę quarto loco proponebatur, elegāter satis decisa est per illud Caietani fundamentum, videlicet quidditatem in phātasmate relucentē habilem esse, vt possibilē immutet intellectum: non tamen sequitur, vt eadem illa quidditas intellectionē terminare sufficiat: terminus enim intellectionis perfectior, immaterialior & spiritalior, atque adeò magis abstract' debet esse, quàm pręcdicta quidditas sit: quod cap. sequenti aperietur, dum ostēderimus, quòd in quacūq; intellectione debet procedere conceptio quædam, quę ipsam terminet: hæc autem verbum mentis appellatur, & verbo cordis significatur: ita enim loquimur omnes, sicut intelligimus: habes in cap. sequēti quęstione de obiecto intellectus. Ex eodem principio quæ sequebatur dubitatio diluitur, videlicet quòd pręter quidditatem illam in phātasmate relucentē, quę est obiectū actu intelligibile obiectiuū, necessariū est aliud actu intelligibile formale, quo aīa cōstituatur in actu primo, & habeat principium ad intelligēdum: non sunt igitur species

Caiet. & Ferrar. in concursu phantasmatis ab Autore corriguntur.

Autor.

Durand.

Ad 4.

Ad 5.

cies superfluæ, sine quibus anima intelligere non potest. Penultima difficultas longiorem exigebat tractationem, nisi ex supradictis quisque vel mediocriter in Philosophia eruditus intelligeret, rerum naturalium actiones non esse per effluxum & emanationem ab agente, sed per ipsius eductionem in patiente. Quare species licet à phantasmate & intellectu agente sint tanquam à potentia actiua principali & instrumentali, hoc tamen non significat ab ipsis fluere species, quæ permeent & quasi migrent ad intellectum possibilem, sed quòd ab ipso actiuè educantur de potentia passiua intellectus possibilis, in quo sunt tanquam in proprio susceptiuo. Quo autem modo intellectus agens & phantasma concurrant ad educẽdas illas species in intellectu possibili, dudum referebam tres modos dicendi in tertia dubitatione, & ꝙ phãtasma cum intellectu agẽti agit, & intellectus possibilis est velut materia recipiẽs. Quod postremò dubitabatur, si quidditas illa in phãtasmate apparẽs aut species intelligibilis sint quod intelligitur, solui cõmodè nõ potest vsq; ad definitionẽ obiecti intellect⁹, de quo in cap. sequẽti: vide si placet S.Thom. 1.p.q.27. art.1.& q.85.art.2.

Ad 6.

Ad 7.

Epilogus

Per hæc igitur quæ diximus, omnia consentiunt, & quòd phantasma sit actu intelligibile secundùm relucentiam quidditatis, & quòd in ipso sit aliquod intelligibile, quod immutare posset intellectum, licet perficere & cõplere terminando non posset: consonat etiam de indigentia specierum intelligibilium præter obiectiuam illam quidditatem, cùm quidditas illa lumine intellectus agentis relucens priùs in ordine naturę in phantasmate, mox intellectui possibili pręsentata speciem intelligibilẽ producit, qua recepta, mẽs mirè cõponit & diuidit, vaneq; concipit, verba plurima formando & quasi fœtus concipiendo: nihil autem horum sine phantasmate contingit, tam quoad actionem agẽtis, quàm passionẽ possibilis intellect⁹. Nec ægrè feras, optime lector, quòd in hac quæstione morosus & fastidiosus videar, est enim difficilis & nunquam, meo iudicio, pro dignitate examinata: faxit Deus Opt. & Max. vt scopum veritatis attigerim, vt dispendium prolixitatis vtili veritatis compendio tibi rependatur. Ne te ampliùs morer & detineam, quæstiones, quas promisi de obiecto intellectus, de intellectione singularis, de verbo mentis, & de cognitione animæ separatæ, de proposito in sequentia capita reijcio.

Autoris modestia excusatio.

CAPVT TERTIVM

De multiplici intellectus actione determinat.

Indiuisibiliũ igitur intellectio in hisce consistit; circa quæ falsitas non est. At in quibus & falsitas iam, & veritas inest, in hisce cõpositio quædã iam est cõceptuũ intellectus, quasi ipsi sint vnum. Tex.21.

Atq; vt Empedocles dixit:

Multorum certè capita, admirabile dictu,
Ceruice absq; fuere exorta in luminis aura,
Illa tamen dulcis post hoc concordia iungit.

Sic & hęc separata cõponi solẽt, vt incommensurabile, & diameter. Quòd si eorũ etiam, quę fuerunt, vel erunt, sit compositio, & tẽpus insuper intelligitur, atq; additur. Falsitas enim in compositione semper consistit: nam si albũ nõ album esse dicat, ipsum tum non album componit. Licet autem diuisionem etiam omnia dicere. Attamen falsitas, aut veritas non solùm consistit in hoc, Cleon est albus: sed in his etiam, Cleon erat, vel erit albus.

Id verò, quod singulos dictos conceptus componit, vnumque facit, ipse est intellectus. Tex.22.

Actum est de potentijs intellectiuis, atq; de obiecto ipsarum dictũ est: iam de operatio-

rationibus agẽdum supereſt, vt per ipſas & potentiæ intellectiuæ & intelligibilia ipſa exactiùs eluceſcant. In hoc igitur capite priùs diuidit functiones intellectus in ſimplicem & compoſitam, & poſteriùs de ipſis determinat: textus autem 21. diuiſionem iſtam intellectiuç operationis cõtinet: Vna enim dicitur ſimplicium apprehẽſio, quam Ariſtoteles indiuiſibilium intellectionem vocat per indiuiſibilia autem rerum eſſentias, ſiue decem illa genera generaliſsima innuit, quæ vocibus ſimplicibus & incomplexis ſignificantur. Hanc autem ſimpliciũ apprehenſionem manifeſtat Ariſt. ibi, *Indiuiſibilium igitur intellectio in hiſce conſiſtit, circa quæ falſitas non eſt*: ſubticuit tamen veritatem, quoniam in intellectione indiuiſibilium veritas quędã eſt quia intellectus ſem per eſt verus (infrà tex. 26. de veritate rei & naturæ, quæ eſt veritas ſimplex requiſita ad obiectum intellectus.) Ne ergo veritatis ęquiuocatione fallaciam committeret Ariſt. per falſum & non per verum indiuiſibilium intellectionem notificat, circa quã & ſi aliqua veritas ſit, nulla tamen eſt falſitas. Altera intellectus operatio eſt, quæ eſt compoſitorum intelligentia, in qua nõ ſolùm verum, ſed falſum eſſe contingit (vt procemio Periherm.) ad quam manifeſtãdam Empedoclis deluſionem inducit, qui cenſuit res ſimplices diuiſas ſecundùm par tes creatas eſſe, quæ poſt coaleſcentes coagmentabantur, vt habet in litera. Senſibili enim hoc exemplo non vult Ariſtoteles Empedoclis errorem approbare, ſed nos ex operibus naturæ ad ſecretiſsima intellectus myſteria cõtemplanda manuducere, vt priùs ſimplicia ſeorſum meditemur, quę deinceps componamus: compoſitio enim intellectus ex pluribus ſimplicium intellectionibus reſultat, tanquam quid vnum intellectum. Vlteriùs inſinuat Ariſtoteles, quòd ſicut illa Empedoclis compoſitio nõ erat naturæ, ſed caſus, & ipſius Empedoclis fictum commẽtum, ſic iſta intellectarũ rerum coadunatio non naturæ, ſed caſus inuentum quid ab intellectu pro libito fingente: & ſicut in illa rerum naturalium cõiunctione ſi res rebus accommodatè reſponderent, opus naturæ eſſe videretur: ſecus monſtrum appareret à naturę intentione degenerans: ſic quoq; ſi intellectus propriè & ad naturas rerum accommodatè & commenſuratè intelligat & componat, verè intelliget, verèque vnum conſtituet: aliter autem falsè intelliget & vnũ conſtituet, quod ipſi intellectui quaſi vnũ quidem ſit, tamen re vera potiùs monſtrum ſit (eſt enim falſitas malum ipſius intellectus) ab ipſius ſcopo degenerans. Exemplum ponit de diametro & coſta, quæ per incommenſurabile verè componuntur, per commenſurabile falsè. Deinde Ariſtoteles has compoſitiones apertè in textu miſcet & ſecundùm temporum differentias extendit: nam licet intellectus abſtrahat à tempore ſingulari, non tamen à tempore in communi, quod tempus in ſingulari indiuidualiter imaginatiua percipit & cùm miniſtra ſit intellectus, quidditas temporis inde abſtrahitur. Vnde tex. 22. colligit Ariſtoteles, mentem indiuiſibilia concipere, & quòd ex multis ſimplicium intellectionibus intellectus facit vnum: nam omnis compoſitio & enũtiatio adunatio quædam conceptuum eſt, ſiue fiat per compoſitionem affirmatiuam, ſiue per diuiſionem negatiuam: intellectus enim vtraque verſat tam indiuiſibilia & ſimplicia, quàm diuiſibilia & complexa, omniáque modo vnius cognoſcit, vt tex. 22. dicitur, & tex. 21. *Quaſi ipſi ſint vnum*, hoc eſt, quòd etſi res variæ ſint & diſtinctæ, intellectui autem componẽti vt vnum ſunt, quia vt vnum intelliguntur, & ad intellectum ſi referantur, non poſſunt vt plura concipi, ſed vt vnum. Vnde hæ duæ intellectus operationes ex obiectis ſunt diſtinguendæ per ſe loquendo: quia incomplexi & indiuiſibilis per ſe ſimplex & indiuiſibilis eſt apprehenſio primo intuitu, quanuis indiuiſibilia mens diuidere poſſit: & ſimiliter complexi complexa eſt primo intuitu intellectio (loquimur de obiectis iſtarum intellectionum ſecũdùm ea, quæ per ſe, & non ſecundùm ea, quæ ex accidenti competunt.) Quare cùm Ariſtoteles primam & ſecundam intellectus operationem definit, ex obiecto per ſe manifeſtat: ea autem, quæ ſunt per accidens, non conſiderat: atque adeò cùm docet in propoſitione eſſe compoſitionem, non intelligit cum Empedocle diuerſarum rerum adunationem: ſiquidem in hac mentali enuntiatione, homo eſt homo, vnica eſt res, rationum tamen eſt compoſitio: ſublato nanq; intellectus negotio nulla remanet compoſitio.

Simplicium apprehẽſio quare per falſitatẽ notificetur.

Accõmodatè vtitur Ariſt. opinione Empe.

Intellect⁹ cognoſcit res adunãdo.

Prima & ſecũda intellectus operatio vnde expendatur.

QVAESTIO
An intellectus possit plura, vt plura, intelligere simul?

Ad huius rei illustriorem intelligentiam quæri potest, an intellectus intelligere possit plura per modum plurium, an necessariò debeat per modum vnius illa concipere, ita vt conclusio Aristotelis, quòd intellectus intelligat adunando, non solùm de facto, sed etiam de possibili intelligatur, vt impossibile etiam sit nos intelligere plura per modum plurium? Nam profectò experimur multarum rerum apprehensiones distinctas, vt in propositione subiectum & prædicatum: in syllogismo præmissæ & conclusio apprehenduntur: in iudicio censura de oppositis & contradictorijs est: idem autem non potest simul verum & falsum esse, vt in contradictorijs simul apprehensis: neque causa & effectus, vt præmissæ causa sunt conclusionis: ergo non potest intellectus isthæc omnia vna intellectione per modum vnius intelligere: maximè, quia sicut se habet sensus ad sensibilia, ita intellectus ad intelligibilia: sed experimur sensum simul plura sensibilia sentire vt plura, vt in respiciente pratum, vbi diuersa bruta pascentia, herbarum & florum diuersitatem, percipimúsque diuersos colores, vt croceum, viride, album & nigrum: ergo multò meliùs intellectus poterit percipere plura, vt cùm intelligit aliquod totum, in quo multæ partes continentur. His minimè obstantibus conclusio Aristotelis tenenda est, non solùm de facto, sed de possibili. Expressa est mens Aristotelis in hoc loco & lib. 2. Topic. cap. 4. loco 32. vbi dicit, *Contingit enim plura scire, cogitare autem nõ*: & 4. Metaph. qui vnum non intelligit, nihil intelligit, tex. 10. habetur, cuius verba hęc sunt, *Secundùm veritatem autem & ad seipsum: nihil enim contingit intelligere nisi intelligentem vnũ: si autẽ contingit, ponatur huic rei nomẽ.* S. Thomas id demonstrat 1. p. q. 85. art. 4. nullum intellectum posse intelligere plura per modum plurium: quoniam sicut idem corpus non potest simul pluribus coloribus affici aut figuris figurari, quia sunt formæ vnius generis: ita cùm omnes species intelligibiles vnius generis sint (in eadem enim potentia intellectiua recipiuntur) impossibile

Fieri non potest, vt intellect⁹ plura per modũ plurium simul intelligere possit.

est, quòd simul pluribus speciebus intelligibilibus quidpiam percipiatur, vt per eas possint simul plura, vt plura, actu intelligi. Est igitur animæ virtus indiuisibilis, & ad quęcunq; se conuertit, totaliter & indiuisibiliter vt ad vnum se conuertit: vnius enim virtutis non debet esse nisi vnus vsus: intellectio autem vsus est & operatio intellectus: ergo sicut centrum circuli indiuisibile omnes circunferentiæ lineas terminat indiuisibiliter, ita intellectus omnibus speciebus modo vnius vtitur. Tignosius super hunc textum apertè contrariam tenet conclusionem, & citat Iandunum, qui friuolè atque ridiculè citata Aristotelis loca commentatur. Gregorius tamen Ariminensis, vt hanc veritatem tueatur, affirmat, nullam propositionem mentalem componi ex partibus, sed simplicem esse qualitatem. Contra hos omnes Philosophus est & eius fidelissimus interpres Sanct. Thomas. Sed Gregorius Arim. videtur omnem propositionem categoricam & hypotheticam, omnémq; syllogismum à mente & intellectu abijcere contra ipsum Arist. lib. 1. Prior. dicentem, vnamquanq; propositionem sua habere extrema, subiectum scilicet atque prædicatum: ob idque in hoc loco compositionem appellat, & in proœmio Periherm. compositionem & diuisionem, circa quam verum vel falsum est: & expressè loquitur de conceptibus animæ, quorum voces signa sunt: idem dicit lib. 2. Periherm. cap. 2. Quam ob causam Empedoclis opinionem hoc loco induxit Aristoteles, vt nobis significaret, quæ erat apud Empedoclem rerum ex partibus compositio: secundùm Aristotelem & veritatem in anima esset rationum & conceptuũ adunatio. Sed valeant isti, & vnde digressi sumus reuertamur, vt semel demonstremus Sanct. Thomæ conclusionem à paucis quidem intellectam, & à nullo declaratam, aut in sua principia resolutam. Principiò igitur dicamus communia & ab omnibus recepta, vt deinde speciallùs rem à priori demonstremus, atque in sua principia resoluamus. Omnes ergo S. Thomæ discipuli plures species in intellectu concedunt, per quas simul intelligimus, vt coëunt in vnum totum modo vnius, non per modum plurium, hoc est, confusè, vt in toto vnum quid sunt, non tamen

Granatẽsis & Tignosi⁹ explosi.

Propositio mẽtalis non est simplex qualitas cõtra Grego. Arimi.

Empedoclis sentẽtia cur ab Arist. adducatur.

Cõmunis expositio & vera.

tamen distinctè per singulas sine habitudine ordinis & subordinationis ad totum: sic enim plures species in vnum obiectum concurrunt ad vnum intellectum siue conceptum: quod quidem verum est, & experimento comprobatur. Addunt deinde, quòd species sensibiles plures possunt esse in genere rei consideratæ, vt sunt in medio & etiam in habitu, vt in intellectu plures sunt scientiæ: attamen in genere sensibilis aut intelligibilis, non solùm vt informant, sed vt actu immutant, impossibile est, quòd simul sine subordinatione ad vnum plura in actu intelligamus per actualem considerationem & cogitationem: nemo enim, quantumuis fœcundissimo intellectu præditus sit, plura poterit cogitare simul per modum plurium. Quare neque negat Aristoteles plures scientias in eodem intellectu, neque negat species plurimas, sed quòd per illa plura actu considerare & cogitare plura per modum plurium est impossibile, quin per modum vnius ordinentur, atque ad vnum adunentur conceptum. Hæc quidem vera sunt, per quæ argumentis propositis facilè satisfit, quòd licet ibi sint plura, tamen quoniã vbi vnum est propter alterum, non est nisi vnum: quia plura illa vt vnum considerantur, vt color & lux vt vnum visibile: ex subiecto & prædicato vna compositio, vt ex materia & forma vnum resultat compositum, ita ex pluribus speciebus intelligibilibus vnum intellectum: vbi enim vnum ratio est alterius, non est nisi vnum: ergo in compositione & syllogismo plures species sunt vt partes vnius totius, & sic habent rationem causæ & effectus, & distinctionem, vt partes sunt, nam vna potest esse alterius causa: vt vniuntur tamen in toto, iam per vnum actum & vnum conceptum vnica conceptione & cogitatione intelliguntur: ideo intellectus pluribus speciebus per modum totius non actuatur, sed per modum partium, ita vt per eas omnes vnico intuitu percipiat & cogitet, vt in posito exemplo de sensu, vbi in prato illa omnia videntur modo vnius, perinde acsi in tabella aliqua depicta essent. Philosophica licet sint ista, ea nos non tam leui & suspensa manu tractare, sed presiùs considerare debemus, & huius rei causas primas indagare, vt res hæc, quæ tam certa & vera

Obiter satisfit argumentis initio factis.

Propria Autoris resolutio.

est atque experimento comprobata, non tantùm esse demonstretur, sed etiam in sua prima principia resoluatur, vt sciamus propter quid. Et quoniam totum huius rei firmamentum in ratione illa S. Thom. situm est, eam priùs expendere oportet; vt intelligamus, quonam modo impossibile sit idem subiectum perfici pluribus formis, quæ vnius generis sint, etiamsi diuersarum sint specierum: & vnde fit, quòd vnitas generis impedimento sit, quominus idem subiectum pluribus coloribus aut figuris afficiatur: id enim si percalluerimus, deprehendemus, quam ob causam plures species intelligibiles (quę sunt vnius generis, quia secundùm eundem ordinem eiusdem potentiæ, sunt perfectiones ipsius potentiæ intellectiuæ) simul intellectum perficere non possunt. Istam conclusionem Aristotelis ferè omnes fatetur: cùm autem petitur ab eis, vnde est, quòd formas esse congeneas, id est, vnius generis, faciat ipsarum incompossibilitatem, obmutescunt, cùm tamen hæc S. Thomæ ratio radicitùs conclusionem Aristotelis aperiat, & veritatem istam medullitùs demonstret. Sumẽdum igitur est principium vnum generale quidem & commune, quòd vnitas operationis sumitur ex parte principij & termini: nam cùm virtus intellectiua vna sit, & terminus intellectionis vnus quoq; sit, impossibile erit, quòd mens per plura intelligat, nisi modo vnius: aliàs eiusdem actionis actu plures essent termini, quod est contra naturam motus & transmutationis. Confirmatur, quia quantitatis eiusdem non est nisi vnus terminus, vna scilicet figura, quæ est ipsius quantitatis terminatio, & omnia prædicata substantiæ ad vnicum existentiæ actum simul subsistunt: sic ergo actionem intellectus principio & fini in vnitate respondere necesse est fateamur, vt in vno instanti & indiuisibili duratione plures species vnico tantùm actu & conceptu in sua vltima actualitate immutent: similitudo autẽ figurarũ & specierũ nõ est in simplicitate aut quãtitate, sed in actuali terminatione: eadẽ enim est & persimilis terminandi ratio figurę ad quãtitatem, & actualis intellectionis ad intellectũ: figura enim quãtitatis est actuatio, intelligere verò est intellectus terminatio & figuratio quędã. Alterũ verò principiũ peculiare est & magis proprium, sumptum

Ratio S. Thomę expenditur, quòd idẽ subiectũ nõ perficitur formis pluribus in eodẽ genere: vide 1. p. q. 12. ar. 10. et 1. 2. q. 54. ar. 1. ad vltimum.

Primũ fũdamẽtum cõmune, vnũ per vnã formã simul nõ produ cit per eãdẽ operationẽ multa, ideo nec plura vnica intellectione, nisi modo vnius non intelliguntur.

Secũdum principiũ

proprium huic quæſtioni.

quidem ex determinabilitate & dependẽtia potentiæ, iuxta ea quæ diximus ſuprà hoc libro tex.4. videlicet, omnis potentia cõtrahibilis & determinabilis eſt per act⁹, ad quos eſt in potentia: hæc enim eſt potentiæ ratio 9. Metaph. tex.3. & 4. & 10. & 12. Quod Porphyrius etiam dixit cap. de differentia, quòd genus potentiâ continet differentias, actu verò nullam: ſic lib. 1. Phyſ. materia in potentia eſt ad omnes formas, & nullam habet de ſe: ſi tamen aliquã admittat, cæteras omnes excludit, vt animal contractum per rationale excludit irrationale; ſimiliter omnes colores ſub eadem ſunt potentia determinabili per rationem diaphani: cùm ergo determinatur per vnum colorem, alium admittere non poteſt, aut ſimul & ex æquo vna eadémq; potẽtia ſimul per duos actus æqualiter determinaretur. Quod ratione & exemplis oſtendimus impoſsibile: ſicut figura, quæ eſt determinatio quantitatis, non poteſt eſſe niſi vna, nam eſt vltimus actus & determinatio quantitatis: quia impoſsibile eſt, quòd potentia quantitatis ſimul & ex ęquo per duos actus terminetur: aliàs ex potentia & actu non fieret vnum contra Ariſtotelem ſuprà in 2. lib. tex.7. cuius cauſam aſsignat 8. Metaph. in fine tex. 16. quòd potentia & actus ſunt vnum, & ſine medio aliquo vinculo colligãtur: niſi quia quæ ſunt in potentia, fiunt in actu, & potentia in proprium actum mouetur. Hinc habes, quòd cùm intellectus potentia ſit paſsiua (vt ſuprà dictum eſt) eius potentialitas indifferẽs eſt ad plures ſpecies: cùm ergo per actualitatem alicuius ſpeciei diſtinctè & actualiter determinatur vltima actualitate, nõ poterit ſimul per aliam determinari: quia iam eſt ipſius intellectus poſsibilis potentialitas contracta: non poterit igitur ſimul ab alia contrahi & determinari: quoniam potentia ſimul & actu non fertur ad plures actus, vt per ipſos ſimul cõtrahatur: aut potentia & actus (contra Ariſtotelem) nõ fierent vnum, ſed plura: qua ratione nil prohiberet materiam ſimul habere plures formas vltimas; & genus ſimiliter plures vltimas & ſpecialiſsimas differentias. Quocirca nullum eſt abſurdum, ſed res valde neceſſaria, vt cùm plures actus vltimi ſunt in eodem, intelligamus determinationes eſſe diuerſarum potentiarum. Patet hoc ex dictis, ſed exemplo manifeſtatur: quia in lacte cum albedine ſimul eſt dulcedo, & vtraq; eſt cõpletè in vltima ſua actualitate: quod euidens eſt argumentum, lac non reſpicere iſta ſub eadem potentialitate: nam albedo lac determinat ſub potentialitate diaphanitatis per ordinem ad viſum, & ſub illa potentia non habet niſi illum actum: at dulcedo lac determinat, vt eſt ſub potentialitate humidi, quatenus ordinem habet ad guſtum, & ſub illa potentia non poteſt habere alium ſaporem ſimul cum dulcedine; ergo ſicut non poteſt lac pluribus coloribus colorari, neq; pluribus ſaporibus affici, ita noſter intellectus non poteſt ſub eadem potentialitate per plures ſpecies determinari completa & vltimata actualitate: & ſicut albedo & dulcedo in lacte ſimul eſſe poſſunt, vt ſunt diuerſarum potentiarum determinationes & actus, ſic in anima noſtra actu poſſunt eſſe plures ſpecies in actu completo & diſtincto, vt ſunt albedo & dulcedo in lacte: ſimiliter etiam intellectus noſter ad intelligendum diuerſimodè eſt diſpoſitus, & diuerſas habet potentialitates. Vnde beatiſsima Chriſti Domini anima ſimul & actu, totaliter & completè intelligebat, Primò per notitiam beatam: Deinde per ſpecies infuſas: Tertiò per ſpecies acquiſitas: quia iſtæ ſpecies ſunt diuerſi ordinis & diuerſarum potentiarum determinationes: ideo neque ſunt congeneæ neque incompoſsibiles (vt optimo illo exẽplo de dulcedine & albedine lactis patet) quoniam ſunt diuerſarum potẽtiarum determinationes, ex eo quòd ſpecies acquiſitæ potentiam naturalem intellectus determinant, vt per cõuerſionem ad phantaſmata intelligit: ſpecies autem infuſæ potẽtiam aliam intellectus determinant, quæ eſt illi præternaturalis, & in alio gradu & ordine, vt conuenit cum angelis: & hæc perficitur per conuerſionem ad ſuperiora. Vltimus enim modus cognoſcendi eſt per viſionem beatificam, & hic adhuc eſt in altiori gradu, vt anima deificatur, & eſt in ordine diuino: & hæc cognitio eſt determinatio potentiæ obedientialis: ergo iſtæ ſcientiæ ſecundùm vltimam actualitatem ſimul eſſe poſſunt: quia neque ſunt eiuſdem ordinis & gradus, neque vnius generis, vt ſatis iam expoſitũ eſt. In angelis verò ſpecies omnes ſunt eiuſdem generis, & ſecundùm vnum eſſendi modum, vt reſultant ſecundùm exigẽtiam & cognitionem propriæ eſſentiæ, ſecũdùm quas

Albedo & dulcedo i lacte ſunt diuerſarum potentiarum actus.

Intellect⁹ noſter habet plures potentias ad diuerſos modos intelligẽdi.

quas non intelligunt plura per modũ plurium, sed vnico intuitu & per modum vnius: reuelationes autem & illuminationes mysteriorũ, quę ipsis fiunt, ad potentiã obedientialem cum ipsa visione beatifica reducuntur. Palàm ergo est, quòd sicut in omni natura omnis actio, similiter & motus, ad vnum est; aut si ad plura per modũ vnius (corpora enim simplicia, similiter & mista, ad vnum locum vt ad propriam speciem feruntur; & omnis actio ipsorum ad vnum numero terminum: quod discurrenti per singula manifestum euadet) ita pari rerum consequutione immanentes operationes ad vnum terminabuntur: omnia sanè natura constantia (corporalia sint, siue spiritalia, modò immanenter, modò transeunter operentur) hanc communem naturæ rationem participant, vt vltimatè, complete atq; perfectè, quoad eius fieri potest, ad vnum conspirasse videantur. Exposui tibi, amice lector, clarè & apertè rem grauissimam & valde abstrusam, fruere nostro labore: haud difficile tibi erit his paucis à me excogitatis maiora & perfectiora addere: idcirco ad nostri Aristotelis redeo enarrationem, vbi vnum de hac re verbũ subijciam tex. 23. qui sequitur.

Tex. 23. Cùm autem dupliciter indiuisibile dicatur, aut potẽtia, aut actu: nihil prohibet intellectũ, cùm longitudinem intelligit, indiuisibile intelligere, & in indiuisibili tempore: est enim indiuisibilis actu. Et tempus perinde, atque longitudo, diuisibile, ac indiuisibile est. Non igitur dici potest; quid in vtroq; temporis dimidio intelligebat. Non est enim, si non diuisio fiat, nisi potentia. At cùm vtrunq; seorsum intelligit, diuidit simul & tempus: atque tunc vt longitudines, illa intelligit. Quòd si lõgitudinem, vt ex vtrisq; constãtem intelligat, in eo quoq; tempore nimirum ipsam intelligit, quod ex vtrisq; pari modo temporibus constat, atque componitur.

De indiuisibilium cognitione determinare incipit Arist. Indiuisibile antẽ triplex est, Primum, quod secundùm actum indiuisum est, potentia tamen diuisibile, vt cõtinuum. Alterum est, quod secundùm formam & speciem indiuisibile est, vt homo, domus, & exercitus, quæ licet ratione materiæ diuisibilia sint, tamen ratione formæ indiuidua sunt: etenim quodquid est ipsorum terminus est essentiæ indiuisibilis. Tertium & postremum dicitur, & est simpliciter, penitùsq; & secundùm essentiam indiuisibile, vt punctus in linea, & momentum siue instans in tempore. Pro huius doctrinę fundamento (vt scopum, quò omnia tendunt, intelligamus) aduertendum, tanta sollicitudine distingui horum indiuisibilium cognitionem: quia sermo instituitur contra Platonis sententiam, qui lib. 1. de Anima tex. 47. & 48. volebat animam partibiliter per quendam motum continui intelligere: ideo dicebat, quòd nil in tempore indiuisibili intelligebat, sed moroso quodam temporis tractu: atque adeò animam esse diuisibilem & partibilem. Et quanuis Granatensis dicat atium esse sensum Platonis, nil mea refert; cùm modò Aristotelem exponamus, qui docet intellectum nostrum quædam citra discursum simplici intellectione necessariò percipere; quædam autem non nisi enuntiando & componendo per discursum: atq; adeò quòd sicut simplicia & indiuisibilia anima cognoscit momento temporis, ita quoque & ipsa anima indiuisibilis sit & incorporea. De primo igitur indiuisibili dicit, quòd continuum indiuisibili tempore cognoscitur, vt vnum indiuisum est: tamen si seorsum secũndùm partes cõsideretur, quatenus in vno aliquo indiuisibili vniuntur, sic etiam momento temporis percipitur: quia adhuc actu indiuisum est, licet potẽtiã sit diuisibile: si autẽ continuum cõsideretur vt diuiditur in plures partes, sic tempore diuisibili apprehenditur: quia discurrit intellectus numerando partem post partem. Itaq; vult Aristoteles, quòd continuum cognoscitur momẽto temporis, siue cognoscatur vt actu indiuisum,

Indiuisibile triplex.

Propositũ Aristot. quod pro animę immortalitate conducit.

uisum, siue vt constans ex partibus, in quas est potentiâ diuisibile: vtroq; enim modo intelligitur vt vnum. Idcirco partibus lineę non correspondent partes temporis, iuxta doctrinã 4. & 6. lib. Phys. ex eo quòd neutro modo facta est vnius continui diuisio: ideo longitudo lineæ indiuisibiliter vt vnũ quid indiuisibile intelligitur: secus quando partes actu sunt diuisæ, tunc quidem cognitio illarum similiter fit cum diuisione temporis, vt cognitioni lineæ, vt indiuisa est, vnum momentum respondet: vt autem diuisa est linea, tempus diuisum fit: & sicut ipsa ex partibus copulatur ad vnum indiuisibile punctum, etiam tempus suę cognitionis ad vnum indiuisibile momentum fiet. Ex quibus patet primò, quòd Aristoteles nihil agit cōntra id, quod proximo textu definitum est, videlicet intellectum plura per modum vnius intelligere: sed potiùs confirmat illam sententiam cùm docet, nos indiuisibili tempore & modo vnius cognoscere: si autem plura cognoscimus, id quidem non fit simul, sed succesiuè: & si simul, non vltimatè & per modum plurium, sed modo & habitudine ad vnum: quoniam aduertentia & capacitas animæ finita est & limitata, cuius acies & intuitus directè non nisi ad vnum dirigitur: potentia enim vno actu determinatur, vt punctũ partium lineæ vnus terminus est. Sequitur secundò, non malè dixisse Simplicium intellectum nostrum natura sua in instanti intelligere, cùm sit incorporeus & extra tẽpus (tẽpore anima nostra non mensuratur) per accidens tamen cum tempore intelligit, scilicet ratione adiuncti sensus & cogitationis: vnde quantum est ex natura obiecti & animæ nostræ conditione, momentaneè fit intellectio, licet ob pondus & grauedinem corporis nō semper penetret, nisi temporis discursu, & improbo, asiduóque labore. Quare hæc, vt ad intellectum referuntur, indiuisibilia sunt, & indiuisibiliter percipiuntur: vt tamen cum imaginatione copulantur, quia est pars materialis & organica, diuisibiliter percipiũtur: sed de hoc exactiùs in his, quæ sequuntur.

Intellect⁹ plura per modũ vnius intelligit.

Simplicij sententia approbatur propter aiæ immortalitatem.

Tex. 24. Quod verò non quantitate, sed forma est indiuisibile, id in indiuisibili tempore, & animæ indiuisibili intellectione percipit, atque intelligit, per accidẽs autem, & non hoc sanè, quo illa diuisibilia sunt, id, quo intelligit, & tempus, in quo intelligit, sed hoc quo indiuisibilia sunt. Inest enim & in his indiuisibile quiddam, at fortasse non separabile, quod quidem vnum tam tempus ipsum, quàm ipsam longitudinem facit: atq; id, in omni sanè continuo & tempore, & longitudine similiter inest.

De cognitione indiuisibilis secundùm formam similiter docet Aristot. indiuisibili tempore & indiuisibili potentia, indiuisibili quoq; animæ conceptu apprehendi: vt enim partes lineæ ad punctum vniuntur, & partes temporis copulantur ad instans, in quo vnum quid sunt, sic plures homines ad vnum indiuisibile relati vnum sunt: sic ille dixit, participatione speciei plures homines sunt vnus homo: species enim vna & indiuisibilis est in omnibus hominibus, licet ratione materię in indiuiduis quædam sit vnitatis diuisio: per se ergo obiectum illud indiuisibile est, & indiuisibiliter percipitur: nil autem refert, quòd per accidens ex parte obiecti propter indiuiduorum diuersitatem, aut ex parte potentiæ propter sensus ministerium diuisibiliter cognoscatur. Vnde habes, quòd obiectum intellectus quidditas sit rei materialis: quoniam subdit Aristoteles, *At fortasse non separabile, &c.* tum, vt excludat ideas Platonis: tum etiam, vt doceat sine phantasmate nos nihil intelligere. Cōparat hæc indiuisibilia: quoniam sunt, inquit, vnum, eo quòd partes ad indiuisibile terminãtur, quod in linea est punctus, & in tempore instans, & in omnibus rebus natura & essentia: sed dissimiliter, quia in quibusdam non est separationis causa, vt in homogeneis, quæ secundùm totum & partes eiusdem sunt denominationis: in quibusdam autem causa est separationis, vt in eterogeneis, vbi partes alterius sunt dispositionis ad totum. Vult autem Aristoteles hac dissimilitudine significare, quòd linea vnum est, similiter & tempus ratione quantitatis: at verò

Obiectũ intellect⁹ indiuisibile.

verò homo ratione quātitatis non eſt vnū: quoniam illa videntur eſſe vnum, quorum motus eſt vnus: eſt tamen vnum vnitate formæ & materiæ. Sed de hoc alibi, modò pergamus.

Tex. 25. Punctum autem, omniſq; diuiſio, & id, quod eſt ſic indiuiſibile, perinde atque priuatio cognoſcitur, manifeſtumq; euadit. Similis eſſe videtur & in alijs ratio: hoc enim modo album cognoſcit atque etiam nigrum: contrario nanq; quodam modo cognoſcit. Id autem, quod cognoſcit, potentia nimirum eſſe, & in ipſo potentiam ineſſe oportet. Quòd ſi cauſarum alicui nullum ſit omnino contrarium, illa ſeipſam profectò cognoſcit, & eſt actus, & etiam ſeparabilis.

De indiuiſibili tertio modo (quod ſimpliciter & eſſentialiter eſt indiuiſibile, vt punctum & momentum) Ariſtoteles tertiam pronuntiat concluſionem, cognoſci quidem indiuiſibiliter, non tamen ratione ſui, ſed per aliud: quoniam omnis priuatio per habitum cognoſcitur. Vt ſubtilis igitur hæc de indiuiſibilium cognitione doctrina facilior ſit atq; illuſtrior, aduertendū primò, punctum ab Ariſtotele vocari diuiſionem: punctum autem in linea, inſtans ſiue momentum in tempore ſic appellantur, quia quantitate carent: diuiſio etiam nuncupantur, quia ſunt id, quo diuerſæ partes deſignantur: quare hæc omnia ſunt, quibus tanquam extremis terminantur, deſcribuntur, & quibus vt communi termino copulātur, aut diuiduntur: & ſic agit de illis Ariſtoteles lib. 6. Phyſ. à principio. Deinde aduerte, quòd Ariſtoteles dicit, punctum cognoſci ſicut priuatio cognoſcitur, nempe per habitum: quo ſignificat, punctū re vera non eſſe priuationem: quoniam dicit, *Perinde atq; priuatio cognoſcitur*: & ideo ponit exēplum de malo, quod per bonum cognoſcitur: & de nigro, quod per album: malum

Nota multa de priuationib. & primò de pūcto.

autem & nigrum non ſunt priuationes: ſed appoſuit, vt appoſitione magis & minus perfecti iſta fierent clariora, & conciperemus, quòd licet nigrum & malum comparata ad extrema ſua perfectiora, album ſcilicet & bonum, priuatiuè dicantur, in ſe tamen poſitiua ſunt & entitatem habent, licet ab extremo perfectiori aliquo modo deficiant: ſic punctum, ſic inſtans, quæ ſunt poſitiua entia, propter minimam entitatē à nobis non cognoſcuntur per ſe & ratione ſui, ſed per ſuum habitū: & hoc eſt quod dicit, *Perinde atq; priuatio cognoſcitur*: cæterùm poſitiuum quid ſunt, & (vt alibi dicit Ariſtoteles) poſitionem & ſitum habent in continuo, vt punctus in continuo permanenti, inſtans in continuo ſucceſsiuo: certè ſi tempus entitas eſt poſitiua, vt re vera eſt, & de tempore non habemus niſi nunc (4. phyſ. tex. 100. & 104.) ſi nunc nihil eſt, ſed mera priuatio, tempus nihil erit poſitiuum: quod abſurdiſsimum eſt. Pro huius rei clariori intelligentia aduertēdum tertiò, quòd triplex eſt priuatio: quædam enim eſt, quæ habitum antecedit, vt carentia viſus in catulo ante nonum diem, & carentia dentium in infante: & hæc eſt quædam potentia ad eſſe, & ab hac priuatione proceditur per naturam ad actum & habitum. Alia autē priuatio eſt, quæ ſequitur ipſam rem & habitum, vt mors ſequitur vitam, cæcitas viſum: & hæc eſt potētia ad non eſſe, & à qua (vt dicit Ariſtoteles) impoſsibilis eſt per naturam regreſſus. Sed tertiū genus eſt priuationis, quod nec antecedit rem, neq; ipſam ſequitur, ſed cum ipſa re eſt, quam indiuiduè comitatur vel illi innata eſt: & hoc modo punctum dicitur priuatio, non quidē entitatis, ſed diuiſibilitatis, quoniā directè non poteſt cognoſci ab intellectu per propriam ſpeciem puncti: nam eſt minimę entitatis, & non valet per ſe immutare intellectum: quoniā poſitiuè à nullo ſenſu percipitur, niſi priuatione diuiſibilitatis & remotione quantitatis. Quare ſicut materia non cognoſcitur per ſe, licet habeat ſuā entitatem poſitiuam, cognoſcitur tamen analogia ad formam: ſic punctum ſuam habeet entitatem indiuiſibilitatis, quæ, quia à ſenſu non percipitur, non immutat intellectū ratione ſui, ſed remotione diuiſibilitatis & priuatione quantitatis: dicitur autem punctus priuatio, ſicut immortalitas & incorruptibilitas: nam licet ſint poſitiua, non tamen

Pūctū poſitiua entitas eſt.

Priuatio triplex.

Vnde punctus dicitur priuatio.

men percipimus ea, nisi priuatione mortis & corruptionis. Hoc igitur est, quod inteudit Philosophus, nempe, quòd intelligibilia per se priùs cadunt sub sensum: quia intellectus quidditatem non intelligit, nisi in phantasmate materiali: ergo priuatio tertij generis licet sit positiua entitas, quia tamen eius non habetur aliquod phantasma, non potest percipi ab intellectu, nisi instar priuationum: tamen punctum positiuum principium est quantitatis continuæ, tametsi vt caret continuitate & diuisibilitate, priuatiuè nobis significatur: quia ita loquimur, vt concipimus: côcipimus autem punctũ analogia iam dicta ad quantitatis & diuisibilitatis priuationem: indiuisibilitas tamen puncti priuatiuè non significatur in re ex parte puncti existente, sed tantùm ex parte nostræ apprehensionis: punctum ergo neque negat neque priuat, sed continuat aut terminat: tamen per se nõ mouet, sed per suũ habitum, id est, per id, quod nobis est magis familiare & manifestum. Tandem aduerte, quòd tripliciter cognoscit intellect⁹, Primò per formam rei, à qua immutatur: Deinde defectu, siue absentia ipsius: Demùm priuatione, sic deuenit in cognitionẽ puncti: nam primo intuitu fertur in magnitudinem, quam manifestè sentit: secũdo cognoscit defectu partium copulatarum, quę est carentia diuisionis: vltimo autem intuitu ipsum punctum vt principium quantitatis, indiuisibile tamen & omni quantitate priuatũ: & per hanc pũcti indiuisibilitatem sic apprehensam mens ad intelligibilia separata apprehendenda gradũ facit. Vult ergo Aristoteles punctum non esse priuationem, cognosci tamen vt priuatio ipsa cognoscitur: quoniam nõ occurrit intellectui, vt per se & ratione sui deprehẽdatur: quia sensum nulla ratione immutat, nisi per suũ oppositum tanquam per proprium cognitum, non negatiuè, vt dudum dicebamus de tenebris, quatenus visus à lumine & colore non immutatur, sed positiuè, sicut ex præcognita aliqua ratione. Id Arist. cupit concipiamus: nam, vt optimus tradẽdarum artium magister, vocabulis minimè abutitur: ergo cognoscere per oppositum est per suum proprium cognitum: quod significat dicens, *Id autem, quod cognoscit, potentia nimirum esse, & in ipso potentiã inesse oportet:* aliàs si alterum oppositorum non esset ei proprium cognitum, hoc est, non perficeret ipsum, vti cognitum per propriam speciem perficere solet cognoscentem, neque intellectus esset in potentia, neque perfici posset per alterum oppositorum: siquidẽ alienus esset à potentia & in seipso perfectus. Quam ob causam subdit Arist. qualiter oporteat esse in potẽtia, cùm dicit, *Et in ipso potentiam inesse oportet:* quia non sat est intellectum generaliter & communiter esse in potentia: quo modo omnis intellectus creatus, etiam angelicus est in potentia, & solus diuinus est in actu: sed *& in ipso potentiam inesse*, id est, quòd alterum oppositorũ sit in ipso: eapropter si alicui intellectui nõ inest alterum cõtrariorum, ipse non erit in potentia in seipso, sed actu & omniuò separatus: qui intellectus priuationes nõ cognoscit per sua opposita tanquam per propria cognita, sed talis intellectus priuationes cognoscit per seipsas vt relucentes in propria substantia, quod est proprium intellectus actu & omnino separati, cuius cognitio à propria substantia proficiscitur: talis est angelicus & noster etiam intellect⁹, cùm à corpore separatur: nam cùm corpori est coniunctus, priuationem non à seipso, sed ex eo quòd in potentia est, cognoscit: quod in secunda huius tex. parte specialiùs prosequemur. Habemus igitur ex hac prima huius textus parte, Primum, quòd punctum est entitas positiua: Secundum, quòd cognoscitur ac si esset priuatiua: quibus manet prior pars huius textus illustrata. Sed in secunda & posteriori parte vltra ea, quę iam nunc dixi, probat, quam ob causam intellectus noster cognoscat priuationem per habitum: necessitas, inquit, huius prouenit, quia est in potentia, & ex se nullum habet actum: necessum est ergo discurrat, vt arguitiuè colligat notitiam priuationis deductã ex notitia habitus: & hoc dicit fieri per illum intellectum, quem cap. 1. huius possibilem appellabamus: & hoc pręsenti tex. dicit ibi, *Id autem, quod cognoscit, potentia nimirum esse, & in ipso potentiam inesse oportet:* quod suprà initio huius 3. lib. à tex. 1. ad 5. dicebamus vacare omni forma, & denudatum esse ab omni specie, & ex doctrina circa textum 14. & 15. tradita. Cùm autẽ pręsenti tex. subdit Arist. *Quòd si causarum, &c.* significat, quòd si aliquis est intellect⁹, qui non sit in potentia, sed in actu, ille quidem non cognoscit vt nos priuationem per aliquid alienũ: quia cùm iam sit actu, & ideo cogno-

Autor verè, legitimeq; Aristotelem aperit.

Tripliciter cognoscit intellectus.

Nota.

Summa.

Obseruanda ratio, ob quam anima nostra priuationes per habitũ cognoscat.

cognoſcat per ſuam eſſentiam, nō eſt opus illi aliquod contrarium, per quod cognoſcat,cùm habeat intimum cognoſcibile & intelligibile,quod eſt ratio cognoſcendi cęterarũ:& iſte intellectus eſt Deus, qui eſt purus & ſimpliciter actus per ſuam eſſentiā omnia cognoſcens (12.Metaph.tex.51.) & angeli,qui ſecundùm ſuam eſſentiam intelligunt intuendo ſine compoſitione,ideo vocantur intelligentiæ, quia vnicq; intuitu intelligunt,& ſine acquiſitione à rebus,ſed per ſpecies congenitas iuxta conditionem ſuæ eſſentiæ,per quam ſimul habitū & priuationē cōprehendunt:ſicut enim viri acerrimo ingenio præditi ex vno intellecto plura colligunt, ita angeli alia intelligunt, ex eo quòd ſe intelligunt. Quare nolo dicere, quòd Deus & intelligentiæ non intelligāt priuationes,ſed cum Ariſtotele dico,quòd nòn cognoſcunt ex accidenti diſcurrendo ad priuationem per habitū,vt nos, ſed cognoſcunt priuationē & habitum in aliquo ſuperiori,& eminentiori poſitiuè:nos autē negatiuè & arguitiuè,vt dictum eſt. Poſſemus tamen nunc textum non malè applicare ad animæ immortalitatē, & quòd hic Ariſtoteles animæ ſeparatæ cognitionem adumbrare videatur(de quo S.Tho.1.p.q.89.)vt ſit ſenſus, Quamuis anima in corpore intellectum habeat in potētia cognoſcentem per conuerſionem ad phantaſmata, vnde opus ei ſit, vt quaſi ex latebris & tenebris prodiens priuationes per ſuos habitus deducat,tanquam vnum contrarium per aliud:tamen cùm ſeparatur à corpore & iam ſit in actu,ex quo iam nō eſt in potentia,neq; opus habet contrario, ſed iam actu conſtituta, per ſuam eſſentiam intelligit etiā priuationes,quatenus recipit ſpecies influxas à Deo pro ratione & conditione ſuæ eſſentiæ.Fateor, ſingularem eſſe expoſitionem & à nullo excogitatam, & fortaſſe eſſe alienam à mente Ariſtotelis: tamen ſi eam contextura literæ admittit & omnino veritati Philoſophiæ reſpondet, & ad fidem catholicam de immortalitate animæ confirmandam conducit,quid prohibet dicamus hanc ſententiam hoc loco Ariſtotelem ſubolfeciſſe, & quaſi ſomniabundum, Deo tamen ſic prouidente,inſinuaſſe? Etenim noſtra huius textus enarratio maius profectò habet operæpretium, quàm ſi cum Granatenſi & Caiet.hîc Themiſtium ſequamur, vt hanc partem ad intellectum agentem referamus : expoſitio enim hęc nullius eſſet emolumenti,pręterquam quòd contra ipſius intellectus agentis naturam militaret:cui' intereſt agere,ei autem pati non competit: intelligere autē (vt ex 1.huius conſtat) pati quoddam eſt. Igitur Ariſtoteles hoc miſcuit,vt intelligamus differēti modo ſe habere animam, dū eſt in corpore, & dum ſeparata eſt:ſiquidē ſeparata conſideranda eſt vt actus: at verò vt coniuncta rationem habet potentię:Ob idq; tam ſolerti diligētia de indiuiſibilium cognitione diſputat,vt intelligamus (teſte S.Tho.1.p.q.85.art.8.)obiectū intellectus quidditatē eſſe rei materialis à phantaſmatibus abſtractam,vſqueadeo vt indiuiſibile cognoſcere ſine habitudine ad phantaſma diuiſibile,ſit impoſsibile (loquor de indiuiſibili tertio modo,quod non apprehenditur ſecūdùm ſe & ratione ſui,ſed per habitum,vt expoſitum eſt:indiuiſibile autem primo & ſecundo modo priùs poteſt cognoſci:quia totum continuum priùs offertur intellectui notitia confuſa,quàm ſuę partes:& quidditas rei priùs etiam, quàm eius cuius eſt quidditas, vt textu ſequenti 26.) Et ſi dicas, ens eſt obiectum intellectus:ergo non ens,quod ei opponitur contradictoriè, implicat intelligibile eſſe, aut non ens eſſe ens? Reſpondetur,quòd perſimilis difficultas reperitur in ſenſu,vt patet ex his, quæ diximus lib.2.tex.54. & ad finem capitis 7, tex.96. & tex. 103. & 120. vbi cum Ariſtotele poſuimus,ſenſum eundem ſimul eſſe obiecti poſitiui & priuatiui: quoniam potentia eadem ſimul eſt oppoſitorum:non quòd ſenſus ſentiat priuationem per ipſius priuationis propriam ſpeciem:non entis enim nullæ ſunt qualitates, & priuationes nullam habent ſimilitudinem:non poterit ergo priuatio vnum fieri cum potentia per ſe,cùm ipſa nihil ſit (lib.1.Phyſ.tex.79.) neq; ratione ſpeciei, cùm nullam habeat, neq; producere poſsit ſui imaginem, ſed cognoſcuntur priuationes ratione obiecti poſitiui, quod per ſpeciem ſit vnum cum potentia : per illud ergo obiectum affirmatum, vel negatum priuatio deprehenditur,quatenus potentia percipit ſe non immutari:eadem igitur ſpecies,quæ eſt affirmati obiecti, eſt & negati, quæ in ſcholis dicitur ſpecies quaſi illatiua & deductiua, quia priuatio & per habitum eſt & definitur,& in prædicamēto collocatur: ſic

Autoris ſingularis textus expoſitio pro aīæ immortā. vt in quæſt. de hac re loco 11.

Malè à Caiet. exponitur locus iſte de intellectu agente.

Huius capitis ſcopus eſt inuenire obiectū intellectus pro vtroque ſtatu.

De modo quo priuatio ſenſum & intellectum immutat.

sic per eundem habitum cognoscitur, quatenus potentia deprehendit suam quietem, & quod ab obiecto non mouetur naturali discursu & consequentia: eadem ergo obiecti species ratio est cognoscendi priuationem, non quòd ad visum per accidens pertineat tenebras percipere, aut ad auditum silentium per accidens referatur: quoniam locis citatis Aristoteles docet sensum esse per se sui obiecti & oppositi: quia potentia & ratio per se eadē est cōtrariorum. Idcirco quando priuatio dicitur sensibile per accidens, non est eo quòd reijciatur à ratione sensibilis per se, vt substātia reijcitur, & dicitur sensibile per accidēs (lib. 2. cap. 6.) sed eatenus dicitur priuatio sensibile per accidens, quatenus per se & ratione sui non immutat per propriam speciem, sed per alterius speciem: priuatio tamen cōtinetur sub proprio obiecto sensus. Ideo aliter surdus iudicat de silentio, scilicet negatiuè: aliter autem non audiens aliquem sonum, quia tātùm priuatiuè sentit absentiam soni absque reflexione (sensus enim exterior non est reflexiuus) neq; sola potentiæ interioris aduertentia: quoniam sensus communis pro obiecto habet sensationes sensuū exteriorum, nihil ergo ipse sentit sine sensu exteriori: igitur propriè quæuis potentia etiam sensitiua priuationem sui obiecti sentit: aliter enim surdus, & aliter qui bonum habet auditum, se habēt ad silentium, quia surdus impropriè dicitur audire silentium: qui autem facultate audiendi præditus est, concurrente auditu dicitur silentium percipere, & cōcurrente visu dicitur tenebras videre, nam sensus à sensibili mouetur & trahitur: sentit ergo defectum & absentiam sensibilis, quod est sensus immutatiuum & assimilatiuum: & hoc modo vnusquisque sensuum, quia organum viuum est, percipit destitui propria vitali operatione, qua via per se fertur in priuationem contētam sub latitudine sui proprij obiecti & per se sensibilis, non actione priuationis in sensum, sed habitus & positiui extremi: vnde relatione reali, qua refertur sensus ad extremū positiuum, refertur ad priuatiuum sub eadem ratione contentum. Quare (vt dicitur 5. Metaph. tex. 20.) inter scibile & sciētiam relatio est realis non mutua propter relationem, nō scibilis, sed extremi alterius, scilicet scientiæ: ita priuatio est sensibile per se, tū quia per se opponitur sensibili, quod

Priuatio sub sensibili per se.

Vnius & eiusdē est oppositā speculari, priuationem etiā & negationem 4. Metaph. tex. 4.

de se & ratione sui immutat sensum: tum etiam, quoniam actione, qua positiuū agit in sensum, ipsiusq; cōmunione dicitur agere: quāuis nec actio obiecti priuatiui sit, vt nec relatio mutua est: quæ si bene intellexeris, percipies, quonam modo priuatio sub sensibili per se contineatur. Quod autem argumento tangitur de nō ente respectu intellectus, non habet tantam difficultatem: quoniam intellectus immaterialis est potentia & reflexiua, quæ potest ipsum considerare sub aliqua ratione entis vestitum, vt S. Tho. 1. 2. q. 8. art. 1. ad 3. & ibi Caietanus, quòd non ens in re nō est ens, atq; ratione sui intelligibile, nisi vt in apprehensione concipitur per suum habitum & positiuum. Itaq; intellect⁹ intelligit non ens, non per solam carentiam immutationis, aut absentiam obiecti, vt sensus, sed quia vim habet reflexiuam, vt subtiliter & eleganter docet hic Aristoteles cùm dicit, *Potētia nimirum esse, & in ipso potentiam inesse oportet*: vult dicere, quod ex eo cognoscit priuationem, quia cognoscit se esse in potentia: & quia anima per hoc solùm quòd est in potentia, non cognoscit, vt dixerat suprà tex. 15. *intelligibilis & ipse, vt intelligibilia cūcta*, addidit hîc cautissimè Aristoteles, *Et in ipso potentiam inesse oportet*, id est, oportet ad esse vnius oppositi speciem, vt per reflexam cognitionem cognoscat se fuisse in potentia: ideo per speciē habitus in se existētem cognoscit priuationem formæ, quæ in ipso aliquando fuit, & potentialitatem ad speciē: & sic proportionabiliter cognoscit priuationes in rebus ipsis existentes. Hæc est elegantissima S. Thom. expositio digna suo & Aristotelis ingenio, vt insinuet animam & separabilem esse, & per se de ordine rerum immaterialium, atque de ordine rerum intelligibilium, vt tex. 15. fusiùs dictum est, & inferiùs in quæstione illa, cuius toties mētionem fecimus, de animæ immortalitate: maneant cuncta suis locis differenda.

Obserua & confer cum tex. 15. cōferque ad animæ immorta. q. de hac re loco 11.

Obserua.

Est autem dictio quidē quippiam de quopiam, quemadmodum affirmatio: atq; omnis est vera, vel falsa. At intellectus nō omnis, sed qui est ipsius quid est, ad formam accommodati, est verus

Tex. 26.

rus, & non quippiam de quopiā dicit. Sed vt visio proprij ipsius est vera, si verò album hominē esse dicat, aut non, non semper est vera: sic sese habent ea, quæ sine materia sunt.

Decisa prima intellect⁹ operatione, eam cum secunda comparat Aristot. nam in secūda operatione, in qua est affirmatio vel negatio, quandoque verum, quandoque falsum reperitur: in prima autem operatione nunquam est falsitas. Intellectus enim in prima apprehensione assimilatur sensui, qui respectu proprij sensibilis semper est verus, nisi cùm iudicat de communi (vt suprà lib. 2. tex. 63. latiùs diximus) ideo intellectus semper est verus circa quidditatem rei materialis, quæ est eius obiectū: aut veriùs circa ens, quod est primum obiectum: at cùm adiungit definitionē aut partes definitionis, contingit deceptionem esse, vt si rationem trianguli circulo accommodet, aut insensibile animali vt differentiam apponat: proprium enim obiectum perfectio est potentię, & naturalis inter obiectum & potentiā conformitas: ergo sicut circa proprium obiectum sensus non fallitur, nisi in his, quæ per accidens circunstant, ita intellectus circa proprium obiectum, quod est quidditas rei materialis, non fallitur, nisi circa ea, quæ accidentaliter circunstant. Vide quæ lib. 2. de anima tex. 63. diximus, & S. Thomam 1. p. q. 85. art. 6. & in procemio Periherm. aliter verum & falsum sunt circa compositionem & diuisionem in enunciando: quo modo verum est vt cognitum, vt in componente & diuidente 4. Metaph. tex. 27. & S. Th. 1. p. q. 16. art. 2. & q. 17. art. 4. isto modo in sensu non est verū 1. p. q. 17. art. 2. ideo intellectus in prima operatione, siue simplicium apprehensione verus dicitur esse, in secunda autem operatione dicitur verum habere, non tam simpliciter, sed componendo & diuidendo. Quod autem subdit Aristoteles, *Sic sese habent ea, quæ sine materia sunt*, significat, quòd in simplicibus & separatis à materia ignorantia quidem esse potest, non tamen falsitas, vt 9. Meta. tex. 22. Rationem innuit ex eo q̄ sunt sine materia, insinuans, quòd semper sunt in actu, & nunquam in potentia: itaq; nos circa separata bene possumus decipi, ipsa tamē secundùm se non decipiuntur, quia sunt actu: vide ibi S. Thom. & 4. Metaph. tex. 25. 26. 27. Non malè dicemus Aristotelem per intellectum simplicem intelligere eum, qui à phātasmate immediatè pendet: compositum autem, quando cēset & iudicat de essentia rei possibilis, aut impossibilis, qualis est hircocervus, tragelaphus. Sed quia hęc expositio incidit in eū sensum, quem prima parte textus Aristoteles posuerat, & Aristoteles aliquid noui his verbis adijcit, melior & quadrantior est pręcedēs expositio: quoniam insinuat Philosophus nos intelligere componendo & diuidendo cum maximo labore, angelos verò quasi sine labore vnico intuitu: ob idque intelligentiæ appellātur, quia non extrà vagantes, sed intra se legūt quæ nos exteriùs ab ipsis rebus colligimus (1. p. q. 85. art. 5.) ob id angelicus intellectus, dum seipsum intuetur, omnia sibi cōuenientia inspicit. Quod docet Arist. illis verbis, *Sic sese habent ea, quæ sine materia sunt*, nimirum intelligendo quod quid est, vt semper sit verus: ideo neq; adeò errori subdūtur, vt nos, & compositio atq; diuisio eis minimè competit: quare sicut nos circa simplicium apprehensionem verum habemus intellectū, ita illi angelici spiritus non solùm circa simplicia, sed circa cōposita & reliqua omnia sine errore & falsitate sese habent: quia nō componendo, nec diuidendo, nec discurrēdo, vt nos, qui vix aliquid sine solicitudine & labore intelligimus. Quod etiam Arist. videtur mihi dicere suprà tex. 15. ibi, *Nam in hisce quidē, quæ sine materia sunt, intelligens, & id, quod intelligitur, idem sunt*: quasi rationem reddens, ob quam noster intellectus per compositionem & diuisionem intelligat, nimirum quia sequitur potentiam cōpositiuam & diuisiuam partium: non potest ergo rem simplici intuitu penetrare: ex natura itaq; potentiæ nascitur compositio: angeli autem, qui à materia separantur, in actu sunt, ob id in eis non est potētia: quare eis in intelligendo negatur compositio & diuisio, & simplex astruitur intelligentia. Probare igitur vult Arist. apud substantias separatas nō habere locum prædictam diuisionem: quoniam intelligentiæ nō habent nisi primam & simplicem intellectus operationem: quod non cēdit in earum imperfectionem, sed maximè earum excellentiam

lentiam manifestat, quia scientia earũ semper est actu eadem rei: nostra autem, quia in potentia est, compositiua, diuisiua atque discursiua est, ideo à reipsa magis distinguitur & separatur. Sicut enim vinum non fit, nisi maturæ vuæ in torcularia colligantur, vbi à racemis calcatis expressum mustum proprio calore coquatur & deferuescat, vt ad eam perueniat vini suauitatem, quæ gustum oblectet: sic noster intellectus ad verum nunquam perueniet, nisi improbo se labore discrutiet, vt sese agitet, & huc atq; illuc discurrendo acuat. Hæc faciunt intelligentiæ absq; motus & discursus ambagibus, quoniam sunt à materia separatæ: absoluũt enim & perficiunt vnico motu quæ nos vix pluribus possumus consummare, iuxta egregiam illam Aristotelis philosophiam, quam lib. 2. de cælo cap. 12. meritò commẽdauimus. Quo fit, Granatensem & Caietanũ errasse in hoc, sicut in præcedenti textu, cùm referũt illa verba, *At intellectus non omnis, sed qui est ipsius quid est, &c.* ad intellectum agentem, quasi ipse sit, qui intelligit, cùm sæpe dictum sit, ipsum non intelligere nisi actiuè, cognitionem faciendo & illustrando phantasmata, aut agendo intellectionem, non tamen patiendo, sed intellectus possibilis officia distinguit, vt ipse in simplicium cognitione semper sit verus, nõ autem quãdo denuntiat aliquid de aliquo: plana ergo est textus expositio sine aliqua offensione, vt nõ oporteat aliquod nouum & mirabile quærere.

Optima collatio.

Caiet. & Granatẽsis repulsi.

SVMMA CAPITIS.

Cõtinet vnam bimembrem diuisionem intellectionis: alteram diuisionem trimembrem indiuisibilis, & quatuor conclusiones de ipsorum cognitione.

Prima diuisio. *Duplex est intellectio, quædam simplex, quæ sine falsitate est: quædam composita est, cui necesse est veritatem, aut falsitatem inesse.* ¶ *2. diuisio.* *Indiuisibile trifariam dicitur, Primò, vt continuum actu vnum, indiuisumq́; licet potentia sit diuisibile. Secundò, quod secundùm formam indiuisibile est, vt homo, domus, exercitus. Tertiò, quod simpliciter indiuisibile, vt momentum in tempore, in linea punctum, in motu mutatum esse.* ¶ *1. cõclusio.* *Primũ indiuisibile, siue vt actu indiuisum, siue vt ex partibus coalitum, indiuisibili tempore percipitur, licet vt diuiditur actu in partes, diuisibili tẽpore percipiatur.* ¶ *2. conclu.* *Secundum indiuisibile non solùm indiuisibili tempore, sed etiam indiuisibili & potentia, & anima, & conceptu percipitur: in istis enim indiuisibile nõ est separabile à singularí, sed quidditas indiuiduo est coniuncta.* ¶ *3. conclu.* *Tertiũ indiuisibile percipitur indiuisibili tempore, sed tamen instar priuationis per suum habitum: quia intellectus noster est in potentia: ergo vt intelligat priuationem, opus habet, vt à contrario & ab habitu opposito ipsi priuationi per aliquod phantasiabile actuetur & perficiatur: quo contrario separatus intellectus non indiget, cùm habitum & priuationem per suam essentiam, secũdùm quam in actu est, cognoscat.* ¶ *4. conclu.* *In secunda intellectus operatione, quæ compositio est, veritas est & falsitas: in prima autem nunquam est falsitas: quia intellectus circa primam operationem & propriũ obiectum semper est verus, sicut & sensus, etsi quandoq; fiat deceptio, quæ in separatis à materia non contingit, in quibus simplex est intelligentia, & locum non habet nisi prima intellectus operatio, quia actu sunt, & scientia in actu eadem est rei.*

Consentaneum rationi est, vt iam tandẽ quæstionem de obiecto intellectus (quam non semel polliciti sumus à principio huius libri) hic diligenter enucleemus: tum, quia præsenti capite multa de obiecto intellectus tradit Aristoteles: tum etiam, quoniam obiectum non solùm necessarium est ad cognitionem potentiæ, sed etiam ad exactam functionum resolutionem. Non poterit igitur satis nobis constare natura intellectus possibilis (de qua cap. 1.) neq; firma erit doctrina de intellectu agente (de qua cap. 2.) neq; constans & certa erit enarratio de operatione intellectus (de qua hoc c. 3.) si obiecti intellectus naturam, modum & conditionẽ ignoremus: sæpe numero enim à tex. 33. libri 2. dictum est, ab obiecto pendere operationes & potentias, per ipsumq; obiectum hæc omnia definiri (vt S. Thom. 1. p. q. 77.) tamen licet naturæ ordine ab obiecto fuisset nobis inchoandum, rationem methodi ordo doctrinæ tantisper immutare compulit, vt semper à notioribus & facilioribus nobis procederemus: sic enim quæstionem hanc difficilem valde modò faciliorem reperiem⁹: quoniam sine alicuius rei offensione omnibus suis numeris accommodatissimè eam absoluemus. Postquam iam de natura intellect⁹ & eius operationibus constat, non poterunt quæ dicta

Cõsilium Autoris transitione exponitur.

dicta hactenus sunt non confirmari, atq; sui obiecti expositione, declarationeque summopere perfici atq; consummari. Non semel, fateor, vt eam disputaremus, occasio oblata fuit, maximè texiu 9. veruntamen consultò in hunc locum distulimus atque relinquimus, vt concertationem istam de obiecto intellectus, quæ tot præclarissima ingenia torsit, expeditiùs hîc determinaremus, post accepta illa initia atque principia de intellectu & de eius operatione, quæ nobis clariora, manifestioràque sunt, vt ex ipsis, tanquam certissimis atque constantibus initijs, res ista à nocturnis, densissimisq; tenebris in meridianam lucem promptiùs deferatur atque depromatur. Certè si tex. 9. hanc quæstionem miscuissemus, non posset pro excellentia atque dignitate tractari, cùm multa sint in ea, quæ ab intellectus agentis operatione dependent: de qua necessum fuit prius seorsum determinare atque semel concipere, quomodo illuminet phantasmata & abstrahat à conditionibus materię, faciàtque intelligibilia actu, atque ipsum intellectum possibilem ita illustret, vt sit ad intelligendum idoneus. Atq; adeò si principio actiuo, agentique intellectui passiuum principium, hoc est, possibilem intellectum respondere in eodem ordine est necesse, fit, vt actio atq; species, quæ producitur, vtriq; intellectui in eodem ordine atque genere conuenienter respondeat: vt sicut vterq; intellectus separatus est & immaterialis, ita species, ipsaque intellectus actio separata quoq; sit & immaterialis, vt præsenti cap. 3. tex. 24. docet Aristoteles indiuisibile esse obiectum intellectus, indiuisibilique potentia, anima, atque conceptu etiam indiuisibili deprehendi & tandem concludit tex. 26. *At intellectus non omnis, sed qui est ipsius quid est, ad formam accōmodati, est verus, &c.* quod quid est formam esse & accommodatum obiectum intellectus, in cuius apprehensione semper verus est. Meritò igitur atque accōmodatissimè hîc à nobis quæritur de obiecto intellectus, & non abs re superiùs suspensa mansit hæc quæstio, vt in præsenti, tanquam in propria sede, differenda & expēdenda, vbi integrè & sine offensione aliqua tractari, excutiq; potest, opportunéq;, vt ea omnia, quæ hactenus dicta sunt, luculentiora fiant: natura profectò vtriusq; intellectus, atq; ipsius intellectionis conditio ab obiecto pendent: quamobrem obiecto plenè explorato, cętera manifestiora relinquentur. Sed his omissis ambagibus, ne am plius te morer, amice lector, ad disputationem ipsam deuenio.

QVAESTIO
An obiectū intellectus sit quod quid est, & quidditas rei materialis, aut quidpiam aliud?

Ambiguitatē igitur habet proposita cōtrouersia, Primò, quia si quidditas rei materialis relucens in phantasmate obiectum esset ipsius intellect⁹, superfluerent profectò species intelligibiles, & deinde etiā verbum mentis superuacaneum esset: etenim ista frustra multiplicarētur, vbi vna, vel sola quidditas (quæ obiectum est) illa omnia ad intelligendum perficere atq; cōsummare valeat, quæ species & verbum præstare possunt. Confirmatur, quoniam intellectus hîc tex. 21. & 22. dicitur facere vnum intelligibile: sed non semper intelligibile, quod est obiectum intellectus, est vnum & quod quid est, vt patet, cùm cognoscit hominem album, quod est vnum per accidens: ergo neq; vnum neq; indiuisibile est obiectum intellectus. Secundò, illud est primò cognitum ab intellectu, quod primo mouet: sed singulare priùs mouet, quàm vniuersale atq; quidditas rei: ergo obiectū intellectus potius est singulare, quàm vniuersale. Totus discursus est legitim⁹, & pro maiori patet: minor autem probatur, tum quia singularia magis sunt in actu atque faciliora, quàm vniuersalia, quæ ab actu magis distant atque difficiliùs percipiuntur: tum etiam, quoniam vniuersalia abstrahūtur à phātasmatibus rei singularis, quod nō poterit præstare intellectus, nisi phantasmata ipsa, à quibus abstrahit, cognoscat: tū prætere, quoniam quod potest potentia inferior, poterit etiam superior: sed sensus cognoscit singulare: ergo intellectus, qui præstantior est, ipsum quoq; singulare cognoscet. Confirmatur primò, quia intellectus propositionē istam concipit, Sortes est homo, cuius subiectū est singulare, & illā propositio-

1. ratio.

Confirmatio.

2. ratio.

Confirmatio prima.

positionem pro minori sumit in isto syllogismo, omnis homo est animal, Sortes est homo, ergo Sortes est animal: & intellectus practicus semper syllogizat ex singularibus, quoniam actiones singularium sunt. *Confirmatio secunda.* Confirmatur secundò, nam intellectus non percipit, nisi quod est in re: in re autem non est nisi singulare: ergo non cognoscet vniuersale: aut si ipsum intelligeret, mens aliter cognosceret, quàm est in re, atque adeò sic esset mendacium: quare intellectus non esset semper verus, vt hîc textu 26. docet Aristoteles: profectò si mens nostra singulare non cognosceret, nullius rei gratia singularium notio deseruiret intellectui. *Confirmatio tertia.* Confirmatur tertiò, quia si vniuersale obiectum est intellectus, non posset singulare vlla ratione cognoscere, nec directè neq; reflexè: patet sequella, quoniam est singulare extra latitudinem obiecti intellectus, quod est vniuersale, imo ei formaliter opponitur. *3. ratio.* Tertiò, quoniam vrget acerrima illa controuersia de ordine cognoscendi, si priùs vniuersaliora quàm particulariora in mentem veniant, cùm apud doctores non constet concors sententia, & Aristoteles sibi dissentire videatur, qui procemio Phys. ab vniuersalioribus doceat & naturæ & doctrinæ esse progressum, alibi tamen quòd perfectiora priora sunt, vt lib. 1. de cæl. textu 12. & lib. 2. textu 23. ob id magis & priùs mouent mentem, quoniam magis sunt in actu, & magis completa atque determinata. *Confirmatio.* Confirmatur de ipsius animæ nostræ cognitione (de qua pauca diximus suprà tex. 15. & hîc tex. 25. & 26. tangit Aristoteles) quæ, cùm materialis non sit, seipsam cognoscere non posset: nam non per suam essentiam, quia est in potentia (vt hîc textu 25.) & vt informis tabula (suprà tex. 14.) neque per species acquisitas, quia acquiruntur à phantasmatibus: nullum autem est animæ nostræ phantasma: nil ergo est intelligibile, quod nõ est sensibile, quia initio 1. lib. Poster. dicitur, *Omnis doctrina, omnisq; disciplina intellectiua ex præexistenti fit cognitione.* In oppositum est Aristoteles à tex. 9. & toto hoc capite 3. quod quid est & indiuisibile, obiectum dicit esse intellectus: ergo germanum atque commensuratũ intellectus obiectum vniuersale est, vt lib. 1. Phys. tex. 49. ipse Aristoteles dicit ibi, *Ratio enim vniuersalis est: sensus autem particularis:* & lib. 1. de Anima tex. 8. *Animal autem vniuersale, aut nihil est, aut posterius est, &c.* Ad exactam & illustriorẽ huius quæstionis resolutionem, & vt breuior sit atq; firmior, quædam oportet principiò distinguere, ne eius veritas obfuscetur & confundatur. *Quod quid est, quod est obiectum intellect^9 primũ, nõ est idem quod definitio.* Primò, quòd cùm de obiecto intellectus dicimus cum Aristotele esse quod quid est, non intelligimus esse definitionem, quoniam definitio non est primum obiectum intellectus: neq; faciliter acquiritur definitio, sed multo cum labore, vt lib. 2. Poster. docet Aristoteles: & multis de causis definitio solet esse vitiosa, vt ibidem ipse Aristoteles asserit tex. 20. & 21. & lib. 6. Top. per multa capita, & in procemio horum librorum de hac re diximus: sed quod quid est idem apud Aristotelem significat quod forma & essentia: & ita tex. 21. indiuisibilium intellectionem dicebamus esse categoriarum essentias, quæ facilè intellectui ocurrunt: nam exactas atq; perspicuas habere definitiones, non est exigui negotij, ideo paucis concessum est. *Primũ vitiũ cauendũ, quod Caiet. incurrit.* Secundò igitur in huius quęstionis decisione duo extrema vitia maximè cauere oportet (vtinam contingat nobis medium tenere, quo ipsius veritatis scopum attingamus) Vnũ est, ne adeò acriter rem ipsam vrgeamus, vt grauis sit atque molesta, & quæ manibus ipsis comprehensa veluti anguis labatur, atque teneri minimè possit. In quod Caietanum incidisse mihi videtur, qui procemio de ente & essentia multa dicit valde quidem erudita atque vera: sed tot nominum acceptiones, distinctionésq; multiplicat, vt vix mens aliquid certum atque firmum concipiat (nec mirùm, quia cum subtilissimo Scoto, eiusq; studioso discipulo Antonio Trombeta manus conseruit.) Faciliùs ergo procedendum atque planiùs, vt res hæc, alioqui nobis familiaris, extranea nõ fiat, sed familiariùs quoq; tractetur, quo pleniùs à nobis intelligatur atq; percipiatur. *Alterum extremũ Nominalium.* Alterum extremum Nominaliũ est, qui ieiunè atque insulsè, licet apparenter, putant, abundè huic quæstioni satisfactum iri, si distinctionibus pro libito chartas infarcientes, nihil tandem certum statuant, nihilque exactè definiant. In quo vitio est Paulus Venetus lib. 3. de Anima tex. 11. & Caietanus de Thien. ibidem ex numero distinctionum conclusiones multiplicantes: Nã primò dicunt, quòd si de

si de obiecto communitatis atque adæquationis loquamur, ens primum obiectum est intellectus: quoniam nihil nisi sub ratione entis intelligimus, ens autem atque intelligibile adæquatè conuertuntur. Secundò, obiectum perfectionis ipsius intellectus Deus est: nihil enim magis cupit atque affectat intellectus, quàm Deum ipsum intelligere vt omnium intelligibilium excellentissimum, in quo summa nostræ beatitudinis sita est. Tertiò, obiectum immediationis quidditas est rei materialis, quoniam primò mouet atque tangit intellectum nostrum, & primo suo impetu noster intellectus naturâ res materialis assequitur. Quartò, obiectum primum exclusionis vniuersale est, quoniam nulla alia potentia ab intellectu vniuersale apprehendit. Quintò, obiectum primum primitate determinationis est singulare & phantasma, quod velut materia atque particulare agens diximus determinare actionẽ intellectus agentis. Certa sunt istarum aliqua atque, vt existimo, vera, nihil tamen definiunt, cùm dubium quæstionis non determinent neq; resoluant: adhuc enim mens nostra suspẽsa atque ambigua manet, nec quietatur, cùm difficultas non exhauriatur: & hac distinctionum turba atque conclusionũ multiplicatione intellectus potiùs cõfunditur, quàm res ipsa illustretur: distrahitur enim in varia, atque veritas, huiusmodi inuolucris & distinctionum ambagibus impedita, magis occultatur: igitur inuenta sunt ista, non ad rei expeditionem, cui maximum præstant impedimentum, sed ad capturam, ingeniorúmq; delusionem atque argumentorum fugam: veritas enim fucis tegi potest, opprimi autem non potest. Quo igitur doctrina constans sit atque perspicua, & veritas firma reluceat, atque ne mens nostra vltrò citróq; agitata turbetur atq; vacillet, ad quæstionem propositam vnica respondeo conclusione, quam mihi ex Aristotele & S. Thom. conijcio, ex locísq; superiùs citatis deduco, videlicet, Ens cõcretum quidditati sensibili primum est intellectus obiectum. Hanc vocat Caietanus vbi suprà cognitionem cõfusam & actualem: quoniam per eam confusè cognoscitur quod in obiecto actualiter reperitur. Et hoc quidem S. Thomas vocat quidditatem rei materialis 1. p. q. 85. art. 6. & art. 5. vocauerat quod quid est rei (vt Aristoteles in hoc capite) & artic. 3. vocauerat vniuersale. Quæ omnia nos circunscribimus atque comprehendimus per ens coniunctum quidditati sensibili, vt mentem ipsius Aristotelis teneamus, atque Scotum reijciamus asserentem, primum cognitum esse speciem specialissimam: ratio enim, quæ primò mouet intellectum, amplior est, quàm species specialissima, nẽpe ens concretum quidditati sensibili, vt ratione entis, essentia & esse notetur, quæ primam rationem rei obiectæ determinãt. Hoc autem, scilicet debere esse obiectum primum, probatur ab expositione terminorum: quoniam obiectum intellectus debet esse ens, non vniuersalissimè abstractum præcisiua atq; totali abstractione, vt nimis confusè siue transcendenter consideratur: quia mens nostra pro hoc statu non considerat primò ipsum esse à materia separatum: & eadem ratione primum cognitum ipsius intellectus non est ens abstractum formali abstractione, vt separatur ab speciebus atque generibus, quo modo metaphysicę est considerationis. Etenim ens est quod primò obijcitur, non tamen totaliter, aut omnino abstractum atque ab ipsis rebus materialibus seiunctum, sed alicui sensibili quidditati genericæ vel specificæ adiunctum: quoniam ens non mouet nostrum intellectum si à conditionibus materialibus omnino abstrahatur atque separetur: entitas enim à nostro intellectu non potest primò inspici, nisi vt attributionem habet ad aliquod phantasma. Ob id dicit Aristoteles textu 24. *Inest enim & in his indiuisibile quiddam, at fortasse non separabile*: & deinde tex. 30. *Quapropter ipsa anima sine phantasmate nunquam intelligit*: ens igitur, quod primò à nobis in hac via cognoscitur, non est omnino separatum, neque penitùs exuit immaterialitatem, aut abijcit sensibilitatem: vestitum ergo conditione quidditatis sensibilis, primò intellectui obijcitur. Secundò probatur ex natura potentiæ, scilicet ipsius intellectus possibilis, quem cap. 1. huius libri cum materia prima conferebamus; sicut enim in esse naturali materia in potentia est ad omnem formam atque nullum habet esse, ita etiam intellectus in genere intelligibilium in pura potentia est ad omnia esse: ob id quod primò offertur intellectui, est ens: atque adeò prima principia implicat

Vanæ distinctiones veritatẽ occultant.

Conclusio S. Tho. & Arist. propriis verbis ponitur & declaratur.

Caiet.

D. Tho.

Scotus notatur.

Ens cõcretum quidditati sensibili declaratur obiectum primũ intellectus quatuor rationib⁹.

constare nisi ex notitijs entis, quodlibet est vel non est: & sicut materia prima formam corporeitatis, ad quam primò est in potentia, ante omnes alias nunquam recipiet nisi modificatam & determinatam per aliquam aliam specialiorem formam (ordine rei & temporis, quanuis naturæ, ordinéque rationis semper intelligatur præcedere forma secundùm quòd corporea, vt Sanct. Thom. 1. p. quæst. 76. artic. 3. & 4.) sic intellectus primò respicit ens, & nihil recipit nisi sub specie entis, sicut nec materia nisi sub esse corporeo: tamen sicut esse corporeum determinatur aliqua forma, ita conceptus entis (qui quasi naturalis est intellectui, & sub cuius ratione intelligit, vsqueadeo vt non ens percipiat anima vestitum in ipsa apprehensione per aliquam rationem entis) determinatur aliqua particulari entis ratione: etenim vt visus nihil nisi sub ratione coloris videt, sic mens nihil intelligit nisi sub ente inclusum: tamen sicut materia formam corporeitatis sine forma particulari non recipit, & visus colorem non videt nisi in aliquo particulari colore, sic intellectus ens nisi determinatum quidditate sensibili primò non intelligit: & hoc est, quod Aristoteles tex. 24. dicit, *Indiuisibile quiddam, at fortasse non separabile*, id est, primum cognitum non est indiuisibile omnino separatum: & tex. 25. *Indiuisibile perinde, atque priuatio cognoscitur*: quia intellectus noster est in potentia, id est, coniunctus sensui, à quo pendet. Meritò igitur nostra conclusio sub illis verbis posita est, quòd iam communi scholæ voce quidditas rei materialis primum cognitum appellatur. Tertiò ex parte operationis ipsius intellectus, quæ similis est principio, à quo elicitur, & termino, ad quem terminatur: ergo cognitum primum ipsius intellectus his debet assimilari, vt perfecta sit assimilatio, non solùm in formali, sed in materiali conditione ipsius formæ, verbi gratia, in visu, qui non solùm assimilatur formaliter in colore, sed materialiter & specialiter in albedine: ergo in intellectu, vt perfecta fiat assimilatio, non solùm debemus respicere formalem rationem entis, ad quam intellectus est in potentia, sed etiam ad rationem materialem huius vel illius quidditatis: ergo ens separatum à quidditate sensibili neque primò

Ens non mediante conceptu superiori significat verū naturas, sed immediatè per seipsas 12. Met. tex. 28. et Caiet. de ente et essētia c. 1. q. 1. fol. 107. & 1. p. q. 13. ar. 5. et 6.

cognoscitur, neque offertur intellectui. Quartò ex natura animæ nostræ, quę quāuis vna ex parte de genere sit substantiarum separatarum, & immaterialis sit & abstracta, ex alia tamen parte actus est & forma substantialis corporis humani. Nihil mirabile dicimus, si substantia animæ, quæ separata est, corpori alligatur, & eius operatio etiam in corpore exercetur, cui est coniuncta: & ipsum quoque obiectum partim separatum sit, & per ipsum ens significetur, partim coniunctum; & sic per quidditatem sensibilem limitetur: operatio enim medium tenet inter naturam operantis & ipsum obiectum. vtpote quæ ab agente proueniens ad obiectum terminatur: modus enim operationis si modo naturæ respondet, & obiectum quoque respondere debet. Anima igitur intellectiua, quanuis sit forma separata, quandiu esse habet in materia, non potest sua intellectione primùm naturaliter attingere nisi ea, quæ habent esse in materia: vnumquodque enim sua operatione attingit, tanquam naturale obiectum, id, quod cum modo essendi ipsius operantis conuenientiam habet, & ex modo illo essendi conditio sumitur obiecti, sub qua primùm immutat. Et hinc est, quòd læsa imaginatione iudicium quoque intellectus lædatur (1. p. quæst. 84. artic. 8.) quoniam innatum nobis est cognoscere per comparationem ad res sensibiles & naturales: quia anima coniuncta corpori passibili debet habere obiectum relatum ad potentiam sub tali modo essendi. Vnde sumitur optima ratio ad probandum, quòd sicut intellectus possibilis indiget intellectu agente, vt de potentia essentiali ad actum primum reducatur, ita non ab alio agente reducetur de potentia accidentali ad actum secundum siue operationem, quia nunquam intelligimus nisi per conuersionem ad phantasmata, ad quorum illustrationem semper intellectus agens est necessarius (1. p. q. 84. artic. 7.) Adeò necessarium est, vt ens concretum quidditati sensibili obiectū sit, vt intellectus agens non solùm propter primam, sed secundam etiam intellectus operationem necessarius sit. Cùm autem audis, ens concretum quidditati sensibili, siue quidditas rei materialis est obiectū intellect⁹, intellige differētiā inter sensus, tā internos, quā externos ex vna parte, & ab intel-

Obserua.

Intellect⁹ agentis fūctio necessaria propter actū primū & secundū.

Intellect⁹ nō est solius accidentis, sed etiā substantiæ.

intellectu ex altera: quoniam nullus sensuum percipit per se substātiam, sed solùm accidens (nisi fortè per accidens, vt lib. 2. c. 6. dictum est) tamen intellectus sub inuolucris accidentium in ipsis phantasmatibus facit suo lumine apparere quidditatem rei materialis & ipsius substātiæ: quoniā intellectus vltra accidētia, per se etiā substātiam percipit: ideo quidditas rei materialis vtrūque circunscribit & substantiam & accidēs, intellectus autem ex phātasmate illustrato deducit quidditatē substantiæ. Primò vt ex virtute substantiæ, vti lib. 2. cap. 15. ad finē quæst. de numero sensuum interiorum dixi: quoniam sicut accidens, quia virtus est substantiæ, attingit instrumētaliter ad producendam substantiam, sic phantasma, id est, species accidentium in sensu, quòd virtus sit substantiæ, attingit ad producēdam substantiæ speciem instrumentaliter, illuminatum tamen à vi intellectus agentis. Patet hoc proportionabiliter loquendo: quia sicut accidens se habet ad producendam substantiam in esse physico, sic se habet accidentis species in esse intētionali ad ostendendam & deducendam substantiæ speciem & imaginem. Secundò, quoniam (vt lib. 2. & deinceps lib. 3. tex. 8. dictū est) sicut extimatiua vim habet cognoscēdi nō solùm per species sensatas, hoc est, aliquo sensu receptas, sed etiam vlteriùs habet virtutem producendi species insensatas, quę à nullo sensu externo deriuantur, vt de oue, quæ ex visione lupi inimicitię specie conficta ipsum fugit: sic sanè anima nostra ex phātasmatibus accidentium quidditatē rei materialis, non solùm accidētalis, sed substātialis elicit: igitur intellectus nō est solius accidētis, sed etiam substantiæ. Hoc autem Arist. significat nō solū hoc loco & cap. pręsenti, sed expresśè 7. Meta. tex. 4. vbi dicit, *Sed substantia omniū primū est ratione, & notitia, & tēpore, & natura:* ergo ex natura sua substantiæ cognitio præsupponitur cognitioni accidētis, siquidē accidētis esse non est nisi inesse: *Ratione*, quia ponitur substātia in definitione accidētis: *Tempore*, quia sola substantia separabilis est ab alijs, nullū autem aliorum prædicamētorum à substantia separatur: *Natura*, nam esse substātiæ pręsupponitur ad inesse accidētium: *Notitia*, quoniam accidentia non possumus exactè cognoscere, nisi quid ipsa sint deprehenderimus: at quid est accidentium ex substantiæ

Substātia accidente multipliciter prior

ratione pendet, quando accidentia non habent esse, nisi inquantum participant aliquid de cognitione substantiæ: aliàs non cognosceretur quid est alicuius accidentis: ob id sicut in accidentis communis ratione substantia communis ponitur, ita etiam in ratione accidentis proprij ponitur propria substantia. Quo fit, etsi paucarum substantiarū naturas proprias habeamus perspectas perfectè vsque ad vltimas differentias (vt dicit Arist. 1. Topic. cap. 4.) tamen negari non potest, quin hominis vltimam differentiam cognoscamus, similiter lapidis & elementorum: quanuis cælorum, herbarum, lapidum pretiosorum naturas non nisi communiter percipiamus: quādoque nidem ibidem dicit, necessariam esse inuētionem differentiæ ad cognoscendū quid est. Vtrunq; autem dixit Arist. lib. 12. Meta. tex. 39. illis verbis, *Susceptibile enim intelligibile & substātiæ, &c.* vult ibi probare Arist. intelligibile ad intellectum cōparari, vt perfectio refertur ad suum perfectibile: vnde quòd si obiectum intelligibile perfectio est intellectus, proinde consequitur, quòd pro prijssimè obiectum intellectus sit substātia ipsa in ā ipsa est quod quid est. Ob id Arist. tā solicitè & aduertēter dicit, intellectus est susceptiuus intelligibilis & substantiæ, qua suscepta intellectus fit in actu: & quia vnūquodq; inquantum est actu, est agēs, fit (vt ibidē optimè dicit D. Tho. explicādo illum textum & verba prædicta Arist.) vt illa intellectio fit secundùm transumptionem in intelligibile, & quòd intellectus per hanc transumptionē attingit intelligibile, & fit actu agens, operans & intelligens: de quibus pauca dixi suprà quæst. de intellectu agente fol. 364. Sed hæc sufficiant pro generali documento, cætera specialiùs & distinctiùs in solutione argumentorum suo ordine dicemus: patiuntur enim singula optimas difficultates, ad quas seorsum in responsione dicendum.

QVAESTIVNCVLA

An detur verbum mentis, & quare ponatur?

Primum argumentum Granatensis tāgit hîc disputatione secūda: tamē re vera neq; speciē à verbo distinguit, neq; verbi ratio-

Ad arg. Ad primū, quod

inquirit de natura verbi mẽtis. nem exponit: nec miror, quoniam res est difficilis, de qua mira est dissensio, etiam in schola D. Thomæ, cuius discipuli variãt, & ipse S. Thomas non est vno modo loquutus, cùm de hac re varias protulerit sententias, vt cõpulerit suos discipulos discrepare atq; dissentire. Fortasse nos breuiùs rẽ hanc resoluemus, & dicta S. Tho. conciliabimus, & ab eius schola omnem, Deo dante, dissensionem repellemus. Vt igitur faci-*Quæ reijcienda à primi argumẽti re solutione.* liùs nos expediamus, impedimenta principiò remoueamus: nam quod in argumento inuoluitur de quidditate relucente in phãtasmate satis arbitror explicatum fuisse præcedenti cap. 2. & obiter etiam de speciei intelligibilis necessitate: quia præter ipsam quidditatem (quæ vt moueat intellectũ ponitur) necessaria est species, vt informet ipsum intellectum possibilem, constituátq; in actu primo valentem iam intelligere. Sed ad id, quod in argumento specia-*Quare hic de verbo agatur.* liter quæritur, veniamus, videlicet an verbum sit necessariò ponendum, & quę ratio compellat ipsum ponere, & à quidditate in phantasmate relucente, & ab specie intellectui possibili inhærente distinctum: & vnde fit, quòd species illæ intelligibiles ad complendam intellectionem non sufficiãt, vt fit ipsum, quod actu intelligitur. Res est grauissima & valde necessaria, quę, quia semel in Philosophia nõ elucidatur, magnos *Opiniones variæ de verbo mentis.* peperit in Theologia errores. Mirabilis enim est de natura verbi apud autores dissensio: Nam Aureolus 1. d. 9. q. 1. apud Ca-*Aureol'.* preolum 1. d. 27. q. 2. nullum verbum dicit produci per actum intelligendi: neq; aliam rationem adducit, quàm quòd in specie intelligibili iam est res conspicua & veluti in speculo apparens. Scotus 1. d. 27. *Scotus & Durand.* quæst. 3. & Durandus ibi quæst. 2. eandem tenent conclusionem, quam communi probant ratione ex Aristotele lib. 9. Metaphys. tex. 16. & lib. 1. Ethic. cap. 1. statuente differentiam inter actionem immanentem & transeuntem, quòd immanens nullum habet opus præter actionem ipsam, transiens autem actio aliquod habet operatum præter ipsam: ergo per intellectionem non producitur verbum tãquam terminus ipsius. Scotus peculiariter suis *Scotus.* argumentis huc tendit vt probet, quòd si impossibile esset intelligere sine termino producto, quòd sequeretur, verbum semel productum aliud verbum producere, & sic in diuinis non esset sola verbi generatio. Durandus peculiariter instat, quia cùm spe-*Durand.* cies sit verbo imperfectior, non posset esse causa verbi. Deinde quia in voluntate per volitionẽ produceretur aliquis terminus. Rursum in angelis, licet per suam essentiam se videant, esset ponẽdum. Insuper in beatis respectu visionis beatificæ, vbi cùm obiectum sit præsens & proportionatum, videtur superuacuè poni huiusmodi verbum: & quia species & verbum sunt in eadem specie & natura, accidentia autem solo numero differentia non possunt esse in eodem subiecto distincta: ergo necessariò verbum non est ab specie ponendum distinctum. Non vacat, neque si vacaret, de-*Autoris mens.* ceret exactè ad vnguem nãturã verbi hîc examinare: cogeremur sanè sanctorum Patrum sententias & dogmata Theologiæ huc inuita venire. Ne ergo extra rem digrediamur, sat mihi fuerit, si scopum huius rei acu tetigero & monstrauero, vt dum firmissima Philosophiæ fundamenta iacimus, magnum momentum & præsidium ad confirmandam verbi diuini productionem comparemus: ab his enim vel paruis initijs & ineffabilis verbi generatio expendenda est. Ideo te, lector studiose, in his philosophicis ad maiora promouemus & præparamus, cupientes, ne paruus error in hoc principio, in fine, quem intendimus, maior euadat: enitar tamen breuiter rem hanc illustrare & elucidare. Et vt initium à re, in qua omnes *Verbũ ex communi conceptione generaliter deducitur.* consentiunt, faciamus, verbum mentis ponendum esse, rationi naturali consonum est, dictisque sanctorum consentaneum, diuinisque literis multum conforme. Omnia hæc vnica Sanct. Thomæ ratio probat 1. p. q. 27. artic. 1. in omni intelligente, ex hoc ipso quòd intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectę ex vi intellectiua proueniens, & ex eius notitia procedens. Hanc cõceptionem verbum cordis appellamus, verbo oris significatam: sic dicitur Sapientiæ 2. *Dixerunt enim cogitantes apud se non rectè* (refert enim colloquutionem impiorum) & Lucæ 7. *Videns autem Pharisæus qui vocauerat eum, ait intra se dicens, Hic si esset propheta, sciret vtiq; quæ & qualis, &c.* & Matth. c. 9. *Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se, Hic blasphemat.* Licuit ergo S. Tho. Augustino, omnibusq; sanctis, ex his, alijsq; locis quàm plurimis colli-

colligere, quòd sicut omne, quod ore dicitur, vocatur verbū oris, sic omne, quod mēte cogitatur, dicatur verbum cordis: quia sicut de loquutione externa audimus, ita de interna loquutione concipimus. Quare veritas hæc omni ex parte constat, & commu nis videtur esse consensio, quanuis in modo interpretandi magna sit dissensio. Sed descendendo ad verbi naturam explicandam, aduertēdum est, oportere intellectum priùs specie intelligibili informari, atque in actu primo constitui, vt deinde sese ad actum secundum promoueat. Itaq; ad perficiendam intellectionem tria contingere est necesse, Primum, vt intellectus specie obiecti intelligibilis informetur modo exposito cap. 1. & 2. Secundò necessum est adsit consideratio & cognitio intellectus, quæ est intellectus nostri operatio, per quā in se tertiò exprimit expressam similitudinem, quæ est forma rei intellectę: hanc autē vocamus verbum, quia est quod intelligēdo ex se profert & apud se pronuntiat intellectus: quare sicut species intelligibilis necessaria est, vt intellectus cōstituatur in actu primo (& ideo dicitur species impressa) ita verbum requiritur, vt intellectus perfectè constituatur in actu secundo (& ideo appel latur species expressa) quoniam intellectus primò patitur, deinde operatur & agit: hæc autē operatio ad verbum terminatur, quia nulla operatio est sine termino. Itaq; verbū mentis & species intelligibilis naturales sunt similitudines rei intellectæ, sed species principiū est intellectionis & primus actus intellectus: verbum autem obiectiuè termi nat intellectionē: est enim proprius & internus terminus actionis immanētis, quod facit, vt res intelligatur: quia est vltimum, quod potest intellectus operari: ideo habet rationem obiecti, vltimi, perfecti & cōpleti. Quod significabat D. Augustinus dū dicebat, verbū ex memoria fœcūda procedere, hoc est, ex intellectu iam per speciem intelligibilē in actu primo: quia species est veluti semen, quæ non aliter ad verbū deducitur, quàm semen ad fœtum & partum. Et Aristot. suprà tex. 8. postquam dixerat, quòd ex pura potētia intellect⁹ ponitur in actu primo per speciem, concludit dicens, *Factus autem vnumquodq; perinde, atq; is, qui dicitur actu sciens: quod quidē tūc accidit, cū ipse per seipsum operari potest*, vt sciens, qui adhuc est in potētia, vt cōsideret. Quare hactenus

Species à verbo distinguitur.

Vnde sit verbū necessarium aperitur.

apud omnes verè philosophātes manifestū esse debet, intellectionis terminū esse aliquē, quem nos verbū appellamus, siue distinguatur, siue nō distinguatur à re: de hoc enim alia est cōtrouersia. Nūc autem quod certū esse videmus est, quia sicut nulla est actio trāsiens sine termino, ita & immanēs nulla esse potest sine termino (re vel ratione distinguatur, parùm refert) sicut parturitionis proles est terminus, generationis ger men, illuminationis lux, depictionis imago, sic intellectionis verbum terminus esse debet, quod quędā est mentis proles atq; germen, lux etiam, qua se illustrat, & imago, quam specie intelligibili adumbratam & inchoatam perficit in verbo, & vltimis, viuisq; colorib⁹ actione interna & immanēte exornat: aliàs si non esset iste terminus intellectionis, esset intellectio, & nihil intel ligeremus: frustranea esset ergo intellectio, sicut frustranea esset calefactio, imo impossibilis, à qua nullus calor procederet. Cæterùm iam propriùs ad rem ipsam descendamus, & consideremus, S. Thomam variè de hac re loquutum fuisse, non tamen quòd ipse in hac re vacillauerit, aut in varias declinauerit sententias, sed sicut ætate procedebat, ita & sapientia crescebat, & suam do ctrinam potiùs perficiebat, quàm mutabat, instar optimi pictoris figuram ruditer adumbratā quotidie magis illustrabat. Quare quod in 1. d. 27. q. 2. artic. 1. dixit, verbum in simplici notitia nondum habere rationem verbi, non vult excludere simplices notitias, & quòd in sola composita intellectione sit verbum, cùm lib. 1. contra gent. cap. 53. doceat, in omni intellectione siue simplici, siue composita esse terminum & verbum proportionatum intellectioni. Cùm ergo dixit, nondum habet rationem verbi, intelligebat non esse verbum in sua vltima perfectione, donec intel ligat & enuntiet componendo & diuidendo: semper tamen est in omni actuali intellectione verbum, quod ei proportionatè respondet, vt in distincta intellectione verbum sit distinctum, in confusa confusum, in simplici simplex, in composita com positum: ita enim interiùs loqui contingit, sicut exteriùs confusè, distinctè, articulatè, tumultuariè, simpliciter & complexè. Deinceps 1. p. quæst. 85. art. 2. ad 3. videtur verbum ponere, vt obiectum sit pręsens & proportionatum: ob idq; in imaginatione

Inductione & exē plis actionē omnē habere terminū ostēditur.

S. Thomæ mens legitimè expenditur.

Obseruā.

ponitur idolum rei absentis, quod sibi format imaginariua, & est verbo mentis proportionale, quod in sensibus externis ob istam rationem non ita necessariò ponitur, quia immutantur à re præsenti & proportionata. Idem dicit quodlib. 5. art. 9. in corp. quòd respectu complexæ & incomplexæ intellectionis ponendum est verbum, & ad 2. asserit, in imaginatione aliquid verbo simile ponendum esse, quod non est necessarium in sensu exteriori, quoniam immutatur à re sensibili præsenti & proportionata: insinuans ea ratione poni debere verbum mentis, vt intellectionis detur obiectum præsens & proportionatū. Quapropter cùm vniuersale, quod est obiectum intellectus, nō sit in re, & phantasma & quidditas in phantasmate relucens nō proportionentur intellectui, vt perfectè & adęquatè in actu terminēt, necessum est verbū formari, in quo & vniuersale præsens sit & perfectè proportionatum atq; terminatū. Sed tamen hæc ratio licet bona sit, non tamen vniuersalis & adęquata: & ob id lib. 4. contra gent. cap. 11. adhuc perficitur, & in suo robore & vi constituitur, vt 1. p. q. 27. art. 1. quòd in omni intelligente est verbū, quoniam in omni intellectione est terminus: intellectio enim est, qua aliquid manifestatur, ideo omne intelligere est dicere. Atq; adeò docet ibi S. Thom. quòd nō est in prædicta doctrina sistendum, vt ad intellectionem limitetur, cùm vniuersaliter in omni actione non solùm transeunti, sed immanenti terminus sit, vt dictū est: in actione autem immanenti non solùm intellectiua, sed etiam sensitiua, & non solùm in interiori, vt imaginatiua, sed etiam in sensitiua exteriori, vt visiua, auditiua, &c. terminus proprius est proportionatus & intrinsecus, quodcunq; enim sentire actio est immanens: ergo non potest esse sine termino, qui internè, vbi actio est, eam terminet.

Nulla est actio sine termino.

Hæc est ratio fundamentalis, communis & necessaria sumpta à S. Tho. 1. p. q. 14. ar. 2. dicente, quòd in operationibus immanentibus, quæ manent in ipso operante, obiectū, quod significatur, est vt terminus operationis in ipso operante, secundùm quòd est in eo sic & operatio in actu esse dicitur. Quod ex Aristotele probat hoc 3. lib. tex. 36. & 37. & 38. quòd anima secundùm sensum & intellectum quodammodo est omnia: & 1. p. q. 55. art. 1. ad 2. quòd vis sensitiua est sensibile in actu, quia ex sensu & sensibili fit vnum: idem q. 85. artic. 2. ad 1. Vniuersaliter igitur omnis actionis non solùm transeuntis, sed immanentis, tam intellectiuæ, quàm sensitiuæ necessariò est ponendus terminus, qui in immanenti internus sit, & ita per sensationem efficitur sensus in actu, sicut per intellectionem intellectus in actu: nulla enim actio est, aut intelligi potest sine termino, quia inde habet essentialem differētiam, à qua specificatur: aliàs si actio esset sine termino, & ideo frustra, quod perinde enim esset, acsi nihil ageretur. Et si quærat quis, quomodo sensatio terminum habet internum & immanentē, cùm sit virtus materialis, & supra seipsam non reflectatur? Respondetur ex ijs, quę dixi lib. 2. cap. 5. in quęstione de sensu agente, quòd licet prima immutatio sensus sit à sensibili, ideo passiua, secunda tamen immutatio respectu sensationis ab ipso sensu est, ob id actiua: & ita lib. 2. de Aīa tex. 59. dicit Aristoteles, *Et sentire actu simile est, ac contemplari*, id est, immanens quidam impressæ formæ vsus: per quem modum facultas sensitiua, quæcūq; illa sit, iam ab obiecto fœcundata prolem parit, ad quam veluti ad internum obiectum per suam intendit operationem: semper enim actus secundus à primo distinguitur: & ita hoc internum sensationis obiectum per operationem producitur, non quòd necessariò habeat esse reale distinctum, sat est, quòd in ratione sensati in actu ab ipso sensibili in potentia distinguatur, vt sensibile moueat sensum, sensatum in actu eam terminet: & ita principium & finis diuersa sunt, & per sensationem producitur sensatum, non secundùm esse reale, sed secundùm esse sensati intra animam: nam per illam actionem immanentem sentiendi necessariò aliquid producitur, quod à vi sensitiua proueniat, & à sensatione procedat vt eius intrinsecus terminus & complementum: & sicut verbum in intellectu est quod intellectus de re intellecta concipit in seipso, id est, quædam similitudo concepta de re intellecta, ita terminus iste sensationis non est, neque comprehendit totum sensibile: ideo non terminatur primò & per se ad totum sensibile, vt in se est, quia neq; exhauritur, neq; penitùs percipitur, sed terminatur ad ipsum sensibile, vt est in actu sensatū, & quatenus à potentia sensitiua percipitur, quod minus

Fundamētū verbi mentalis per se & propriū.

In sensatione exteriori est terminus immanens.

Obserua subtilem philosophiam.

minus aliquid dicit, quàm fit ipsum sensibile in se: & ita istud sensatū in actu, quod est terminus immanens sensationis, mediat inter potentiam sensitiuam sentientem, & ipsum sensibile reale externum: quare terminus iste in sensatione ponitur, quanuis sensus sit materialis & nō reflectatur: quoniā directa est ista sensatio, ad rem vt actu apprehensam sensu tendens, & non supra seipsam conuersiuè. Et sicut si in beatis ponamus verbum (vt re vera ponendum est) verbum beatorum non est ad mensuram Dei, qui comprehendi non potest, sed ad mensuram luminis gloriæ & visionis beatificæ: sic sensationis terminus immanens & internus necessariò est ponendus, vt sit adæquatus sensationi & ei adæquatè commensuratus: quoniam sensatū illud ad mensuram adęquatam sensationis ponitur, non ipsius sensibilis. Pro qua re egregius locus est Aristotelis cap. sequenti tex. 28. vbi sentire confertur cum ipso intelligere, illis verbis, *Sentire igitur ipsi dicere solùm, ac intelligere simile est*: ibidem vide locum & nostrā expositionem. Neque adhuc his contentus S. Thom. consistit, sed vlteriùs procedit & docet adeò verum esse, quòd in omni intelligēte procedat verbum, & in omni actione immanenti necessarium esse ponēdum terminum internum & immanentem, vt etiam in cognitione angelorum, qua se per suam essentiam cognoscunt, sit ponendum verbum: Patet ex dictis & alijs locis, præsertim de potentia q. 9. art. 5. nihil differt, inquit, vtrum intellectus intelligat se, vel aliud à se, vtroq; enim modo format conceptum sui: quoniam quod intelligitur debet esse præsens in esse obiectiuo termināte intellectionem: quia principium & terminus intellectionis non est idem. Et formari potest similis ratio sicut in sensu: quia cùm cognitio angeli non sit sua essentia (licet per essentiam cognoscat tanquam per speciem) illius debet dari terminus adęquatus & proportionatus, terminans adęquatè ad mensuram ipsius cognitionis, non tamē ad mensuram propriæ essentiæ, quam fortasse non comprehendit: ergo cognitio angeli primò & per se terminatur ad verbum proprium: quoniam intelligere angeli non est suum esse, neque se comprehendit (1. p. q. 55. art. 1. & q. 54. art. 1. & 2.) illius ergo actionis & intellectionis angelicæ, quam de se habet, proximus & adæquatus terminus necessariò dari debet. Vlteriùs procedit doctrina S. Thom. vt omni ex parte sit consummata, in beatis respectu visionis beatificæ verbum esse ponendum: quoniam in illa actione immanenti debet esse terminus internus, immanens, adæquatus & proportionatus: sicut enim linea finita non est sine puncto, ita neque intellectio sine termino: Patet locis citatis & de potentia q. 9. art. 5. & 1. contra gent. cap. 3. t. ad finem dicit, videntes Deum in patria habere vnicum nomen, quo Deum nominant: habent ergo vnum conceptum, non tamen adæquatum & comprehensiuum, sed inadæquatū citra comprehensionem: aliàs non haberēt vnicum nomen, si conceptum vnicum nō haberent, vt 1. p. q. 13. artic. 1. in calce dicit; quòd nomen significat conceptum, quem explicat: & hoc sumptū est ex Arist. 4. Met. tex. 28. & ita explicat illud Zacha. vltimo cap. *In die illa erit Dominus vnus, & erit nomen eius vnum*, quia cessabit multiplex conceptus: et est expressa mens D. Augustini tom. 3. lib. 15. de Trinitate cap. 16. vbi sic explicat illud 1. Ioannis 3. *Scimus, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, &c.* quia verbum de Deo formabimus, quod neq; erit volubile, neq; fallibile, &c. Quæ omnia cōfirmantur doctrina S. Thom. opuscul. 14. de natura verbi, quod dicit obiectum esse, quod in ipsa anima formatur, & non extràt ideo erit in anima vt in subiecto, vt species perfecta & expressa ab ipso: in quo verbo res cernitur vt in speculo non excedenti id, quod in eo cernitur: si igitur verbum debet esse terminus actionis, & nō debet esse excedēs neq; excessum, ergo præter ipsam rem, quæ remotè & inadæquatè terminat, ponendum est verbum vt proprius & adęquatus terminus, quod verbum cordis appellatur, & est vltimum, quod intellectus in se potest operari: ideo habet rationē obiecti intellectus, per quod beatus vltimatè & completè non solùm Deo assimilatur, vt dicit D. Augustinus, sed etiam Deo pluribus vnitur modis, vt S. Thom. latè prosequitur opuscul. 63. Res iam in portu est, & doctrina nostra firma habet pręsidia, & potentissimum illud commune argumētum, quod omnes turbauit, solutum est, quod ex Aristotele lib. 9. Metaph. tex. 16. adducebatur. Noluit enim Aristoteles docere actionem transeuntem habere terminum, immanentem verò non habere, sed docet,

Simile optimum.

Angeli formant verbū.

In beatis est verbū.

Obserua.

Differentia inter trāseuntē & immanentem actionem.

quòd in transeuntibus operationibus necessariò esset aliquod opus præter ipsam actionem, quod in facto esse maneat transeunte actione, vt quod ædificatur manet transeunte ædificatione: tamen in actionibus immanẽtibus, quãuis sit aliquod opus internum, non manet transeunte actione. Ratio differentię est, quoniam in operationibus transeuntibus actio perficit operatũ, non autem operantem: actio autẽ immanẽs perficit ipsum operantem, & per se non trãsit ad aliquid exterius perficiẽdum. Ita vult Aristoteles, quòd in operationibus immanentibus (quales sunt omnes vitales) non est quærendum aliquod opus, quod maneat post vsum ipsius potẽtiæ. Eandẽ sententiam ponit lib. 1. Ethic. cap. 1. agens de fine actionum & artium, quod vbi aliquæ operationes cessauerint, restare potest opus vt in artificijs: at verò in operationibus vitalibus, vbi cessauerint, nullum præter ipsas relinquitur opus. Hoc autem adducit Aristoteles, ne quis suspicaretur, quòd cùm naturę humanę finis vltimus sit operatio, quę si definat esse, nullum opus operatum relinquit, ignobilior sit artibus, quæ opera quædam permanẽtia post se relinquũt: & operatio nostra, licet nullum opus relinquat, pręstantior est. Hoc igitur dixit, quòd siue pro fine habeat opus externum, siue ipsa operatio in se finis sit, nulla est differentia: quia semper operationes ipsis operibus ignobiliores sunt, quippe cùm operationes propter opera sint. Itaq; in Metaphysica intẽdit, quòd in immanentibus opus immanentis non maneat ipsa cessante, neque restat post ipsam: in loco autem Ethic. quòd siue maneat, siue nõ maneat aliquod opus, semper fines ipsarum actionum, propter quos actiones sunt, pręstantiores esse ipsis actionibus: finis ergo est & terminus aliquis in omni actione de mente Aristotelis, tãtùm abest, vt neget: à nobis enim est Aristoteles, & pro nostra sententia sunt adducenda ista loca. Imò in Metaphysica extẽdit operationes ad omnes immanentes & vitales, *quorum* (inquit) *nõ est aliud opus præter actionem, in ipsis existit actio*, hoc est, actio existit in agente vt perfectio eius, & non transit in aliquid exterius perficiendum, vt visio in vidente, speculatio in speculante, vita in anima, fœlicitas in fœlice. Ex quibus non sequitur, quòd si exteriùs non sit extra ipsum operantem aliquod opus aut finis, quòd in ipso operante neque opus sit neq; finis, cùm in augmentatione, nutritione & vitali calefactione (quæ sunt opera vitæ & immanentes actiones, quia manent in ipso agente) certa sint aliqua operata, fines & termini, qui manent in ipso agẽte & vidente, vt quantitas propria viuentis per augmentationem acquisita: substantia intima & propria per nutritionem conseruata in esse, quod vitali calore fouetur & continetur. Intrinseca igitur est differentia inter transeuntẽ & immanentem actionem: quia in transeunte aliquod opus post ipsam relinqui non repugnat, quatenus trãsiẽs est (aliunde enim nihil vetat, nil manere post ipsam, vt in illuminatione Solis) in immanenti autem repugnat aliquod opus post ipsam manere, quatenus immanẽs est (aliunde enim nihil vetat manere, vt si quãtitas per augmentationẽ acquisita, ipsa cessante augmentatione, vt in patria, quãtitas tamen cõseruetur: sed hoc non habet, quia immanens est) ideo essentialis est ista differentia, cæteræ verò sunt accidentales. Et cõuenientia inter has actiones ponitur ab Aristotele lib. 1. Ethic. cap. 1. quia omnis operatio siue transiens, siue immanẽs suo opere, fine & termino imperfectior est: opera enim operationibus sunt præstãtiora, quia operationes gratia operis & finis sunt: semper autem id, cuius causa aliquid fit, melius est ac præstantius, quàm id, quod eius causa est. Ex quo sequitur (cũ intellectio sit propter verbum, cuius gratia intellectio est, vt sit aliquod intellectum in actu) quòd intellectio imperfectior est verbo: similiter & species intelligibilis impressa imperfectior est verbo, quod est species expressa: & species ad verbum se habet perinde, ac imperfectum ad perfectum, & actus inchoatus ad completum. Qua in re deceptus est Ferrariensis lib. 1. contra gent. cap. 53. in fine, & Caietanus 1. p. q. 27. art. 1. Ex his commune argumentum de actionibus solutum est. Et præterea ad omnia argumenta Durãdi per hæc, quę diximus, satisfieri potest. Illud autem speciale Scoti argumentum supererat soluendum, nempe, quomodo ex omni intellectione procedat verbum? Quod verũ est: nec tamen sequitur, vt ad verbum aliud verbum necessariò sit ponẽdum: quoniam sufficit ipsa entitas verbi, quæ licet sine verbo non sit intelligibilis in actu, non tamen per aliam entitatem ab ipso verbo: sic enim esset

Motio animalis est actio immanẽs infrà q. ad 6.7.8. cap. in responsione ad 5.

Locus li. 1. Ethic. cap. 1. & lib. 9. Metaph. tex. 16. cõciliantur.

Omnes vitales operationes sunt immanẽtes, etiam motio animalis.

Immanẽtis, & trãseuntis actionis essentialis differẽtia.

Immanẽtis, & trãseuntis actionis cõuenientia.

Species et intellectio verbo sũt imperfectiores.

Argumẽta Scoti, et Durandi soluta.

esset processus in infinitum: est igitur verbum veluti lux, quæ, vt videatur, alia luce non indiget: ideo in diuinis nō est nisi vnicum verbum, quod modò examinare præsentis negotij non est. Resoluimus tibi, candide lector, quæstionem verè philosophicam iuxta illa, quæ initio lib. 2. Poster. Aristoteles de vnaquaq; re scibilia esse dicit. Ideo habes primò, esse verbum mentis, & quid sit, scilicet imago expressa per intellectum specie intelligibili informatū, ab ipso actu intelligendi procedens. Habes secundò, propter quid indefectibiliter & necessariò sit, nempe, vt detur intellectionis internus, proximus atq; adæquatus terminus per ipsam intellectionem productus. Tertiò habes, quale sit, videlicet quòd perfectius non solùm specie, sed etiam actu intelligendi: quia est vltima ipsorum forma, finis atque complementum. Habes quartò in quibus sit, & in quibus non: quoniam in omni actione immanenti est verbum, vel aliquid verbo proportionale. Sic igitur declarauimus de omni sensatione tam interna, quàm externa, & in vniuersum in omni actione vitali: quam doctrinam extende ad voluntatem in volitione, cuius datur etiam terminus intrinsecus, vt S. Tho. 1. p. q. 27. art. 3. vt probet productionem Spiritus sancti, qui est amor: in nostra autem voluntate intrinsecus terminus est volitum aut repudiatum, quod inclinationi & ponderi propensionis respondet in fieri, & in facto esse permanet ipsa naturæ inclinatio ad actum redacta. Ex quibus sequitur decisio multarum quæstionum, quæ in scholis non mediocre solent facessere negotium. Primò, quòd verbum realiter differt à reipsa intellecta: patet, quia verbum est terminus internus immanens, res autem vltimatè intellecta extrà est ex parte rei. Sequitur secundò, quòd verbum re differt ab intellectu: patet, quia est effect' eius. Tertiò, quòd verbum re etiam differt ab specie intelligibili: patet, quia illa habet se vt principium, & permanet actu intelligendi cessante: verbū autem finis est, & abeunte intellectione nō relinquitur. An autem realiter differat ab actu intelligendi, Scotus & Durandus tenent quòd non, quia nullo modo est verbum. In alio autem extremo Caietanus & Ferrariensis locis dudum citatis, quòd realiter distinguitur. Tamen media mihi quorundam grauissimorum virorū placet via,

Dictoris summa et quæstionis resolutio.

Notandæ illationes de distinctione verbi à potentia, et specie, & re externa.

De distinctione verbi ab actu intelligendi Autoris censura.

vt sit quidem ponendum verbum contra primam opinionem, non tamen realiter distinctum contra secundam, sed quòd sola ratione distinguitur, vt terminus à via, & lux ab illuminatione. Quod mihi videor probare, si non euidenti, probabili tamen & satis apparenti ratione: quia in omni actionis genere actio sola ratione differt à passione. Sic Aristoteles lib. 3. Phys. cap. 3. generaliter probat, & nos per singula possumus inducere: nam generatio à substantia producta non differt, calefactio à calore non separatur, neq; illuminatio à lumine, neq; motus localis ab vbi acquisito, siue à mobili ipso, loquutio à voce, scriptio ab scriptura: nulla ergo actio, quæ in patiente est, à passione distinguitur (dixi autem actionem esse in patiente, vt notarem ineptam quorundam opinionem actionem vnā ponentium in agente, alteram in patiēte: nam vnus est motus, vna transmutatio, vna via) ergo neq; verbum ab intellectione realiter distinguetur, sicut tempus similiter idē est realiter cum motu (nihil aliud est tempus, quàm numerus motus secundùm prius & posterius 4. Phys. à tex. 101. ad 106.) at tēpus reipsa est motus primi mobilis, qui motus à primo mobili non distinguitur realiter, nisi sicut modus rei ab ipsa re: moueri enim non est aliud, quàm mobile idem cōtinuò esse in alio & alio vbi, vbi autem nō est nisi superficies ipsius mobilis & locati per habitudinem ad partes loci. Itaq; termi nus motus localis est vbi, id est, superficies mobilis locati per ordinem ad extrinsecas partes loci in prædicamento vbi, non autē est superficies loci de prædicamento quantitatis: sic enim terminus motus localis distingueretur à motu: quare si in motu locali non distinguitur terminus à motu, vbi maior videtur esse distinctio, ergo nec in alijs motibus & mutationibus distinguetur: igitur nec verbū est distinctum ab intellectione. Ex quibus omnibus solutū est argumentum, & patet, quare quidditas in phantasmate relucens sit necessaria, vt obiectum motiuum intellectus: & quòd species necessaria est vt forma intellectus, quæ etiam est intelligendi principium. Præter hæc autem duo necessarium est verbum, vt sit intellectionis terminus & eius obiectū terminatiuum: & ob hanc causam meritò ad quæstionem de obiecto intellectus reducitur hæc quæstio de verbo mentis. Et si redar-

De motu tēpore & loco notādum.

Ad primū principale, & quare hîc de verbo agatur.

Solutio optimarum obiectionum.

redarguas, quòd verbum non possit produci per actum intelligendi: quia si (vt dictum est) non distinguuntur, idem esset causa sui ipsius. Secundò, quòd non possit esse intellectionis obiectum: quia cùm intellectio causa sit verbi, naturæ ordine prior erit ipso verbo: in illo ergo priori erit intellectio sine termino: quare perit fundamentum nostræ opinionis, atq; adeò totus ędificij fabrica ruit. Ad primum respondeo, quòd nihil est causa sui ipsius: tamen nihil prohibet, quòd sit sui ipsius causatio, vt calefactio, quæ secundùm rem à calore nō distinguitur, causatio est caloris, causa autem est ignis producens, à quo calor productus realiter distinguitur, non tamen realiter distinguitur à causatione, scilicet calefactione, cùm calor sit calefactio in facto esse, calefactio autem calor in fieri: ita verbum ab intellectione non distinguitur, sed intellectio realiter & est ipsum verbum & verbi productio: & intellectio verbū in fieri, verbum autem intellectio est in facto esse. Ad secundum respondeo, quòd ex prioritate naturæ non licet inferre prioritatem temporis: & cùm prioritas naturæ sit prioritas à quo, vt in postprædicamentis cap. 11. & 12. non licet inferre prioritatē in quo (hæc quoad formam, nec vacat, nec opus est terminos declarare) ita ex eo quòd calefactio est prius natura quàm calor, non sequitur, quòd in aliquo tēpore sit calefactio, in quo non sit calor: ideo licet productio verbi prius natura sit quàm verbum, non tamen stat, quòd in aliquo tēpore sit intellectio, in quo nō sit verbum. Imo addo amplius, quia non sequitur, quòd intellectio prius natura intelligatur, quàm verbum: quomā sicut calefactio non est intelligibilis sine calore, ita neque intellectio sine verbo: quia ipsa intellectio nil aliud est, quàm verbi formatio & proprij obiecti constitutio, quo formato & constituto intelligit: ergo sine verbo intellectio nō est intelligibilis: simul enim tempore intellectus verbum format, & formatū est atq; intelligit, quia nō est in intellectione processus de potētia ad actū: nec est intelligere actus imperfecti, sed est actus perfecti & existentis in actu: neq; intelligere ad verbum comparatur, sicut via imperfecta ad terminum perfectum, sed sicut actus ad obiectum in esse obiectiuo & immateriali terminatiuum: & hoc locum habet in sensu, vt quodlib. 8. artic. 3. quia

Verbū obiectū est intellectio nis.

& si fiat per modum passionis, iam formatus habet operationem & iudicium. Tandem patet, quomodo rem per verbum intelligamus, an sicut per imaginem, an sicut per speculū, an sicut per conspicilia? Respō detur, mirabilem esse in hac re autorum discordiam: ne tamen molestus amplius sim, duo breuissimè dico, verbum dicere rei similitudinem, quæ non est in conspicilijs: neq; est sicut speculum, quia speculum aliquid est distinctū à similitudine rei, quā in se repræsentat: verbum autem tantum est naturalis quædam & expressa similitudo rei adæquata ei, secundùm quod ab intellectu concipitur. Itaq; verbum est velut internum quoddam speculum, quod nihil aliud est, quàm viua quædam & naturalis similitudo rei non excedens id, quod cernitur: & ita in ipso videmus rem, quia viuū speculum est rei, & est id, quod cernitur, quatenus nō excedit rem intellectam: quia ipsummet verbū est quidditas rei expressa, ad quam proportionatè & adæquatè terminatur intelligere. Per hæc concordabis omnes discipulos S. Thom. & multa loca ipsius, quæ videntur dissentire, facilè interpretabere. Ad confirmationem respondetur, eam posuisse, vt ampliùs intelligamus non esse ab hoc loco alienam quæstionem de verbo, quando Aristoteles hîc tex. 21. & 22. dicit, proprium esse intellectus componere & facere vnum & omnia conformare, sicut de rebus ipsis docebat Empedocles: & ita res natura distantes intellectui in vnum componuntur, siue in re sint vnum, siue non: res autem materiales altiori potiuntur essendi modo & vnitate apud intellectum existentes, quàm vt sunt in seipsis. Et ita tex. 22. dicit Arist. *Id verò, quod singulos dictos conceptus componit, vnumq; facit, ipse est intellectus*: ergo intellectus est, qui facit in rebus vnum, & qui distantia componit, non temerario concursu, vt docebat Empedocles, sed vt ea, quæ sparsa sunt, ad vnitatem reuocet, & vna intellectione contineat, atque sub vno verbo tanquam indiuisibili quodam comprehendat. Hîc non consideramus, quid in re sit, siue substantiale, siue accidentale, siue per se, siue per accidens, sed de vi vnitiua ipsius intellectus, qui sub verbo connectit & coniungit, quæ quandoq; reipsa discrepant & diuersa sunt.

Quomodo per verbū rem intelligamus.

Ad cōfirmationē primi argumenti principalis.

Quæst-

QVAESTIVNCVLA

An intellectus singulare cognoscat?

Ad secundum principale, i quo de cognitione singularis. Ad secundum, in quo quæruntur multa circa cognitionem singularis, quod ab intellectu esse cognoscibile cõtendit ex omni parte manifestare, tam respectu potentiæ, quàm actus, obiecti etiam, atque modi. De qua re Granatẽsis hîc disputatione 3. tãgit, nihil tamen resoluit. Mihi verò nõ placet varias referre sententias, ne quæstio ista, sicut & præcedens, vsq; ad vmbilicum crescat & perducatur. Nominales facilè se expediunt dicentes, singulare cognosci posse ab intellectu, & irrident opinionem S. Thomæ. Durandus consequenter negato intellectu agente dicit singulare cognosci ab intellectu. Sed vt rem cum S. Tho. 1. p. q. 86. art. 1. & ibidem cum Caietano definiamus, certa ab his, quæ posita sunt in controuersia, priùs separemus. Et primò dico hanc quæstionem propriam sedẽ habere cap. 1. huius 3. tex. 9. & 10. vbi de obiecto intellectus agebatur, sed ibi non potuit commodè tractari: erãt enim alia principia necessaria ad eius enodationem, quæ cap. 2. & 3. elucidata sunt: vide illorum textuum interpretationem. Deinde omnib⁹ etiam, quotquot sunt, cõuenit in hoc, quòd intellectus aliquo modo singulare cognoscit, Primò, quia singulariter concipimus & de singularibus ratiocinamur syllogismo speculatiuo. *Singulare intelligimus.* Præterea ex singularibus mouemur ad agendum per syllogismum practicũ, vt infrà tex. 51. & 58. Tandem quia intellectus inter singulare & vniuersale distinguit: ergo vtrunq; cognoscit, vt de sensu communi arguebamus lib. 2. cap. 14. Tota controuersia huc deducitur, vt intelligam⁹, an recto intuitu intellectus singulare cognoscat, an solùm per reflexionem? S. Thom. loco nuper citato videtur cum Aristotele tenere, quòd non cognoscitur singulare ab intellectu nisi per inflexionem quandam, vt habet simile Aristotelis tex. 10. de linea inflexa, quæ eadem est cum extensa, modo tamen differente, quia à rectitudine in orbem inflectitur: sic intellectus, qui directè vniuersalium est, indirectè potest singulare cognoscere, ex eo quòd cùm intellectus intelligere enititur, se conuertit ad phãtasma, quod est phantasiam ipsam mouere, vt cõceptum formet illius singularis, cuius vniuersale cognoscere cupit: illud autẽ vniuersale cognitũ quia videt subsistere non posse, nisi in aliquo singulari, hinc indirectè intellect⁹ ducitur, vt singulare cognoscat per reflexionem supra vniuersale, & continuationem ad phantasmata. *Simile Arist. de linea extẽsa, & reflexa declaratur.* Tota autem difficultas est de modo, an scilicet intellect⁹ singulare cognoscat per proprium cõceptum singularis, & per speciem atq; similitudinẽ singularis, quam apud se habeat: quia difficile videtur, quòd intellectus formet conceptum eius, cuius speciem in se nõ habet, siquidem species principium est cognitionis? *Singulare quomodo cognoscatur.* De hac re Caietani sententia 1. p. q. 86. art. 1. videtur negare. Ferrariensis lib. 1. cõtra gent. à cap. 64. ad 67. in partem affirmatiuam inclinare videtur. *Caieta. Ferrar.* Pro cuius controuersiæ resolutione suppono, quòd intellectio nostra est intuitiua respectu quidditatis materialis relucentis in phantasmate: intellectio autem substãtiarum separatarum abstractiua est, quia non habetur per proprias, sed per alienas species, vt hîc tex. 24. 25. 26. *Nota de notitia intuitiua et abstractiua, tã in sensu, quã intellectu* similiter sensus, cùm intuetur rem præsentem loco & tempore circunscriptã, intuitiuam cognitionem habet: cùm verò à loco & tempore abstractam habet speciẽ & insensatã ab aliquo sensu exteriori, propriè dicitur abstractiua: ergo in intellectu respectu quidditatis materialis, siue præsentis, vt rosa in vere, siue absentis, vt rosa in hyeme: quia illud est intelligibile propriũ, illius est cognitio intuitiua: Dei autem & substantiarum separatarũ abstractiua, quoniam per alienas fit species. Aduerto secũdò, quòd licet omnis cognitio necessariò fiat per assimilationem, non tamen omnes assimilationes debent esse pares, sicut neq; omnes cognitiones æquantur: quædã enim sunt directè, quædam indirectè, quædã abstractiuæ, quædam intuitiuę: ob id diuersimodè fiet assimilatio, quia quando aliquid directè & intuitiuè cognoscitur, necessum est assimilatio fiat per propriam speciem, & cognitio per proprium conceptũ: quando autem indirectè & abstractiuè, nõ opus est, vt per propriam speciem fiat assimilatio, neq; cognitio per proprium conceptũ, sed sicut species est aliena, ita quoq; & conceptus: & ob id intellectus non cognoscit singulare per propriam speciem, quia intellectus abstrahit à singularitate, neq; singularis format proprium conceptum, sed per *Quatenus fiat cognitio per assimilationem.*

speciem ipsam & conceptum vniuersalis dicitur singulare indirectè & reflexè cognoscere, quatenus videt illud vniuersale in aliquo singulari subsistere, & illud vniuersale determinatur per coniunctionem & determinationem ad phantasmata. Vnde quia ille conceptus non est proprius ipsius singularis, neq; ad conditiones materialitatis & singularitatis determinatur, ideo ab intellectu, non cõceptu proprio singularis addicto hîc & nunc & cæteris conditionibus materiæ, sed abstractiuè & cõmuniter singulare concipitur, quatenus quidditas illa communis ad multos extendi iudicatur. Quare ille met conceptus, qui est proprius & intuitiuus quidditatis materialis, est cõmunis & abstractiuus ipsius singularis: singulare igitur cognoscitur ab intellectu per assimilationem & cognitionem, non propriam & intuitiuam, sed alienam & abstractiuam. Sed ex his non mediocris surgeret controuersia, si cognitio singularium perficiat intellectum? quod asserere videtur D. Tho. 1. p. q. 12. art. 8. cuius verba ad 4. sunt, Cognoscere autem alia singularia & facta eorum, nõ est de perfectione intellectus creati, neq; ad hoc eius naturale desideriũ tendit: at omnis cognitio natura sua videtur esse cognoscentis perfectio: ergo & cognitio singularium de perfectione intellectus est. Et ita S. Tho. asserit 1. p. q. 14. art. 11. & 3. cont. gent. cap. 59. quòd beati in verbo non solùm vident vniuersalia, sed singularia etiam: quoniam hæc cognoscere, ad perfectionem spectat, atq; ad beatitudinis cõplementum, satietatémq; desiderij: quapropter cognitio singularis perfectionem dicit intellectus. Nec valet euasio, quòd parùm perficiat, nam quod parùm perficit, perficit tamen: absolutè ergo proferendum singularium cognitionem per se intellectus esse perfectiuam. Resolutio collisionis huius in S. Tho. pendet ex distinctione intellectus in practicum & speculatiuum, de quibus infrà Arist. tex. 49. & D. Thom. 1. p. q. 79. art. 11. Modò dico, cognitionem singulariũ de perfectione esse intellectus practici (quod vult S. Thom. 1. p. q. 14. art. 11.) quoniam intellectus practicus pendet à cogitatiua, per quam singularia cognoscuntur: actiones autem singularium sunt. In quem sensum dicebat Arist. hoc lib. 3. tex. 20. illis verbis, *Non autẽ recordamur*, quòd post mortem non reminiscimur: quoniam, inquit, *passiuus intellectus extinguitur*, id est, phantasia, quæ singularium est, non manet; reminisci autem singulariũ est. Præsertim quòd S. Tho. nõ dicit, cognitionem singularium ad perfectionem intellectus pertinere, sed quòd cognoscere singularia ad perfectionẽ nostram pertineat: ad hoc autem sat est, quòd sit de perfectione practici intellect⁹. At respectu intellectus speculatiui, in quo nostra sita est beatitudo (1. 2. q. 3. art. 5.) cognitio singularium directè & per se non est perfectio eius: patet, quia obiectum, directè & per se specificãs intellectum, vniuersale est, nõ singulare. Ratio huius est, quoniam nullus intellectus creatus cognoscit singulare per speciem singularis: nam angelicus intellectus non habet nisi species vniuersales: et si singularia cognoscit, eisq; assimilatur, non per speciem distinctam ab vniuersali, sed per eam ipsam, quæ vniuersalis est (1. p. q. 57. art. 2.) humanus autẽ intellectus vniuersale directè cognoscit, à quo specificatur & perficitur: singularia verò solùm indirectè & reflexè cognoscit, vt Aristoteles tex. 10. huius lib. dixit, cuius verba sunt, *Alia verò esse carnis discernit, aut separabili, aut sese habente ad seipsam perinde, atque sese habet, cum extensa fuerit linea flexa*: ergo intellectus noster nõ cognoscit singularia in ipsorum singularium specie & forma, sed reflexè in forma & specie vniuersalis. Ferrarien. 1. contra gent. cap. 65. dicit, quòd singularia ab intellectu non cognoscuntur in specie propria ipsorum & propinqua, sed in specie communi & remota, quam Arist. reflexam vocat, nos alienam dicere possumus: argumento igitur est, quòd intellectus non perficitur à cognitione singularis, quia non habet speciem singularis specificantem & informantem intellectum, ac proinde quòd intellectus non format conceptum singularis: quare licet cognitio singularis non sit de perfectione intellect⁹ (vt patuit de intellectu creato) singularia tamen cognoscere, perfectionem intellectus indicat & manifestat, vt patet de intellectu increato & diuino. Sic enim omnia constãt, & S. Thom. sibi conciliatur, Aristotelésque elucidatur. Sit igitur pro resolutione vnica conclusio responsiua, quòd intellectus directè nõ format de singulari materiali notitiam propriam & distinctam, quam intuitiuam appellam⁹. Declaro singula: dixi directè, quia de indirecta & reflexa non est dubiũ, quin

Cognitio singularis quatenus sit perfectio intellectus.

Resolutio quæstionis de cognitione singularis.

secun-

secundariò intellectus singulare cognoscat sub vniuersali, per conceptum tamen & speciem ipsius vniuersalis: dixi materialis, quia singulare immateriale bene potest cognoscere intellectus (1.p.q.86.art.1.ad 3.) dico propriam, distinctam & intuitiuam, quia alienam, communem atq; abstractiuam bene possumus habere, non per speciem singularis, sed per speciem ipsius quidditatis vniuersalis (1.p.q.86.art.1.ad 4.) per hanc autem indirectam singularis speciem atq; notitiam intellectus sufficientissimè format propositiones singulares, atque etiam ex singularibus syllogizat. Sed præter hāc declarationem probari potest conclusio, Primò, quia proprium obiectum intellectus quidditas est rei materialis abstracta ab omni singularitate: ergo intellectus directè non cognoscit singulare. Secundò, si cognosceret singulare directè, igitur & intuitiuè & per propriam speciem: esset ergo singulare proportionatum intellectui: superuacaneus igitur esset intellectus agēs ad abstrahendum à phantasmatibus. Tertiò probatur, quia nullo sensu externo aut interno sentimus substantiam, sed sola accidentia: at sic est, quòd cognitio singularis substantiæ, quam format intellectus, abstrahitur ex notione accidentium: ergo neque est distincta, neque clara, neque intuitiua, sed propria est ipsius vniuersalis, cuius illa notitia est intuitiua, singularis autē confusa & abstractiua. Quare in verbo videtur quidditas distinctè, singulare autem confusè & indeterminatè: & ita præter verbum ipsius vniuersalis non debet poni verbum proprium ipsius singularis: quia singularis in intellectu non datur species, neq; notitia propria distincta ab ea, quę est vniuersalis. Ex his autē patet ad argumentum cum suis cōfirmationibus in forma. Ad primum, quòd singulare nō mouet intellectū, quia specificās & proportionatum non est, ideo magis distat à cognitione intellectiua. Deinde quamuis abstrahantur vniuersalia à phantasmate singulari, non tamen tanquam à noto, sicut visus abstrahit colorem à sapore, & saporem non cognoscit: & Mathematicus abstrahit à materia & motu, & tamen neq; materiam neque motum cōsiderat. Et cùm addis, quòd intellectus præstantior est sensu, &c. nō tamen sequitur, quòd formaliter possit id, quod sensus, sat est, quòd eminentiori modo id possit: quia cognoscitur singulare immaterialiter & abstractè (vt S. Thom. loco citato ad 4.) quod est superiori & nobiliori modo cognoscere singulare: & non repugnat intellectum intelligere singulare, qua singulare est, sed qua materiale est: ideo secundū illum modum materialitatis est repugnantia, non autem secundùm modum immaterialitatis. Ad primam confirmationem iam dictum est sufficienter. Ad secundā respōdet S. Thom. 1.p.q.85.art.1.ad 1. quomodo sit abstractio vniuersalis à singularibus sine mendacio: quia intellectus intelligit per modum sui immaterialiter quod in re materialiter existit: percipere autem vnum sine alio non est mendacium, nec est aliter concipere, quàm sit in re, sed vnum percipere altero non percepto. Ad tertiam confirmationem, quòd singulare (vt exposuimus) continetur sub vniuersali, quādo per ipsius vniuersalis speciem singulare percipitur, quo modo ad vniuersale potiùs habet habitudinem, quàm oppositionem.

Nota de verbo rei singularis. *Ad argumenta in forma.* *Obserua.*

QVAESTIVNCVLA
An specialissimum sit primum cognitum ab intellectu?

Tertij argumenti difficultas, quę de ordine cognoscendi est, si exactè & pro dignitate esset tractanda, certè plura dicere cogerer, quibus lectori non possem non esse onerosus. Omisso igitur ordine procedendi in scientijs (de quo alibi dictum est, vt in procemio horum librorum & lib.2.cap.4.) nunc pro materia propositi argumēti sat sit scire, quòd semper cognitio, siue sensus sit siue intellectus, à cōmuni incipit: sicut enim concipimus, ita & loquimur lib. 4. Meta. tex. 10. Cuius rationem reddit S. Tho. 1. p. q. 85. artic. 3. quoniam nostra cognitio tam secundùm sensum, quàm secundùm intellectum semper à communioribus est, quæ magis occurrūt potentię, vt ex lib. 1. Phys. cap. 1. tex. 1.3. & 5. probat, & manifestis experimentis inducit: quia in sensu siue secundùm locum, quando à longè quidpiam videmus, siue secūdùm tempus cum pueris priùs à communioribus incipimus, qui omnes viros patres, omnésque mulieres matres appellant: intellectus ergo semper ab vniuersalioribus incipit, sicut sensus à singularibus sub vniuersaliori & communiori nuncu-

Ad tertiū principale de ordine cognoscēdi.

nuncupatione, vt hoc ens prius est, quàm hoc animal: nam paulatim incipiūt res apparere, vt sub vniuersalioribus & magis confusis nominibus significantur: sicut materia, verbi gratia, corporis humani priùs incipit à forma vegetatiua, deinde à sensitiua, vt tandem animam rationalem recipiat: est enim anima vt tabula rasa, in qua, vt pingatur, rudis & adumbrata figuratio præcedit vltimam & exactam picturam: ideo anima, quę tabulę rasę cōparatur, paulatim depingitur, & cùm potentiæ materiæ sit persimilis, paulatim etiam de potentia in actū deducitur, vt tandem post multas intelligendi transmutationes contingat absolutam cōplere intellectionem, vti sensus priùs confusis notitijs obumbratur, vt demum exactioribus absoluatur. Quocirca aduertendum, hunc ordinem nō esse inuiolabilem & essentialem, cùm quandoq; contingat primam sensationem exactam & claram esse, similiter & primam intellectionem speciei esse specialissimæ: ergo neq; sensus neq; intellectus inuariabiliter hunc ordinem obseruat, vt priùs imperfectiores & communiores habeat notitias: aliàs oporteret quemuis etiam rusticum Aristotelis categorias formare. Sed vt in concordiam reducamus, notanda est distinctio, quam suprà lib. 2. cap. 1. de formis posuimus cum S. Thom. 1. p. q. 76. artic. 3. & 4. quòd formę communiores non informāt priùs materiam ordine rei, sed naturæ: itaq; sicut materia non est priùs sub forma corporeitatis, quàm sub alia forma secundùm ordinem temporis, sed tantùm secundùm ordinem naturæ & intelligentiæ, sic intellectus non intelligit priùs ens, ita vt per suos gradus descendat ad cognoscendum perfectissimum ens secundùm differentiam & distantiam temporis, sed secundùm ordinem naturæ: ita quòd nihil potest mouere intellectum, nisi priùs sub ratione prædicatorum superiorum: quia illa sunt formaliora & cognitiuæ potentiæ propinquiora: sicut visus non potest videre albedinem aut nigredinem nisi sub ratione coloris, qui est eius obiectum formale, sic neq; intellectus quidpiam potest determinatè & actualiter cognoscere, nisi sub ratione entis, quæ est ratio formalis obiecti intellectus: nihil enim est intelligibile nisi sub ratione entis. Vnde primum principium vniuersalissimum ad maiorem sui euidentiam ex notitijs entis componitur, quodlibet est vel non est: ideo secundùm ordinem rationis & intelligentiæ, essentialis ordo est & inuariabilis. Et sic intelligitur S. Tho. 1. p. & Aristoteles lib. 1. Phys. locis citatis: & quòd priora via generationis sunt imperfectiora lib. 8. Phys. tex. 58. & lib. 9. Meta. tex. 15. Quare argumēta Scoti (quæ habes apud Caietanum procemio de ente & essentia, desumpta ex 1. d. 3. q. 2.) quāuis probent, aliquādo speciem specialissimam distinctè & determinatè percipi, cū sit actualior & magis determinata, non tamen colligunt, quòd latenter & implicitè ens & cōmuniora quædam priùs non percipiantur, cùm species specialissima nisi sub ratione entis non sit intelligibilis: & si visus distinctè percipiat albedinem, nō tamen nisi sub ratione coloris, quæ est formalis ratio obiecti. Neq; opus est per multos actus intermedios trāsire, & sigillatim omnes, qui mediant, conceptus formare, sed quòd ratio formalis & origo omnium priùs necessariò cōcipitur, quàm ratio materialis: ens enim ad intellectum se habet sicut color ad potentiam visiuam. Cætera vide apud Caietanum loco citato, & tract. de nominum analogia cap. 4. & in dubio de conceptu entis. Ex his paucis facile tibi fuerit ea elucidare, & ad propositum argumentum in forma respondere, cuius confirmatio ex dictis suprà tex. 15. soluta est: non igitur sunt omnia molestè inculcanda, & repetenda: si quę autem desiderantur, petenda sunt ex his, quæ infrà dicimus de immortalitate animę ad finē huius 3. lib. Quandiu enim nostra anima in corpore est, habet se vt potentia (vt hîc Aristoteles dicit tex. 25. & 26.) ideo per species & suas operationes se cognoscit & inquirit, vt potentia per actum dignosci tur, & materia analogia ad formam est inuenta: ita anima nostra sese prodit, atq; reperit per propriam suam operationē: vnūquodq; enim est intelligibile, inquantū est actu: separata autē anima cognoscit se per suam essentiam, quoniā iam actu est, & non quia cognoscit se informari similitudine & specie obiecti & ab ipso vitaliter immutari, sed quia iam actus est per se, vt infrà in quæst. de immortalitate animæ latiùs: & habes elegantissimè apud S. Tho. 1. p. q. 89. quòd anima cognoscit secundùm modum illi statui cōuenientem, & vtitur speciebus hîc acquisitis, non intuitu & conuersione ad

Resolutio

Ad cōfirmationē de cognitione aiæ cōiunctæ & separatę in q. de immortaaiæ, maximè solutione ad 3. & 4. principale, & infrà text. 36. et 39.

ad inferiora phantaſmata,ſed intuitu & reuerſione ad ſuperiora,de quorum numero fit,nimirum iam de ordine per ſe intelligibilium & immaterialium effecta. Pergam⁹ iam tandem,quia quę deſiderantur,ex alijs locis ſunt recompenſanda.

CAPVT QVARTVM.

De conuenientia ſenſus cum intellectu,vt practicus intellectus ab ſpeculatiuo diſtinguatur.

Tex. 27.

SCientia autem ea,quæ eſt actu, eſt idem quod res. Ea verò,quæ eſt potētia, in vno prior eſt tempore,ſimpliciter autem neque tempore. Sunt enim vniuerſa,quæ fiunt, ex eo, quod actu eſt.

Scop⁹ Ariſtot. ī præſenti cap. & ratio methodi declaratur.

Continuatio doctrinæ plurimis ambigua eſt,de qua varia eſt cenſura,mihi tamē clara & aperta videtur: qua de re paucis meam dicam ſententiam,quo breuiùs poſſimus præſens caput enarrare. Etenim Ariſtoteles probat fundamētum huius doctrinæ poſitum ſuprà tex. 2. quòd intelligere ſit ſicut ſentire: cuius veritatem adumbrauerat & vniuerſaliter declarauerat lib. 2. cap. 5. tex. 57. 58. & 59. in præſenti autem ad viuum illuſtrat. Idcirco cap. præſenti videtur Ariſtoteles ad illud fundamentum ampliùs declarandum regredi, ne moles, quæ ſuper ipſum ædificata eſt, ruat & ſuo veluti pondere cadat,& dubium propoſitum à nobis tex. 3. omni ex parte diſſoluatur,cùm iam ex pręſenti loco conſtabit doctrinā Ariſtotelis categoricè,& non hypotheticè procedere(de quo vide quę dixim⁹ illo textu. 3. pro firmamento huius doctrinę)Pręterea eò Ariſt. mens toto hoc capite inclinat,vt oſtēdat pręter ſpeculatiuum intellectum,practicum eſſe ponendū. Quare his perceptis, nemini relinquetur occaſio calumniandi doctrinā Ariſtotelis,qui hæc tam iuſta neceſsitate inculcat, vt reſumpto & declarato principio,quod firmamentum huius doctrinæ eſſe dicebamus,gradum faciat ad diſtinguendum intellectum actiuū ab ſpeculatiuo. Totus igitur Ariſtoteles in præſenti cap. eſt, vt prędictis rationibus cōmuniones atque conuenientias ſenſus cum intellectu exponat, exactiùſq; interpretetur,vt venemur partes intellectus noſtri,& differentiā ſpeculatiui à practico nanciſcamur. Quamobrem iſtas ſuppoſitiones ſiue conuenientias Ariſt. non tam probat, quam manifeſtat: ideo totum hoc capitulum pura ferè narratio eſt ſuppoſitionū illius doctrinæ.

1. conueniētiā ex parte potentiæ.

Præſenti ergo textu reſumit quod ſuprà tex. 20. dictū eſt, de ordine prioritatis inter potentiam & actum: quoniam potentia in eodem ſecūdùm quid prior eſt, in diuerſis autē & abſolutè ſimpliciter prior eſt actus(lib. 8. Metaph. per totum & lib. 9. Metaph. tex. 13.) quare prior eſt in nobis intellectus in potentia & ſicut tabula raſa, quàm in actu recepta ſimilitudine obiecti fiat vnum cum ipſo intelligibili, vt ſuprà tex. 2. & infrà tex. 37. anima non tantùm fit vnū ex ipſo intelligibili,ſed fit etiā ipſummet intelligibile, non ſecundùm eſſe reale ad extrà, ſed ſecundùm eſſe intelligibile; quod à rebus ipſis materialibus ad eſſe immateriale tranſlatum eſt. *Sunt enim vniuerſa, quæ fiunt*(inquit Ariſt. præſenti textu)*ex eo, quod actu eſt*,id eſt,à primo omnium opifice dicit Philoponus: quod verum eſſe non negat Ariſtoteles,ſed hîc tantùm intēdit,nihil deduci de potētia in actum,niſi ab eo,quod eſt in actu: id vult Ariſtoteles nobis ſignificare,quamuis aliud non neget.

Tex. 28.

Senſibile autem ad actum ex potentia ſenſitiuum ipſum deducere, actúq; videtur efficere: non enim patitur, ac alteratur. Quapropter alia quædam eſt hæc ſpecies motus: nam motus, actus eſt imperfecti: at actus ſimpliciter, qui quidem eſt rei perfectæ, alius eſt omnino, diuerſuſque ab illo.

2. cōueniētia ex parte actus operati.

Ex materialibus, quæ ſenſu percipimus, incipit iam Ariſt. declarare immaterialia,quæ circa intellectum verſantur,cōparátq; ſenſum & intellectū. In primis ex parte obiecti, ꝙ ſicut ſe habet ſenſibile ad ſenſum immutando ipſum, & de potentia in actum deducendo(ſuprà lib. 2. tex. 58. & 59.) perſimili modo ſe habebit ipſum in

c telli-

telligibile in ordine ad intellectum quoad immutationem: nam sicut sensus in actu efficitur à sensibili, sic intellectus possibilis à quidditate rei materialis in illustratis phantasmatibus apparēte immutatur (lib. 2. loco citato hæc veritas declarata est.) Mox cōparat ex parte modi: quoniam sicut sensus immutatur sine motu ab ipso sensibili, ita & intellectus de potentia in actum trāsmutatur sine motu: non enim est vera passio, vt lib. 2. loco citato, & suprà in hoc 3. tex. 2. sentire ergo sicut intelligere pati est, non tamen propriè cum abiectione contrarij, aut temporis lapsu (per se loquendo neq; sentire, neque intelligere est pati.) Probat Aristoteles ex natura motus, qui est actus imperfecti, vt dicitur lib. 3. Phys. à tex. 6. ad 17. sed sentire atq; intelligere actus quidem est rei perfectę, quandoquidem ex natura motus subiectum in actu constituitur, sed imperfecto, hoc est, adhuc in potentia existēs: at per sensus & intellectus functiones subiectum cōstituitur in actu perfecto, neq; manet in potentia, sed cōsummatur & terminatur, quia in passione ꝓpria & motu physico manet potentia cōiuncta actuis: at in sensione & intellectione non est nisi actus sine potentia. Quod vt faciliùs intelligas, cōcipe, quòd omnis motus relinquit subiectū, quod mouetur vt potentiale, hoc est, vt tendens actualiter ad perfectionem: quod enim loco mutatur, quod alteratur, similiter & id, quod augetur, transferūtur à potentia in actum: at quod videt, quod intelligit, iam est in actu perfecto, & nō tendit vlteriùs, sed sistit in eo, eoq; fruitur. Vnde meritò suprà tex. 2. sentire & intelligere qualitates esse dicebamus, quia sunt operationes absoluētes sensum, consummātes intellectum, vltimatè determinantes potētias, & intra se immanenter internū habētes terminum (sic de verbo mentis dicebamus suprà quæst. de obiecto intellectus ad primum) si ergo sensus & intellectus per suas functiones cōsummantur & perficiuntur, sentire atq; intelligere actus erunt perfecti, & qualitates quædam absolutæ, tantum abest, vt sint motus: non enim relinquunt subiectum in potentia, quod actualiter tendat ad perfectionem, vt cōtingit in omni motu, sed potiùs constituitur subiectum in vltimato & actuali esse, quod per illam transmutationem habere possunt. In instanti enim acquiritur tā in sensu, quàm in intellectu terminus ille immanens, de quo in quæst. de verbo mentis, licet per accidens paulatim possit sensibile sensui applicari, & etiam intellectui per accidens possunt cum successione temporis phantasmata applicari: in motu ergo pars quædam est acquisita, & in actu, pars autem vt acquiratur in potentia: sentire autem atq; intelligere totum esse habent simul, & instantaneè producuntur. Meritò igitur arguendi sunt, qui iam æquiuocè motu vtentes animæ naturam obscuram reddidēre, vt de Platone & alijs refert Aristoteles lib. 1. cap. 3. maximè contra Platonem textu 45.

Scire, & intelligere nō est propriè pati, imo est qualitas, suprà textu 2.

Obserua.

Sentire igitur ipsi dicere solùm, ac intelligere simile est. Cùm autem sensus iucundum, aut molestum discernit, quasi affirmauerit, aut negauerit, tum persequitur, aut fugit. Atque delectari, aut dolere, est operari ipsa medietate sensus ad bonum, aut malum, vt talia sunt: & fuga, & appetitus, qui est actu, hoc sunt: & non aliud est appetitiuum, aliud fugitiuum: nec alia sunt ista à sensitiuo, quanquàm ipsorum ratio non est eadem, sed diuersa. *Tex. 29.*

Tertiò assimilat Aristoteles sensum & intellectum in operatione: quoniam sicut sensus primam habet operationem simplicem sui obiecti apprehensiuam, sic intellectus habeat operationem simplicem quidditatis & essentiæ apprehensiuam, de qua cap. 3. dictum. Deinde sicut in sensu apprehensionem obiecti iudicium sequitur, quod in sensu efficit conuenientis aut nociui sensum, vnde voluptas sequitur aut dolor: sic in intellectu post simplicē apprehēsionē sequitur iudicium de bono prosequēdo, aut malo fugiendo: itaq; vt sensus primò sensibilium formis receptis sensibilia cognoscit, inter quę diiudicat, tū iucūdum & molestū animaduertit, postremò illud sequitur, fugitve: sic intellectus primùm apprehēdit res, quas

3. conuenientia ex parte operationis.

quas cognoscit, tum boni & mali rationem animaduertit, tandem prosequitur vnum, alterum verò declinat: quanuis ergo functio intellectus immaterialis sit, sensus autem operatio materialis est. Multa sunt in vtroq; paria, haud dissimili proportione sibi correspondentia: simplex enim apprehẽsio sensus simplicem, quæ est in intellectu, declarat: iudicium verò sensus intellectus iudicium exponit, vt non abs re Aristoteles primam sensus operationem cum prima intellectus, & secundam vnius cum secunda alterius conferat. Expende tamen pro expositione literæ, quòd in intellectu est affirmatio & negatio; in sensu verò est prosequutio & fuga: quoniam in sensu non est perfectum & exactum iudicium, sicut in intellectu: ideo notanter Aristoteles dicit, *quasi affirmauerit aut negauerit*, per notam illam *quasi*, quę diminuit rationẽ iudicij, notat supremũ iudicij tribunal, quod in ratione est, quanuis instãtia prima & ruralè quoddam iudicium sẽsui tribuatur. Præterea aduerte, quòd iudicium sensus externi de dolore, voluptateve Aristoteles dicit fieri in medietate sensus; id est, non in exteriori sensu secundùm se, sed intercedente sensu communi, qui exteriorum sensuum obiecta & operationes discernit; ad illum igitur, qui in centro & medio eorum situs est, iudicium de conuenienti aut desconuenienti refertur: hanc autem amici aut inimici apprehẽsionem necessum est sequatur prosequutio & fuga (naturaliter enim vnumquodq; prosequitur sibi conueniens & nociuum fugit: amabile autem bonum est, vnicuique autem proprium) sicut ergo sensus & intellectus assimilantur in causa apprehensionis, sic in effectu iudicij, prosequutionis aut fugæ. Tandem aduerte, quòd sentire (inquit Aristoteles) *ipsi dicere solùm, ac intelligere simile est*: per intelligere simplicem intelligit apprehensionem, per dicere autem iudicium; qui enim iudicat quidpiam, apud se loquitur: vt videas, quòd in sensu suum etiam est dicere, suum etiam loqui, & pronuntiare sententiam: quare in operatione sensuum est suus terminus immanens, qui respondet verbo mentis, quod ab hoc loco Aristotelis non malè deducitur, & Caietanus diligenter exponit 1. p. q. 27. art. 1. dicere autem addit supra intelligere, quod est intelligere exprimendo & pronuntiando: ergo si in sensu est suum dicere, suum etiam erit pronuntiare, quia sentire actus est perfecti & absoluti & cõpleti, sicut ipsum intelligere. Benè ergo dicit Aristoteles, quòd *sentire ipsi dicere solùm, ac intelligere simile est*, hoc est, sentire apud sensum, quod est apprehendere & iudicare, simile est ac dicere & intelligere per intellectum: nisi quòd in sensu, cùm nomina neque posita sunt, neque expressa, expendenda sunt ex intellectu, vbi nomina distinctè & clarè posita sunt singulis operationibus, quibus omnibus in sensu aliquid proportionale respondet. Cùm autem subiungit Aristoteles, *Et non aliud est appetitiuũ, aliud fugitiuum, &c.* vsque ad finem huius textus, tacitè increpat Platonem, qui (vt lib. 1. de Anima tex. 90. dicitur) in diuersis partibus corporis potentias animæ collocabat: dicit enim, quòd appetitiuum & fugitiuum cum sensitiuo non differunt subiecto. Præterea tacitam soluit obiectionem: nam posset quis obijcere, quòd fugitiuum & appetitiuum sint diuersæ potentiæ, quia habent actus diuersos iuxta doctrinam traditam lib. 2. de Anima tex. 33. sentire, appetere & fugere distincti actus sunt, ergo à distinctis potentijs? Nullam esse istam consequentiam dicit Aristoteles: quoniam verum est actus illos distingui, quia vnus sine alio esse potest: potentia autem & principia, à quibus sunt, non distinguuntur subiecto, vt lib. 2. de Anima tex. 20. *Vbi namq; est sensus, ibi dolor etiã existit, atq; voluptas. At vbi sunt hæc, ibi necessario cupiditas etiam inest*; appetitus igitur aut fuga sine sensu non sunt; malè ergo eas subiecto distinguebat Plato, quia quanuis realiter aut formaliter distinguerentur, simul esse possunt in eodem subiecto: in lapide enim grauitas & densitas in eodem subiecto sunt cum principio mouendi à disconuenienti loco ad locum conuenientem: at licet re vnum ab altero non separetur, vnum tamen formaliter saltem non est aliud. Sic igitur in proposito, appetitiuum & sensitiuũ, quæ realiter distinguũtur, in eodem subiecto conueniunt: fugitiuũ autem & appetitiuũ sola ratione discrepant, nam fugitiuum quoddam est appetitiuum: quicunq; enim fugit disconueniens, eo fugit, quia appetit consequi aliquid sibi conueniens; omnis ergo affectus ab amore est. 1. 2. q. 25. art. 1. & 2. Distinctio autem actuum nõ est præcisa ratio arguendi distinctionem potẽtiarum, & ita

Quædam verba textus expẽduntur.

Singularis collatio.

Dicere, et verbũ in sensu.

Tex. 30.

Distinctio actuũ

quatenus ostēdat potentias diuersas. & ita potentiæ per actus non distinguuntur affirmatiuè, sed negatiuè: quando enim sunt actus, qui non possunt egredi ab vna potentia, oportet à diuersis procedant potentijs sic inter se differentibus, vt actus inter sese differunt. Et quando iam inualuit, quòd potentiæ per actus, & hi per habitus, hi insuper per obiecta distinguuntur, intelligi debet, per actus, non secundùm rationem materialem, sed secundùm rationem formalem: & sic distinctio actuū affirmatiuè etiam colligit distinctionem potentiæ: quia ratio potentiæ, quæ desumpta est ab obiecto tanquam ab origine & radice, ad idem obiectum rectâ regreditur priùs exeundo ad actus, per quos deinde consummat habitus, quæ omnia sunt intra latitudinem obiecti formalis ipsius potentiæ: appetitiuum ergo á fugitiuo sola ratione distinguitur: qua enim virtute graue accedit ad centrum, recedit à loco sursum sibi inimico: appetitiuum autem alterum est à sensitiuo, illi tamen subordinatum: quia nihil potest appeti, cuius non præsupponatur cognitio: nihil enim refertur in incognitum, vsqueadeo vt entia naturalia & inanimata dicat Aristoteles lib. 2. Phys. tex. 49. dirigi ab intelligentia non errante.

Tex. 30. Animæ autem, quæ principium est ratiocinandi, ipsa phātasmata perinde, atque sensibilia, sensui ipsi subijciuntur, atque cùm bonum, aut malum esse dicit affirmando, aut negando, tum fugit, aut persequitur. Quapropter ipsa anima sine phantasmate nūquam intelligit.

4. conueniētia per modū corollarii inducitur. Progreditur vlteriùs Aristoteles in assimilatione sensus & intellectus, affirmatq; quòd sicut sensus se habet ad sensibilia, sine quibus nihil sentit, sic intellectus ad phantasmata, quibus deficientibus non contingit intelligere. Quod patet in pueris & dormientibus, quandiu phantasmata habilia non sunt instrumenta intelligendi: & sicut hoc verum est in prima operatione & apprehensione, ita etiam in secūda: quia sicut sensus se habet ad delectationē & dolorē, vnde prosequutionem arripit aut fugam, sic intellectus ad bonum & malum, de quo cùm affirmauerit vel negauerit, prosequitur aut fugit. Similis ergo est proportio sensus ad sensibile, & intellectus ad phātasma: vtraque enim potentia ab illis vt suo obiecto pendet, nisi quòd post apprehēsionem in sensu statim est sensio voluptatis, dolorisve, vt inde fuga aut prosequutio comitetur: at in intellectu ante cogitationē delectationis aut tristitiæ prosequutio est aut fuga. Itaq; in sensu desiderium vel fuga hō sequuntur immediatè ipsam apprehensionem obiecti, sed mediante dolore aut voluptate: in intellectu autē immediatè post apprehensionem boni vel mali ante cogitationem delectationis aut tristitiæ prosequutio est aut fuga. Ratio autem differentiæ est, Prima, quia quæ in inferiorib' sunt diuisa vt in sensu, in superioribus vt in intellectu vniuntur: per pauciora enim facit intellectus, quæ pluribus exequitur sensus: Secunda, quia sensus non apprehendit nisi bonum particulare, per cuius conuenientiam sensu delectationis aut tristitię stimulari debet ad prosequutionem vel fugam: intellectus autem, qui immaterialis est & circa vniuersalia versatur, statim ex bono vel malo apprehenso, non expectato delectationis & tristitiæ stimulo, bonum eligit & malum fugit: aut quia quod est sensui conueniens aut disconueniens, id apud intellectum est bonum aut malum: ideo sæpenumero intellectus sensuum iudicium transcendit, & eorum impetus coërcet, refrænatq;, atq; ab eo, quod delectat, auertit, & tristia eligere compellit, arripitque mens quædā, quæ sensus fugit. Multa enim sunt quæ sensum delectant, quæ mens abhorret, & latere anguem sub herba docet, & aliud indicat nobilius & præstantius toto corde appetendum, amplectendumq;: non ergo vniuersa, quæ sensui iucunda aut molesta sunt, cum vero rationis bono consentiunt: quo proposito & demōstrato bono excitatur, animaturq;, & quasi inuitatur ipse appetit' sensitiuus, vt rationi obediat. Philoponus vult Aristotelem actiuum intellectum alligari phantasmati, sed non contemplatiuum, cùm tamen cap. sequenti tex. 39. de speculatiuo intellectu eadem verba inducat Aristoteles ibi, *Qui contemplatur, necesse est vnà cum phantasmate contempletur.*

Differentis inter sensum et intellectū

Philop.

plietur: ergo ſine phantaſmate non intelligimus, quamdiu anima in corpore eſt. Rationem reddit S. Tho. 1. p. q. 84. art. 7. quia potentia proportionatur ſuo obiecto: at obiectum intellectus coniuncti quidditas eſt rei materialis exiſtentis in aliquo particulari: non poteſt ergo cognoſcere, niſi ſecùdùm eſſe, quod habet in particulari. De anima autem ſeparata aliud eſt, vt in quæſtione de immortalitate animæ dicemus.

Tex. 31. Fit autē & hic perinde, vt ibi. Nam aēr quidem pupillam talē efficit, ipſa autem aliud: & auditus ſimili modo. Ipſum verò vltimum, vnum quidē eſt, & medietas vna; at ipſius plures ſunt rationes. Quo verò dijudicat, atq; diſcernit calidū à dulci differre, dictum & prius eſt, & nūc etiam eſt dicendum: eſt enim vnū quid ipſum, & ita vnum, vt terminus.

Sēſus cōmunis & intellect⁹ proportio. Proportionē ſenſus ad intellectum perſimilē eſſe, probare perſequitur Ariſt. dixerát ſimiliter ſubijci phātaſmata intellectui, ac ſenſibilia ſenſui: nūc autem docet, quòd ſenſibilia priùs mediū afficiunt, deinde ſenſus immutant, & vſque ad vltimum terminum & centrum ſenſuum exteriorum, qui ſenſus communis eſt, progrediuntur. Eſt igitur ſenſus communis, qui terminat immutationes ſenſuum exteriorū, veluti punctus vltimus lineæ terminus & cētrum circuli: quia vnus ſenſus eſt ſecundùm eſſentiam, plures autem & ſecundùm rationem diuerſus, vt circuli centrum re vnum punctum eſt, ratione autem plura, quatenus in ipſum omnes lineę à circunferentia cadentes concurrunt. Quare vt ſenſus communis terminat omnium ſenſibilium immutationes, ſic intellectus circa phantaſmata ſe habet, quòd re atq; numero vnus eſt, plurium tamen phantaſmatum immutationes terminat: ideo ſicut vnus eſt ſenſus cōmunis, qui ſenſibilia omnia terminat & recipit, ita vnus intellectus plurium phantaſmatum incurſiones & impetus recipit. Dictum eſt de ſenſu communi lib. 2. tex. 134. atque ſicut vnus ſenſus communis ſecundùm diuerſas rationes diuerſificatur inter ſenſus exteriores, & circa eorum immutationes iudicium exercet, & quaſi earum iudex arbiter ſedet; ita intellectus ſublimius habebit iudicium, & excellentius de phātaſmatibus exercebit arbitrium. Etenim ſenſus exteriores vt ſuffraganei ad communem ſenſum, vt Metropolitanum, iudicium auditori confluunt; tunc autem phantaſmata, quaſi ad ſuperiorem appellando, Metropolitani ſententiam ad ſupremum ſummi Pōtificis tribunal deferunt, vbi omnia per intellectum terminentur & definiantur, tanquam in excellentiſsimo & ſummi faſtigij conſiſtorio. Quocirca ſicut ex parte ſenſus erant plura ſenſibilia, quæ iudicabantur ab vno ſenſu communi: deinde in virtute & modo immutandi ſenſibilia vſq; ad ſenſum communem afficiūt: & tertiò vnus eſt ſenſus communis, qui diſcernit & iudicat: quartò diuerſis operationibus iudicium exercet, atque diuerſis afficitur ſpeciebus: ita intellectus (inquit Ariſtoteles) *eſt vnum quid ipſum, & ita vnum, vt terminus*, hoc eſt, proportione quadam intellectus ſenſui cōmuni reſpondet, vt vnus idemque intellectus primùm plurium phantaſmatum, vt plurium linearum terminus vltimus, immutationes terminet, & plura ipſa phantaſmata diſtinguat & expendat: & ſic in numero proportionantur, tam quoad vnitatem potentiæ, quàm multitudinem obiectorum, in modo etiam immutandi, diſcernendi virtute, operationum varietate, ſpecierum mirabili diuerſitate, & in multis alijs, quæ diligens lector excogitabit: rectè ergo intellectus confertur cum ſenſu communi, cui accommodata proportione reſpondet. Ex hoc textu habent Auicennas & Ochā, & plures Nominales teſtimoniū Ariſtotelis, vt deponant illam ſuam ſententiam, qua ſpecies ſenſibiles negant, cùm (vt nos diximus ſuprà lib. 2. tex. 115.) hîc eas ponat Ariſt. dùm dicit, *Nam aēr quidem pupillam talem efficit*, id eſt, quodammodo coloratam. Idem habes de ſpeciebus intelligibilib⁹, quod repetit ad finem textus ſequentis 32. & tex. 38. & dixerat ſuprà tex. 6. manifeſta ſunt & expreſſa loca ad probandas ſpecies tam ſenſibiles, quàm intelligibiles.

Pulchra collatio ſēſus & intellectus.

Species ſunt in anima.

Tex. 32. Atq; hæc ipſa vnum ſunt, aut ſimilitudine rationis, aut nume-

ro,quem habent ad vtrunq; , vt illa inter sese habēt. Quid enim interest,si quonam pacto,discernit aut ea,quæ non sub eodem genere collocantur,aut contraria, dubitemus,vt album, ac nigrū? Sit igitur vt est A , quod est album, ad B,quod est nigrum,sic C, ad D: quare mutato ordine comparationem etiam eorūdem verè facere licet. Si igitur C D sint vnum,ipsa profectò sese habebunt perinde,atq; A B,vt sint idem & vnum, non eandem autem habeant rationem,& illa simili modo. Eadem erit omnino ratio, &

si A quidem sit dulce,B	Album A	Dulce C
verò album.	B Nigrum	D Amarum

Sēsus cōmunis cū intellectu cōfertur.

Præsens textus nil continet nisi præcedētis exemplum & probationem in terminis à permutata proportione,vt probet,vt sensus communis sensibilia distinguit;ita intellectum phātasmata discernere:vnus sensus communis diuersorum est sensibilium, sic vnus & idem intellectus diuersorum phantasmatū.Sic enim nectitur argumentatio permutatæ proportionis, Sit igitur A album , B nigrum , C phantasma albi , D phantasma nigri : quam igitur rationem habet A ad B,eandem habet C ad D , id est,sicut A & B sunt vnū numero & proportione cum sensu communi , sic C & D eadem proportione adunantur in intellectu: Ratio est, quia sicut sensibilia sensui, sic phātasmata intellectui subijciuntur:per album autem & nigrum cætera sensibilia audiamus. Eadem enim erit argumentatio si A sit dulce , B album,id est,diuersorum sensuum sensibilia:vt autem omnium sensuum sensibilia, etiam ad diuersos sensus spectantia, coëxistunt sensui communi, & vt lineæ in centro concurrunt,sic phantasmata vniuersa ad intellectum confluūt, vt dijudicentur: siue homogenea sint, siue eterogenea, hoc est, diuersæ aut eiusdem rationis,ratio semper procedit. Voluit autem Arist. his terminis vti, vt in Philosophia naturali, quantum rei natura patitur, ostensiuè rem alioqui difficilem demonstraret.

Intellectiuū igitur ipsas formas in phantasmatibus ipsis intelligit.Et vt in illis ipsi definitum est id,quod fugiendum est, vel sequendum : sic & sine sensu cùm in phantasmatibus est,mouetur. Sentiens enim signum face datum ignem esse, vidensque ipsum cōmuni sensu agitari motu, cognoscit hostem accedere. At nonnunquam hisce,quę sunt in anima, phantasmatibus, aut mentis conceptibus , quasi videns,ad ea , quæ sunt præsentia, ratiocinatur,atque deliberat de futuris. *Tex.33.*

Conclusio est præcedentis textus,videlicet , quòd intellectus in phantasmatibus intelligat relucentes quidditates. Vnde declarat & infert Arist. quomodo intellectus se habeat affirmando & negando:& vt definiat quid prosequendum & fugiendum, dicit , quòd cùm intellectus rerum naturas in phantasmatibus determinatas inspiciat tanquam in proprijs simulacris,fit, vt sicut sensus non excitat appetitum sensitiuum, vt prosequatur aut fugiat, nisi prius quid iucundum,molestúmve repererit,sic intellect⁹ rationalem appetitum ad prosequutionem vel fugam non stimulat , nisi prius adsit & concepta sit boni , malive opinio, vnde affirmet,negétve fugę aut prosequutionis actionem : & sicut intellectus sic cōmouetur nō solùm phātasmatibus rei præsentis(vt signo dato in militia facis ascēsæ, hostes adesse monstratur)sed etiā in absentia ex his,quæ anima per ratiocinationem colligit,

collligit, & per conuersionem ad absentia phantasmata ex his, quæ anteà nouerat, deducit instare hostes, aut imminere periculum, & ex his, quæ communiter accidunt, deliberat de futuris.

Tex. 34.

Et cùm dixerit, hic, aut ibi rem eam esse, quæ voluptatem, aut dolorem affert, tum fugit, aut persequitur, & omnino aliquid agit. Ipsum etiam verum, ac falsum, quę sine actione sunt, in eodem genere sunt, in quo sunt bonum, ac malū: sed absolutè differunt, atq; cuiuspiam ratione.

In vltimis tribus huius capitis textibus tria determinat Arist. præsenti enim texto, quo modo intellectus speculatiuus à practico differat: in duobus autem sequentibus quo pacto circa mathematica, naturalia & res à materia abstractas se habeat. Di xerat enim intellectum nō intelligere nisi in phantasmatibus, à quibus determinatur: nonnihil tamen hac in parte inter contemplatiuum & actiuum intellectum differt: quoniam licet vtriusque obiectum verum sit vel falsum, speculatiuum verum totum est in speculatione positum, practicū autem verum actione ipsa conficitur & completur: & speculatiuus intellectus verum & falsum simpliciter & in vniuersali considerat: practicus autem non abstractè & vniuersaliter, sed in particulari applicando ad operabile: actiones enim in particularibus sunt. Hinc est, quòd practici intellectus, cuius est finem & media considerare, scopus ad agendum propositus est, cæteras potentias ad agendum commouere, & de actionibus perficiendis dictare, atque conclusionem speculatiui intellectus accipere, & alia ratiocinatione actiua ad agendum admouere. Vide lib. 6. Ethic. cap. 2. & ibi Eustratium, & lib. de communi animaliū incessu, & quæ diximus cum S. Thom. 1. 2. à q. 6. ad 17. inclusiuè, vbi fusè dictum est de actibus humanis, & q. 65. artic. 1. quòd conclusio practici intellectus, si vera sit & efficax, debet esse ipsum opus in exercitio positū, quia est efficax applicatio ad actionē & vsum: nam cùm practicus intellectus

Obiectū vtriusque intellect. practici & speculatiui.

Conclusio practici intellect.

peruenit ad vltimam illationem & imperium rationis, efficaciter operatur, nisi adsit impedimentum. Exempla sunt apud Aristotelem lib. illō de incessu animalium: vide D. Damascenum lib. 2. de fide ortho, cap. 24. & 25. & Gregoriū Nisenum lib. 5. de viribus animæ cap. 4. & 5. Quod autem dicit hic Aristoteles, *Ipsum etiam verum ac falsum, quæ sine actione sunt, in eodem genere sunt, in quo sunt bonum ac malum*, non est sic accipiendum, vt quidam contendunt, quòd verum & falsum sunt obiectum speculatiui intellectus, bonum tamē & malum practici, cùm vterq; intellectus habeat verum pro obiecto sub ratione veri (differentiam autem statuit S. Thom. 1. p. q. 79. artic. 11. quia speculatiuus nudam veritatem contemplatur, quam practicus intellectus ad opus ordinat) sed sic accipiendum est, Primò, vt sint in eodem genere prędicamenti, quia sunt qualitates verum & bonum. Secundò, quia in eodem genere subiecti bonum & malum sunt, nempe in intellectu, vbi materialiter bonum reperitur: quoniam licet bonum per se respiciat voluntatem, tamen verum & bonum, quia conuertuntur cum ente, se inuicem includunt (vt ibidem dicit S. Tho. ad 2.) nam vérum est quoddam bonum, alioquin non esset appetibile: bonum autem est quoddam verum, alioquin non esset intelligibile: ergo sicut obiectum voluntatis potest esse verum, non vt tale, sed vt habet rationem boni, sic obiectum intellectus bonum esse potest, non tamen vt bonum, sed sub ratione veri: quare intellectus practicus verum ad bonum ordinat sub ratione veri: vterque enim intellectus veritatem cognoscit, vt proprium obiectum, sed practicus veritatem ad opus dirigit. Vel dicamus tertiò, in eodem gradu perfectionis verum & falsum esse in eodem genere, in quo bonum & malum: quia sicut verum totum bonum est intellectus, ita falsum totum malum est intellect. ideo permutata proportione in voluntate verum tota est eius bonitas, falsitas autem tota est eius malitia: quare intellectui veritas & falsitas bonitas sunt aut malitia ipsius, voluntati autem bonitas aut malitia sua est veritas aut falsitas.

qualiter sit efficax.

Verū, falsum, bonū, et malū quatenus in eodem genere trifariam.

At verò res eas, quæ vocitantur ob abstractionem abstractę, Tex. 35.

hoc pacto intelligit. Nam vt si quispiam simitatem, non vt est simitas: quo quidem pacto percipi separata non potest, sed vt concauitas est, intelligeret actu, sine ea tum ipsam intelligeret carne, in qua concauitas est. Sic cùm res intelligit mathematicas, tum separatas ipsas, vt separatas intelligit.

Ostenderat intellectum, siue practicus sit siue speculatiuus, sine phantasmate nihil intelligere: vnde dubium suboriri posset, quomodo anima intelligat mathematica, quæ cùm abstracta sint à materia, phantasmate carere videntur? Huic tacitæ obiectioni videtur Aristoteles occurrere iuxta doctrinam positā lib. 2. Phys. tex. 18. quòd mathematica secundùm esse cōiuncta sunt materiæ, tametsi secundùm considerationem abstrahantur à materia sensibili: quod sine mendacio fit, quia non ponuntur extra materiam sensibilem, quod esset mendacium, sed considerantur absque materiæ sensibilis consideratione, vt si quis albedinem cōsideret, non considerata musica, aut sapore. Idem dicitur lib. 13. Metaph. c. 3 & præsenti textu declaratur, vnum sine altero cognosci posse, quod est extra rationē ipsius, vt simitas, quæ à Naturali, vt simitas est, sine nasi carne cōsiderari nō potest: quoniā caro nasi est de sua definitione, simitas enim est nasi cōcauitas: Mathematicus tamen non considerat simitatē, vt simitas est, sed vt concauitas, vbi sine materia sensibili percipitur, cum materia tamē intelligibili curuitatē ergo sine naso & carne intelligere nullius rei natura impedit, *sed vt concauitas est* (dicit Arist.) *intelligeret actu*, id est, formaliter: quo modo Mathematicus res actu nō separatas à materia sensibili sine ipsa sensibili materia cōsiderat: quare cū nō sint abstracta à materia intelligibili mathematica, absq; phātasmatibus non intelligentur: re enim ipsa in materia sunt sensibili, & materia intelligibilis in consideratione manet; idcirco vt intelligūtur, non sunt res omnino spirituales secundùm esse & cōsideratione à materia & phantasmatibus separatę. Totus iste sermo ex obliquo Platonē carpere videtur, qui cùm hunc modū cognoscendi aut abstrahendi non perspexerit, separatas ideas inuenit. Melius Aristoteles excogitauit, nobisq; exposuit intellectum agentem, cuius ope & illustratione res materiæ concretas anima intelligat, licet à sensibilibus dependeat, & phantasmatibus alligetur.

Physici et Metaphysici cōsideratio.

Omnino autem is intellectus, qui actu intelligit, res ipsæ est, vti diximus. Si verò fieri possit, vt aliquam ipse, non separatus à magnitudine, separatarum rerū intelligat, necne, considerandū est posteà. *Tex. 36.*

Quia quispiam posset redarguere, non posse nos intelligentias & separata entia intelligere, quoniam separatorum à materia nullum est phantasma, occurrit Aristoteles de separatis à materia secundùm esse nondum esse determinatum & metaphysici negotij esse, vt lib. 6. Metaph. tex. 2. à quibus in præsenti abstinet, ne proprias Physici metas trāscendamus, & ne Physicus in Metaphysici messem falcem suam mittat: nōdum enim manifestum est substantias separatas esse, & si sint, ignoramus quę, quot, & quales sint. Quare huius dubij solutio apud Aristotelē desideratur: vel quia morte præuentus librum illum Metaphysicæ non edidit: vel ad nos translatus nō est: vel quia quæ tradita sunt, adeò sint implexa, vt Aristotelis mens ambigua & obscura esse videatur. Alberto tamen placuit, hāc quæstionem Aristotelem determinasse lib. 10. Ethic. cap. 9. vbi in contemplatione substātiarum separatarum nostram fœlicitatem collocat. Idem videtur dixisse lib. 1. Ethic. cap. vltimo & lib. 2. Metaph. tex. 1. quòd oculi nostri ad manifestissima naturæ, non vt oculus cæci, qui non iudicat de coloribus (lib. 2. Phys. tex. 6.) sed vt oculus noctuæ se habet, qui licet malè & ægerrimè Solē videat, videt tamen: & lib. 9. Metaph. tex. vltimo, quòd nostri intellectus ignorantia de separatis intelligentijs non est qualis cæcitas, quæ penitus rem ignorat & nullatenus attingit. De mente igitur Aristotelis potest anima peruenire ad simplices & separatas sub-

De cognitione substantiarū separatarū, et immort. aīæ ad finem hui⁹ libri disputatur loco 12.

substantias cognoscendas: sed sub dubio his locis loquutus esse videtur, sicut lib. 1. de cælo tex. 100. quoniam lib. 12. Metaph. tex. 17. *si posterius aliquid maneat, perscrutandum* esse dicit. Verum est, lib. 8. Phys. de primo motore & cæteris orbium motricibus intelligentijs egisse, & clarius lib. 12. Metaphy. à tex. 42. nihil tamē de opinione Aristotelis certum habemus, quoniam lubricè & obscurè semper loquutus est. Idcirco intellectum, quem toties his libris separatū esse docuit & immistum, hic dicit non esse à magnitudine separatū: intellige cum Caietano hic; aut ad differentiam intellectus agentis, qui separatus dicitur tex. 20. aut ad exprimendam difficultatem intelligēdi separata à materia, quæ est concretio intellectus cum corpore. Hęc igitur est causa, quę videtur prohibere cognitionem separatarum substantiarū: tātisper enim dum aīa in corpore est, non habet operationem, quæ sine phantasmate fit. Et ita habet alia trāslatio, *Ipsum existentem nō separatum à magnitudine*, id est, quandiu existit à magnitudine non separatus: antè vocauit ipsum absolutè separatum, nunc autem secundùm quid cum hoc addito, vt existit in corpore, non intelligit sine phantasmate, à quo dependet in operando: & hæc est ratio difficultatis in hac materia, concretio intellectus cum corpore, cuius anima est actus, & quòd obiectum intellectus quidditas sit rei materialis, quæ videntur impedire rectum aspectū substantiarum separatarum. Tamen quicquid sit de opinione Aristotelis, veritas iam constat ex S. Tho. 1. p. q. 85. art. 1. & q. 88. art. 1. & alijs, & lib. 3. contra gent. à cap. 45. Caietanus ibidem, & de ente & essentia cap. 6. quòd possumus substantias separatas intelligere, eo quòd suprà tex. 15. dictū est, ꝙ anima ex suis actibus seipsam cognoscēs peruenit in vestigium cognitionis substantiarum separatarum, quia ipsa separata & immaterialis est (1. p. q. 88. art. 1. ad primū) & naturalia abstrahit à materia sensibili indiuiduali: deinde mathematica à materia naturali separat, vt tandem in Metaphysica & res separatas ab omni materia cōsideret (lib. 6. Metaph. tex. 1. 2. 3. 4.) aut vana esset illa doctrina, quæ nullum ens separatum omnino à materia haberet suæ considerationi subiectum. Tamen quia hæc cognitio substantiarum separatarum ex similitudine sensibiliū & remotione imperfectionis sumitur, ideo non est quidditatiua: quia ipsas substantias neq; clarè, neq; distinctè intuemur, neque penetramus quid sunt, sed quid non sunt, id est, quòd nō sunt sensibilia. Cuius rationem habes apud Aristotelem suprà tex. 15. quia intellectus noster in potentia est, quandiu est in corpore: nihil ergo cognoscit, nisi similitudine sensibilium à phantasmatibus abstracta: separatarum autem substantiarū nulla sunt phantasmata: ergo directè non attinguntur ab intellectu, cuius obiectum est ens concretū quidditati sensibili: ideo intellectus agens non agit nisi à phantasmate determinatus: neq; intellectus possibilis natus est recipere, nisi ex habitudine ad phātasmata. Quapropter non intelliguntur quidditatiuè & intuitiuè per modum similitudinis, cùm nihil sit in intellectu, quin priùs fuerit in sensu: neq; possumus eas penetrare & ex effectibus percipere, quoniam non habemus aliquod opus, quod sit separatis & altissimis intelligentijs proportionatus & adæquatus effectus, vt intelligere propria est animæ nostrę operatio: sanè cęlorum in orbem agitatio extrinseca & imperfecta est intelligentiarum operatio. Quapropter intellectus noster corpori coniunctus, in vita hac mortali naturaliter operando non poterit intelligere substantias separatas: quoniam nulla intellectio, quæ suapte natura arctatur ad phantasmata sensibilia, extenditur ad substantias illas separatas: quicquid dicat Auerrois in præsenti tex. & 2. Meta. tex. com. 1. & in epistola de beatitudine animæ cap. 1. 2. & 4. Isthæc magna indigebant perscrutatione; tamen quatenus inuestiganda sunt ex operatione animæ nostrę, quæ medium debet esse ad inuestigandam animæ immortalitatem & naturam substantiarum separatarum, cogimur ad illam quæstionem de immortalitate toties promissam illa remittere, & ampliorē discussionem reseruare: nunc ab huiuscemodi disceptatione supersedendum, quoniam pergere oportet, vt ad illum locū liberiùs peruenire valeamus.

Caiet. *Obseruã.* *Tex. 37.*

SVMMA CAPITIS.

In quo Aristoteles, vt declaret intelligere, quæ propria est animæ operatio, ex ipso sentire, quod est manifestius proposito fine, quem intendit, tres ponit sensus & in-

tellectus præcipuas conuenientias, ad quas quatuor inducit corollaria, quibus obiectum practici & speculatiui intellectus distinguitur.

Capitis scopus, et propositũ Arist. *Scientiam in actu res scitas esse ex eo patet, quòd sensus ipsum est sensibile in actu: persimilis enim ordo est in sensu & intellectu, siue secundùm actum, siue secundùm potentiam consideres.*

1. conuenientia. *¶ Sicut sensibile sine motu de potentia in actum sensum reducit, sic intelligibile ad intellectum se habet: sentire enim & intelligere non sunt actus imperfecti, sed simpliciter actus sunt rei perfectæ.*

2. conuenientia. *¶ Sentire perinde se habet, ac dicere & intelligere in intellectu: vtrobique enim & suum iudicium est, atque sua affirmatio & negatio, vnde prosequutio aut fuga succedit.*

3. conuenientia. *¶ Phantasmata intellectum, cui subijciuntur, sic afficiunt, & comitantur, ac sensibilia sensibus subiecta per suas accommodatas vias ad sensum cõmunem, quasi ad vnum iudicem & tribunal, adunantur: similis est proportionis ratio, quam permutatis terminis instar Mathematicorum ostendit.*

1. corollarium. *¶ Cùm anima sine phantasmatibus nil, quandiu in corpore existit, speculetur, in ipsis etiam præsentibus, aut ex ipsis practicus intellectus de particularibus deliberat.*

2. corol. *¶ Practicus intellectus, siue speculatiuus de vero est aut falso, quæ cum bono & malo in genere conueniunt.*

3. corol. *¶ Mathematica intelligimus, quia sola consideratione à rebus separantur.*

4. corol. *¶ Si separatas intelligentias percipiat intellectus, nondum est manifestum, Metaphysici est negotii.*

CAPVT QVINTVM

Doctrinam de intellectu resumit, atque absoluit.

Tex. 37. NVnc autẽ ea, quæ de anima dicta sunt, quasi ad quædam capita redigentes, rursus dicamus animam ipsam ea vniuersa quodammodo esse, quæ sunt. Nam ea, quę sunt, aut intelligibilia sunt, aut sensibilia. Atq; scientia quidem est res eę quodammodo, quæ sub ipsam scientiã cadũt: sensus autem ipsę sensibiles: verùm quo pacto id ita est, quæratur oportet.

Omissis multis, quæ de intellectu dici poterant, quæ metaphysicæ sunt potiùs quàm physicæ perscrutationis, Arist. summatim quæ de anima dicta sunt tam ab ipso, quàm antiquioribus Philosophis complectitur atq; perficit; & quasi per recapitulationem ad certa principia reuocat, vt apertiùs ostendat vera esse ea, quæ de sensu atq; de intellectu probata sunt, cùm autoritate ipsius vetustatis comprobari videantur lib. 1. tex. 25. omnibus tamen conueniebat, cognitionem fieri per assimilationem & vnionem. Renuntiat Aristoteles veram esse sententiam, cùm anima quodãmodo omnia sit; sensibilia scilicet secũdùm sensum, intelligibilia secundùm intellectũ. Sed quoniam præsentis textus rationem & causam in sequẽti Arist. pollicetur, ad eum pertranseo.

Scinditur igitur in ipsas res scientia, atque sensus. Is quidem, qui est potentia, in res potentia tales: is verò, qui est actu, in actu similiter tales: & scientia pari modo. Sensitiuum autem animę, & id, quod scientijs affici potest, hæc potentia sunt: hoc quidem id, quod sub scientiam cadit, illud verò sensibile. Atqui necesse est, aut res ipsas, aut formas, in anima esse. At non sunt in ea res ipsæ profectò: non enim ipse lapis in anima, sed forma lapidis inest. Quare anima est vt manus. Manus enim, instrumentorum est instrumentum, & intellectus formarum est forma, & sensus itidem sensibiliũ forma. Tex. 38.

Præcedentis textus conclusionem, nimirum animam omnia esse, præsenti textu limitat & modificat, cùm docet animam esse quodammodo omnia, id est, non vt antiqui philosophabãtur, quòd anima ex reb' ipsis secundùm suum esse reale & naturale componeretur, sed secundùm esse intentionale: ideo

ideo dixerat, *Animã ipsam ea vniuersa quodammodo esse, quæ sunt*, videlicet, quia omniũ rerum speciebus informatur, quæ recipiũtur in anima secundùm sensum vel scientiã, hoc est, secundùm sensum vel intellectum, quæ sunt proxima cognoscendi principia: vt ita ex his, quæ de sensu & intellectu determinata sunt, animæ naturam deprehendamus, quæ aliter se habet, ac antiquitùs opinatum est: quia licet anima scindatur & diuidatur quemadmodum ipsæ res, vt scilicet aliæ sint sensibiles, aliæ intelligibiles, ita anima in ipsas res non naturaliter & materialiter, sed formaliter & intentionaliter transmutetur: & sicut res aliæ sunt actu, aliæ potentia (quæ sunt primæ entis differentiæ & prima rerum diuisio, ad quam solet Aristoteles omnem disputationem redigere, vt cap. 2. dicebamus) ita anima siue secundùm sensum, siue secundùm intellectum actu fit ea, quorum species actu recipit, potentiã autem vel quando apta est recipere, vel quando in se habitu quidem retinet. Subdit rationem Aristoteles ibi, *Non enim ipse lapis in anima, sed forma lapidis inest*: malè ergo ab antiquis dictum est, animam ex rebus ipsis materialibus componi: debemus autem dicere, animam quodammodo esse omnia, quatenus omnium formis & speciebus intentionaliter afficitur: species enim appellantur ab Aristotele formę, non quòd materia non sit pars quidditatis (lib. 1. de gener. cap. 3. probaui materiam ad quidditatem pertinere) sed vocat formas, quia non sumuntur secundùm esse naturale, sed secundùm esse quidditatiuum & formale, vt suprà lib. 2. cap. 12. Quo fit, vt sicut anima quodammodo est omnia entia, ita homo quodammodo est vniuersæ res: & sicut manus dicitur instrumentũ instrumentorum (quod hîc dicit Aristoteles, & lib. 4. de partibus animalium cap. 10. & Galenus lib. 1. de vsu partium cap. 4.) ita intellectus est formarum forma: etenim quod manus est homini (multa scilicet instrumenta) ad plures actiones vtilis (quod ibidem latè Aristoteles prosequitur) hoc est nostræ animæ intellectus, vt vna sit forma instar omnium: sicut enim vtimur manu ad omnem vsum, sic anima intellectu vtitur ad omnem speciem & formam percipiendam: species ergo loco rerum sunt: Idcirco quia res non possumus adducere, rerum similitudines retinemus: quoniam

Obserua Arist. propositum.

Species quare appellentur formæ.

Animæ ipse intellect⁹ est, & sicut corpori manus: istud testimoniũ man⁹ extrditur ab Autore suprà lib. 2. tex. 94.

anima non est formarum loculus physicus, vt materia respectu formarum naturaliũ, sed specierũ locus dicitur suprà tex. 6. vt viuum quoddam speculum & receptaculum rerum spiritualium vitalium: quare si manus corporis est vice omnium instrumentorum, intellectus animæ vice omniũ specierum erit: quoniam eas recipere & retinere potest. Solet igitur iste textus (quòd scientiæ secantur quemadmodum & res) vulgò adduci ad habituum & potentiarũ vnitatem probandam, vt scilicet specificetur à rebus, de quibus sunt, indeq; sortiantur vnitatem. Et licet hoc ipsum testimonium externa facie illud sonare videatur, tamen sensus iste ab Aristotele primò & per se non est intentus, sed aliò tendit Aristotelis mens, videlicet, quòd status animæ est secundùm statum ipsarum rerum & facultatum, facultates etiam secundùm statũ obiecti & rei, nimirum in esse intentionali, non in esse reali. Dixerat enim Arist. lib. 2. tex. 37. *At viuere, viuentium est esse*: vnde infert, ꝙ cùm sentire & intelligere sit quoddam viuere, sentire & intelligere est quoddam esse: atq; adeò cùm illa, quæ cognitione carent, cõtenta sint suo esse naturali, quibus sat est, quòd sint ipsæ, nec appetunt esse aliud, contrà verò quæ cognitiua sunt, sic sunt ipsum quod sunt, vt appetãt esse aliud: vnde intulit Philosophus tex. præcedenti, *Animam ipsam ea vniuersa quodãmodo esse, quæ sunt*: quod ibidem declarans dicebat, *Atq; scietia quidem est res ea quodãmodo, &c.* & addit, *Sensus autem, ipsæ sensibiles.* Iam autem præsenti tex. causam reddit, & modũ exponit dum dicit, *Scinditur igitur in ipsas res scientia, atq; sensus*, vbi non ponit habituũ discrimina, sed insinuat, quòd res ipsæ sunt veluti differentiæ quædam intellectus & sensus determinatiuæ: quoniam nisi essent res, anima nõ secaretur actu in eas: nil enim secatur in id, quod non est, sed intellectus in actu in res in actu, intellectus in potentia in res in potentia proportionabiliter, ac sunt ipsæ res: ergo vult reddere rationem, cur anima sit omnia, nimirum quia est cognitiua, & non solùm est ipsa in se, sed ipsa res cognita: communis enim est animæ cõceptio, cognitionem fieri per assimilationem, & cognoscens fieri ipsum cognitum. Hæc est Arist. mens, quòd res ipsæ cognitæ specificãt animam & sunt principia determinantia, quia habent in ordine ad animam

Gemina explicatio Arist.

Obserua.

mam rationem actus, vt statim amplius declarabitur. Sed vt hoc scholę donemus, nempe sensum istum de vnitate aut diuersitate scientiarum esse Aristotelicū, dicamus potētias & habitus vnitatem trahere à rebus, de quibus sunt, non tamen secundùm esse reale, sed secundùm esse scibile, & sub illa ratione formali, sub qua ad potentiam referuntur: de quo hîc non vacat disputare, dixi cum Caiet. 1. p. q. 1. art. 3.

Habitus sicut res distinguūtur.

Quæstiones agitandæ.

Opportunus iste sese offerebat locus ad explicandum, quonam modo anima cum re cognita vnum fiat. Deinde vt explicaremus, quæ sit causa & radix cognoscendi. Quæ quidē in tota doctrina de anima difficillimæ sunt quæstiones, quas negligere aut oscitanter omittere, rationi minimè cōsentaneum videtur: resoluere autem pro tenuitate mei ingenij difficillimum esse iudico. Tamen de hac re, in qua mallem alios audire, quàm magno meo periculo propriam sentētiam exponere, enitar pro mea virili has quæstiones aperire, & præstātioribus ingenijs ansam præstare, vt ipsi maiori luce & excellentiori doctrina eas illustrent.

QVAESTIO
An anima sit quodammodo omnia?

De priori quæstione memini me obiter dixisse tex. 2. huius cum Commentatore tex. 5. & lib. 12. Metaph. tex. 39. altiùs tamen sunt in præsenti absoluenda & complenda. Cùm enim vnumquodq; operetur inquātum est in actu (vt lib. 2. Phys. tex. 17. & lib. 3. Phys. tex. 8. & alibi sępe dixit Aristoteles) & cognitum, vt tale est, principiū sit specificatiuum & intellectus & operationis ipsiusmet intellectus (quoniam comparatur ad ipsum, vt actus ad potentiam, & vt perfectio ad perfectibile, per quem modum intellectus susceptiuus est sui intelligibilis, tanquam proprij actus & perfectionis, vt supra tex. 3. diximus, quod Aristoteles explicat lib. 12. Metaph. tex. 39.) fit & ita est, quòd si vnumquodq; fit in actu inquātum propriam assequitur perfectionem, intellectus fiet in actu inquantum recipit intelligibile, quō recepto anima actu fit de genere intelligibilium, cùm antea esset potentia intelligibilis, vt suprà tex. 15. Igitur (vniuersam rationem resumentes) si vnūquodq; est agens inquantum est actu; proculdubio intellectus, inquantum attingit intelligibilē, fiet agens, operans & intelligens atque habebit esse. Quòd si sub hoc principio alterum subsumas, nempe vnūquodq; esse propter suā operationē (lib. 2. de cælo tex. 17.) pro diuersitate modi, quo vnumquodq; est actu, diuersimodè quoq; suam exercebit operationem: verbi gratia, aqua per calorem calefacit, ita tamen vt calefactio non sit aquæ operatio, sed caloris, & ideo recipitur calor in aqua ꝑpter operationem ipsius formæ: vnde refrigerare propriè non attribuitur aquæ, sed frigiditati, etenim opus est frigidi. Quare in omnibus accidentalibus operationibus accidentia recipiuntur in substātia propter operationem ipsorum accidētium & formarum, quæ sunt principia agendi: porrò esse accidentium materialium distinguitur ab esse subiecti: in composito autem substantiali forma recipitur in materia, nō propter formæ aut materiæ operationem, sed ipsius suppositi ex materia & forma resultantis: sicut enim esse est totius, ita & operari. In nostro autem proposito intelligibile recipitur in intellectu medio modo inter duos extremos iam positos: quoniam primùm non recipitur propter operationem ipsarum formarum & specierum primo modo, vt formæ accidentales, vt operentur secundùm suum esse reale & naturale, quod habet à parte rei: quod ita esse patet, quia calor dicitur calefacere, & frigus infrigidare, non tamen species intelligibilis dicitur cognoscere. Nec recipitur secundò alio extremo modo, vt forma substantialis in materia propter operationem tertij vt compositi resultantis: nullum enim tale ponitur resultare ex subiecto & accidenti. Et cùm alio modo non ponatur, scilicet ob operationem ipsius cogniti, quia obiectū, quod cognoscitur, non est cognitiuū de necessitate, licet, quandoq; cōtingat: superest ergo cognitū in cognoscente recipi ad perficiendam & specificādam propriam operationem ipsius cognoscentis: sic enim intellectus intelligibile recipit, sicut visus visibile, vt per receptam visibilis speciem visus ipse operetur: quare inquātum visibile transit

Primum principiū, intellectus operatur inquantū est actu per intelligibile.

Ex primo principio appēdix, vnumquodque est ꝑpter operationem esse diuersimodè.

...sum, visus autem ipse transformatur in visibile, à quo informatur, perficitur & actuatur: sic enim intellectus (vt inquit Aristoteles lib. 12. Metaph. tex. 39.) intelligit quatenus transumit intelligibilia, id est, in se imbibit & concipit, vt per ipsa factus in actu, intelligat & operetur. Et hoc est quod Auerroës dixit, quòd ex intellectu & intelligibili magis vnum fit, quàm ex materia & forma. Quod sic declaro & demonstro: nam ens & vnum conuertuntur (lib. 4. Metaph. tex. 3.) vnitas autem & esse ab actu sumitur (lib. 8. Meta. tex. 16.) cùm ergo intellectus suscepto intelligibili fiat in actu & sumat esse, non propter operationem tertij (quoniam nullum tale resultat) nec propter operationem ipsius formæ & speciei intelligibilis (quia nõ cognoscit) sed propter operationen ipsiusmet cognoscentis, vt eius operatio specificetur: ergo actus, qui perficit intellectum, magis intimè vnitur ipsi, quàm materia & forma vniantur, quoniam cõstituit in actu, vt ipse intellectus secundùm se operetur & intelligat: quare cùm operatio sequatur & demonstret quale sit esse; si operatio est ipsiusmet intellectus; & vnitas est ipsiusmet intellectus, in quem per speciem imbibitur obiectum, & per quandam transumptionẽ intelligibile transformatur. Tota igitur vis cõsistit in hoc, vt consideres, quòd licet species accidẽs sit, cuius esse ab esse intellectus distinguitur, non habet operationem per se seorsum (vt calor in aqua, qui est materialis) quia habet esse immateriale, ratione cuius per speciem cognitũ in ipsum cognoscentem imbibitur & transformatur, & facit concursum obiecti cum potentia cognitiua, cui imbibitur, & se penetrat & transfundit, vt ipsa potentia operetur, per rationem tamen & determinationem ipsius intelligibilis. Quare quod textũ 5. dixit Aristoteles ibi, *Vt neq; vlla sit ipsius natura, nisi ea solùm, qua possibilis est*, tex. 17. & 18. declarabat, quòd est omnia fieri; & præsenti loco quòd est ipsum intelligibile: vt tres status ipsius intellectus cõsideres, Primo loco vt in pura potentia omni forma expoliatur tanquam tabula rasa. Secũdo loco iam declaratur, quo modo se habeat ad fieri respectu intellectus agentis. Demùm hoc tertio loco qualiter se habeat ad esse respectu obiecti intelligibilis, quod ad se reuocat, & per quandam transumptionem includit.

Ex intellectu & intelligibili magis vnum quàm ex materia & forma supra tex tu 16.

Tres intellectus status valde cõsiderãdi, vt natura intellectus percipiatur & Arist. diligentia cõmendetur.

Fit igitur ex intellectu & intelligibili non solùm vnum operans, sed intellectus fit ipsum intelligibile, & species fit vnum cum intellectu quoad operationem ipsius intellectus & quoad esse, vt dictum est: quare intellectus in actu fit ipsum intellectum in actu, ob id magis vnum, quàm ex materia & forma, vbi materia non est forma; nec econtra, sed ambæ simul sumptæ constituunt quoddam tertium. Eadem doctrina, quæ de intellectu & intelligibili adducta est, de sensu & omni potentia cognitiua accipienda quoq; est: quia sicut intellectus fit intelligibile, & ipsum, quòd in actu intelligitur, sic sensus fit ipsum sensibile in actu, vt lib. 2. tex. 56. clariùs & particulariter atque in propria forma tex. 138. 139. 140. & 141. Proportionabiliter igitur loquendũ est, nisi quòd altiùs & vniuersaliùs exponitur de intellectu, qui res materiales ad altiorem ordinem trahit: in vniuersum tamẽ verum est, quòd cognoscens (siue sensu siue intellectu) fit ipsum cognoscibile, modò sensibile sit, modò intelligibile. Sed si quærat quis, quo modo res, quæ extra est, possit esse cognoscentis perfectio? Hinc ianua nobis aperitur, vt ad secundam, quam proposuimus, quæstionem veniamus, cuius resolutio ad illustranda ea, quæ dicta sunt, nõ solùm conducet, sed supplementum etiam erit eorum, quæ in præcedenti desiderari videntur.

Doctrina de intellectu ad sẽsum extẽditur ad amplificationẽ eius, quòd cognitũ fit vnũ cum cognoscẽte.

QVAESTIO

An immaterialitas sit ratio cognoscendi?

Exponendum igitur est, cur aliquæ res sint cognitiuæ, aliæ verò cognitione priuentur. Nolo in huius quæstionis decisionem varios dicendi modos referre, quòd in præcedenti quæstione obseruabam, ne rei difficultatem opinionum turba cõfunderem & augerem: satis enim est, si veritas ista simpliciter enarrata comprehendatur. Qua de re suprà tetigi lib. 2. tex. 14. 16. 120. 121. & 124. tum probando numerum sensuum (quorum operatio in immateriali immutatione perficitur) tum etiam probando, quòd plantæ nõ sentiant (quoniam formas cum materia ipsa recipiunt, ideo cum motu & transmutatione) quia sentire & intelligere propriè nõ est passio neq; motus, vt tex. 28. dixi-

Ostẽditur immaterialitas ratio cognoscendi in genere.

diximus: plantæ enim materialiter mouentur & alterantur; sed proprium est cognoscentis recipere suam perfectionē sine motu atq; materia: & hoc commune est sensui & intellectui (vt de sensu diximus lib. 2. cap. 12. qui sic rerū species suscipit) vt non patiatur, alteretúrve: quoniam secundùm esse intentionale recipit, non secūdùm esse reale & indiuiduale, quod extrà in re habet. Ideo plantas non sentire dixit Aristoteles locis citatis, & lib. 1. de plātis sub initia, quia cum motu, materialiter & secundùm esse reale qualitatibus afficiuntur: intellectus autem non solùm recipit species sine motu atq; materia, & in esse intentionali sicut sensus, sed etiam altiùs vniuersaliter abstrahendo à singularibus conditionibus, & corporea intelligit indiuisibili & incorporea potentia, materialia immaterialiter, singularia vniuersaliter, contingentia & variabilia inuariabiliter, difformia vniformiter: quoniam rerum naturalium mutabiles habitudines in anima immobiles sunt & immutabiles (1. p. q. 85. art. 1. ad 3.) Secūdò aliud mihi accipio principium, vt intelligamus, quomodo res ipsa trahatur & eleuetur, vt fiat vnum cum potentia cognitiua, fitq; eius perfectio? Et licet hoc commune sit sensui & intellectui, vt dixi, tamē de intellectu modò loquimur, tū quia in præsenti loco sermo est de intellectu, tum etiā quia exactiùs & vniuersaliùs de intellectu explicabitur, vbi intellectus fit ipsum intelligibile. Quod tibi primò volo hac similitudine explicare, Sicut enim Sortes & humanitas se habent; quòd Sortes est quod habet quidditatem humanitatis, & est quodāmodo ipsa humanitas, quæ Sortis quidditas est, & ediuerso quidditas & humanitas Sortis quodāmodo est ipse Sortes quidditatem habens, sunt enim vna & eadem res; sic in proposito nostro intellectus fit ipsum intelligibile, sicut habens quidditatē, & intelligibile fit intelligens, sicut quidditas fit ipsum habens quidditatem. Volo dicere, quòd intelligibile, siue species, quæ ponitur perfectio intellectus, non est ipsamet natura rei, secundum quod existit in re extra intellectum, sed est quidditas & essentia ipsius rei in altiori & immaterialiori esse; ideo dicitur lapidis natura perficit intellectum, quia vnumquodq; est id, quod per suam formam est: ergo quando intellectus habet formam rei intellectæ, verbi gratia, lapidis, fit ipse lapis, non secundum esse naturale, quod habet in re, sed secundum esse intentionale & intelligibile: ideo non dicitur absolutè lapis, sed quodammodo, id est, secūdùm esse intelligibile. Vnde intellectus informatus specie dicitur intelligibile in actu, & habere formam, per quam est ipsa res intellecta, quia habet in se rei quidditatem: per eandem enim formam & res habet esse in se, & intellectus idem esse participat, tametsi in diuerso ordine, vsque adeo vt eadem numero specie, quæ in intellectu existit, & intellectus dicatur actu intelligere, & res actu intellecta. Hoc igitur modo intellectus fit intelligibile & magis vnum ex intellectu & intelligibili, quàm ex materia & forma: quia se habent veluti quidditas rei, & habens quidditatem, quæ est vt cōpositio metaphysica multò magis vnita, quā physica, quæ ob id magis vniuntur, quàm materia & forma. Sed vt quæ dicimus apertiora fiant, assumendum principium tertium ab omnibus etiam recipiendum, quod admoueo huic nostræ fabricæ, nimirum, duplicem esse rerum perfectionem: vnam naturalem & absolutam, quam vnūquodq; per suam formam realiter extra intellectū habet: qui modus perfectionis omnibus rebus cōmunis est iuxta propriam formam. Alius autem perfectionis modus est, qui licet sit proprius vnius, tamen idem in altero reperiri potest, etsi in diuerso gradu & ordine. Prior modus proprius est plantarum & rerum purè naturalium inanimatarum: iste autem posterior modus proprius est animalium & eorum, quæ sensu & intellectu prædita sunt: quæ tantæ sunt excellentiæ & amplitudinis, vt eis non sufficiat proprium esse naturale, neq; propria forma contenta sunt, sed alias expetunt & desiderant formas, quæ supra esse naturale superponantur & depingantur eo modo, quo cognitū est apud cognoscentem, & anima dicitur quodammodo omnia, & possibilis intellectus dicitur omnium formarum, id est, omniū perfectionum receptiuus: porrò (vt dicebamus) omnium quidditates anima recipit, neque quietatur, nisi perueniat ad esse omnium formarum, & fiat actu omnia, quod ei non contingit nisi in sola Dei visione. Rectè igitur Aristoteles comparabat animam tabulæ rasæ, quæ quotidie depingitur: sic in anima incipit vniuersus describi orbis, vt ad diuinam

Vide infrà c. 9. text. 60. vbi ista perficiuntur.

2. principiū, quidditas rei trahitur ad esse intellectus, pro immort. aīæ in propria quæstione loco 13.

Eadē est res et intellectus perfectio.

Vnitas intellect⁹, et intelligibilis.

3. principium, duplex est latitudo perfectionis rerū.

diuinam cognitionem & cõtemplationem eleuetur: quo enim aliquid amplius est & immaterialius, eo est capacius & plura cõtinet, atque ad plura se extendit. Sed quia quæres adhuc, vnde est, quòd plantę & cęterę res naturales sic determinãtur ad proprium esse, cognitiua verò, qualia sunt omnia animalia, non sic limitantur, nec coarctantur? Respõdeo, et, si placet, sit quartum principiũ, vt distinctiùs procedamus, quòd materia est determinationis & indiuiduationis principium: ex hoc enim vnaquæq; res magis determinata est & limitatur in suo esse, quo magis est materialis: ideo plãtæ & res naturales determinantur & coarctantur ad certam & absolutam, eámq; intrinsecam perfectionem: quo enim res materialiores sunt, eo earum formæ determinationi materiæ magis sunt immersæ. Ecõtra verò immaterialia, quę cùm sint formaliora, parùm sunt coarctata & limitata, quia minùs sunt materiæ immersa, à qua materia quo magis absoluuntur & sese extollũt, magis ampliãtur, vt liberiùs extra se exire, & expeditiùs sese ad alias res profundere & extendere valeãt: hinc est, quòd proprio esse naturali non sunt contenta, sed alia respiciunt & exoptant, quæ cùm illa consequi non valeant secundùm esse naturale, tamen secundùm esse intentionale, quod immateriale est, altiùs assequuntur. Profectò si res materiales propter materialitatẽ determinantur & limitantur (quoniam ibi est inclusa forma, cui neq; rimula relinquitur, vt extra suam naturam exiẽs alia desideret, aut ad alia tẽdat) res immateriales adhuc erunt indeterminatæ, vt per plura sint terminabiles, nempe per aliarum rerũ perfectiones, quas intuẽtes ad se trahũt, vt eadẽ sit numero perfectio ipsius rei, & in alio genere altiori perfectio sit ipsius cognoscentis. Hinc est, quòd intellectus procedens de potentia ad actum, progrediatur ad perficiendum suum esse: intelligere enim, esse est & complementum, quod intellectum exornat. In amplissimum igitur, vastissimumq; mare anima vela soluere videtur, quæ inanimatorum formę in statione sua quibusdam quasi anchoris continent: nam vti materialitas continet clausam formam & certis limitibus coarctatam, sic immaterialitas amplitudinem quandam confert formæ, vt quo immaterialior sit, eo capacior: vnde noster intellectus, de potentia in

4. principium, materialitas quare cognitionẽ impediat, immaterialitas verò eandẽ promoueat: ĩ particulari exponitur & adducitur inferi' ĩ quæstione de immort. animæ loco 13.

actũ prodiens, ad perfectionẽ tendat, vt fiat omnia: sicque percipies, quo modo intelligere sit quoddam esse. Hinc etiam habes (quod suprà c.1.tex.2.ex 1.p.q.12.art.4. adduxi) Deum, qui simpliciter est immaterialis, omnia actu intelligere, imò suũ esse esse suum intelligere. Deinde angeli medio modo immateriales sunt. Mox anima nostra vltima est omnium intelligibilium, & sicut materia in illo genere: quare si physica materia determinabilis est per omnes formas naturales in esse naturali, vt successiuè accipiat esse omnium rerum naturalium, ad eundem modum anima in genere intelligibilium materia intentionalis determinabilis est per formas & perfectiones omnium rerum absolutè: & quod amplius est, eas omnes simul possidere potest, quia in alio altiori gradu & ordine, nempe immateriali & intentionali: & ita in hoc sita est animæ nostræ fœlicitas, vt in Deo omnia videat, quem in se ita transumat, vt fiat vnum cum ipso Deo. Ex his suppositionibus bene quidem præsuppositis atq; declaratis, haud difficile erit propositas quæstiones resoluere, atq; ostendere, propter quid ex cognoscente & cognitę vnum fiat tam arcta vnione deuinctum, vt vnitatem ex cõiunctione materiæ & formæ prouenietem superet. Perspicuum etiã erit cuiq;, ad hæc, quæ diximus, animaduertenti, cur plantæ non sentiant, & quæ sit prima cognoscendi radix. Profectò quo aliqua sunt immaterialiora, eo sunt perfectionis aliorum magis capacia, vt per aliorum similitudines aliorum quoq; perfectiones admittãt, quorum formis & specieb' informãtur: etenim plantæ, & quæcunq; sola natura gaudent, tantùm secundùm esse reale & naturale transmutantur: cognitiua autem vlteriùs secundùm esse intentionale rerum essentias & quidditates pro suo bono atque perfectione ad se vocant, & in se sicut in proprio perfectibili recipiunt: præsertim intellect', qui non solùm accidentium similitudines (vt sensus, qui substantiæ quidditates non penetrant, sed in ipsa superficie accidentiũ sistunt) sed ipsius substantiæ perfectionem recipit & quidditatem, non realiter, substãtialiter atq; physicè, vt materia prima, sed intentionaliter & immaterialiter, sicut materia intẽtionalis & intelligibilis. Ideo Aristoteles lib.12.Metaphys. tex.39. intelligibile substantiæ esse dicit, ad differentiam

Recapitulatio vtriusq; quęstionis.

Hæc infrà absoluũtur ca. 9.tex.60.

sensus,

sensus, cuius obiectum accidens est: intellectus autem obiectum est ipsa substantia, vt diximus cap. præcedenti de obiecto intellectus esse quod quid est rei. Si igitur quidditas rei obiectum est intellectus, quæ recipitur in intellectu, tanquam perfectio in suo perfectibili, sequitur, quòd ipsissima rei quidditas, & natura, quæ est rei perfectio existentis extrà, eadem omnino est intellectus perfectio in alio esse: nam perfectio, verbi gratia, lapidis in re perfectio est intellectus, vt in intellectu residet: hoc nobis indicant obiecta omnium sensuum, ipsa nanque sensibilia sensuum perfectiones sunt. Et hoc est miraculum huius rei, in quo mirabiliter natura cognitiuorum recõdita est, vt eadem perfectio, quæ existit rei ad extrà, existat quoq; ad intrà ipsius cognoscẽtis perfectio. Quod vsqueadeo verum est, vt dicat S.Tho. 1.p.q.12.art.2.ad 3. quòd essentia diuina loco speciei intelligibilis vniatur intellectui in patria, vt constituat in actu intellectum beatorum: vnitur quidem vice speciei, atq; adeò constituit intellectũ in actu, non quidem formaliter inhærẽdo, (quia essentia diuina non est accidens, neq; inhærere potest, nec supplere vicem causæ formalis) sed cõstituit quidem in actu primo elicitiuo, quatenus essentia diuina intellectui creato assistit, vt sit principium & ratio eliciendi visionem beatificam, sicut de essentia angeli dicitur 1.p.q.56.art.1. quòd ipsa est principium, vt se cognoscat, & ratio eliciendi cognitionem sui. Quare essentia diuina (teste S.Thom. 1.p.q.12.art.2.ad 3.) constituit in actu intellectum creatum, non informando inhæsiuè, sed supplendo principium agendi & rationem formalem eliciendi visionem: itaq; cõstituitur in actu non in genere causæ formalis, sed in genere causæ efficientis: quia ex essentia diuina & intellectu creato intimè & vnitissimè constituitur vnum agens elicitiuum beatificæ visionis: vbi vides eãdem omnino esse perfectionem & in re & in intellectu in præstantissima operatione, in qua nostra fœlicitas consistit. Et hic est maximus fructus & huius doctrinæ vsus minimè contemnendus, qui animos nostros ad diuinum amorem vehementer pellicit: nam si anima nostra quodammodo est omnia secũdùm sensum sensibilia, quæ veluti spongia quædam imbibit, atq; vt Chamæleon colores, ita anima secundùm sensum accidentium omnium perfectiones in se depingit & format: sed quia sensus vltra accidentium apparentias non penetrat, anima secũdùm intellectum incipit esse omnia intelligibilia, & ipsa accidentia transcendens, ad viscera substantiarum contemplanda ingreditur, & quidditatem rei materialis rimatur: ideo 12. Metaphys. tex. 39. intellectus substantiæ dicitur esse cognitiu⁹: vnde incipit ipsi⁹ substãtiæ perfectio esse perfectio intelligentis suscepta intelligibili specie, quæ quidditas rei materialis dicitur: ergo in hoc anima nostræ miraculum consistit, quòd suapte natura sit capax omnium perfectionum & esse. Sed quia hoc fit in extraneo & diminuto essendi modo, nempe intentionaliter per species quasdam ipsarum rerum, dignatus Dominus est suam ipsius perfectionem nobis communicare, non diminuta intẽtione speciei media aliqua imagine in esse intentionali, extraneo & diminuto, sed vt sua liberalitas atque bonitas reluceret, per suam ipsius substantiam atq; ipsissimam essentiã diuinam nos perficit atq; beat, vt sic beatitudo nostra omnibus numeris sit absoluta, & vt dicit D. Ioannes in prima sua Canonica cap. 3. *Scimus, quoniã cùm apparuerit, similes ei erimus, &c.* & adimpleatur illud, quod Sponsa Cant. 1. exoptabat dicens, *Osculetur me osculo oris sui*: vbi non solam poscebat iustificationem & vnionem per gratiam, neq; solùm incarnationem verbi per vnionem hypostaticam, sed etiam mysteria omnia vsq; ad descẽsum Spiritus sancti dulciter & enixè postulabat, vt tanto adiuta fauore, ad visionem ipsius Dei tandem perueniat, quem quidem ita imbibat & sumat, vt non iam per ipsas rerum imagines, per speculum in enigmate, sed osculo propriæ suæ essentiæ secundùm illud met esse Dei in esse non intentionali, sed naturaliter & realiter secũdùm essẽtiam vniatur. Quo fit, vt obiecta perfectiora esse ipsis potentijs cognitiuis: quoniam obiectũ se habet vt perfectio & actus, potentia vt perfectibile in potentia: itaq; immaterialitas obiecti actiua est & perfectiua, immaterialitas verò potentiæ passiua est & perfectibilis: quare licet quoad immaterialitatem conditio cognoscentis & cognoscibilis in eodem genere sibi respondeant, quia immaterialitas, & principium est cognoscendi actiuè, & quod cognoscatur passiuè: idem similiter ordo est & intellectuũ & intelligibiliũ quoad im-

Perfectio rei eadem est & cognoscẽtis.

Essẽtia diuina quo modo suppleat vicẽ speciei.

In cognitiuis eodem immaterialitatis ordine proportionãtur obiectũ & potẽtia, simpliciter tamen excedunt obiecta, infe-

rius q. de immorta. aiæ loco 13. et loco 9. ratione 1. et 2.

ad immaterialitatem & connaturalitatem, vt S. Tho. 1. p. q. 12. art. 4. licet ordo intelligibiliũ simpliciter sit superior, quàm ordo intellectuũ, cùm intelligibile ad intellectũ compararetur, vt perfectio ad perfectibile, & vt proprius actus ad propriam potentiam: tametsi, vt S. Thom. dicit loco dudum citato, diuersitas ordinum & graduum cognitiuorum ex ipsis cognoscentibus atq; potentijs, non ex ipsis obiectis sumenda sit. Patet hoc ex ijs, quæ S. Tho. illic dicit, & nos paulò suprà, & cap. 1. tex. 2. de vnitate, quæ resultat ex specie & potẽtia: quod autem habet rationem actus, simpliciter est nobilius. Quo argumento vsus est Aristoteles lib. 12. Metaphys. tex. 51. vt probet, quòd Deus non solùm est suum esse, sed suum intelligere, suum quoq; intelligibile: nam dato opposito, quòd intelligibile Dei esset extra ipsum Deum, quid, inquit, Deus haberet dignum & nobile, cùm oporteret ipso Deo aliquid dignius & nobilius esse, nempè ipsum intelligibile, quod diuini intellectus deberet esse perfectio: at Deus extra se nullam potest habere perfectionem: ergo quanuis nobilitas intellectus pendeat ab excellentia intelligibilis, in Deo tamen nihil aliud ab ipso est intelligibile, quod sit eius perfectio: non quòd alia ignoret, sed quòd omnia alia cognoscit in seipso tanquam in primo, adæquato & proprio intelligibili. Ex quibus sequitur primò, antiquos philosophantes ad hanc veritatem allusisse, cùm per assimilationem cognitionem fieri docebant, quia anima ex omnibus constaret rebus. Sed quanuis non malè collimabant, scopum tamen non attigerunt: quoniam in esse naturali, materiali atque determinato sistebant, quod cùm propria natura determinetur, coarctetur, limiteturque, potiùs cognitionem impedirent, quàm iuuarent, vt de plantis & rebus naturalibus diximus in quarto principio. Oportet igitur animam esse omnia, non secundùm naturale esse, quod non est determinabile, aut in illo genere perfectibile, sed secundùm esse intentionale: quo in genere anima determinabilis est atque perfectibilis per omnium rerum perfectiones: ideo non, vt antiqui, anima ex omnibus constat, sed amplius dicit Aristoteles omnia esse. Palàm etiam est quod diximus, potentias cognitiuas accipere rerum formas ad perficiendas & specificandas ipsius cognoscentis operationes: quoniam ipsum cognoscibile perfectio est cognoscentis, quod in cognoscentem transit & se penetrat, vt vitæ opera exerceat: quod aëri species colorum recipienti, aut speculo similiter imagines rerum recipienti non conuenit: quoniam non cognoscunt neque viuunt, mortua enim sunt, ideo vitaliter non immutantur: quare aër vicem medij exercet imagines deferentis, speculum autem obiecti absentiam supplet, & instrumenta sunt ad cognoscendum ordinata. Præterea cognitiones actiones sunt vitales & immanentes immutationes: speculi autem atque aëris, præterquàm quòd non sunt vitales, transeuntes quoque sunt actiones: quare licet aër recipiat species colorum, quibus aliquo modo coloratur, tamen illæ similitudines colorum, vt in aëre existunt, non sunt aëris perfectio, vt actio, sed vt passio, sicut neque imago speculum perficit: quoniam non sunt in ipsis, vt existit perfectio rei, quia neque aër, neque speculum vitaliter immutantur, neque recipiunt, vt viuant & sese agitent ab intrinseco: ideo non efficiuntur vnum cum re cognita, sicut neque speculum trahitur, vt vniatur cum obiecto, cuius imaginem recipit. Secus in cognitiuis potentijs, in quibus similitudines recipiuntur quidem, non tantùm vt perfectiones passiuæ ipsius potentiæ cognitiuæ, vt in aëre & speculo contingebat, sed vlteriùs quatenus illa eademque perfectio actiua est, & eadem omnino cognitiuæ potentiæ, & ipsius rei, quæ cognoscitur. Potentia igitur cognitiua cum ipso obiecto adunatur in vno eodemque esse & perfectione: quia perfectio illa viua est, functio quoque viua est & vitalis. Hæc si intellexeris, rem alioqui difficillimam sine aliqua offensione comprehendes: scio enim harum quæstionum resolutionem à multis desideratam: faxit Deus Opt. & Max. vt veritatis scopum attigerimus, quò propositum nostrum tota mente dirigimus. Si quid vltrà desideras, vide inferius cap. 9. tex 60.

de in aëre, speculo, et in oculo lib. 2. tex. 127. ad fine c. 12.

Antiquis aïa ex omnibus cõstat, sed Aristoteli aïa est omnia.

Species di uersimo-

Expende diligẽter, & memoriæ commendã.

Cùm autem nulla res sit præter magnitudines separata, vt videtur res ipsæ sensibiles, in ipsis *Tex. 39.*

d pro-

profectò ſenſibilibus formis, ipſæ ſunt intelligibiles formæ, tũ earum rerum, quæ abſtractę vocantur, tum eorũ etiam ſenſibilium, quæ ſunt habitus, atq; affectus. Idcirco & qui nõ ſentit, nihil diſcere, vel intelligere poteſt: & qui contemplatur, neceſſe eſt vnà cum phantaſmate contẽpletur. Ipſa nanq; phantaſmata veluti ſenſibilia ſunt, attamen ſine materia. Eſt autẽ aliud phãtaſia ab affirmatione, negationève. Verum enim, vel falſum, complexio eſt conceptuum intellectus. At mentis primi conceptus quo, quęſo, differẽt, vt non phãtaſmata ſint? an neq; cæteri ſunt phantaſmata, non tamen ſine phantaſmatibus ſunt?

Attẽde totam hui⁹ textus expoſitionẽ, vt percipias quid Ariſt. intẽdat dicens, nos ſine phantaſmate nil intelligere.

Ex prædictis poterat ſequi obiectio, nimirum ſi anima omnia eſt ſecundùm ſenſum ſenſibilia, ſecũdùm autem intellectum intelligibilia, quòd intellectus intelligendo à ſenſibilibus nõ depẽdeat, quare ꝙ poſſit ſine cõuerſione ad phãtaſma intelligere? ſicut enim ſenſus quodãmodo eſt ſenſibilis, intellectus quoq; erit intelligibilis, & tamẽ intellect⁹ nõ datur aliquod phãtaſma? Hãc obiectionẽ remouet Ariſt, & probat intellectũ nõ intelligere ſine phãtaſmate, & deinde oſtendit intellectũ à phantaſia diſtingui. Dicit igitur Ariſt. legitimè ſequi intellectũ ſine phãtaſmate intelligere poſſe, ſi intelligibilia à ſenſibilibus ſecundũ eſſe ſepararentur, quę Platonis fuit opinio. Tamen quia dę mẽte Ariſt. nulla res, neq; phyſica, neq; mathematica ſit ſecundũ eſſe ſeparata à rebus ſingularib⁹, quinimo intelligibilia ſunt ſingularib⁹ & materialibus cõcreta, fit, vt intellectus nunquã ſine ſenſu intelligat, quin potiùs ad intelligendũ phãtaſmate indigeat: quoniã in ipſis ſenſibilib⁹ phãtaſmatibus ſunt & relucent intelligibiles quidditates, quas noſter intellect⁹ in vita hac mortali percipit. Hoc eſt, quod tex. 30. 31. & 32. cõtendebat Ariſt. perinde phãtaſmata intellectui ſubijci, ac ſenſibilia ſenſui, vt intelligamus, ꝙ ſicut nõ ſẽtimus ſine ſenſibili, ſic intellectus nil intelligat ſine phãtaſmate materiali, quod à ſenſu ſumitur. Vult igitur Ariſt. ꝙ ſi obiectũ intellectus corpori coniũcti non eſt ſeparatũ à re materiali, ſed quidditas eſt concreta & rebus ſenſibilibus illigata, ꝙ neceſſum ſit intellectũ intelligibiles formas, non ſolùm à ſenſibilibus accipere atq; ab ipſis phantaſmatibus emendicare, ſed in ipſis quoq; phãtaſmatibus intelligere & videre: quoniã intelligibilia ſunt in ipſis ſenſibilibus, & nõ extrà: ſicut enim in Petro eſt homo, ita in phantaſmate Petri eſt quidditas hominis: & ſicut homo à Petro nõ ſeparatur, ita nec quidditas hominis à quidditate Petri nõ ſeparabitur. Per *res abſtractas* notat mathematica: per *res ſenſibiles* phyſica intelligit: per *habitus autẽ atq; affectus* nõ ſignificat ꝓprietates mathematicas, quia neq; acquiruntur per motũ, neq; afficiunt materiã, à qua abſtrahuntur ſecundũ conſiderationẽ: ſed phyſicas intelligit, quę, quia per motũ acquiruntur & materiã afficiũt, his poſſunt appellari nominibus. Ideo non habet locũ cuiuſdã apparens quidem expoſitio, vt intelligat ſenſibilia per ſe, ſiue cõmunia, ſiue propria, quoniã per ſenſibilia res naturales intelligit. Nemo autẽ turbetur aut offẽdatur, ꝙ dicat Ariſt. *Cùm autẽ nulla res ſit præter magnitudines ſeparata*, nã nõ inde ſequitur, ꝙ neget ſubſtãtias ſeparatas, quas cap. 1. huius lib. 3. de intellectu confiteri cœpit, & cap. 2. de intellectu agente expreſsè tex. 25. & expreſsiùs tex. 26. aliàs nulla eſſet prima Philoſophia, cuius munus eſt de ſubſtantijs ſeparatis ſecundũ eſſe cõſiderare. Vult ergo Ariſt. nullã rem ſeparatim à magnitudine à nobis intelligi, vſque adeo vt ad intelligendas ſubſtantias ſeparatas neceſſum ſit phantaſma aliquod confingere, vt intelligi queant: ideo rectè prçcedenti textu intellectus manui cõparabatur, nã vt man⁹ corpori ſeruit ad omnia officia, ita intellectus aię ſubſeruiat ad effingendũ ſubſtantias ſeparatas ex his ſenſibilibus & materialibus: & ita vt angelos intelligamus, eos apud nos fingimus veluti pulcherrimos ac fortiſsimos iuuenes, vt Tobię c. 5. *Inueni iuuenem ſplendidũ, ſtantẽ, & quaſi paratum ad ambulandũ*: & cùm dicit Daniel 7. c. *Et antiquus dierum ſedit, &c.* Deũ Patrẽ ſignificat. Rurſus Ariſtoteles ſigno aperto oſtẽdit, & accom-

Obſerua ſimile & verba textus.

De cognitione ſubſtantiarũ ſeparatarũ ſuprà tex. 25. 26. et 36. & ad calcem quæſtionis de obiecto intellectus.

accommodatissima collatione legitimè infert, quòd non contingat intelligere sine phantasmate, quia deficiente sensu, necessariò deficit scientia: Probat lib. 1. Poster. cap. 14. tex. 32. quoniam vniuersalia sine inductione & vi sentiendi ipsorum singularium non cognoscuntur: vnde materiam primam per transmutationes, quas sensu experimur, deprehendimus lib. 1. Phys. tex. 69. & formam per actum & operationem lib. 8. Metaphys. quare carentes omni sensu, omni prorsus scientia priuabuntur, ita vt nil omnino intelligere valeant. Ponderanda sunt illa verba Aristotelis, *Et qui non sentit, nihil discere, vel intelligere potest*, contra Auicennam & quosdam iuniores asserentes, quòd intellectus non indiget sensu, nisi ad acquirendam scientiam: ad vsum autem scientiæ iam acquisitæ dicunt non esse necessarium phantasma: Aristoteles tamē ad vtrunq; dicit esse necessarium, & ad discendum de nouo, & vt intelligamus: atq; omnem dubitationē vt tolleret, adiecit, *Et qui contemplatur, necesse est vnà cū phantasmate contempletur*: vnde vulgò sic citatur iste locus, necessum esse intelligentē phātasmata speculari. Subdit rationē Aristoteles dicēs, *Ipsa nāq; phātasmata veluti sensibilia sunt, &c.* quia phātasmata actus sunt ipsius phātasiæ, & quę ad phantasiam se habent, veluti sensibilia ad sensum, quæ sensibilia subijciuntur sensui: phantasmata autem phātasiæ subiecta sunt, nisi quòd sensibilia externa cū materia sunt: phantasma ergo erit velut sensibile externū, *attamē sine materia* (inquit Aristoteles) quia phantasma sine materia naturali est, quam habet sensibile externum: est tamen phantasma sensibile quoddā intentionale cum conditionibus singularitatis: ergo sicut sensibilia rem faciūt præsentem sensui, ita phantasmata intellectui repræsentant quidditatē: igitur sine phātasmate non contingit intelligere, quoniā sine phantasia in actu intellect⁹ corpori coniūctus torpet, otiatúrq;. Deinde distinguit Arist. phātasiā ab intellectu quoad vtrāq; intellectus operationē. In primis, quia intellectus in secūda sua operatione cùm enuntiat per copulā verbalem affirmando, aut negando, verum cōcipit aut falsum, quorum nullum tale est in phantasia (non quòd ab ipsa iudiciū tollamus, quod cap. præcedenti sensui cōmuni adscripsimus) phantasiā ergo, quæ superior est, iudicabit quidem: sed licet verè iudicet, nescit se iudicare, neq; suum iudicium percipit, ignorat quid dicat, de quib⁹ affirmet, negetve, quia nō reflectit supra se, neq; videt aliquid à sua simplicitate variare: ideo dicebat Arist. *Ipsa namq; phantasmata veluti sensibilia sunt*, id est, incōplexa & singularia: intellectus autem cōplexionem facit, percipit quid dicat, quid affirmet attendit, quomodo loquatur aduertit: habet enim verū & falsum vt cognitum, in quo sunt tāquam in cōponente & diuidente verè & propriè, quoniam facit collationem iudicij cum rerum natura, de qua iudicamus: hæc autem collatio necessariò est cum affirmatione & negatione. Insuper intellectus à phātasmate differt in prima operatione, quoniā prima operatio intellect⁹ de quidditate rei vniuersalis est, vt cap. 3. huius lib. 3. dictū fuit: ideo dicit Aristoteles, *At mentis primi conceptus, &c.* quòd intellectio indiuisibiliū non est phātasma, quāuis non sine phātasmate, phantasma autem ipsum singulare est. Vnde malè Commētator intelligit per primos mentis conceptus, id est, principia cōplexa: per affirmationem autem & negationem, propositiones affirmatiuas & negatiuas inde deductas. Sed expositio nostra apertè consonat textui, hæc extorta est & volūtaria, ne dicam violentā. Meliùs Themistius, nostram approbans expositionē, dicit, Aristotelē causam suppressisse, quia nota erat, eo quòd phantasmata inuruntur phantasiæ vt notæ quædam & sigillationes: quoniam sensibilia phantasiæ videntur imprimere quasi quosdam vibices relictos ex verbere, citra læsionem tamen. Notio verò mentis secus se habet, quia cùm versetur circa vniuersalia, nō imprimit à reipsa, sed est ipsius animæ actus & operatio per intellectum agentem, qui abstrahit, & per possibilem, qui concipit, & sic suas absoluunt operationes. Lata igitur est differentia, quia operatio phantasiæ ab ipsis singularibus nascitur: ab ipsis enim est prima mutatio, indéq; afficitur & signatur, vt lib. 2. de Anima à tex. 58. in pluribus alijs dictum: at intellectus à rebus vniuersalibus mouetur, & ipse est, qui vniuersalitatem facit (supra lib. 1. tex. 8. & cap. 2. huius lib. 3.) Subtilis quidem est & vera expositio, tamen fallitur in eo quod dicit, Aristotelem subticuisse causam, cùm eam expresserit: nā cùm dubitationis forma interrogasset, quomodo conceptus simplices à phantasmate differrent?

Scietiæ cōparatio et vsus nō est sine phantasmate.

Iudicium phantasiæ à iudicio sensus recte discernitur.

Cōmentator reijcitur.

Themistius.

Autor.

d 2 respon-

respondet, *An neq; cæteri sunt phātasmata*, vt per aduerbium *An*, suo more in problema tib⁹ obseruato, affirmet, simplices cōceptus mētis non esse phātasmata sensibilia & singularia, sed cōceptus vniuersales quidditatis, qui tamen sine phātasmatibus nobis nō contingunt. Patet igitur vtrunq;, quod præsenti textu propositum fuit, & quòd intellectus & phantasia, facultates licet sint distinctę, atque operationes quoq; distinctas, propriasq; habeant (phantasma enim vestigium est & simulacrum rei sensibilis & materialis, intelligentia verò operatio est quidditatis vniuersalis) tamen operatio intellect⁹ sine subiecto phātasmate nō est, vt intelligamus aliam esse animæ operationē per phantasiam, & hæc imaginatio est: & aliā nō sine phantasia, & hęc intellectio est.

QVAESTIO
Vtrū intellectus sine phātasmate intelligere possit?

Expenditur si intellectus valeat intelligere sine phantasmate, & conducit pro q. de immortalitate aīę ad calcem hui⁹ libri loco 12. Hinc iam facilè solui potest quod nō parua animorum cōtentione controuertitur à quibusdam, si intellectus possit quidpiam sine phantasmate intelligere? Nam quanuis certo certius sit, Aristotelem negare in præsenti textu & alibi sæpe, nō desunt, quibus oppositū probabile videatur. In primis Cōmentator ita asseruit, nescio de qua ęterna intellectione, quæ cōsistit in intellect⁹ agētis separatione ab his caducis, & cōiunctione ad substātias separatas: quod non vacat examinare, neq; opus est de omnibus solicitum esse. Eandem tenuit opinionem Albertus de intellectu adepto omniū rerum species, quia iam totum habet intellectus agentis lumen. Eandem etiā postea sequuti sunt Paulus Venetus cum schola Nominalium: Caietanus de Thien. etiam hic vtrūq; probabile censet: licet Nicolaus Tignosius suprà tex. 34. mordicùs teneat, non tamen de prima intellectione, sed de secunda, quę consistit in vsu acquisitarum specierū: neq; hoc adhuc respectu specierum abstractarū à phātasmatibus, quoniam species istæ necessariā habent dependētiam à phantasmatibus, sed respectu aliarum (quas elicitas vocant) quas sibi cōfingit intellectus. Sicut enim in sensu interiori, nempe in phātasia duplices species ponūtur, quędam, quę vocantur sensatæ, quædā autē, quas insensatas appellant, vt in oue species amicitię aut inimicitię ad lupum: ita proportionabiliter in intellectu abstractæ species correspondent sensatis in sensu, elicitæ autē ab intellectu persimiles sunt insensatis. Dicunt igitur isti, quòd quanuis intellectus non possit intelligere sine phātasmate per species abstractas, potest tamē per species elicitas, quę non tātam habent connexionem cum phātasmatibus: per quas homines in ecstasin rapti, postea solent mirabilia narrare: ea etiam sciunt, quæ priùs ignorauerant, vt de viris heroicis atque diuinis narrat Aristoteles, qui cùm attentiores multò sint spiritualibus, abstractiores sunt à sensibilibus & caducis: multa enim in ecstasi patiuntur, intelliguntque, quorum nullum phantasma in ipsis præfuit. Non dissimile his in dormientibus & somniantibus contingit, quibus multa per insomnia apparent, de quibus ad se in vigilia reuersi mirabiles conclusiones loquantur. Placet tamē in istorū gratiam duo Aristotelis loca adducere, Prior sit suprà hoc libro tex. 8. *Factus* (inquit) *vnumquodq; perinde, atque is, qui dicitur actu sciens: quod quidem tum accidit, cùm ipse per seipsum operari potest*: & lib. 8. Phys. tex. 32. quòd intellectus antequam addiscat, indiget motore, qui ipsum de potentia essentiali in actum primum trāsferat: sed iam factus in actu primo, non indiget motore extrinseco, per quem de potentia accidentali in actum secundum deducatur, sed potest, quoties voluerit, sese ad contemplationem conuertere. Sed valeant isti: expressior nanque est Aristotelis mens, quàm vt possit vlla ratione obscurari. Et experientia notissima confirmatur: quoniam noster intellectus nō addiscit per species acquisitas, neque intelligit per elicitas, neque cōtemplatur per vsum antiquarum specierum sine conuersione ad phātasmata. *Conclusio Arist. exponitur.* Licet enim viderim quosdam de hac cōclusione dubitantes, neminem hactenus vidi, qui dicat se aliquando quidpiam intellexisse sine conuersione ad phantasma. Quod Caietanus subtiliter hoc loco annotat, *Caiet.* quòd cùm pluries ab Aristotele dictū sit, necesse esse intelligētem phātasma speculari, nunquam tamen rationem huius rei apertiùs expressit, quàm hoc loco: nimirum, vt Platonis euellat opinionē, & cōtra ipsum ostendat nullā rem esse præter magnitudines, nihilq; esse separatum à singularibus

Auerro. Albert⁹. Nominales.

Duo genera specierū in intellectu et in sensu.

laribus: ergo figmenta sunt Platonicæ illæ ideæ. Ratio autem Aristotelis est, vt intelligere sine phantasmate non cõtingat: quoniam sicut se habent obiecta, ita se debent habere potẽtiarum operationes: cùm ergo nulla res à nobis pro hoc statu intelligibilis à sensibilibus separetur, fit, vt nulla quidditas ab intellectu percipiatur, nisi cõcreta rei sensibili, vt suprà quæst. de obiecto intellectus diximus. Platonizant igitur qui dicũt, nos sine phãtasmate posse intelligere: quoniam (vt dicitur lib. 1. Poster. c. 10. tex. 30.) si affirmatio est causa affirmationis, negatio causa erit negationis: quare si secũdùm Arist. quidditates à nobis intelligibiles non separari à sensibilibus, causa est, quòd non intelligantur sine phantasmate, ipsas ergo quidditates sine phantasmate intelligi, erit ideas separatas cum Platone ponere: ideo sicut res extrà colligantur, vt quidditas nõ sit extra sẽsibile singulare, ita in anima hoc idem obseruant, vt intellectus, qui est vniuersalium, non operetur sine sensu, qui est singularium: *Scinditur igitur in ipsas res scĩetia atq; sensus*, vt hoc cap. vidimus tex. 38. Hac ratione inducitur Aristoteles, vt tot verbis dicat animã sine phantasmate *nihil discere* (nouam intellectionem secludens) *non intelligere* (intellectionem secũdùm elicitas species reprobãs) *non contemplari* (vsum etiam antiquarum specierum damnando) *sed necesse est vnà cum phantasmate contempletur*, hoc est, omnem intelligentem (quomodocunq; & quotiescunq; in mortali corpore intelligat) phantasmata speculari opus est. Hanc Aristotelis demõstrationem iuuat & illustrat S. Tho. 1. p. q. 85. ar. 1. ex natura ipsius animæ, quę partim est separata, partim coniuncta (lib. 2. Phys. tex. 26.) eius ergo operatio proportionari debet modo essẽdi, vt vna ex parte, qua separatur & immaterialis est, obiectum respiciat vniuersale: qua verò humano corpori vt actus substantialis coniungitur, necessariò vinculo cum phantasmate ad intelligendũ copuletur: hinc ergo est, ꝙ anima sine sensu nõ intelligit. Adhæc, ex dictis in c. 2. huius lib. 3. patet, phãtasmata habere se sicut materiã, aut instrumentum, quod actionem intellectus agẽtis determinet: & cap. 3. docuimus etiã in phãtasmate relucere quidditatẽ, quæ est obiectum motiuum possibilis intellect⁹: vterq; igitur intellectus opus habet phantasmate. Quod Arist. hîc insinuat, cùm inter phãtasiam & intellectum differentiam constituit tam in prima, quàm in secũda operatione, vt intelligamus intellectum perpetuò phãtasiæ colligari in operando, quãdiu in corpore mortali existit. Et non sic accipiendũ est, vt quidam volunt, vt tantùm in prima operatione colligetur, cùm eadem ratio sit de secunda, & Arist. de vtraq; similiter loquatur, & ratio adducta pariter de vtraque concludat. Demum probatur experiẽtijs à S. Tho. adductis 1. p. q. 84. ar. 7. Prima, quia si intellectus sine phantasmate quouis modo intelligere possit, siue noua, siue antiqua intellectione, quid causæ est, vt læso organo imaginationis, perpetuò impediatur intellectio? vt læso organo imaginatiuę in phreneticis, & impedito actu memoratiuę in lethargicis, qui ita sciẽtiatũ obliuiscũtur, acsi nusquã didicissent. Secũda experientia est, quia quoties quis addiscit de nouo, & qui antiqua scientia meditãdo vtitur, fingit exẽpla, similitudines & exemplaria, vt in ipsis inspiciat quæ intelligere studet: quorsum ergo tanto labore eniteretur phantasmata per modum exẽplorum sensibiliũ formare, nisi vt intellectum corpori coniunctum sensibilib⁹ cõformet, in quibus quidditatẽ ipsam vniuersalẽ inspiciat? sine phãtasmatibus igitur, quæ à sensib⁹ hauriuntur, nihil intelligimus: quinimo prætterquam quòd phãtasmata necessaria sunt, vti dixim⁹, plurimùm etiã valent, & vt ipse intelligas, atq; vt alios doceas: accommodatissima enim sunt ad disciplinarũ illustrationẽ, & decorem. Quã ob causam dixit Arist. quòd deficiente sensu, de necessitate sciẽtia ipsa peribit: nam sine sensu nulla operatio erit intellectus siue actiui, siue contẽplatiui: prius enim debet esse obiectũ, quod intellectum mouet, & instrumẽtum, quod determinet (hæc duo phantasmata intellectui pręstãt) ideo cùm intelligere cupimus, per imperiũ intellectus formatur phantasma ei rei, de qua agere instituimus, conueniens & accõmodatum, in quo ipsa rei materialis quidditas non solùm resplendeat, sed subsistat. Quo fit, deceptum esse Philoponum cum Auicenna, Græcisq; omnibus asserentem, posse nos in hac vita substantias separatas intelligere tam certè, quicquid sit ex parte ipsarum, ex parte nostra impossibile est eas distinctè intueri per propriam speciem, sed specie deducta ex materialibus propter rationem tactam tex. 25. & tex. 26.

Obserua illationẽ ex cõtextu verborum.

Experimenta.

Attende vnde sit phantasmatis indigentia.

De cognitione substantiarũ separatarum.

36.& 39. & hîc Aristoteles in vltimis verbis adducit distinctionem retinẽdam, nimirum quòd alia sit animæ operatio per phantasma, quę est imaginationis, alia verò operatio animæ non sine phantasmate, quæ est intellectus: ideo ad phantasmata, quæ ex sensibilibus emendicãtur, colligatur. Oportet igitur semper noster intellectus vtatur speciebus iuxta conditionem propriæ naturæ & secũdùm proprietatem sui obiecti, quod, licet sit vniuersale, non subsistit sine singulari atq; sine termino: & nulla erit intellectio tam pura & abstracta, quæ omnino phantasmata abijciat, nisi anima separetur à corpore & fiat actus separatus, participétq, intelligentiarũ statum, aut in corpore sit glorificato, vbi status animæ miraculosus est & supra naturam, & sine sensu potest operari, Deúmq; incorporeum videre: quanuis in patria phantasma erit ipsius Dei propter humanitatem assumptam, vt per se beatitudo tãgat sensum, vt D. Augustinus lib. de spiritu & anima cap. 9. Argumenta omnia Scoti in 1. d. 3. q. 4. & in 4. d. 45. q. 2. cessant, quia loquimur in hac vita mortali, vbi sicut anima substantialiter vnitur corpori, ita intellectus essentialem habet respectum ad phantasmata, vt sicut in essendo, ita in operando sit rebus materialibus cõiunctus: semper enim operatio & esse proportionantur. Idcirco non intelligimus, nisi quæ primò cadũt sub imaginatione, aut habitudine ad ipsam: nec refert per species à phantasmatibus abstractas intelligamus aspectu recto, siue per species elicitas aspectu reflexo: quotiescunq; enim & quomodocunq; intelligamus, necessaria est connexio ad phantasma, vsque adeo vt sicut singulare non percipitur ab intellectu per propriam ipsius speciem, sed per similitudinem ipsius vniuersalis, ita substantiæ separatę non cognoscuntur à nobis per proprias similitudines, sed per similitudines rerum materialium, & per ipsas res materiales, intelligẽtes circũloquimur & fingimus. Illa duo loca Aristotelis adducta non militant cõtra nostram tex. 8. postquam loquutus fuerat de intellectu in potentia, loquẽs ibi de intellectu in habitu dicit, quòd potest per seipsum operari & cõsiderare, vbi non secludit phantasmata (nõdum erat de ipsis habitus sermo) sed intellectũ in actu distinguit ab intellectu in potentia: quia intellectus in potentia non potest operari, quoniam est in potentia essentiali nudus omni actu: at intellectus in habitu potest per seipsum operari, quia cùm sit constitutus in actu primo, potest exire in actum secundum, non sic tamen, vt sine phantasmate illud faciat. Illud enim generaliori ratione est, quod dicit in loco alio adducto ex lib. 8. Phys. quòd ad actum primum indiget motore, ad actum autem secundũ per se potest progredi. Quod quidem ingenuè fateor, non tamen inde sequitur, quòd id contingat sine actuali conuersione ad phantasmata: etenim ad intelligendum non sat est habuisse phantasmata, sed opus est phantasmata actu habere, quoties actu intelligimus: phantasmatibus autem corruptis aut non existentibus, nullatenus continget intelligere, sed manebit intellectus veluti sepult' & obscurissimo ergastulo occlusus. Multi adhuc omnibus perspectis summè contendunt, intellectum sine phantasmate posse intelligere, Primò, quia phãtasmata, quę materialia sũt, non poterũt agere in intellectum, qui præstantior est: debet enim agens esse nobilius patiente textu 19. huius 3. lib. Mox cùm phantasmata sensibilia sint & singularia, vt præsenti textu dicit Aristoteles, potiùs singularitatis, quàm vniuersalitatis similitudinem intellectui imprimẽt. Tum etiam ambiguum videtur, quomodo intellectus, vt intelligat, necessariò se ad phantasma conuertat singulare, absq; hoc quòd singulare cognoscat: præsertim cùm Aristoteles in hoc tex. 39. repetat quod dixerat tex. 33. intellectum non solùm non posse sine phãtasmate intelligere, sed insuper si quid intelligit, *in ipsis profectò sensibilibus formis* intelligit, nam *ipsæ sunt intelligibiles formæ*. Quæ argumentationes iam solutæ sunt ijs, quæ de intellectu agente cap. 2. huius 3. lib. diximus, iunctis ijs, quæ lib. 2. cap. 12. dicebamus, videlicet, quòd omnium sensuum proprium est suscipere rerum formas sine materia naturali & reali, benè tamen cum conditionibus singularitatis, figura, situ & dimensionibus, vt imago in speculo docet: itaque processus & immutatio sensibilis per omnem sensum secundùm suos gradus ascendendo vsque ad phantasiam non egreditur rationem sensus & singularis. Ita dicit Aristoteles hîc, quòd phantasmata sunt veluti sensibilia sine materia: & Sanct. Thom. quæst. de spiritualibus crea-

Aduerte.

Arist. duo loca exposita lib. 8. Phys. tex. 32. et lib. 3. de aia tex. 8.

Examinatur modus necessitatis ipsius phantasmatis.

Qua ratio ne sẽsibile agat ĩ omnem sensum, non tamẽ phãtasma in intellectũ

creaturis artic. 10. ad 17. quòd species, quę est in imaginatione, eiusdem generis est cum specie, quæ est in sensu, quoniam vtraq; est indiuidualis & materialis: ideo imaginatio mouetur à sensu, & sensus inferior imprimit in imaginatione, quia sunt in eodem genere & ordine, nimirum intra latitudinem formæ singularis & materialis. Idem dicit D. Thom. quæstione vnica de anima artic. 4. ad 1. addit tamen, quòd cùm phantasmata materialia sint, & species, quæ sunt in intellectu, alterius generis sint, quia vniuersales, imaginatio non potest imprimere speciem intelligibilem, quoniam nullum agens transcendit de genere in genus: tamen vt phantasmata instrumenta sunt intellectus agentis, ab ipso illustrata assumuntur, vt per quidditatem in ipsis relucentem immutare possint intellectum possibilem, non ex vi phantasmatis, sed ex vi intellectus agentis. Volo dicere, quòd in phantasmate sunt duo, vnum est proprium, nempe esse singularem & materialem similitudinem: alterû verò habet denominatione extrinseca ab intellectus agẽtis illustratione: illud ad materiam pertinet, hoc ad formam: illud apparet sub lumine sensus (quod superiùs dicebamus persimile esse lumini Lunæ) hoc autem, id est, forma & quidditas sub lumine intellectus agentis, quod clariùs refulget, veluti lumen Solis. Quare phantasma intellectui occultatur secundùm rationem materialem ex conditione subiecti, in quo est, relucet autem & reuelatur secundùm rationẽ formæ ex conditione agentis intellect⁹: ideo quod materiale est, retinetur ab imaginatiua: quod autem habet rationẽ formæ, mouet, vt immaterialiter recipiatur in intellectu: doctrina est S. Tho. de veritate q. 8. art. 11. Quamobrem perspicacissimè Aristoteles tex. 17. intellectum agẽtem arti cõparauit, quoniam artifex non producit artificiatum, nisi secundùm formam, quia materiam natura ipsa priùs præparauit: sic intellectus agens, quia artifex est vniuersalis & forma formarum, non producit intelligibile nisi secundùm formã, secũdùm quam est similitudo quidditatis, non autem secũdùm materiam, quæ sensui committitur, vt eam præparet atq; proponat: ideo intellectus noster non cognoscit singularia, quorũ cognitio à materia pendet: non enim est in intellectu similitudo materię singularis, sed similitudo formæ immaterialis & vniuersalis. Et sic primi argumenti solutio patet, & quomodo phantasma, materiale cùm sit, agat in intellectum, quia non ratione materialium dispositionum, sed formalium: & ratio atque conditio agendi ab ipsa forma vniuersali procedit, quę propter illuminationem intellectus agentis apparet: sæpe enim dictũ est sub lumine videri pomi colorem, non saporem, & plura sub lumine Solis apparere, quàm sub lumine Lunæ: etenim sicut phãtasię externa apparent accidentia, & substãtia, quę in ipsis accidentibus obuoluta occultatur, sic vice versa intellectum: latet collectio illa accidentium, quæ singularitatem definiunt, relucet tamẽ quidditas interna non ob aliud, nisi quia sensus & intellectus diuersa sunt lumina, vt Lunæ & Solis. Ex quo patet ad secundum, quomodo phantasma singulare & materiale similitudinem vniuersalem & immateriale intellectui imprimat. Tertium quoque argumentum nullas iam vires habet: nam intellectum se ad phantasma conuertere, non est ipsum cognoscere, sed quòd ad intelligendum requiratur primò, quòd phantasia actu formet phantasma, vt deinde in ipso phantasmate vt in materia possit intellectus quidditatem cõspicere: non secus ac in exemplari speculo, hoc dempto, quia in speculo non possumus videre imaginem non viso speculo, siquidem visus non potest in speculo imaginem conspicere, nisi recipiẽdo species speculi: at intellectus videt in phantasmate, tamen nõ recipit speciem phantasmatis, quia singulare & materiale est, sed duntaxat recipit species formæ & quidditatis vniuersalis. Quare propriùs loquendo exactiùs dicemus, non videre intellectum in phantasmate quasi in speculo, cùm intellectus phantasma non videat, sed videt formas & quidditates à phantasmate velut ab speculo vno in aliud speculum resultantes: quod faciunt ij, qui aliquid à tergo existens videre cupiunt, vnum ponunt speculum, quod imaginem rei recipiat, quæ inde resultare possit in alterum speculum, quod ante faciem est, vt presbyteri faciunt ad rotunditatem coronę prospiciendam: sic intellectus & phantasia sunt veluti duo specula, per quæ anima rerum quidditates cognoscit: cùm ergo nõ possit intellect⁹ intueri phantasma directo aspectu propter eius mate-

Obseruãda doctrina de modo, quo phantasma mouet intellectũ vt ad 1. respõdeas.

Tex. 40.

Intellect⁹ agentis, et artis comparatio.

Nota sub qua ratio ne aliquid in phãtasmate occultetur, aliquid appareat, vt ad 2. dicas.

Pulchra phantasmatis ad intellectũ et speculi ad visum collatio, & solutio ad 3.

Nota.

materialitatem, tamen resultantes formas per actionem intellectus agentis in ipso phantasmate, & ex ipso per possibilem intellectum percipit secundùm actum continuationis ad imaginationem, ad quam tanto vinculo colligatur, vt non cognoscat vniuersale, nisi vt subsistit in particulari. Quo fit, perperam Granatēsem docere hîc, quòd phantasma singulare subiectiuè est in phantasia, tamen vt illustratur ab intellectu agente, & vt in eo quidditas relucet, nullibi subiectiuè est, sed tantùm obiectiuè in intellectu. Mirabile sanè, quòd quidditas realiter moueat intellectum vt præsens intellectui, & tamen quòd nullibi sit: profectò si nullibi est, neq; intellectum mouebit. Quod tamen patet ex dictis suprà cap. 3. vbi de verbo dixi, quia debet antecedere potentiam obiectum, quod immediatè, proximè atq; proportionatè mouere debet: & ratio, qua mouetur, debilis admodum est, nimirum quòd quidditas illa immaterialis sit, & non possit esse in phantasmate: nam illa quidditas in phantasmate est, non vt inhærens, sed relucens, quia non est abstracta secundùm rem à phantasmate, sed tantùm secundùm relucentiam, quæ est abstractio secundùm considerationem, vt in Petro & est ratio Petri & ratio hominis, sic in phantasmate & ratio Petri & ratio hominis est: & si per phantasiam sentitur ratio Petri, ratio hominis, quæ ibi est coniūcta, intellectum, cui apparet, mouet: & si sit in ipsa phantasia, ei non apparet sub lumine eius debili & subobscuro, intellectui autem relucet ob eius luminis claritatem.

Quidditas relucēs in phātasmate ibi est subiectiuè.

SVMMA CAPITIS.

Vnica conclusione antiquorum ab ipso declarata, ostēdit animam omnia esse, quia vniuersorum formatur imaginibus, non tamen sine phantasmate: atq; intellectus & phantasiæ connexione atq; differentia demonstrata, absoluitur.

Doctrinam de anima vt resumamus, oportet accipere animam quodammodo omnia esse: quoniam cùm nihil sit præter sensibilia & intelligibilia, anima omnia erit, quia sensibilia per sensum, intelligibilia per intellectum: & sicut res secundùm actum & potentiam dicuntur, ita proportionabiliter anima secundùm potētiam omnia est, & nata in actu fieri omnia ¶ Aliter tamen quàm ab antiquis retinendum est, quoniam anima non est omnia reipsa, sed intentione & formaliter: nam lapis non est in anima, sed species lapidis, vt rectè dicas, quod corpori manus est, nimirum instrumentum instrumentorum, id ipsi animæ intellectus sit, nempe forma formarū. ¶ Cùm nulla res separata sit à sensibilibus, siue naturalis sit, siue mathematica, & quæcūq; ab his sunt, à sensu pendeant, sine phantasmate non continget addiscere, aut quouis modo intelligere. ¶ Differt tamen inter ipsa, quia intellectus cum vero, aut falso enuntiat, non tamen phantasia: & circa simplicium apprehensionem phantasia singularium est, intellectus autem ipsius quidditatis vniuersalis, non tamen sine phantasmate,

Conclusio Arist. & antiquorum.

Arist. declaratio.

Connexio phātasiæ, & intellectus.

Differentia phātasiæ, & intellectus.

CAPVT SEXTVM.

De vi motiua animæ differit.

CVm autem animalium animæ hisce duobus sit definita, discernendi, inquam, potentia, quod quidem est opus, officiumq; mentis, atque etiam sensus, & insuper etiā mouendi motu ad locum accommodato potentia: de sensu quidem, & intellectu hæc sunt determinata, ac pertractata. Deinceps autem de eo, quod mouet, quidnam sit ipsius animæ consideremus oportet: vtrum vna quædam ipsius sit pars separabilis magnitudine, vel ratione, an ipsa anima tota: & si pars sit aliqua, vtrum sit alia quædam propria præter eas, quæ dici solent, & eas, quas diximus, an istarum aliqua vna? Tex. 40.

Hæc est postrema pars de facultatibus animæ, quam in duas principes partes distribuit Aristoteles, vt vna sit de vi cognoscendi, de qua hactenus sufficienter est dictum: altera de vi mouendi, quam superest determinemus, de ea in præsenti capite

Aristo-

Collocatio huius doctrinæ scientifica est. Aristoteles more disputatiuo procedit. Et principiò hui⁹ collocationis doctrinæ, quòd scientifica sit, rationem reddit, quando omnem motum progresiuum necessum est antecedat cognitio: quare etsi vis motiua latiùs pateat, quàm cognitiua, & ob id ab ea tanquam ab vniuersaliori & communiori inchoandum fuisset, tamen vis mouendi explicari non potest, nisi ex ipsa apprehensione & cognitione, quæ causa est mouendi & discernendi. Agendum igitur iam est de vi motiua, & considerandum si anima sit, aut pars animæ, aut aliquod nouum animæ genus.

Tex. 41. Atque hic existit continuò dubitatio, dubitabitq; non iniuria quispiam, quomodo partes animæ & quot oporteat dicere. Nam infinitæ quodammodo, & non eæ solùm esse videntur, quas diuidendo quidam dixerunt, rationis, inquam, particeps, & irascendi, ac cupiendi principium: vel, vt alij, rationis particeps, & rationis expers. Per differentias enim, quibus hasce diuidunt, & separant partes, & aliæ partes esse videntur, quæ maiorem inter sese, quàm dictæ, distantiam habent. Vegetatiua, inquam, quæ quidem & plantis, & vniuersis animalibus inest. Et sensitiua, quam nec vt rationis expertem, nec vt eiusdem participem quisquam facilè ponet. Præterea imaginatiua, quæ ratione quidem ab omnibus est diuersa. Cui verò sit iungenda, vt sit idem quod illa, aut à qua seiungenda, vt sit alia ab illa, magnam dubitationē habet profectò, si quis seiūctas animæ partes, separatasq; ponat.

Doctrinæ continuatio. Præterea multa, quæ à Simplicio, Philopono, atq; etiam à iunioribus ab Aristotelis mente aliena adducuntur: nam Aristoteles rectè collocata sua doctrina & iam suo proposito exposito in præcedenti textu, in præsenti disputare incipit, vt de hac veritate constet, de qua nihil erit firmum, nisi priùs de numero facultatum, & partitione ipsarū certi simus. Qua de re tres antiquorum ponit diuisiones, Prima est ibi, *Nam infinitæ quodammodo, &c.* dicentium innumeras esse potentias, quoniā operationes nullo certo numero aut ratione comprehendi possunt: quam Aristoteles negligit, & vt irrationabilem atq; per se damnatam relinquit. Secūda est trimembris ibi, *Rationis, inquam, particeps, &c.* quæ est Platonis lib. 6. de Republica, vt alia sit rationalis, alia irascibilis, alia concupiscibilis. Tertia est bimēbris ibi, *Vel, vt alij, rationis particeps, &c.* eorum, qui per rationale & irrationale partes animæ diuidunt. Omissa igitur prima sententia illinc, *Per differentias enim, &c.* contra secundam, quæ est Platonis, quatuor rationibus inuehitur, Prima, quia vegetatiua illis tribus non comprehenditur, licet vegetandi facultas omnibus animalib⁹ insit. Secunda, quia sensitiuam nec rationis participem, nec expertem dices, cùm irrationale non sumatur negatiuè, prout animal diuiditur per rationale & irrationale. Et hęc ratio videtur contra secūdam diuisionē directè militare, quia rationale per essentiā non est nisi in homine: similiter rationale per participationem, quia in brutis non est disciplina, aut participatio rationis, nisi metaphoricè, vt formicæ dicuntur prudentes: aut per participationē, extrinsecámq; denominationem, vt canes dicuntur disciplinabiles & obedientes, sed nō propriè, quia in eis appetitus sensitiuus nō est capax virtutis moralis, vt in homine, vbi appetitus sensitiuus rationi subditur & intimè coniungitur. Tertia, quia de imaginatiua non determinat, si cum illis iungenda sit, aut ab illis disiungenda.

Insuper appetitiua, quę & ratione, & vi, alia, diuersaq; sine dubio ab vniuersis esse videtur. *Tex. 42.*

Absurdum autem est, hanc à cæteris diuellere partibus: fit enim & in participe rationis voluntas, & in ratione vacante cupiditas, atque ira. Quòd si tres in partes diuiditur anima, in vnaquaque profectò partium inerit appetitus.

Quartam rationem continet de vi appetitiua, quam ab illis separare absurdũ est: in tribus enim illis partibus suus est appetitus: & ita oporteret cum Platone appetitus tres constituere subiecto distinctos, sicut & tres illæ partes animæ subiecto distinguuntur & in diuersis partibus collocantur. Vbi inspice ingenij Aristotelis perspicacitatẽ, qui, dum disputat atque de vi motiua animæ disceptat, innuit hanc vim debere esse vnam ex his, aut certè vnam aliquam ab his distinctam.

Tex.43. Sed, vt redeamus, vnde digressi sumus, quid est id, quod mouet ipsum animal loco, quo de nũc disputatio nostra est instituta? Motu nanq; eo, quo incrementa, decrementaq; suscipiuntur, qui quidẽ omnibus animantibus inest, id mouere sanè videtur, quod vniuersis inest eisdem, principium, inquam, generandi, ac nutriendi. De respiratione autem, expiratione ve, & somno, atq; vigilia posterius cõsiderare oportet. Nam & hæc ipsa magnam dubitationem, difficultatemq; habent.

Omisso, inquit Aristoteles, diuisionum examine, ad id, quod nunc agitur & magis instat, reuertamur, nimirum quid sit quod animal mouet progressiuè secundùm locum: nam de vi augendi lib. 1. de generatione cap. 5. & lib. 2. huius cap. 4. dictum est: de respiratione autẽ, somno & vigilia postea considerandum: de his enim neq; communis est, neq; parua difficultas, ob id specialem exigunt tractatũ: sicut etiam virtus nõ ponitur, nisi vbi est specialis ratio difficultatis. Sed hęc disputatio de progressu & incessu animalium communis est, & quæ hîc propriam habeat sedem: motus enim secundùm locum apprehensionem sensus siue intellectus sequitur. Attende.

Nunc est de motu ad locum accommodato considerandum, quidnam id tandem sit, quod ipsum animal motu mouet progrediendi. Patet itaq;, nõ esse ipsam potentiam nutriendi: nam alicuius gratia semper hic motus efficitur, estq; cum imaginatione, vel appetitu. Nihil enim nõ appetens, aut fugiens, hoc motu cietur, nisi forsitan vi. Tex.44.

Demonstrat Arist. vegetatiuam potentiam non esse causam motus; quia motus ad locum non est sine imaginatione: nihil enim mouetur nisi ad prosequendum, declinandùmve quod imaginatione percipitur, nisi quando violentia compellitur: sed vegetatiua hujusmodi appetitum cum imaginatione non habet, quia caret sensu. Secundò, quia plantæ nullum habent instrumentum à natura dicatum, vt progrediantur: imò videtur, quòd de industria abstulit organa determinata ad motum: ergo vegetatiua non est causa progrediendi.

Præterea plantæ quoque tali cierentur profectò motu, partẽq; aliquam ad hunc motum vt instrumentum haberent. Pari modo nec ipsam sentiendi vim, motus huiusce principium esse cõstat. Sunt enim animalium multa, quæ sensum quidem habent, manent tamen, & semper immobilia sunt. Quòd si natura nihil Tex.45.

facit

facit frustra, neque necessariorũ quicquam omittit, nisi in animalibus membris captis, ac imperfectis, atque animalium hæc, & perfecta sunt, & non membris capta, cuius id indiciũ est, & generant enim, & statũ, decrementaq; suscipiunt, haberent & eas ipsa profectò partes, quæ progrediendi sunt instrumenta.

Huius textus prior pars in calce præcedentis exposita est: ideo meliùs fieret partitio textus ibi dum dicit, *Pari modo, &c.* vbi conclusio ponitur de sensitiua, quòd non sit principiũ motus: quia Zoophyta Græcis, Latinis sunt plãtanimalia (vt hostiæ & cõchæ marinæ) quæ neq; stirpes neq; animalia dicere possis, sed medium inter vtrunq;: sensum quidem habent, immobilia tamen sunt, & tamen non sunt orbata neq; defectuosa, cùm in sua specie & genere perfecta sint, & nullatenus orbata: quoniam Deus & natura neq; abundant in superfluis, neq; deficiunt in necessarijs: vnumquodq; enim ita fit, sicut natum est fieri, nisi quid impediat (lib. 2. Phys. tex. 78.) generãt enim, statum habent cremẽti & decrementi, & vim vt progrediantur nòn habent: quia si haberent organa ad progrediendum, vtiq; natura tribuisset (vt arguit Aristot. de astris lib. 2. de cælo tex. 50.) aliàs principium in eis superfluum fuisset, cuius nunquam est vsus futurus (lib. 1. de cælo. tex. 32. Deus & natura nihil prorsus faciunt frustra) progrederentur ergo aliquando extrinsecus non impedita, si vi non detinerentur. Aduerte tamen, nõ esse collisionem in Aristotele, quòd Zoophyta hîc perfecta animalia vocantur, & infrà tex. 56. imperfecta: nam si conferas cum animalibus, quæ secundùm locum mouentur, imperfecta sunt, vt illic loquitur Aristoteles: si tamen in sua specie consideres, perfecta & completa in præsenti textu ponuntur: quoniam in sua specie neque læsa sunt, neque manca, neque aliqua ratione orbata.

Collisio Arist. remouetur.

Tex. 46. At verò neq; ratiocinãdi vis, & id, quod intellectus appellatur, principium est mouendi. Intellectus enim contemplatiuus nihil eorum, quæ sub actionem cadunt, contemplatur: neque dicit quicquam omnino, si sit fugiendum, an persequendum. At motus semper aut fugientis, aut persequentis quippiam est. Actiuus etiam cùm rem aliquam huiuscemodi contemplatur, minimè iam fugere, aut persequi iubet. Attamen si res illa terribilis sit, cor ipsum mouetur: sin afficiẽs voluptate, pars aliqua alia corporis agitatur.

Tertiam conclusionẽ ponit Arist. quòd neque ratio, neque intellectus sit mouendi vis: quia non theoricus & contemplatiuus intellectus, quoniam vel non est de agibili, aut non modo agibili: speculatiuus igitur intellectus nil cõtemplatur, vt ad actionem referat: ergo nõ motus, sed potiùs otij & quietis principium est: sæpe enim considerat quod iucundum, aut terribile apparet: vbi etiam si cor vltrò citróq; agitetur, ipse theoricus intellectus neque prosequi, neque declinare iubet. Quod addit Arist. de actiuo intellectu ibi, *Actiuus etiam cùm rem aliquam, &c.* clariùs sequenti textu.

Præterea, intellectus nõnunquam iubet, ratioq;, fugere aliquid, aut persequi dicit: at non obtemperat homo, neque mouetur, sed agit cupiditate, vt in ipso fieri solet incõtinente. Omnino autem persæpe fieri videmus, vt non medeatur is, qui medicinam habet, nec is conficiat statuam, qui statuariam habet artem: propterea quòd non ars ipsa, neque scientia, sed aliquid aliud hanc habet vim, & poten- *Tex. 47.*

tiam.

tiam, vt per ipsam artem aliquid, scientiamq; agatur.

Eandem conclusionem de actiuo intellectu prosequitur Arist. quam in calce precedentis textus inchoauerat, quòd neque actiuus intellectus mouēdi principium sit, quia non semper iubet prosequi, sed negligenter & insufficienter se habet atq; oscitanter, etiamsi aliqua pars corporis, virilis scilicet, iucundi perceptione concitetur & voluptate afficiatur: ipse enim nil precipit, sed indifferenter se habet: quinimo etsi iubeat prosequi aut fugere, consilio eius non stamus, neque rationi acquiescimus, sed ratione valere iussa, cupiditatem & quod lubet sequimur: quod faciunt sensuales & incontinentes, qui rationi non obtemperantes, cupiditate aguntur. Quæ apposito simili declarat Arist. ibi, *Omnino autem persæpe fieri videmus, &c.* quia sæpe artem habētes, ex arte non operantur: & optimus medicus quandoq; non sanat, quia remedia profutura non applicat: & peritus statuarius non semper perfectam facit statuam: sic incontinentes rationis proposito nō parent, sed secundùm sensum operantur, quia non faciunt in seipsis quod ipsa rationis ars docet: ergo neque sensus, neq; intellectus, neq; reliquæ partes, quas Plato asserebat, mouendi sunt principium.

Attende.

Tex.48. At verò nec appetitus autor, atque princeps huius est motionis: continentes enim quāquàm appetunt atque cupiunt, non tamen agunt ea, quæ cupiunt, sed intellectum ipsum sequuntur, rationiq; obtemperant.

Vltimò probat Aristot. quòd appetitus princeps autor motus nō sit, quia viri studiosi & continentes agunt contra insultus & incursiones appetitus, cuius impulsibus neq; persuadentur neque acquiescunt, sed ipso reluctante quod honestius est sequuntur, vt lib. 7. Ethic. vbi continentes ab incōtinentibus distinguūtur: appetunt enim continentes & studiosi viri, tamen non agūt secundùm sensitiuum appetitum. Nec te moueat aut solicitet cura ponderandi momenta rationum, quas Aristoteles hoc cap. inducit, quoniam disputatiuè, non tamen assertiuè procedit: sat ergo est, apparētem & probabilem habeant dubitationem. Et ita in hoc textu dum dicit, *Continentes enim quanquàm appetunt, atque cupiunt, non tamen agunt*, apparens est ratio, & secundùm diuersa verificatur: quoniam *intellectum ipsum sequuntur, rationiq; optemperant*: & licet appetant secūdùm sensum, agunt tamen secundùm rationem: quare absolutè & simpliciter vt agunt secundùm rationem, ita quoq; appetunt: nam sensualis motus à ratione castigatur, refrænaturq;. Quę autē pro examine huius capitis & principij mouendi desiderantur, ex sequentibus pete.

Obserua pro intelligentia huius c.6.

SVMMA CAPITIS.

Proposita intentione, de principio motus disputat: reiectàq; triplici diuisione, quatuor conclusiones aliorum impugnat, & principium motus reijcit.

Cùm duæ sint principes animæ partes, nempe cognitiua & motiua, actùmq; sit de cognoscendi vi, meritò iam agendum de principio mouendi secundùm locum, si anima sit, aut pars animæ, aut potiùs aliquod aliud nouum genus animæ? *Intētionis et doctrinæ insta collocatio.* ¶ *In primis infinitas partes animæ facere, irrationabile videtur. Deinde tres cum Platone ponere, rationalem in cerebro, concupiscibilem in epate, irascibilem in corde, consentaneum non videtur: sicut nec quod alii faciunt, qui omnes ad duas reuocant, rationalem scilicet & irrationalem.* *Tres diuisiones reijciuntur.* ¶ *Nam vegetatiua latiùs patet & communior est, quàm vt sub illis tribus à Platone assignatis comprehendi queat.* *1. ratio.* ¶ *Et sensitiua neque propriè particeps, neque propriè expers esse videtur.* *2. ratio.* ¶ *De imaginatiua autem dubium est, an illis adiungenda, an potiùs seiungenda sit?* *3. ratio.* ¶ *Appetitiua tandem omnibus communis est, quam ab illis diuellere, non caret absurdo.* *4. ratio.* ¶ *Sed vnde digressa est redeat oratio, vt de motiuo vires secūdùm locum agamus: aliæ enim mouendi vires alibi considerandæ.* ¶ *Etenim nutritiua non est mouendi vis, cùm nihil secundùm locum moueatur, nisi secundùm apprehensam formam. At plantæ imaginatione & sensu carent. Mox natura instrumenta ad motum de industria negasse videtur.* *1. cōclusio.* ¶ *Nec sensitiua erit, cùm Zoophyta, quæ in sua specie non orbantur, & cætera munia exercent, nec mouentur, neq; eis instrumenta ad mouēdum natura tribuit, cùm tamen natura non deficiat in neces-* *2. conclu.*

3.conclu. necessariis. ¶ Neq; ratio aut intellectus vis est mouendi:quia non speculatiuus,qui ad agendum nil considerat:nec practicus,quia nō semper cùm afficimur,aliquid iubet,imo etsi iubeat,non semper ei paremus,vt qui artem habent,tamen secundùm artem non operantur:tales sunt incontinentes,qui honesta vident,inhonesta tamen operantur.

4.conclu. ¶ Appetitiua non videtur esse princeps autor motus:quod ex eo liquet, quia cōtinentes alia appetunt,alia agunt:quoniam appetitum deserūt, vt rationi obtemperent.

CAPVT SEPTIMVM

De vi motiua animæ in communi ex propria sententia determinat.

Videntur igitur duo hæc esse mouentia,vel appetitus,vel intellectus,si quis imaginationem vt quandam intellectionem esse ponat. Nam & homines magis imaginationē, quàm scientiā,plerunq; sequuntur:& in cæteris animalibus nō intellectio,neque ratio,sed imaginatio inest. Hæc igitur ambo intellectus,& appetitus,mouendi motu dicto,principia sunt.

Method. doctrinæ. Huius capitis initium pars est textus 48. in quo capite postquam Arist. in præcedēti tantùm conclusit, quid non esset prima vis mouendi ipsius animæ,quòd nec vegetatiua,neq; sensus, neq; intellectus,neque appetitus (quam in re disputatione lusit) in præsenti in communi determinat de principio motus progressiui, & certam statuit veritatem. Quare firma & cōstans est totius huius capitis conclusio,nēpe duo esse mouendi principia, intellectum scilicet atque appetitum, quæ tamen ad vnum necessariò reuocari debent. Et dum huius conclusionis probationem instituit Arist. potentiæ motiuæ obiectum atque operationem, ipsius deniq; organum manifestat: sic docuit lib. 2. de Anima cap.4.text.33.vnamquanq; organicam potentiam explicādam ab his tribus,obiecto, operatione & organo. Quocirca aduertēdum semel(ne posteà opus sit repetere) sub intellectu phātasiam siue imaginationem cōprehenditum,quia homines,qui ratione & intellectu duci deberent, vt in plurimum seipsos deserunt, & fictione quadam phātastica delusi,quod adlubet sensui amplectuntur, nā passionis perturbatione veluti morbo quodam opprimitur ratio:tum etiam,quoniam imaginatio eodem intellectus nomine comprehenditur,quòd munere quodammodo atque officio conueniant:sicut enim intellectus homines ad omnem motum & actionem dirigit (nisi passione perturbatus munus suum præstare non possit)sic imaginatio bruta animantia excitat: & sicut intellectus in absentia rei considerat & dirigit, ita phantasia absentis rei desiderium proponit:ergo hæc duo principia mouēt,phātasia & appetitus,vel intellectus & appetitus.Quare rationibus dictis promiscuè vtemur,& intellectu pro imaginatione,& imaginatione pro intellectu:quia ex apprehensione phantasiæ similiter procedunt motus progressiui,ac ex apprehēsione intellectus. Etenim sicut Luna Solis,cæterorumq; Planetarum vicaria esse videtur, quorum virtutē & recipit,& his inferioribus cōmunicat,illisq; supposita,eclipsis causa est, & vt in lumine deficiant:sic imaginatio intellectus vicem subit, eiusq; influxum inferioribus partibus communicat,nisi cùm ratio nem conturbat,& deliquij defectum inducit. Idcirco non solus intellectus,neq; solus appetitus principium motus est (vt præcedenti cap. ostendebatur) sed vterq; simul, non disiunctim & singulariter,sed communiter, simul atque coniunctum motum secundùm locum introducūt, cognitio scilicet finis, eiusq; desiderium:quod præsenti cap. enarrare instituimus,& lib.2.tex.160. in definitione phantasiæ tetigimus, secundùm quam multa agimus,patimurve.

Totius capitis scopus. Intellect. & phantasia pro eodē vsurpantur. Pulchra collatio. Huius et præcedentis capitis præcipua cōclusio.

Intellectus is,inquam,qui alicuius gratia ratiocinatur,qui&; principium est agendi. Atq; hic fine ab intellectu contemplatiuo differt. Appetitus etiam omnis, alicuius est gratia. Cuius enim est appetitio,id est principiū intellectus actiui: at ipsum vlti- Tex.49.

vltimum principium est actionis. Quare non sine ratione principia mouendi videntur hæc esse duo, appetitus, inquam, & mens ea, quæ principium est agendi. Ipsum enim appetibile mouet, & propterea mens mouet, quòd appetibile ipsius principium est. Imaginatio quoque cùm mouet, non absque appetitione mouet.

Intellect⁹ practicus ratione finis cũ appetitu cõnexus actionis est principiũ.

Quoniam proximo capite dubitatum fuerat, si principium mouendi practico aut speculatiuo intellectui deferendum sit, nũc declarat & asserit Arist. intellectum practicum principium esse motus secundùm locum, non autem speculatiuum intellectum: nam etsi isti duo intellectus circa verũ versentur vt obiectum, & sic secundùm essentiam non differant, tamen quia solo fine distinguũtur (nam eandem veritatem, quam speculatiuus intellectus in intelligendo sibi vt finem proponit, actiuus intellectus ad actionem refert & dirigit) ideo non contẽplatiuus, sed actiuus intellect⁹ ponitur principium agẽdi: hoc ideo, quoniam actiuus intellectus finem respicit, qui obiectum est appetitus, atq; adeò cum appetitu connexionem habet. Et id est quod dicit Aristoteles ibi, *Appetitus etiam omnis alicuius est gratia:* quoniam appetere non est propter solum appetere: neq; est appetitus sui gratia, sed ad extrà tendit, nimirum ad destinatum finem: secus temerè, frustra atque incassum appeteret: non enim finem consequitur animal, nisi actione aliqua & motu ad id, cuius est appetitio, & cuius desiderio tenemur: hoc autẽ est appetibile, quod & principium est actiui intellectus, & forma ipsius, & caput primum, actionisq; origo. Sed quo modo Aristoteles finem principium actionis dicit esse, cùm tamen lib. 2. Phys. tex. 89. expressè dicatur, quòd finis in practicis *principium enim & hoc est, non actionis, sed cogitationis.* Hanc collisionem si remouerimus, profectò & Aristotelem cõciliabimus, & præsentem locum maximè illustrabimus. In Physicis enim Aristoteles dixerat, finem in agibilibus se habere

Collisio Aristot. egregia, sed elegãter soluta.

sicut principium in speculabilibus, elegantissima quidem similitudine: quia sicut cõclusiones à principijs pendent, indeq; veritatem habent, sic media à fine prodeunt, eiq; proportionantur & ab eodem imperantur. Et quoniam Aristoteles dixerat, q finis se habet sicut principium in speculabilibus, ne quis comparationem vt ineptã & disparatã redargueret, acutissimam subdit rationem, vt hãc tacitam obiectionem euellat: nimirum quòd *nõ actionis, sed cogitationis* causa est, vt ita non ineptè comparentur principia cognoscendi in speculatiuis cũ fine in ratione agendi in practicis: vtrũq; enim principium, tam practicum, quàm speculatiuum principium est cognoscendi. Et ita comparatio est, quòd sicut cognitio præmissarũ causa est cognitionis ipsarũ conclusionum, ita finis in agibilibus se habet, quoniam cognitio finis prima causa est cognoscendi media. Quibus verbis ingeniosissimè notauit Arist. differentem esse modum agendi causæ finalis & efficientis: quoniam causa finalis agit, quatenus est in intentione & cogitatione, vt lib. 1. de generatione tex. 55. sanitas, quę mouet in ratione finis, non est actiua, nisi per translationem & metaphoram, quatenus intrinsecùs ad actionem solicitat, non vt realiter existens, sed vt est in cogitatione: prima ergo causalitas finis in cogitatione est, quoniam si cum causa efficiente conferatur, translatitiè operatur: nam causa efficiens operatur iam existẽs (lib. 2. Phys. tex. 29. lib. 12. Metaphys. tex. 16.) & ideo dicitur prima causa actionis, vnde incipit motus. Quare quod est in cogitatione & intẽtione prius est ordine intẽtionis in genere causæ finalis, posterius tamen in executione secundùm ordinem causæ efficientis, quæ incipit motum à medijs, vt tandem finem consequatur: ob id appetibile bonum vt cognitum mouet, nam vt est in cognitione principium est & velut forma, secundùm quam ipse appetitus principium est motus. Ideo in Physicis ostenditur, primam radicem agendi ipsius finis prouenire ex eo quod est in intentione & cognitione: nam secundùm formam apprehensam & rationem cognoscendi sumitur efficientia ipsius finis secundùm cognitionis impressionẽ: quia appetibile non mouet nisi cognitum, & nisi formam suam mẽti imprimat, & inde est principiũ actionis (vt hic docet Aristoteles) id est, secundũ cogni-

cognitionem, qui est translatitius & metaphoricus modus agendi causæ finalis (vt in libris Phys. & lib. de generatio.) quoniam vt est in apprehensione actiui intellectus, ad actionem dirigitur, quod practici intellectus munus est. Appetibile igitur nō nisi cognitum appetitum tangit, atque deinde ibi de actione solicitat: est enim principiū actiui intellectus in practico syllogismo, cuius conclusio actio realis & exercita est, nisi sit inefficax: quare actiua mens ex appetibili cognito cōcludit actionem, & motus & actionis principium est, vt hîc dicitur, quia priùs principium fuit cogitationis, vt lib. 2. Phys. dicebatur. Et sic conciliabis ista duo loca Aristotelis, & ad illustriorem huius capitis enarrationem expeditiùs deueniemus: propterea enim intellect⁹ aut imaginatio mouent, quoniam appetibile cognitum principium est, quod sine appetitione & desiderio appetitus non mouet.

Obseruanda resolutionis summa.

Tex. 50. Vnum igitur est id, quod mouet, ipsum, inquam, appetitiuū. Nam si duo, intellectus, atq; appetitus mouerent, per aliquam communem vtiq; formam mouerent. Nunc autē intellectus quidem non videtur absq; appetitu mouere: voluntas enim, appetitus est quidam. Atque cùm fit motus per rationē, & etiam per volūtatem fit. Appetitus autem absque ratione mouet: cupiditas enim & ipsa, quidam est appetitus.

Appetit⁹ & intellect⁹ mouēt, nō vt duo, sed vt vnū.

Perficit Arist. positam iam doctrinā, qua probatum est duo esse principia mouentia, appetitum scilicet & intellectum, quæ prior pars erat propositæ conclusionis huius capitis: nunc posteriorem eiusdem conclusionis partem ostendit, nimirum, hæc duo, appetitum videlicet & intellectum, ad vnum debere reduci, & hoc est appetibile ipsum, à quo intellectus ipse informatur. Etenim absq; appetibilis conceptione neque mens, neque appetitus mouet, neq; ambo simul: nunquam enim prodibit actio & motus, vt animal concitetur ad consequendum bonum, nisi vnum principium sit, vnde prodeat actio & motus. Quare mens & imaginatio non per se mouent, quatenus tales sunt, sed quatenus appetibile percipiunt, quod appetitui proponāt: appetitus autem obiectum ipsum est appetibile, & omnis actio ab ipso est: quoniā obiectum est, cuius proprium est mouere: deinde solicitatur animal ad prosequutionem, vel fugam (est enim appetitus boni & mali, quia eadem potentia est contrariorum, vt de omnibus sensibus & de intellectu ostendimus) vt demum excitet potētias ad exequutionem. Quo fit, appetitum & intellectum nō mouere vt duo: sic enim materialiter conuenirent & extriusecè se iuuarent, mouerentq; per accidens secundùm habitudinem vnius ad alterum, vt duo portantes lapidem, quorum non est vnus & idem effectus, sed pars effectus vni, & pars alteri respondet: at intellectus & appetitus duo sunt mouentia, non vt duo & disparata, sed vt subordinata inter sese, & in communi quadam ratione conuenientia (quæ est vnica appetibilis ratio) vnū, eundemq; motum perficiunt, quia concurrūt in vna forma, nempe appetibili apprehenso: & practicus intellectus non imperat motum, nisi determinatus ab appetitu: ergo neuter ab altero præcisus causat motum, quia appetitus cæcus est, & sine intellectu non cognoscit, nec habet quod appetat: intellectus autem sine appetitu non imperat, quia non determinatur ad motum. Vterq; igitur simul vnum est principium mouendi, vt conueniunt in appetibili, quod vtrūque (appetitum scilicet & intellectum) vt vna communis forma nectit & arctissimo vinculo cōniungit, vt sic dirigat, reguletq; intellectus quod appetat voluntas, & exequendo in vsum proferat. Et sic finis in intellectu ponitur prima causa cognitionis lib. 2. Phys. vt autem est in appetitu, hîc ponitur & dicitur causa actionis: vt tangit desiderium, ad actionem promouet: etenim sola scientia non potest mouere, quia est indeterminata & indifferens ad contraria, nisi ab appetitu determinetur. Vtrunq; igitur dicit Aristoteles lib. 9. Metaphys. tex. 10. scientia, quæ contrariorū est, *appetitu aut proæresi*, id est, electione appetitus determinatur: quare simpliciter appetibile est primū mouens & principium omnis actionis, vt est

Attende.

Lib. 2. Phys. tex. 89. cum tex. 49. in præsenti iterū conciliatur.

est in intellectu: & appetibile ipsum, seu finis (quod idem est) primò mouet, quia est primum cognitum & consideratum ab intellectu practico: quare cùm appetitus & intellectus per se moueant, necessum est in communi forma vniantur. Quod nolim sic accipias, vt intellectum & appetitum non distinguas, vnamq; facias potentiam (quę fuit quorundam delusio) sed secundùm vnam vim cõmunem impulsiuam ad motum: sicut enim in genere causæ efficientis Sol & homo generant hominem (lib. 2. Phys. tex. 26.) quod fieri non potest, nisi Sol & homo vnam communem haberent virtutem: & vt colores mouent visum sub forma lucis in genere causæ formalis, ita appetitus & intellectus sub vnica appetibilis forma, id est, propter eundem finem, ad quem sub vnius speciei & formę apprehensæ ratione, appetitus & intellectus simul excitantur: finis enim & forma idem sunt lib. 2. Phys. tex. 70. & lib. 1. de generatione tex. 55. habent se ergo intellectus & appetitus vt causa vniuersalis & particularis: vnde licet sint diuersi generis, vna cũ altera in modo actionis concurrit, & intellectus se habet vt causa prima & remota, appetitus vt causa secunda, propria & immediata. Et iste subordinationis modus est, per quem ad se inuicem reducuntur, & vt vna causa concurrunt, & per quem intelligemus, quomodo appetitus ad suum libitum trahat & peruertat intellectũ, quia est causa particularis, cui respondet actio: singularium enim sunt actiones, non vniuersalium. Hæc igitur est series motionis: nam appetibile primùm omnium intellectum informat, vnde lib. 2. Phys. tex. 89. cognitionis principium dicitur: hanc autem formam cogniti appetibilis intellectus prę sentat appetitui (quia intellectus non mouet, nisi determinatus à voluntate, nec phãtasia, nisi limitata à desiderio) à quo excitatur animal, vt moueatur, & ita concurrunt vt vnum in genere causæ efficiẽtis: & ideo intellectus, qui se habet vt causa vniuersalis, modificatur ab appetitu: appetitus autem, qui se habet vt causa particularis, determinat & limitat intellectum. Ob id secundùm vsum & exequutionem operationis, intellectus reducitur in appetitum: at verò secundùm ordinem essendi & intentionis, appetitus in intellectum reduci debet, quia est causa vniuersalis, quæ influit magis quàm secũda. Elegantissima est hęc ratio, quam sic egregiè in suum principiũ resolues, Qualis est ordo passionum, talis debet esse actionum, quoniam actiones determinantur ad subiectum secundùm ordinem passionum & potentiarum: sed animæ prius conuenit intellectus, quàm appetitus: ergo ordine essendi & naturæ prius est intellectus operatio: sed quia est indifferens ad contraria, & nunquam agit intellectus, nisi determinatus ab appetitu, secũdùm ordinem operandi & exequendi antecedit appetitus. Vnde quod Aristoteles subdit ibi, *Appetitus autem absq; ratione mouet*, non intelligas voluntatem ferri posse in incognitum, sed ita accipe, vt voluntas aliquando peruersè agat, aliter quàm rectè cognitum sit: agit ergo sine ratione, quia in contrarium eius, quod ratio dictat, secundùm cupiditatem sensus mouetur. Etenim voluntas rationalis est appetitus, qui in bonum fertur, vt est à ratione comprehẽsum, cuius est velle, nolle, eligere, immutari ab appetibili, non autem percipere & iudicare (vt perperam asserit Tignosius hic tex. 52. qui vult volũtatem potentiam esse cognitiuam, quod alienum est à peripatetica schola) nam (vt alia omittam) hic tex. 40. diuidit Aristoteles inter appetitum & vim discernendi. Neque habet opposita opinio aliquod philosophicum fundamentum, & extranea est & inopinabilis, nisi apud Nominales, qui de rebus non distinguunt, sed omnia nominibus accommodant: bonum enim & verum, appetitum & intellectum separant: & ideo appetitui sensitiuo datur sensus, & appetitui intellectiuo intellectus, vt illustrent viam, & dirigant ad scopum appetitum ipsum alioqui cæcũ & sui ignarum. Sanè appetitus potentia passiua est, vt S. Thom. 1. 2. q. 18. art. 2. ad 3. et enim sensus factus in actu primo per speciẽ obiecti, statim in actum secundum & operationem erumpit, sic appetitus ex impulsu boni, quod intellectus vel imaginatio obiecerit vel præsentauerit, dicitur esse in actu primo, vt mox erumpat in actum secundum appetendo actu elicito, & actu imperato mouendo reliquas potentias ad consequutionem eius, quod appetiuit. Similiter ergo appetitus & potentia cognitiua duas habent operationes, per priorem in actu primo, per posteriorem in actu secundo dicuntur: & per priorem passiuè,

Intellect⁹ & appetitus quomodo vt vnũ moueant, & est valde obseruandum.

Vnde actio appetitui refertur.

De ordine mouendi.

In diuerso genere appetitus & intellectus se habent prius, & posterius.

Voluntas nõ est cognitiua potẽtia, infrà ĩ examine ad 2. & 3.

Appetit⁹ in actu primo, et secundo.

per

per posteriorē actiuè, vt suprà lib. 2. c. 5. q. de sensu agente dictum est.

Tex. 51. Intellectus igitur rectus est omnis: at appetitus, atq; imaginatio, & recta est, & non recta. Quocirca semper quidē ipsum appetibile mouet, hoc autem est aut verè bonū, aut apparens bonū. Attamen nō omne bonū mouet, sed id, quod sub actionem cadit. Sub actionē autē cadit quod aliter sese habere etiā potest. Patet igitur, talem animæ vim, atq; potētiam, principiū esse mouendi: quæ quidem est ea, quā appetitum consueuimus appellare.

Bonū verū, vel apparēs appetitus obiectum. Explicat Arist. cur in appetitionibus humanis errare contingat: videbatur enim ex prædictis, q̄ semper bonum & rectum prosequeremur, quia appetitus non est nisi ad bonū, & intellect⁹ semper est verus. Respōdet causam esse errādi, quòd appetitus nō semper à vero bono, sed ab apparēti bono plerūq; moueatur: ideo decipimur, quia malum sub specie boni appetim⁹: est enim obiectū appetitus nostri pro hoc statu non solùm bonū, quod verū est, sed etiā quod speciem & apparentiā boni habeat. Quare *Intellect⁹ semper verus.* intellect⁹ omnis verus est circa simplicē quidditatē (vt suprà tex. 26.) similiter in secūda operatione intellect⁹ verus est circa prima principia vniuersalissima, vt Bonū est agēdum, & malū vitandum, Quod tibi nō vis, alteri ne feceris, in intellectu practico: in speculatiuo autē, Quodlibet est vel nō est, Omne totū est maius sua parte. Ratio autē est, quia sicut in prima operatione veritas potētiæ est in conformitate ad suum obiectum, verbi gratia, sicut sensus semper est verus (suprà lib. 2. c. 6. tex. 63.) ex conformitate ad obiectū, ita intellectus, quia entis est vt obiectū, semper est verus, ens enim & verū conuertuntur: ita in secunda operatione intellectus habitudine ad prima principia vterq; intellectus tā practicus quàm specu- *Prima principia quare semper vera.* latiuus fertur ex inclinatione naturæ, non secus quā lapis ad cētrum mittitur. Si igitur circa hæc principia vniuersalissima erraret intellect⁹, falsitas & error ille retorqueretur in autorē naturæ, cuius est illa missio & seminatio veritatis cū ipsa natura: sicut enim prima principia speculatiua semina sūt sciētiarū, ita prima principia practica seminariū sunt virtutum: cūcta enim, quę Deus fecit, vera sunt, valdeq; bona. Habent se hæc principia sicutianuę in domo, quæ omnib⁹ patent, & à natura sine vllo discursu habētur, in quibus si error accidisset, nō pateret aditus ad sciētias, nec ad salutē esset via expedita: si tamen error aliquis accidit, cōtingit nobis colligendo & subsumēdo, nimirū cùm principia illa rectissima & verissima ad particulare agibile applicamus, quòd nō semper bonum existit, licet bonū appareat: illa tamen specie boni inuitati atq; decepti deficim⁹, vel quia quod bonū est, minùs rectè applicam⁹. Ex hoc textu habes primò, *Notanda ex hoc textu.* quòd intellectus practicus, similiter & appetitus vniuersaliū ad motum non sufficiunt, quia actiones sunt particulariū. Secūdò habes, quòd intellectus semper sit verus, non solùm circa primā operationem, sed etiā in secunda operatione circa prima principia. Tertiò habes, q̄ actiones sunt particulariū, indeq; accidit vitiū & error. ¶ An aūt habē- *Voluntas sine aliquo errore in intellectu nō deficit.* tes rationē rectam deficere possint? hoc est, an dictamine recto stāte in actu, quis peccare possit? cōtrouertit Arist. lib. 7. Ethic. c. 7. Partem affirmatiuā tenet Scotus in 3. d. 36. quia volūtas potest ex sua libertate eligere, nō obstāte quocūq; dictamine intellectus. Sed S. Tho. cū peripatetica schola oppositū validissimè tuetur 1. 2. q. 77. art. 2. & ibi nos cū Caiet. multa diximus: nil enim potest appetit⁹, nisi ex imperio intellect⁹ (1. 2. q. 17.) imperātis, cuius imperium nō quiuis actus est intellectus, sed vltimus eius act⁹, qui cōclusio est practici syllogismi: ergo vbi intellectus nō defecerit, siue per errorē, siue per inconsiderationē, siue per imperij remissionem & inefficaciā, impossibile est deficere volūtatē, quæ nō sequitur, nisi quod proponitur & imperatur ab intellectu. Et si quādo contingit, habētem rationem rectā deficere, si illa recta ratio in particulari habeatur; hoc ideo accidit, quia intellectus nōn imperat efficaciter, vnde cōtingit paralogizare, & quod habeat se veluti qui in quatuor terminis arguit: nam maiori & minori rectè per intellectū suppositis atq; dispositis, ex concupiscentia appetitus alia propositio fraudulenter supponitur, & subinducitur

citur latenter alia minor, secundùm quam cõclusionem paralogizat. Et ita textu præcedenti dicebat Arist. *Appetitus autem absq; ratione mouet*, id est, citra rectã rationem: & statim tex. 53. rationem reddit, quia sensus non videt nisi presens bonum, quod intuetur: & quia sensus tantùm est singulariũ & præsentium, rationẽ, quæ de futuris & absentibus deliberat, importunè & improbè perturbat. Verba autem Arist. sunt, *Præsens ipsum persequitur*: & post pauca, *Futurum non perspicitur*.

Tex. 52. Constat etiam, eos oportere, qui partes animę diuidũt, si modò potentias ipsas diuidãt, atque separent, complures ipsas esse cõcedere: nutriendi principium, sentiendi, intelligendi, deliberãdi, & appetẽdi. Hæc enim plus inter sese differunt, quàm potentia cupiendi, ac irascendi.

Cõstat vim appetitiuam connumerandã inter potentias animæ: vnde Aristoteles regreditur, vt damnet illam trimẽbrem diuisionẽ Platonis superiùs tex. 41. propositã: nam plures alias oporteret ponere, vt nutritiuam, intellectiuam, deliberatiuam, appetitiuam, quę communiores & notiores sunt, quàm irascibilis & cõcupiscibilis, quas Plato ponebat: idem de vi motiua & deliberatiua dicẽdum esset. Ratio autem, ob quam Aristoteles trimẽbrem illam diuisionẽ reprehendat sine vitio interruptionis cõtexturæ, hæc est: quoniam Aristoteles in textu præcedẽti dixerat, obiectum appetitui esse bonum, verum, vel apparẽs: ex obiecti autem vnitate vim motiuam, siue appetitiuã vnam esse, deducebatur: consequens igitur erat, illã diuisionẽ Platonis malã esse, qua quidem ratione doctrina non interrũpitur, sed maximè continuatur (vim appetitiuam cum motiua cõnectit Aristoteles hoc textu & præcedenti.) Aduertendum etiam, quòd vis intelligẽdi (quæ necessariorum est) à vi deliberandi (quæ est contingentiũ) ab Aristotele non distinguitur, quasi potẽtiæ sint distinctæ: vtraq; enim cognoscit contingẽtia & necessaria, quia inter ipsa distinguit (quo argumento lib. 2. cap. 14. à tex. 145. sensum cõmunem ponebamus cognoscere omnia sensibilia, quia inter ipsa dijudicat) nisi velis per intelligendi vim sumere rationẽm, quę est vniuersalium, per deliberandi autem virtutem, rationem, quæ singulariũ est. Sed meliùs vnã dicemus esse facultatẽ cũ Arist. lib. 6. Ethic. c. 1. vnica intellectiua potentia habitus cõtinet circa necessaria, vt sapientiam, scientiã, & circa cõtingentia, vt artem & prudentiã: necessariũ enim & contingens sub quidditate rei materialis, quæ obiectum est intellectus, comprehenditur. Sed non oportet anxiè in nominum interpretatione immorari, cùm Arist. solum id agat, vt demonstratiuè contra Platonẽ colligat, vim appetitiuã atq; motiuã esse põnendam, quæ ab irascibili & cõcupiscibili distinguitur. Patet hoc ex obiecto, ex cuius vnitate vnitas potentiæ deducitur, vt lib. 2. de Anima cap. 4. diximus. Et rursus, ad hominem quasi ex abundanti arguens, dicit, quòd si potẽtia animę per irascibile & cõcupiscibile distinguerẽtur, eadem ratione deberemus plures potẽtias ponere, vt intellectiuum & deliberatiuũ, quæ sunt priores & notiores differentię: sed ostensiuè tãtùm assert ponendam esse appetitiuam potentiam præter irascibilem & cõcupiscibilem: sed ad ipsius appetitus discrimina veniam.

Ratio cõtexturæ subtiliter continuatur.

Mẽs Aristotelis in hoc tex.

Cùm autẽ appetitiones inter sese cõtrariæ fiant, quòd quidem tũ fit, cùm ratio, cupiditasq; cõtrariæ sunt, idq; fieri solet in his, quę sentiunt, atq; percipiunt tempus (mens enim ob futurum retrahere iubet, cupiditas verò præsens ipsum persequitur. Nã quod iam afficit voluptate, id & simpliciter afficere voluptate, & absolutè bonum esse videtur ex eo sanè, quia futurum non perspicitur.) Tex. 53.

Tacitam soluit obiectionẽ Arist. dixerat enim, ex obiecto vnum esse appetitũ, hinc autẽ ob appetituũ discrimina & bella intestina, quæ iugiter inter nos metipsos geruntur, videbatur nõ vnum esse appetitum, neq;

Elegans textus, in quo à Philosophis rationes resoluuntur, conducit

pro animæ immortalitate infrà quæst. propria loco 14.

neq; actionē, neq; operationē sequi: quoniã appetitus mutua discordia sese impedirent. In primis Arist. ingenuè fatetur, in nobis duos esse appetitus, vnum sensitiuũ, alterum verò intellectiuum: quamlibet enim potentiã cognitiuam proprius sequitur appetitus, tanquam eius pondus & inclinatio ad opus: non ergo in nobis solus est sensus, sed præterea etiã & intellectus, & ideo duplex erit appetitus, sensitiuus scilicet & intellectiu⁹, qui alio nomine volũtas nũcupatur. Deinde causam reddit (vt suprà dixi lib. 2. tex. 150.) ob quam isti duo appetitus perpetuò belligerentur, ibi, *Mens enim ob futurum, &c.* nimirum quòd sensus tẽpus non percipiat, sicut intellectus: sensus enim tantùm præsentis temporis est, & præsentibus voluptatibus aut terribilibus afficitur, quia sensus singularium est. Atqui intellectus, quoniam vniuersalium est, tẽpus percipit, ideo in futurum prospiciens sibi cõsulit, & effrenem appetitum, qui à torrẽte voluptatũ rapitur, retrahere & in officio continere nititur, ne simpliciter vt belua cæco impetu in præsens delectabile præceps feratur: hæc præstat ratio, dum de futuris cogitat, suo cõmodo atq; honori prouidet, & mala non modica sensui imminere proponit, si sese voluptatibus dederit. Hac de causa maxima ex parte corpus animam vincit: quoniam bonum, quod corpori apparet, præsens est; commoda autem animæ videntur absentia, obiecta autẽ præsentia multò efficacius mouent. Quam ob causam oportet semper velut præsentia animæ bona cõsiderare & contemplari, vt D. Pau. 2. ad Corinth. cap. 4. *Id enim, quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autẽ non videntur, æterna sunt.* Præterea docet Aristot. quòd si id, quod verè & absolutè bonum & quod verum est, videretur, sensus præsentem cupiditatem non sequeremur: sequimur autem, quia futurum non distinguitur nec prospicitur. Totum igitur animæ & salutis æternæ negotium hinc pendet, vt præsentibus resistamus, & futura ipsa animæ consideratione vt præsentia habeamus. Rursus præsenti litera nos aduertit Aristoteles, quòd, etsi appetitus (vt diximus tex. 49. & 50.) propria & immediata causa sit actionis, quid causæ sit, cur nõ semper in nobis fiat quod voluntas exoptat? nempe quòd habeat sensum repugnantem, qui rerum præsentia captus de futuro nil cogitat: & ita incontinentes sese voluptatis venereæ crapula, aut somnolentiæ vitio maculant: contrà verò continentes (quibus non sensus præsentium, sed ratio futurorum præscribit, quid sequendum, fugiendúmve sit) circunspiciunt res cum temporis distinctione, hoc est, sapere, non solùm quæ ante pedes sunt videre, sed euentura prospicere, quia sensus temporis discrimina ignorat: ideo sensus semper habendus est pro suspecto, cuius desiderium semper ratio respuat, donec diu cogitet, vt verè bonum ab apparenti separet, & ne falsa pro veris acceptet: huc totum belli pondus inclinat, hinc victoria expectanda. Exemplo sint febricitantes, qui vini aut frigidæ aquæ potu in præsenti alliciuntur, tamen ex distinctione temporis & cognitione futuri omnia pro salute corporis contemnunt: sic temporalia pro æternis in negotio animæ commutanda. Rectè igitur ille dixit,

Nitimur in vetitum semper, cupimúsq; negata,

Sic interdictis imminet æger aquis.

Intestinũ bellũ vnde sedandum.

Tandem Aristoteles præsenti textu videtur docere ibi, *Nam quod iam afficit voluptate, id & simpliciter afficere, &c.* quòd licet in homine duo sint appetitus, vnus tamen est, qui simpliciter mouet, & ille est appetitus intellectiuus, qui est voluntas: nam quòd sensitiuus moueat absq; ratione, cõtra naturã hominis est (vt dicit Aristot. infrà tex. 57.) Perinde enim est appetitum sensitiuum mouere & principari atque dominari in homine, ac si sphæræ cælestes inferiores superiores traherent, cùm id, quod superius est, naturã principalius moueat. Habes igitur discriminum & bellorum causam in nobis esse propter rixam duorum appetituum secundùm præsens & futurũ. Deinde quòd opus in homine absoluitur secundùm alterius appetitus determinationem. Vltimò quòd determinatio secundũ intellectiuum appetitum naturalis est, secundùm autem sensitiuũ appetitum in plurimũ vitiosa & cõtra naturã, atq; adeò sensum suspectum debere esse viris prouidis atq; circũspectis. De spe autem & timore, quæ sunt in brutis animalib⁹, dubium esset, quomodo sint respectu futuri, cùm sensus brutorum non se

Elegans text⁹ summa.

Spes, & timor in brutis.

extēdat ad futurū? Respōdeo cum S.Tho. 1.2.q.40.art.3.ad 1. ꝙ animalia nō cognoscunt futurum, mouentur tamē & afficiuntur futuris, quatenus ex instinctu naturali ea præsentiūt: dirigūtur enim ab intelligentia non errāte, vt lib. 2. Phys. tex. 49. & hoc sufficit, vt animalia spe & timore concutiātur, non tamē distinctè atq; exactè, sicut homo, qui tempora distinguit, & futurum percipit.

Tex. 54. Specie quidē vnū id est profectò, quod mouet, appetitiuum, inquam, vt appetitiuum est, atq; appetibile omniū est mouētium primū (hoc enim mouet, & non mouetur mēte, aut imaginatione perceptū.) Numero verò plura sunt ea, quę mouēt. At verò cùm tria sint in animaliū motu, vnū id, quod mouet: secundū id, quo mouet: & tertiū id, quod mouetur: atque id, quod mouet, sit duplex (nam aliud est immobile, aliud mouet, atq; mouetur) immobile quidē id bonū est, quod sub actionē cadit: id verò, quod mouet, atque mouetur, est ipsum principium appetēdi (mouetur enim id, quod appetit, ea ratione, qua appetit: & appetitio est motus quidā, vel operatio.) Id autē, quod mouetur, est animal ipsū: at quo mouet appetitus vt instrumento, id iā corpori tribuēdum est. Quocirca de ipso tunc est cōtemplandū, cùm de cōmunibus animæ, corporisve operibus, atq; officijs contemplabimur.

Omnia mouentia appetitū vt vnum mouent. Quod vltimo loco præcedenti textu admonuimus, in præsenti exactiùs explicat Arist. scilicet vnū esse appetitū, qui simpliciter mouet: nā licet sensitiu⁹ & intellectiu⁹ appetitus contrarietatē habeant, tandē mouent vt vnum, id est, secūdùm vnā boni rationem: bonū nāq; vtriusq; appetitus, sensitiui scilicet & rationalis, obiectū est, licet voluntas à bono vniuersali moueatur, sensualis verò appetit⁹ à bono particulari. Itaq; formaliter vnū est quod mouet, id est, ipsū bonū, appetibile aut finis (his enim trib⁹ nominib⁹ obiectū appetitus significatur) nam etsi plura numero sint, formaliter vnū est, quia in vna cōcurrunt forma: nil enim appetibile mouet, nisi vt imaginatum vel intellectum, & cætera mouent, nōn nisi vt appetibile primum participāt: etenim plura numero differentia in specie & ratione primi mouentis conueniunt, nēpe in ratione boni & finis, quod idē est. Deinde declarat Arist. numerum & ordinem eorum, quę ad motū cōcurrunt ibi, *At verò cùm tria sint in animaliū motu, &c.* quæ dicit esse tria. Sed nos distinctionis gratia quatuor dicam⁹, cū Arist. primum in duo mēbra distinguat, hoc ordine, Primum est appetibile, quod est mouēs immobile, quod vocatur hic *quod sub actionē cadit*: alia translatione appellatur actuale bonū, quoniā non mouet appetibile, nisi secundū esse reale & possibile, quod posteà declarabitur. Secundū autem mouēs, quod tamen mobile est, est virtus appetitiua, quā à virtute motiua non distinguit Arist. quia in eodē organo sunt: neq; exprimitur, neq; distinguitur propter breuitatem: qua de re fortasse posteà. Subdit Arist. per parenthesin, *mouetur enim id quod appetit, ea ratione, qua appetit: appetitio est motus quidam, vel operatio*, id est, nō est motus propriè dictus, sed, vt supra tex. 28. appetitio est actus perfecti, sicut sensatio & intellectio, vt verùm sit quod diximus cap. 3. non solùm in potentijs cognitiuis, sed in appetitiuis suum esse terminum internum immanentem in ipso appetitu. Tertium est animal ipsum, quod mouetur, dum ab appetitu afficitur, & concitatur. Quartum est organum, quo appetitus vt instrumento ipsum animal mouet, hoc est, organicum & corporeū instrumentum, quòd sequenti textu declarat cor esse, de quo non agitur hîc, nisi generaliter, sicut de alijs organicis instrumentis, de quib⁹ tamen specialius contemplādum est proprijs locis, & de hoc primo instrumēto motus in particulari agit Arist. lib. de causa mot⁹: nūc autē de anima agitur simpliciter, & secundùm se. Hinc habes primò, potentiā appetitiuā & motiuam organicā esse atq; corpoream,

Finis mouet secundùm esse reale.

Virtus appetitiua an distinguatur à motiua.

In appetitu est terminus immanens.

Potentia appetitiua organica.

Voluntas ab intellectu mouetur, et obiter resoluitur quoad specificationem tantum, an etiam effectiuè.

rem, & appetere operationē esse cōmunem animæ & corpori. Habes etiā secūdò, appetitū mouere & moueri ad diuersa cōparatum: nā mouet ipsum animal, & mouetur à phantasia vel intellectu: quia appetibile nō mouet appetitū, nisi ab imaginatione prius perceptum, appetitui obijciatur: appetitus enim cognitionē sequitur, & eisdē aliter potētię cognitiuę subordinatur. De quo cœpi dicere tex. 51. & fortasse posteà fusiùs dicā quod apud S. Th. 1. 2. q. 9. resolui, quomodo intellectus volūtatem moueat, an tātùm in genere causæ formalis proponēdo exēplar quoad specificationem, an etiam in genere causæ efficientis? Qua de re probabiles sunt opiniones, q motio illa sit per modū causæ efficiētis. Probabile fit, quia potētia passiua quoad actum primum effectiuè ab obiecto mouetur. Altera opinio verisimilis est quoad actū secūdum, respectu cuius obiectum se habet vt forma & species. Etenim cùm obiectū potētiam appetitiuā ad actum primum impellat, non potest hac ratione non esse efficiēs causa: atq; cùm idem, quod est principiū actionis, ratio sit vnde species sumatur & forma operationis quoad actū secundū, quoad specificationē mouebit, quia ad eandē speciem operatio pertinebit, cui⁹ est obiectū. Hinc habes tertiò explicationē eius, quod toties ab enarratione cap. 7. lib. 2. & pluries in examine quæstionū eiusdē c. 7. cū peripatetica schola scriptū reliqui, nimirū, visibilitatē neq; esse passionē coloris, neq; quidpiā colori addere: quia eadem est ratio de visibili & appetibili, appetibilitas autē nihil addit supra appetibile. Quod significat Arist. cùm hic dicit de appetibili, *Hoc enim mouet, & non mouetur mente, aut imaginatione perceptū*: ergo appetibilitas non est passio boni secundum se, nisi vt ipsum bonū ab appetitus actu extrinsecùs denominatur. Sed quia hoc difficile & nouum cuipiam videri potest, placet rem ex suis fundamentis & primis principijs declarare.

Appetibilitas non est passio boni, nec visibilitas coloris.

DVBIVM

Nunquid appetibile supra boni rationē aliquid addat, aut visibile supra colorē?

Addere igitur, omnes dicere & confiteri videntur, quoties vulgò dicitur, appetibilitatem boni esse passionē, visibilitatē autem coloris proprietatē: tametsi Arist. asserere videatur, q appetibile immotū mouet: & nos lib. 2. id tetigimus, non solùm cap. 7. sed tex. 125. 126. 127. & 142. vbi colorē bifariā cōsiderabā, vno modo in se secundū esse absolutū, altero modo in respectu ad potentiā secūdùm esse relatiuū, quod fuit simpliciter dictum atq; assertum. Nunc autē hic locus proprius est, vt à priori declaretur & causa reddatur, nimirum quia obiectū à potentia vitali denominationem, absq; ipsius obiecti mutatione recipere potest. Sententia itaq; nostra (quā Aristotelis crediderim) est, q appetibile idē est quod bonū, & tamē supra bonū nullā naturā addit, sicut intelligibile nihil aliud est, quā verū & ens, & nihil entis addit supra veritatē entitatis: sic tunc in nostro proposito dicebam, q licet color & visibile pro eodē sumatur, tamen visibile nulla est natura aut cōditio & pprietas rei addita supra naturā coloris: itaq; intelligibile à vero, appetibile à bono, visibile à colore (& in similibus cōsimiliter) nō sunt cōsideranda fluere, neq; vt sint de essentia, neq; sicut cōditio rei aut proprietas aliqua ab intrinseco fluēs. Hæc est nostra cōclusio, quā tot verbis ppo sui, vt perspicua esset, sequentib⁹ tamē est demōstranda. Principiò sex & non plura sunt quæ à Logicis vocātur transcendentia, per illā dictionē *Reubau* denotata, videlicet, *res, ens, vnū, bonū, aliquid, verū*, ita vt singulę literæ peculiare trāscendens significēt: ergo appetibile & intelligibile, quæ cū ente cōuertūtur, nō cōnumerātur inter transcendentia: argumento igitur est, q nō dicunt rei cōditionem, sed tātùm denominationē ab intellectu aut voluntate prouenientem. Enumeratio igitur horū sex trāscendentium, quæ pro antecedenti sumitur, sufficiens esse hac ratione colligitur. Nā ens primò diuiditur intrinsecè per esse in potentia & in actu; per ens autem in potētia essentiam & quidditatem intelligimus, quæ hoc nomine *res* significatur: prout autem ens in actu est, sumitur ab esse & existētia, & ita significatur hoc nomine *ens*. Dein de ens iā in se cōsideratū, aut est indiuisum à se, & sic est *vnū*: vel diuisum ab alio, & sic est *aliquid*. Deniq; tertiò ens vt dicit ordinē & cōmensurationem & cōuenientiā ad intellectū, sic inuoluit naturā *veri*: sic autem volūtatem respicit atq; afficit, cōditionem notat, atq; proprietatem innuit *boni*. Quare tribus his diuisionibus tres binarij trāscendentiū colligūtur, quorum tria substantiua

Autoris cōclusio.

Sex transcēdentia.

Colligitur sufficiens trāscendētiū enumeratio.

 sunt,

sunt, nẽpe *res, ens, aliquid*: tria autẽ adiectiua velut passiones prædictorũ, vt à re vnitas, ab ente veritas, bonitas autem ab eo, quod aliquid actu est: ergo sex & non plura sunt trãscendentia cũ ente conuertibilia, vt hac ratione deduximus, quam sub alijs verbis S. Tho. elegãter posuit de veritate q. 1. ar. 1. Rursum, vt hanc rationem penetres, & nostrũ antecedens percalleas, aduerte, ꝙ sicut genera duplicibus cõstant differentijs, his cõstitutiuis, illis verò diuisiuis (vt Porphyrius in prædicabili de differentia) ita ens, quod differentijs neq; cõstituitur neq; diuiditur, duplici ordine modorũ determinaturnam quidam sunt, qui ens quasi diuidũt & trahũt, seu potiùs determinant ad decem genera, vt esse per se & in alio: quos modos rectè appellaremus diuisiuos. Nam alij modi sunt entis veluti cõstitutiui, vt in prima diuisione esse in actu & in potentia, quo modo ipsũ esse entis cõstituitur. Similiter in ordine sui in secũda diuisione ens indiuisũ est à se, & diuisum à quolibet alio. Tãdem in tertia diuisione per cõmensurationem & conuenientiã ad intellectũ & volũtatem, à quibus diuisionib⁹ & per modos earũ, per eundemq; ordinem prædicta sex trãscendẽtia cõsiderata sunt, & antecedens nostræ deductionis probatũ, nẽpe dũtaxat sex esse trãscendentia. Cõsequens autem eiusdẽ (scilicet ꝙ appetibile & intelligibile cum ente cõuertantur, & non numerent & multiplicent trãscendentia) ex sufficientia prędictę enumerationis efficaciter arbitror esse collectũ: nam si intelligibile aut appetibile supra naturã entis naturã adderet, aut passionẽ & proprietatem aut cõditionem rei (nã vnũ nihil reale enti superaddit, vt de veritatẽ q. 1. art. 1. & 1. p. q. 6. art. 3. ad 1. quælibet res est vna per suã essentiam, dicit tamẽ rei conditionem intrinsecè cõuenientẽ) plura profectò essent, quàm sex transcendentia, quod ratiocinationẽ, prædictãq; enumerationẽ & cõmunem omniũ cõceptionẽ euertit. Vlteriùs sicut ens sub ratione veri secũdùm se cõuenientiã dicit ad intellectũ, vnde omni alio secluso intelligibile est, sic ens sub cõditione boni nullo alio superaddito conuenientiã dicit ad volũtatẽ, vnde est appetibile: superuacaneũ igitur atq; chimęriciũ erit, ꝙ intelligibile & appetibile vt trãscendentia cõsiderentur, ita vt dicãt conditionẽ ipsius rei: dũtaxat ergo dicunt extrinsecas rerũ denominationes ab ipsis potentijs cõmunicatas & deriuatas. Pari quoq; rerum consequutione esse visibile nihil addit supra essentiã coloris, quod sit cõditio aut coloris proprietas: non enim dabis quid visibile addat, quod ad coloris perfectionem pertineat, sed visibile vt sic, tãtũm dicit ipsũ colorem actu, aut aptitudine visionis terminum, sicut appetibile bonũ dicit, vt appetitionẽ terminat, intelligibile ens significat connotãdo intellectionis esse terminũ, esse autẽ cognitũ, appetitum aut visum nihil ponit in re, sed denominationes sunt à potentijs prouenientes. Obijcies in cõtrarium, ꝙ Arist. lib. 2. tex. 67. affirmat colorẽ esse motiuũ diaphani: quem locum enarrãs S. Tho. infert, colorem esse per se visibilem, si non primo modo, saltem secũdo modo dicendi per se: Subdit rationem, quia color suę visibilitatis causam in se habet, sicut subiectũ suæ propriæ passionis causa esse dicitur: ergo visibilitas propria passio est coloris, vt omnes ferè dicũt, qui etiã fatentur, appetibilitatem boni esse proprietatem. Optima sanè est redargutio, & vt nostra constet doctrina, facilè resoluetur, si primò aduerterimus, intellectũ, voluntatem & visum, & in vniuersum omnes cognitiuas facultates, tã interiores, quàm exteriores, appetitiuas quoq; potẽtias passiuas esse, vt patet ex ijs, quę sat suprà his libris dicta sunt: perficiuntur enim à suis obiectis, siquidẽ obiecta in ordine ad ipsas potentias perfectiones sunt & actus, potentiæ autẽ perfectibiles. Deinde cũ istæ potentię omnes vitales sint, quãuis passiuè immutentur ab obiectis, tamen à suis obiectis in actũ redactę, in eadem obiecta percipienda aut prosequenda vitaliter tendunt, à qua tendentia & actione potentiarũ, obiectũ denominationem quandã sortitur, verbi gratia, cùm intellect⁹ sua apprehensione tẽdit in ens, tribuit ꝙ sit cognitum & intellectũ: ergo esse intelligibile ab actione ipsius potentię in obiectũ demandatur: similiter bonũ, quod volũtatem afficit, appetibile dicitur eo ꝙ appetitionẽ, quę act⁹ est appetit⁹, terminat: nõ ꝙ appetibilitas cõueniat bono in se nudè cõsiderato, nisi vt stat sub actu appetitus: sic enim dicit Arist. *mouet & non mouetur mente aut imaginatione perceptũ*: nihil ergo mirũ, ꝙ licet color sit motiuus diaphani in secundo modo dicẽdi per se, visibilis autẽ nõ est ab intrinseco, nisi vt stat sub visione, quę actus est potẽtię visiuę. Quo fit, vt aliã denominationẽ attribuamus

Ens dupli ci genere modorum constat.

Attende.

Intelligibile et appetibile, quia non sunt cõditiones rei vt ĩ se, nõ numerantur inter transcendentia.

Visibile nõ est proprietas coloris.

Obiectio optima.

Solutio notãda.

Punctus et cõtrouersiæ pondus.

mus ab intrinseco ab ipsa natura rei, vt quod sit ens, verũ, bonum, aut color, aliam autem denominationẽ damus extrinsecùs adiacẽtem atq; ab ipsa actione & vitali potẽtię tẽdẽtia pendentẽ, vt quòd sit intelligibile, appetibile, aut visibile. Modò cõfecta res est, vt ordo obiecti in potẽtiã sit ordo actionis, & pertineat ad conditionẽ rei & conueniat denominatione ab intrinseco in secũdo modo dicendi per se: etenim sicut dicimus, quod homo est risibilis, ignis calefactiuus, ita asserimus colorẽ mouere diaphanũ, ens sub ratione veri intellectum mouere, sub ratione boni appetitum trahere atque afficere: hęc enim est cõsideratio rei ad potentiã intrinsecè à natura rei proueniens per modũ cuiusdã actionis transeuntis, qua obiectũ sibi assimilat & conformat potentiã: ordo autẽ potẽtiæ ad obiecta ordo passionis est & vitalis immutationis, quæ obiecto attribuitur extrinsecùs ab actione vitali & immanẽti ipsi' potẽtię. Ideo sicut ens intelligibile dicitur ab intellectu, quẽ terminat, bonũ appetibile ab appetitu quẽ mensurat, ita color dicitur visibile à visu, nimirũ quia istæ potẽtiæ in sua obiecta tẽdunt & terminãtur: quã ob causam sicut cognoscere nihil ponit in ipso cognito, neq; appetere in re desiderata, ita videre in colore nihil ponit, nisi denominationẽ extrinsecã ab ipsa relatiua terminatione prouenientẽ; meritò ergo dicim', quod sensibile, visibile, intelligibile, appetibile nõ sunt rei obiectæ cõditiones, & solam dicũt denominationẽ istam extrinsecã, quod sentiatur, videatur, intelligatur, appetaturve: quod nõ est aliquid in obiecto, nec vlla cõditio ipsius, sed nuda tendentia potentiæ & actus ipsi' terminatio. Neq; hæc cõmentatio mea est, nã Arist. verbis iam ex hoc tex. 54. citatis vtrũq; simul docet, *& quòd appetibile mouet*, nimirũ quoad cõditionem rei in ratione boni: asserit etiã, quòd *mouet, & nõ mouetur* quoad cõditionem potẽtiæ: subdit rationẽ, *& non mouetur mente, aut imaginatione perceptum*, hoc est, quia esse apprehensum & cognitũ nihil ponit in obiecto, neq; esse appetitũ aliquid ponit in fine, nisi cognitionem, visionẽ, intellectionem, appetitionẽ, quæ sunt actiones vitales ipsis potentijs immanentes, quę nullatenus trãseunt in obiecta, ob id ipsis nõ afficiũtur aut immutãtur. Quare cùm vulgò dicitur, visibilitas passio coloris, & appetibilitas ponitur proprietas boni, & intelligibilitas cõditio entis, impropriè considerãtur, vt appropiantur & vsurpantur secundũ priorem ordinem, quo obiecta ad potentiã referuntur: atq; adeò non sumuntur propriè secũdùm id, quod primò significãt: propriè ergo & in rigore, ad viuũ rem disecãdo, visibile, intelligibile, appetibile intrinsecè nõ sunt ipsorũ obiectorum cõditiones neq; passiones, sed denominationes ab extrinseco aduenĩetes. Quocirca sicut ex ente in actu veritas oritur, nõ tamen intelligibilitas, nisi vt inuoluit actionẽ potẽtię intellectiuę: & sicut ex ente in actu perfecto oritur bonitas, appetibilitas autem nõ nisi vt est sub actione appetitus, quẽ respicit: sic ergo se habebit in colore, ex cui' natura intrinsecè fluit, vt sit motiu' diaphani: quòd autem sit visibilis, denominatio relatiua est & extrinseca, quę respicit actum & exercitiũ, quod ex actione immanenti potentiæ pendet. Itaq; obiecta perficere potẽtiam, mouere atq; afficere actiuè, ad secundum modũ dicendi per se pertinet: obiecta autem terminare actiones potentiarum secundùm denominationem passiuam, secũdùm quam dicũtur videri, intelligi, appeti, denominationes extrinsecę sunt: vnde visibile, intelligibile & appetibile appellãtur, quia terminatiua sũt visionis, intellectionis, & appetitionis. Pluribus proposui quid de hac re sentirem, vt in re cõmuni & triuiali semel distinguerẽ, & aperta sit Arist. mens, qui vltra ea, quæ hic ponderata sunt, quod appetibile monet immotũ, lib. 2. tex. 127. respõdens ad quandam dubitationem positã duobus textibus immediatè præcedẽtibus 125. & 126. cur omne recipiens speciem coloris nõ videat, & recipiens odorem nõ olfaciat, vt aër, respondet prędicto tex. 127. quod aër licet naturaliter & adhuc intentionaliter colores & odores suscipiat, non tamen patitur sensibiliter & vitaliter, vt ibi latiùs exposuimus: alius est ergo actionis modus & ordo ex parte obiecti, alius autẽ ex parte potẽtię. Sed vt semel quod cœpi finiã & in sua prima principia resoluã, Arist. radicẽ huius rei proposuit lib. 5. Meta. tex. 20. vbi distinguens duo genera relatiuorũ dicit, quod quædam sunt mutua, quæ in vtroq; extremo relationem habent, vt pater & filius, & quæ secundùm potentiam actiuã & passiuam referũtur. Præterea quædam, quę secundùm vnitatem quantitatis & qualitatis æqualia aut similia dicuntur. Tertium autem relatiuorum genus est non mutuum

Inter obiectũ et potentiã duplex ordo vn' actionis, alter passionis.

Resolutio et summa toti' quęstionis.

Philosophi mens ex lib. 2. deducitur

Autoris conclusio Aristotelis esse probatur pręsenti textu 54.

Radix huius rei ex 5. Meta. tex. 20.

Vulgaris dicẽdi modus explanatur.

mensurabilis ad mensurã, vt scibile ad sciẽtiam, visibile ad visum, vbi in scibili & visibili nulla est relatio, sed referuntur relatione alterius ad ipsum: quia scientia effectus est mensuratus per scibile, & visio per visibile, in visibili autem & scibili nulla est relatio, nedum aliquod aliud accidens absolutum. Rationem huius exponit ibidem S.Thomas, quia videre, vt intelligere, actio est cognoscentis, quæ non peruenit ad rem visam, sicut calefactio peruenit ad calefactibile: sed videre & intelligere actiones sunt, quæ (vt dicitur 9. Metaph. tex. 16.) manent in agentibus, & non transeunt in res obiectas: adeo visibile, scibile, appetibile non patiũtur aliquid ex hoc quòd videtur, scitur, aut appetitur: habẽt ergo se sicut dextrum & sinistrum in columna, in quibus tota ratio referendi in duobus extremis, ex vno extremo pendet: sic in sciẽtia & visione relatio realis, in scibili autem & visibili nulla est relatio realis, sed sola & nuda relatio rationis per cointelligentiam alterius extremi: quoniam in obiectis visis, cognitis, intellectis, appetitis nil ponitur, nihilq; resultat ex ipsa actione immanenti: nihil, inquã, non solùm absolutum, sed neq; relatiuum: siquidem iuxta Arist. relatio est non mutua, quia vtrunq; extremum refertur relatione vnica, quæ in altero extremo est. Idcirco visibile supra colorẽ, qui est motiuus diaphani, non addit rem absolutam, aut relatiuam, sed solam (vt sæpe sæpius diximus) denominationem extrinsecùs aduenientem.

S. Thom.

DVBIVM

De ratione, natura & realitate temporis.

Hæc, quæ tam vera & certa viro philosopho esse debent, semel percepta, multò maiora, longeq; difficiliora illustrare poterũt. Vnũ illud est, quod de tempore ab omnibus dubitatur, sitne ens rationis, an reale? cùm non habeat esse complerum sine intellectu: nam cùm tempus sit numerus motus secundùm prius & posterius (4. Phys. tex. 100. 101.) & impossibile sit numerabile aliquod esse, si non sit possibilis aliquis intellectus numerãs (4. Phys. tex. 131.) vnde pluribus probabile fit, tempus ens rationis esse, quia ab intellectu numerante completur. In quam sententiam videtur incidere F. D. à Soto 4. Phys. q. 4. art. 2. licet cũ maiori moderamine dicat, tempus fundamentaliter esse ens reale, formaliter autẽ ab intellectu, eo quòd numerare dicit actum rationis: ponit simile in generibus & speciebus, quæ fundamentaliter sunt in re, ab intellectu tamen complentur. Isti opinandi modi ex ignoratione eorum, quæ dudũ dicebamus, explodendi aut distinguendi sunt. Ecquis enim ferat, tẽpus ens rationis esse, cùm realis mensura sit rerum corruptibilium & variabilium? Præterea tẽpus non est alia numero res à motu, sed idem realiter cum motu, vt 4. Phys. tex. 99. eleganter probat Arist. quia tempus est duratio illa & mora motus: ergo tempus reale ens est sicut motus, realitas autem temporis est quoddam momentum, siue nunc continuatiuum prioris cum posteriori (4. Phys. à tex. 101. ad 106.) at seclusa omni intellectꝰ operatione, non solùm est motus atq; eius mora & duratio, sed etiam illud indiuisibile nunc, vt copulatiuum est præteriti cum futuro, est etiam realiter nullo intellectu operante: & hæc est realitas temporis, vt fluat nunc, & labentes atque abeuntes priores partes cum succedẽtibus posterioribus cõtinuet atq; copulet: siquidem illud nunc, siue indiuisibilis punctus, re vnum est, formaliter tamen vicem gerit duorum, quia finis est præteriti & initium futuri, sicut de puncto continuatiuo lineæ dicitur: quòd enim est punctus lineæ, hoc idem est punctus tempori, nisi quòd in linea partes permanent, in tempore autem fluunt neq; stare possunt. Res ergo certissima est, tempus absolutè & simpliciter ens reale esse: si tamen dicitur numerus motus secundũ prius & posterius, atque adeo quòd si non esset possibilis intellectus, numerans non esset possibile, vt tempus esset numerabile, ex hoc nõ statim licet colligere, quòd tempus sit ens rationis, neq; inferendum est, quòd tempus fundamentaliter sit in re, completiuè tamen ab intellectu: quoniam Aristot. noluit dicere, quòd tempus pendeat ab intellectu actualiter numerante: tantùm voluit significare tempus numerabile quoddam esse, ob idq; necessarium dicere ordinem, & respicere intellectum numerãtem in habitu: ergo tempus nõ efficitur in actu per intellectum, nec realitas tẽporis actualiter completur à ratione (vt loco citato docet

F. Dominicus à Soto.

Autor declarat tẽpus esse ens reale.

Declaratur modꝰ quo tẽpus pendet ab intellectu.

docet Soto, qui de tempore proportionabiliter ac de generibus & speciebus loquitur) aliud enim est tempus compleri & perfici ab intellectu, quod negamus, quia daret prędicationem absolutam: aliud autem, tẽpus ordinẽ dicere ad intellectũ, ipsumq; respicere: quod ingenuè fatemur, quoniam dicit relatiuam prædicationem & nudam relationis terminationem.

Ingeniosa probatio ab analogia comparationis.

Et probatur hæc nostra explicatio, quia (vt dictum est) si non esset possibilis intellectus neque visus neq; appetitus, proculdubio non esset possibile intelligibile neq; visibile neq; appetibile: non tamen statim consequens est, quòd obiectum intellect⁹ sit ens rationis, aut quòd color, qui visui obijcitur, non sit ens reale, aut quòd bonum & finis appetitum moueant, & non secundùm esse reale: sed dũtaxat legitimè sequitur, quòd esse intelligibile, visibile & appetibile denominationes sint extrinsecæ, quæ dicuntur secundùm terminationẽ relationis non mutuæ, vt iam nunc ex 5. Metaph. tex. 20. interpretabamur. Sic igitur in proposito negotio tẽpus absolutè & simpliciter ens reale est, quod neq; fit à ratione, neq; perficitur aut consummatur ab intellectu, quãuis intellectum actu aut habitu numerantem respiciat, cuius numerationem terminet, vt verum terminat intellectionẽ, & color visionem.

Quę numeratio sit in tempore.

Quo fit, vt numeratio partium sit in ratione temporis, non quidem actualiter, sed aptitudinaliter: similiter numeratio aptitudinalis, cùm sit in intellectu, nõ est de essentia temporis, quod integrum esse habet seclusa operatione intellectus: idcirco numerus numerans non pertinet ad rationem temporis, sed numerus numeratus est, qui trahitur ad rationem temporis, nõ quidem denominatione intrinsecus inhærente, sed extrinsecùs accedente: sicut toties dictum est, quòd colori accidit vt sit visibilis extrinseca denominatione à visione, quę actio immanens est potentiæ visiuę: sic tempus extrinsecè numerari dicitur ab intellectu numerante, & partes temporis distinguente: quoniam in tempore non est partium discretio, sed successionis continuitas in puncto præsenti, quod vinculum est præteriti cum futuro.

Tẽpus nõ est numerus numerãs, sed numeratus, & id dũtaxat extrinsecè.

Atq; adeo sicut sensibile, intelligibile, appetibile realitatem dicunt, quæ non perficitur ab intellectu, tametsi extrinsecam denominationẽ admittant, quia sunt relatiua non mutua, & se habent sicut mensurabile & mensura: ita tẽpus absolutè ens reale est, licet extrinsecè & secundario numerus dicatur numeratus, & denominatione extrinsecè respectũ importet ad rationem numerantẽ, ad quam refertur, nõ quidem relatione in ipso tempore, sed relatione alterius ad ipsum, sicut mensurabile refertur ad mensuram, scibile ad scientiam, vt sibile ad visionem: sic tempus, quod numerabile est, respicit numerantem intellectũ, numerans autem intellectus extrinsecè denominat tẽpus, quòd numerabile sit, sicut color à visione habet quòd sit visibilis, ens ab intellectu quòd sit intelligibile, bonum ab appetitu quòd sit appetibile, ita tempus ab intellectu extrinseca denominatione, tãquam mensurabile à mensura, habet quòd sit numerabile: ob id S. Th. opuscul. 36. c. 1. affirmat, quòd tempus non est numerus absolutè, sed applicatus ab intellectu.

Obiecta potẽtiarũ & in genere motiui, & in genere mẽsuræ.

Vnde habes, quòd obiecta potentiarum in ratione motiui per se pertinent ad secundum genus relatiuorũ, quod fundatur supra actionem & passionem: tamen quod hîc dicimus est, in ratione mensurabilis & mensurę ad tertium genus esse referenda, vbi relatio nõ est mutua, sed in solo vno extremo, cuius relatione alterum etiam refertur, *eo quòd aliud dicitur ad ipsum, ad aliquid dicuntur* (5. Meta. tex. 20.) *sed non eo quòd illa ad aliud.* Quapropter præter relationem, quæ est in scientia, visione & appetitione, nulla est in scibili, visibili & appetibili, sed nuda & pręcisa terminatio actionis immanentis & vitalis ipsarum potentiarum: sic in tempore sola & pura est terminatio numerationis, per illãmq; confertur ei extrinseca quædã denominatio. Etenim isthæc omnia nomina, intelligibile, appetibile, visibile, numerabile, relatiua sunt, & solam prædicant relationem, & illam quidem non mutuam, scilicet tertij generis mensurabilis ad mensuram: quoniam solùm terminant actionem & relationem existentem in intellectu, appetitu, visu & numerante intellectu.

Dicta ex Theologis verificantur.

Hæc veriora & firmiora esse videbis, cùm eandem doctrinam approbet Theologorum schola de nominibus relatiuis, quæ de Deo verificantur ex tempore, vt quòd in principio temporis crearet, antea non crearet, quòd dominus realiter sit, & antea non, & tamen non per relationem realem in ipso, sed per solam seruitutem in creatura: in Deo autem nuda est terminatio, à qua ter-

Greg. & Nominales notantur. minatione dicitur realiter dominus. Vbi temerarium est quod Greg. Arimi. 1. d. 28. q. 3. concl. 3. quē sequutus est Gab. 1. d. 30. q. 5. art. 1. concl. 1. & Marsil. q. 32. art. 1. notab. 1. Deum dici realiter dominum accedēte reali relatione: Nam quomodo Deus non mutaretur, aut compositionem nō admitteret? Noua est profectò opinio ista, & ante Gregorij tempora inaudita. At Scotus

Scot⁹ repulsus. 1. d. 30. q. 1. non philosophatur consonè ad peripateticam disciplinam, dum vult terminari hæc relatiua ad absolutum: nouum enim est, cùm Arist. 5. Meta. tex. 20. dicat esse ad aliquid, relatione tamen alterius ad ipsum: ergo omne relatiuum ad correlatiuum debet terminari, sine quo nec diffiniri nec intelligi potest. Errat etiam Caieta-

Caiet. reiectus. nus 1. p. q. 13. art. 7. dum mediā videtur sibi excogitare viam, vt contra priores non ponat reale aliquid in Deo de nouo: at verò contra Scotum, quòd nō terminatur ad absolutum, sed formaliter ad relatiuum: itaq; Deus est dominus, quia terminat subiectionem creaturę, non tamen realiter per aliquod accidens, sed formaliter: nam licet ab extrinseco dicatur realiter dominus, tamen ab intrinseco formaliter. Non tamen video, quo modo Deus dicatur formaliter ab intrinseco dominus de nouo, & quòd non mutetur? Maximè cùm Arist. 5. Meta. iam citato velit relationem nō esse mutuā. Adhæc nulla est relatio formalis de nouo, nisi sit nouum fundamētum proximum de nouo, vnde relatio accipit totum suum esse (ex affirmatione enim aut negatione fundamenti proximi, affirmatio aut negatio relationis colligitur) ergo in Deo non poterit inexistere aut subsistere noua relatio, vbi non est possibile nouum aliquod fundamētū constituere: igitur nec subsistet opi-

Autoris mens ex S. Thom. nio ista chimęricia. Dicēdum igitur, Deum secundùm rem consideratum terminare seruitutem & subiectionem creaturæ: & hinc sufficienter dicitur realiter dominus, omni operatione intellectus seclusa: siquidē nulla est ratio fundandi talem nouam relationem, nec realem, vt Nominales, nec formalem, vt Caietanus (sic fortasse intellectus Scotus sustineri poterit) tamen in apprehēsione nostra non potest terminari nisi ad relatiuum, quod apprehēditur & cointelligitur vt terminus, saltem per relationem rationis & cointelligētiæ. Sic omnino & nos in nostro proposito philosophamur, quòd sicut Deus realiter dicitur dominus seclusa operatione intellectus, & omni semota relatione ex parte ipsius (vt expositū est & contra Greg. & aduersus Caiet.) sed sola apprehēsione rationis, ita appetibile, intelligibile, visibile sese habent, vtpote quę relatiuè dicuntur absq; aliqua relatione reali aut formali in ipsis, sed per relationem rationis, quæ ex sola cointelligentia sui relatiui consurgit; ipsa tamen nulla sui mutatione, aut sine accretione aliqua, aut accidētis noua compositione, talia dicuntur, quatenus terminant actus & operationes appetitus, intellectus, aut visus: & vt cōceptibus relatiuis concipiuntur, quatenus nudè terminant relationē, quę est in fundamento alterius extremi. Non videbuntur tibi, amice lector, hæc extra rem dicta fuisse, siquidem arbitror è medio hanc Philosophorū crucem abstulisse, qui diu in natura temporis hærere videbantur: nec graueris, quòd pluribus, quàm par sit, rem eandem sæpius inculcarim, tum quia apud neminem hęc vidi apertè ad rem applicata, quæ ego ex peripatetico fonte hausi: tum etiam, quia etsi res hæc in se parua tibi apparuerit, scias velim, ob huius nostræ cōsiderationis ignorationem plurimos alioqui doctissimos & diligētissimos viros hallucinatos fuisse. Minima sunt hæc, fateor, sed subtilia, & sine quibus multa, quæ in Philosophia & in Theologia grauissima sunt, neq; comprehendentur, neque resoluentur. Boni igitur consule, vt cætera persequar, & eò, vnde digressi sumus, redeamus.

In Deo ex tempore nil nouū reale, aut formale est, sed neque rationis.

Tex. 55. Nunc, vt in summa dicamus, id, quod mouet vt instrumētum, ibi est collocandum, vbi idem principij ratione, finisve subit, vt in cardine fit: hic enim conuexum, & cōcauum est, quorum alterum finis, alterum principium est. Quapropter alterum quiescit, alterum mouetur. Sunt ratione quidem diuersa, magnitudine verò non separātur: vniuersa nanq; pulsu, tractuq; mouētur. Idcirco oportet perinde,

atq;

atq; in circulo, aliquid manere, & hunc incipere motum.

Summatim & in genere Arist. de organo motus localis determinat, quod erat vltimum ex illis quatuor, quę ad motum concurrunt: specialiùs autem determinare ad eum locum spectat, in quo affectiones animæ & corpori communes tractantur. Primùm igitur omnium docet esse huiusmodi instrumentum, ibiq; collocandum, vbi est principium & finis motus: quod sic ex sermonibus vniuersalibus ostendi lib. 7. Phys. tex. 10. & expressiùs lib. 1. de generatione cap. 6. & 7. agens & passum debere esse simul: oportet ergo vt primum instrumentũ motus finis & principij rationem habeat, vt sit veluti ædificij machina, qua appetitus totam corporis molem, quocunq; cupiat, facilè voluat: nam appetitus ab appetibili affectus hoc primo instrumento quasi machinamento totum animal primò concitat. Deinde infert Arist. hoc primum instrumẽtum motus esse animalis cor (intellige vel aliquid cordi proportionale, vt in exãguibus) etenim animalis spiritus ab illo nõ secluditur, sed cum corde cõnumeratur, quia spiritus cordi innatus est & ab eo continetur, & per spiritum vitalem omnis animaliũ motus à corde progreditur: habet enim cor ab spiritibus naturam hâc, vt absq; violentia impellat, trahâtq;, contrahat, atq; dilatet: idcirco Aristoteles, vbicunq; de hac re sermo incidit, obseruat cor vt primum principium non solùm motus, sed etiã sensionis & cognitionis. Tertiò ibi, *vt in cardine fit*, inducta similitudine cardinis, huius rei necessitatem declarat, nimirũ quòd cor ex eo quòd est instrumentum primum, simul & principij & finis rationem subeat. Pro quo oportet terminos exponam⁹: vbi enim in hac trãslatione ponitur *cardine* (qui locus est, in quo fores vertũtur) in alia trãslatione ponitur *circulo*, aut in *circulatione*: quoniam cardinis concauum circulare est, & conuexum forium in se recipit, & intra cardinem valuæ circumuoluuntur. Vtrũq; idem est atq; significat, quod in alia translatione vertitur *in commissura ostium*: sed illud generaliùs, hoc propriùs præsenti negotio conuenit: nam os ossi veluti extremum valuarum cardini committitur, vbi gibbosum & conuexum vnius cõcauo alterius respondet. Vesalius lib. 4. de fabrica corporis humani Ginglymum vocat (non Glygiscimũ, vt malè Caietanus de Thien. hic) est enim Ginglymus articuli species, quia vnius ossis conuexum alterius concauo committitur, & sic mutuò se admittunt, vt amicè connectantur, vt altero quiescente, alterum moueatur. Vult itaq; Aristoteles, quòd sicut in membris exterioribus videmus motũ accidere, vt super vno quiescẽte alterũ moueatur, vt fores in cardinis circulo, ita digitus mouetur manu quiescente, manus in cubito, vlna in humero: & perpetuò obseruatur, vt omne, quod mouetur, super aliquo fixo & quiescente moueatur: quia principiũ vnius finis est alterius, & natura duobus vt vno vtitur. Pari rerũ consequẽtia, eadémq; proportione in corde concipiamus est necesse, vt in primis rationem habeat principij & finis, vt ab appetitu tangatur & excitetur. Deinde ex cõcauo & gibboso componatur, vt concauo & conuexo motus ita absoluatur, vt concauũ, quod principium est dilatationis & extensionis, sit constrictionis & contractionis finis: & conuexum siue gibbosum ecõtra principium est constrictionis & finis dilatationis. Hinc fit motus pulsus & tractus in nobis, quia pellens vt principiũ, trahens vt finis motus consideratur: ob id cor ponitur primum instrumentum, quia est pulsionis & tractionis principium primum, quãuis in cæteris omnibus, quæ mouentur, debet considerari aliquid, quod quiescit, & aliquid, quod mouetur, vt patefecimus exemplo membrorum exteriorum: omnis enim motus ab aliquo immobile procedit, & progressio vicissim altero pede quiescente, altero moto, fit: ergo in corde, quod est omnis animalis motus, instrumentum primum debet esse principium & finis motus, id est, aliquid, quod quiescat, & aliquid, quod moueatur: sine quiescente enim non fit motus, quia non esset principium motus, nisi quiesceret, cùm omnis motus ab immobili & quiescente fit: neq; esset finis motus, nisi moueretur, quoniam motus ad ipsum terminatur. Quartò cor ponitur ab Aristotele mouendi principium, non respectu alicuius motus particularis, vt in manu, pede, brachio, & capite, sed vniuersaliter omnis animalis motus sensorium ponitur, primúmq; organum omnis motus: ideóque in medio animalis ponitur, vt in omnium partium confinio sit, vtpote quod prima

Agẽs, et patiens simul.

Cor primum organũ motus.

In corde est aliquid cardini proportionale.

Vesalius.

Sensus Arist.

Cordis descriptio.

Cor similitudinẽ habet cũ circulo, sed maximè cũ cẽtro.

prima machina est ad omnes partes mouendas, vt similiter se habeat ad superiores, ac inferiores, ad leuas & dextras. Ob id Arist. in fine huius textus ibi, *Ideirco oportet perinde, ac in circulo, &c.* cor cum centro circuli comparat, in quo circulo circunferentia mota, centrū quiescere est necesse: vnde sumitur illa Aristotelis consequentia lib. 2. de cælo tex. 17. cælum mouetur, ergo terra quiescit: nimirum quia circum ipsam sicut circa suum centrum in orbem vertitur, atque terrá respectu cæli perinde sese habeat, ac centrū in circulo: similiter cor partem habeat quiescentem est necesse, quia centrum est animalis motus & principiū, cardóque ipsius. Vlteriùs similitudo procedit: quoniam sicut cælum ratione totius semper in eodem situ manet (sola enim ratione permutatur, mutatur tamen secundū partes, vt dicit Aristoteles lib. 4. Phys. tex. 43. moueri enim est mutare locum: sed totum cęlum non mutat locum secundùm totum, sed ratione partium: ergo si mouetur, tantùm secūdùm partes mouetur, vide quæ diximus lib. 1. de cælo tex. 5.) ita cor in animali, quod se habet sicut centrum in circulo, quod iuxta Aristotelē lib. 6. Phys. tex. 42. 84. & 85. & lib. 8. Phys. tex. 76. nō solùm principium, sed medium & finis circuli est, & centrum semper manet & fixū est, & virtute totus est circulus. Hanc circuli rationem, ex Mathematicis precariò sumptam, hîc ad motum cordis applicat (in hoc enim Philosophia Geometrię subalternatur, vt dicitur 1. Post. cap. 10.) vt cōcipiamus tractionem & pulsionem à corde fieri, sicut à principio motus, & centro quiescente, sicut motus circuli à centro, & circa centrū est, quod semper debet quiescere. Sicut enim cælum vertitur circa terram quiescentem & polos immobiles, sic fingamus cor circulum quendam esse, in cuius medio esset homo, qui manibus conuexam circunferentiam cordis vtrinq; teneret, & veluti folliculum nunc contraheret, nunc verò extenderet: tunc enim videbis hominem istum in centro quiescentem, manibus autem hinc inde tractione & pulsione cor agitantem: persimili igitur modo fit in corde, quod manet confixum, sicut centrū animalis firmum & immotum, mouetur autem secundùm circunferentiam à concauo ad conuexum dilatando, à conuexo ad cōcauum restringendo. Quo fit, cor, quod animalis motus primum instrumentum est, organicum & corporeum esse: quia motus localis in corpore est, & sine corpore fieri nō potest: nulla enim pars ita conspicuè & euidenter ostendit mouens, mobile & instrumentum (quæ tria in omni motu necessum est contingere, lib. 8. Phys. tex. 37.) ac cor ipsum, quod cōtinuè pulsu & tractu secundùm dilatationem & cōstrictionem mouetur, inter quas partes paruulę mediāt quietes & ferè imperceptibiles. Tandem dicit Arist. ibi, *Sunt ratione quidē diuersa, &c.* quòd etsi cor moueat & moueatur, principium sit atq; finis, non tamen sequitur, idem esse in actu & potentia: quoniam esti subiecto, & atq; magnitudine idem sint, neq; separentur ab eadem cordis parte, ratione tamen differunt secundùm rationem, principij & finis motus. Etenim quod principiū est pulsus, finis est tractus, nimirum ipsum concauum: conuexum autem, quod principium est tractionis, finis est pulsionis: diuersa ergo ratione est quiescens & mobile. Præterea quia centrum est quod occupat mediā animalis partem, ideo circulo moto centrum quiescere necesse est. Rursum in medio constituitur loco, vt finis sit prioris, & principium posterioris: quod medius lineæ punctus nos docet, qui principij & finis rationē habet ad diuersas partes collatus: sic cor dilatat se versus pręcordia, trahit ad sese, dum se constringit. Aliud igitur est quo mouetur, aliud quo mouet in eodem corde indiuiso, indiuisaque magnitudine: idem enim in diuerso tempore atq; motu, tractione scilicet & pulsione, principij & finis rationē induet, vt dispari ratione, motu diuerso, distinctoq; tempore non sit impossibile idem simul esse in actu & potentia: mouere ergo & quiescere non est impossibile, si moueatur secundùm partes, quiescat autem vt cælum secundùm totum quatenus centrum est ipsius animalis. Itaq; Aristotelis est sententia, in corde primā instrumentariam mouendi vim inesse, quam cæteris partib⁹ ministrat natiuo spiritu per totum corpus, per neruos diffuso atq; delato, quæ, dum musculis communicatur, motum particularium membrorum exercet (vitalem atque animalem spiritum, quæ in corde resident, seorsum à corde non cōnumeramus) cor enim appetitu excitatum, pulsum atq; motū, spiri⁹, qui intra se sunt, agitat: agitati autem spiritus totum animal com-

Obseruāda centri vis.

Elegāti fictione veritas aperitur.

Cor quomodo moueat, & moueatur, ī actu sit, & in potentia.

Sūma huius text⁹.

commouent, vt reliquæ partes ad motum impellantur. Enarrauimus & breuiter percurrimus textum grauisſimũ & difficillimũ, & qui ſumma eſt atq; principiũ omniũ eorum, quæ de animalium motu dicuntur: cætera, quæ ex illo libro petenda ſunt, ex his paucis expeditiora & illuſtriora erunt.

Tex.56. Omnino igitur, vti diximus, hoc ſui ipſius motiuum eſt animal, quo eſt appetitiuum. Appetitiuum ſine imaginatione non eſt: omnis autem imaginatio, aut rationis eſt particeps, aut eſt ſenſitiua: atque huius & belluæ participes ſunt.

Virtus appetitiua cum motiua coniuncta. Totius capitis eſt recapitulatio: dictum, inquit, de vi motiua, eiuſq; obiecto, operatione & organo, & quatenus cum vi appetendi coniuncta, vt appetibile proponitur per imaginationem ſiue rationis participẽ, ſiue expertem, vbi nomen phãtaſiæ ad intellectum etiam transfert, vt principio huius capitis diximus, phantaſia apparentia quędam eſt, vnde rationali & ſenſibili phãtaſiæ nomẽ cõmune eſt. Dicit igitur Ariſt. ibi, *Hoc ſui ipſius motiuum eſt animal, quo eſt appetitiuum, &c.* omne animal moueri ab appetitu, non tamen ſine altera phantaſia aut rationali aut ſenſuali: ideo animal eſt motiuũ, inquantum eſt appetitiuum, quia appetitus eſt propria & proxima cauſa motus. Ad huius enarrationis illuſtrationem opportunus ſeſe offerebat locus, vt multa examinaremus, quæ ad perficiendam doctrinam huius atq; præcedentis capitis neceſſaria eſſe videbantur: nimirũ de vnitate appetitus & intellectus in motione, in quo conſiſtat, vt tex. 49. & 50. intellectus & appetitus vt vnum moueant. Deinde ſi appetitus ſit potentia cognitiua, an verò cognitiuam potentiam neceſſariò præſupponat, vt tex. 50. tetigimus. Rurſum ſi appetibile & finis moueat ſecũdùm eſſe reale, vt tex. 54. Quarto loco ſi voluntas deficere poſsit ſine errore & defectu intellectus. Quintò grauiſsima illa cõtrouerſia definienda erat, ſi intellectus volũtatem moueat effectiuè, an tantùm formaliter quoad ſpecificationẽ. Sexto ſi virtus appetitiua & motiua diſtinguatur, quas Ariſt. hic videtur cõfundere.

Quæſtiones plures quæ in futurum diſputandæ reponuntur.

Poſtremò de operatione & organo plura eſſent dicẽda, de quibus cõmodiùs enarrato ſequenti capite dicemus: argumẽtum enim cõmune eſt, cõmune quoq; ſit & examẽ ideo ponamus huius capitis ſummam.

SVMMA CAPITIS.

Quo determinatur, animal appetitu ſeipſum mouere, per quatuor concluſiones, ad tertiam duo corollaria, ad quartam capitis ſcopum ſubiungit.

Ex dictis patet, quòd ambo, intellectus ſcilicet & appetitus, nõ ſeorſum, ſed ſimul principia ſunt mouendi in hominibus, in cæteris autem animalibus loco & vice intellectus phantaſia eſt. 1. cõcluſio. *¶ Intellectus practicus, qui ab ſpeculatiuo fine differt, principium eſt agendi, vt ab appetitu determinatus, & vt vnum ſecundùm vnam communem formã appetibilis cum appetitu mouet.* 2. conclu. *¶ Obiectum autem appetitus bonũ eſt, non tantùm verum, ſed apparens, ideo errare & deficere contingit.* 3. conclu. *¶ Quocirca Plato illa ſua trimembri diuiſione perperam appetitiuam potentiam omiſit: nam ſi bonum, quod obiectum appetitus eſt, vnum eſt, potentia quoq; appetendi vna erit.* 1. corol. *¶ Hinc etiam patet, vnde appetituũ diſcrimina in nobis naſcãtur, nimirum, quia ſenſus, qui tãtùm ſingularium eſt, præſentibus trahitur: intellectus autẽ, qui vniuerſalia conſiderat, diſcernit temporis diſtinctionem: communis tamen forma & ratio boni vtrunq; excitat appetitum: quoniam actuale & poſsibile bonũ obiectum eſt appetitus.* 2. corol. *¶ Quatuor ſunt, quæ ad motũ perficiendũ concurrunt, Primũ eſt mouens immobile, vt appetibile ipſum. Secundum eſt mouẽs mobile, vt appetitus (cuius operatio tanquam actus perfecti ipſa eſt appetitio.) Tertium mobile, quod mouetur, animal ipſum eſt. Quartũ, quo mouetur vt machina & inſtrumento primo, cor eſt, de quo in libro de animaliũ motu.* 4. conclu. *¶ Nunc ſat ſit ſummatim dicere, ipſum & principii & finis rationem habere: ideo in medio animalis eſt, vt centrum in circulo. Itaq; appetitiuum cauſa eſt vt animalia moueantur, non tamen ſine phantaſia.* Scopus capitis.

CAPVT OCTAVVM.

De motu inſectorum determinat.

At enim conſiderandum eſt etiam, quidnam ſit id, quod imperfecta animalia

lia motu ciet, quibus sensus inest tantummodo tactus: atq; inuestigandum est, si his etiam insit imaginatio, cupiditásve, necne. Etenim dolor, atq; voluptas his inesse videtur. Quòd si hæc insunt, & cupiditatem necesse est eisdem inesse. At quonã pacto his imaginatio inest? An asserendum est, vt videtur, hæc & in his inesse, imaginationem, inquam, atq; cupiditatem, verùm vt indeterminatè mouentur, sic & hæc ipsis insunt indefinitè?

Pars est textus 56. & præsenti capite Aristoteles distinctiùs de ratione & vi motiua determinat, de qua in vniuersum præcedēti capite dixerat, nūc in particulari. Zoophyta Græcis, Latinis dicta plantanimalia, videntur immobilia, cùm phantasia careant: solum enim habēt sensum tactus, omnium sensuum primum quidem, maximè necessarium, tamen infimum & crassissimum: quamobrem non sentiunt nisi quod præsens est, & stabilem habent sedē petris affixa: non ergo aspirant ad absentia, neq; appetunt distantia, sed ea tantùm, quæ secundùm tactum externè accedunt (phantasia autem interna vis est & respectu absentiū) ideo solo motu dilatationis, & constrictionis mouentur, & motu locali progressiuo per se immobilia sunt. Quo non obstante docet Aristoteles, voluptate & dolore affici huiusmodi animalia, quoniã sensu nocenti contrahuntur, sensatione verò iucundi extenduntur: argumēto igitur est, quòd delectantur & indolent, quod sine phantasia & imaginatione fieri non potest. Tamen illa phantasia indeterminata est & indefinita, sicut indeterminatus & indefinitus est motus: qualis enim illorum motus est, talis & imaginatio: motus ergo indefinitus signum est confusæ & indefinitæ imaginationis. Ideo imperfecta sunt ista animalia, non quidem in sua specie; nihil enim illis deest de necessarijs ad propriam speciem: etenim nec orbata sunt nec monstra, sunt tamen imperfecta in genere animaliū: quo-

Obseruanda regula dignoscēdi phantasiã ex motus conditione.

eū

niam non habent omnes sensus, quibus animalia perfectissima prædita sunt; & tactus indefinitus est, sed magis indefinita est phãtasia, Primò in organo, quia nullum habent certum & determinatū: Deinde in apprehensione, quoniam non sentiunt nisi coniunctum & præsens, ideo situm progressiuè non mutant, sed in eadem semper sede morátur. Sed si dicas, animalia secta, vt vermiculi, apes, formicæ, vespæ & muscæ, certam videtur habere imaginationem & definitam, signum est, quòd certum habent & definitum motum? Facilè respondebo, motum regulam esse ad indicãdam phantasiã, sicut ex proprio & per se effectu: quare animalia perfectissima, vt exactissime gradiūtur ad certum finem, certã & exactam habent phãtasiam. In alio extremo sunt Zoophyta ista, quæ, vt non habent motū definitum neq; à loco dimouentur, imaginationem habent confusissimam permistam sensui communi, sensum autem cõmunem cum sensu tactus obuolutum & implicatū habent. Media autem sunt animalia, quæ medio modo mouentur, quę neq; tam perfectè progrediuntur, vt prima, neq; stabilia sunt & fixa, sed mouentur perfectiùs aut imperfectiùs, secundùm quòd magis ad hęc aut illa accedūt, recedúntve. Quocirca nota, quòd in animalibus habentibus perfectam capitis figuram, à sensibus externis distinguitur sensus communis, à communi autē sensu separatur imaginatio; quanuis in formicis & apibus non sit vaga & incerta imaginatio, quia certus est & determinat' motus à loco & ad locū: in muscis verò & vermiculis vagus est & incert' motus: sed quæ non habent figuram capitis, neq; sensus habent proprios, neq; perfectos, neq; sensus communis à sensibus exterioribus distinguitur, neq; imaginatio à sensu communi separatur: non enim habent caput, neq; cerebrum, nisi fortasse aliquid capiti & cerebro proportionale.

Regula eadem ex proportione ipsius phãtasiæ cū motu.

Imaginatio igitur sensitiua, ratione etiam expertibus, vti diximus, animalibus inest. At deliberatiua his inest tantùm, in quibus ratio inest. Nam vtrum hoc agat, an hoc, rationis iam opus, atq; officium est. Atque necesse *Tex. 57.*

est

est, vno quodam metiri: maius enim persequitur. Quare potest vnum ex pluribus phantasmatibus facere. Et hæc est causa sanè, cur non omnis imaginatio videtur opinionem habere: quia eam, quæ est ex ratiocinatione, nō habet: at hæc illam nimirum habet. Quapropter deliberatiuum appetitus nō habet. Vincit autem interdum appetitus, mouetq; voluptatem: interdum hæc illum, appetitus, inquam, appetitum, vt sphæra, cùm incontinentia fit, atq; semper superior magis est princeps, mouetq; natura. Quo fit, vt tres iam motus efficiantur.

Duplex phantasiæ diuisio. Distinxerat Arist. imaginationem sensitiuam in determinatam & indeterminatā, nunc verò secūda diuisione distinguit phātasiam determinatam in sensitiuam brutorum perfectorum, & eam, quę cùm ratione & deliberatione est in homine, quam dicit proprium munus, atq; officium habere, vt semper de agendis excogitet atq; consultet: *Atq; necesse est, vno quodam metiri, &c.* id est vnio aliquo proposito pro regula cætera distinguat: *maius enim persequitur*, vlteriùs progrediendo. Hoc autem vnum finis est vltimus hominis, quem suæ vitæ scopū pręfixit immobilem & stabilem, vt certa sit omnium operationum mensura, & discernamus quid vt melius sequendum, quid cōtrà vt deterius fugiendum: rectum enim, & sui, & obliqui iudex est (lib. 1. tex. 85.) stabile enim & firmum contingentium & variabilium certa regula debet esse. *Quare potest vnum ex plurimis phantasmatibus facere:* ex hoc autem vno vnum, atq; ex plurimis phantasmatibus vnum quoq; colligimus, nimirum cùm practico syllogismo deducimus quid magis sit conducibile, vnum eligitur, alterum reijcitur, illo medio, quo præligitur vnum alteri, & ita ex pluribus phantasmatibus vnum colligitur. Quare cùm sensus non discurrat, neq; ex pluribus colligat, aut præligat, opinionem non habet, ibi, *Et hæc est causa sanè, &c.* nec deliberationem, sed rationem deliberantem sine aliqua pręelectione & collectione secundū rectum naturæ cursum sequitur. Dubitanti verò, cur appetitus sensitiuus deliberatiuū in hominibus vincit? Respondit Arist. suprà tex. 53. & hîc exemplo cōfirmat dicens, *Vincit autem interdum, &c.* quia sensus præsentis est, quod vehementiùs mouet, quàm absens: ideo deliberatio in negotio absentis succumbit, quoniam appetitus deliberatiuus sensitiuo non dominatur seruili dominio, sed ciuili: quia appetitus habet aliquid sibi proprium, vnde possit imperio rationis obsistere & repugnare, corpori autem imperat dominio seruili, tanquam seruo, cui nulla est facultas resistēdi (1. Polit. cap. 3.) Hîc autem docet vitiosam esse huiusmodi appetitus rebellionem, & si vincat, non minùs contra naturam est, quā si sphæræ cęlestes inferiores superiores mouerent & traherent: semper enim quod superius est, magis est princeps, magisq; naturâ mouet. Quòd si appetit[us] sensitiuus deliberationē rationis à suo proposito dimoueat (quod in sensualibus & incontinentib[us] accidit) profectò naturæ ordo peruertitur, vbi inferius imperat, parétq; superi[us]: quod non fit, eo quòd sensus bonum suum rationi proponat: nec enim hoc possibile est, cū altius sit voluntatis bonum, quàm sit bonū sensus, sed quia voluntas importunè sensuum illecebris agitata permittit se sensui, vt quæ erat domina, et seruiat. Hæc aperta sunt, sed non omnibus constat de eo, quod vltimis verbis textus subditur ibi, *Quo fit, vt tres iam motus efficiantur.* Granatensis dicit, malè hunc locum explicari de stellato orbe, quoniā ille erat vltimus orbis & primum mobile iuxta Arist. ibi id approbat Simplicij sententiam, quòd Aristoteles loquatur de ludentibus sphæra, id est, pilas, qui vicissim vincunt & vincuntur. Sed hoc absonum est, tum quia non saluāt tres motus, quos ponit Arist. tum etiam, quia in lusu pilæ non est ordo superioris & inferioris, sed concursus æqualium contrapugnātium: at appetitus sensitiuus & deliberatiuus ordinem seruant superioris & inferioris. Neq; ad rem loqueretur Arist. si motus sphęrarum cælestium ad motus in homine accōmodaret. Ideo dico, quòd quicquid sit de opinione Arist. circa orbē stellatum

Inferior appetitus cur superiorē moueat.

Locus Arist. sub difficilis explanatur.

Simplici[us] & Granaten. repulsi.

Autoris sententia.

latum, in veritate iam cõstat, duos alios orbes supra stellatum esse, nonum scilicet & decimum, qui mouentur: nam cælum vndecimum, quod est empyreum, fixum est & immobile. Ideo sicut exponitur locus de stellato iuxta veritatẽ, potest exponi cũ Aristot. de quolibet orbe planetarum, qui triplici motu mouebitur: ergo Arist. hanc similitudinem adducit propter Platonem, quem lib. 1. cap. 3. à tex. 45. reprehendit, quòd in orbes cælestes negotium animæ reduxerit: naturæ enim rerum nõ sunt trãslationibus & metaphoris explanandæ, sed proprijs verbis, tametsi iam postquam exactè animæ natura explanata est, accommodatè adducuntur similia & exempla. Quiuis igitur orbis à primo orbe triplici motu mouetur. Primus secundùm quòd à prima sphæra trahitur ab oriente in occidens. Secundus, quo proprio motu regreditur ab occidente in oriens. Prior igitur fit super polos mundi: posterior verò super polos Zodiaci. Ex quibus tertius motus secundũ cõsiderationem est, non vt circulariter mouetur cælum ab oriente in occidens, vel ab occidente in oriens, sed quatenus motus iste à setemptrione in meridiem consideratur aspectu recto fieri supra axem mundi, eiúsq; polos, aut supra axẽ Zodiaci, eiúsq; polos. Hinc patet iam similitudo, nempe, vt sicut est coordinatio in cælestibus orbibus & subordinatio polorum, ita duo isti appetitus in nobis secũdùm axes & polos aspectu recto coordinentur, & subordinentur in ratione finis respectu obiectorũ, quæ respiciunt. Duo igitur genera sunt obiectorũ, vniuersalis scilicet & particularis, quasi duo axes & poli, quò appetitus aspiciũt & se vertunt: non quòd cæli motus sint animæ motus (vt Plato existimabat, cuius reprehensionem hoc loco renouat) sed quòd

Obserua.

seruiant iam loco exempli ad motus animæ in nobis explicandos, vt duo appetitus priùs quasi circulo agitentur ab oriente in occidens, & rursus ab occidente in oriens continua contrapugnantia, & quòd motus aspectu recto absoluatur secũdùm alterius axem & polum, hoc est, secundùm bonum ab altero appetituum appositum, ita quòd primus motus fit à rationis oriente quasi maior syllogismi & vniuersalis præmissa. Secũdus motus fit appetitus sensitiui, quasi à minori, particulari & occidẽte, in quo per phantasiam fit determinatio. Tertius fit

Applicatio motuum.

collectio in vnum per cõclusionem operis & impulsionem ad vsum & exercitium ipsius, ita vt similitudo in hoc teneat, Primò, quòd inferior appetitus, si aliquid de proprio motu retineat, regulari debet & dirigi ad motum superioris, motu scilicet & impulsu rationis deliberantis. Secundò, q̃ sicut tribus constat motus cælestis ratione iam dicta, totidem trib' (vt expositum est) humanus motus absoluatur: non enim sufficit primus ille motus rationis, quia solet esse inefficax, sed necessarius est secundus ipsius appetitus sensitiui, vt iam tertiò vsus sequatur. Tres igitur habes motus, Primus est rationis, quem velleitatem appellat sanctus Thomas 1. p. q. 19. art. 6. & 1. 2. q. 13. art. 5. vt bonum honestum est sequendum. Secundus est appetitus sensitiui appetentis rem vel turpem, vel honestam. Tertius autem est cõsensus in honestum vel turpe secundùm rationem appetitus, à quo fit determinatio, cùm alterutrum eligitur: vel quod rationi, vel sensui placet, altero omisso, prosequimur, fugimúsve. Hęc igitur nostra commentatio sequenti textu ab Arist. confirmatur.

Vsus accõmodatio.

Summa.

Tex. 58.

Ea verò ratio, cui scientię tribuuntur, non mouet, sed manet. Cùm autem existimationum, ac rationũ alia sit vniuersalis, alia singularis (illa naq; dicit, omne bonum honoribus esse afficiendum: hæc verò dicit, me bonum esse) hæc iam opinio mouet, non illa vniuersalis, quin potius ambæ mouent: at illa quiescens magis, hæc autem non quiescens.

Vt igitur propriè & non translatitiè, vt Plato, doceat vnitatem, distinguit intellectum speculatiuum à practico: nam speculatiuus vniuersalium est & quiescẽdi principium, practicus autem particularium est, ideo agendi & mouendi principium: etsi vtraq; ratio tam vniuersalis, quàm particularis moueat, tamẽ vniuersalis, vt quiescẽs, influit magis vt causa prima: particularis autem, vt actuosa, magísque operosa, quodámodo ipsi operi applicatur & immiscetur.

tur. Porrò in hoc tota vis actionis consistit, vt vniuersale ad particulare applicetur: nā vniuersale interturbari solet ob particulares affectiones: hic est vitæ humanæ cardo & caput, hinc fœlicitas summa pendet, summáq; hominū miseria his inclusa esse videtur. Oportet igitur cautissimè & solertissimè inspiciamus, quomodo vniuersalia ad particularia accommodemus, vt ex duob' illis motibus tertium absoluamus, & ternarius ille, idemq; perfectus motus compleatur & consummetur.

SVMMA CAPITIS.

Tres conclusiones, & ad secundam vnū corollariū continet, quibus absoluitur determinatio de vi motiua.

1. cōclusio. *Quamuis animalia imperfecta solum sensum tactus habere videantur, quia tamen dolore & voluptate perficiuntur, imaginationem habent indeterminatam, sicut & ipsa imperfecta sunt animalia.*
2. conclu. *¶ Phantasia quidem determinata, vna sensitiua est, altera rationalis, quæ in hominibus tantùm reperitur, qui ad vnam regulam & scopum omnia sua coniiciunt, ob id opinionem habent de futuris.*
Corolla. *¶ Quare si sensus vincat partem rationalem, non minus cōtra naturam erit, quàm si sphæræ cælestes inferiores superiores mouerent: semper enim mouens natura superius est & præstantius.*
3. conclu. *¶ Tres motus ratiocinationis à ratione determinari debent, magis tamen laboriosè à particulari, quàm vniuersali, quæ quietiùs & stabiliùs mouet.*

QVAESTIO
Super caput sextum, septimum & octauum de principio motus animalis.

An quæ his tribus præcedentibus capitibus de vi motiua animalium ab Aristotele sunt asserta, vera sint?

1. argumētum. In primis manifesta videtur esse collisio, siquidem multa, quæ cap. 6. negauit principia esse motus, vt intellectum, similiter de appetitu, expressè cap. 7. tex. 49. affirmat intellectum & appetitum principium esse motus. Adhęc intellectus & appetitus sunt potentiæ distinctæ, vt ex ipsarum obiectis patet: non possunt ergo cōcurrere in rationem vnius principij mouentis, vt Aristoteles docet tex. 50. Pręterea quia vis appetitiua est cognitiua potentia, vt patet ex eo quòd eligit, determinat, imperat, quæ sunt actus cognitiuæ potentiæ: ergo ad mouendum solus appetitus sufficit, eiusq; apprehēsio: secus quomodo appetitus cognitiuæ potentiæ continuabitur? per quānam coordinationem aut subordinationem? & vtra principalior erit, intellectus, an volūtas? quia certè voluntas, cùm libera sit, cæteras omnes potentias mouet, & illis dominari videtur. Insuper licet ita sit, quòd potentia cognitiua appetitiuam moueat sibi coniunctam & correspōdentem, non est ab Aristotele declaratum, si potentia cognitiua moueat appetitiuam formaliter tātùm quoad specificationem in genere causæ finalis & non efficiēter, an etiam moueat effectiuè in genere causæ efficiētis, vt suaderi videtur, ex eo quòd amor à verbo realiter producitur. Rursus dubitare possumus de concursu & motione ipsius finis & appetibilis, si moueat secundùm esse reale? quia videtur Aristoteles lib. 1. de generatione tex. 55. dicere, quòd finis translatitiè & metaphoricè agat: & lib. 2. Phys. tex. 89. quòd non est actionis, sed cognitionis principium: & lib. 7. Phys. tex. 9. quòd finis est, cuius gratia aliquid fit, & non est principium vnde motus, nimirum quia non contingit mobile ipsum: hîc autem dicit, quòd appetibile mouet & appetitus: vbi si mouere sumitur vniformiter, appetitus mouet realiter effectiuè, ergo & appetibile: et si ediuerso appetibile tantùm mouet in genere causæ finalis, appetitus in genere causæ finalis mouebit: si enim æquiuocè & difformiter sumeretur, nullam haberet hęc doctrina vim. Demum videtur Aristotelis processus diminutus, qui cùm de principio mouendi disputationem instituat, quæ vis solis gradientibus animalibus competit, tamen de appetitu determinat, qui omnibus animatis communis est, vt lib. 2. cap. 3. in principio eius dictum est, & cap. 2. appetitiuum genus potentiæ diximus à secūdùm locum motiuo: hîc autem non separat appetitiuum à secundùm locum motiuo: ergo non erunt quinq; genera potentiarum.

Margin notes (right column): 2. argu. · 3. argu. · 4. argu. · 5. argu.

Confirmatio. Confirmatur, quia de operatione & organo leuiter admodum percurrit, cùm tamen omnis potentia ab obiecto, operatione & organo, suisq; instrumentis omnibus explicanda sit. In oppositum est Arist. & vniuersa peripateticorũ schola. Hęc visa sunt pręcipua (vt plura alia leuiora omittã) vt quæ ad illustrationem huius doctrinæ magis necessaria esse videntur: de quibus, quo breuiùs potero, resoluam, nam grauioribus studijs prępeditus, his nostris cõmentarijs finẽ imponere desidero. *Conclusio respõsiua.* Sit igitur vnica cõclusio generalis, Omnia (quod attinet ad vim motiuam) rectè sunt ab Arist. asserta: quæ quidem ex respõsione ad argumẽta proposita patebit: solutio enim dubitationis veritatis est inuentio atq; confirmatio (lib. 1. de cælo tex. 101.) Reliqua autẽ, siquæ desiderabũtur, ex his facilè quisq; vel mediocri diligẽtia excutiet. Et ne opus sit repetere quæ lib. 2. c. 2. de appetitiuo diximus, & cap. 3. tex. 27. de appetitu quid sit & quotuplex, & de discrimine inter triplicem appetitum, ex illis locis petendã: non enim hîc agimus de appetitu naturali rerum inanimatarum, quoniã naturalis appetitus propriè nõ dicitur appetitꝰ: quia solo instinctu naturę mouentur naturalia, & à generante aguntur & mittuntur in finem, quẽ nullatenus cognoscunt, aut apprehendunt: ideo potiùs propenduntur secũdùm naturalem suã formã, quàm dicantur appetere. *Triplex appetitꝰ, et alia ex superioribus petẽda.* Secundus appetitus est etiam naturalis, qui est sensitiuus, quiq; ab intrinseco habet formam dirigentem, nẽpe apprehensionem & cognitionem rei, quæ est finis. Tertio loco est appetitus intellectiuꝰ, qui à sensitiuo hoc differt, quia non solã imaginationem sequitur, sed rationem ipsam, quę diligenter de oblatis formis excogitat, consultat atq; deliberat, & non solùm tendit in finem materialiter, vt res est, sed formaliter, vt finis est, nempe habitudinem mediorum ad finem ordinãdo. Quare sicut sensus & intellectus hoc distinguuntur, quòd sensus est singularium, intellectus autẽ vniuersalium, sic sensitiuus appetitus singularium est & præsentium, intellectiuus autem, qui est voluntas, vniuersalium est & absentium. Vnde tex. 53. dicebamus rixam sequi inter istos duos appetitus: nam rationalis voluntas imperat prosequendum quod honestum est, licet sit absens: at concupiscibilis in contrariũ, vt præsens delectabile, auellit. Ecce pugna. Sensitiuus autẽ appetitus in his, qui animo sunt constantes ac validi, rationi comparet: at in his, qui instar beluarum voluptate pręsenti feruntur, concupiscibili acquiescunt, rationis imperium detrectat: & ita omnes bonũ sequuntur, vel quod tale simpliciter est, vel quod imponit, & existimatur bonum, vt tex. 51. Quocirca non agimus hîc de vi motiua, quæ merè naturalis, vt de motu grauium & leuium, de qua actum à me est in libris de cælo, præsertim lib. 4. circa tex. 25. *De qua vi motiua hîc agatur.* Nec de vi motiua secundùm rationem crementi & decrementi, vt in plantis & omnibus viuentibus, de quo lib. 1. de generatione cap. 5. & lib. 2. de Anima cap. 4. (hæc omnia secundùm impetum naturæ mouẽtur ex instinctu ipsius, non ex apprehẽsione alicuius formæ) sed disputatio est de vi motiua, quæ ab appetitu sequẽte cognitionem proficiscitur. Ex quo sequitur, quòd licet plantæ viuant, mediæ tamen sunt inter res merè naturales & inanimatas atque inter ipsa animalia: nam ab inanimatis differunt, quoniam inanimatorum perfectio (vt libris de cælo loco citato dixi) consistit in quiete: ideo inanime omne pulsu eget, externóq; agitatore, vt actione transeunti moueatur: vapor enim, quia leuis, eleuatur in aërem (vt lib. 8. Phys. tex. 32. *Actus autẽ leuis, est alicubi esse & sursum*: vnde sumpta est illa maxima, Qui dat formam, dat etiam consequentia ad formam) quod autem ex vapore aquam generat aut grandinem, grauitatem inserit, quæ antè in vapore non pręfuerat, hoc deorsum defert, aut quod remouet prohibens. *Plãtæ inter animalia, & res inanimes mediant.* *Inanimatorũ motus ab extrinseco actione transeunti.* Grauia igitur & leuia in proprio loco generantur, & generantis interest, vt in proprio loco naturali ipsa cõstituat (nec antè cessat vis generãtis trãseunter genito impressa) quia quiescere in loco naturali spectat ad cõplementum suę generationis: simul enim est dare formã & consequentia ad formã, nisi impediantur. At viuẽtia omnia in ꝓprio loco naturali, in quo sunt, atq; in ꝓpria & naturali dispositione cõsistentia se mouent: quod est argumentũ, motũ ab ipsis esse vt à causa propria, & in ipsis manere vt ipsorũ perfectione: quoniã postquã cessauit actio generantis (quod ex eo patet, quia iã sunt in sua perfectione & esse cõpleto) tũc ipsa se mouent in suo loco naturali secundũ aliquã vitę operationem: hæc est igitur differentia intrinseca inter viuentia & non viuẽtia. *Animatorũ motꝰ ab intrinseco actione immanenti.* Sed si ad aliud extremum

mum conferatur plātæ, nēpe cum animalibus comparatæ, licet cum ipsis cōueniant, quatenus viuūt, & calore vtūtur naturali & vernaculo, quo se augent, nutriunt, & in eo loco proprio, in quo sitæ sunt, se mouent, & proprias exercēt operationes atq; motum inchoant (quæ est propria vis animæ) cùm alimentū à terræ visceribus sugūt, & in proprium locum recōdunt, excoquunt, atq; in omnē differentiā positionis simul vno motu distribuūt: tamē quia rerum formas sine materia non suscipiūt, non cognoscūt, ideo propriè nō dicūtur appetere, vt ex locis citatis iam patet. Animalia autē omnia forinsecùs accipiūt species & formas, vt eis informata, sese ad motū excitent, fugiant nociua, prosequātur verò cōuenientia: quod in imperfectis animalibus obscurè reperitur & indeterminatè, ideo cōfusus est & exilis ille animalis mot⁹ in Zoophytis (vt initio c. 8. dictū est.) Tamen de hac vi motiua nō agitur hîc, sed de ea quę est perfectorū animalium, quæ formas capiūt finis, vt se secundū locū moueant atq; sua se dirigant phātasias quę quidē directio in homine tanto est exactior, quāto rationalis phātasia sensitiuam excedit. Animalia igitur neq; à remouente prohibēs, neq; à generāte mouētur actione trāseunti ab externo motore trāsmissa, sed ex se motū inchoant, quoniā sola immutatione à fine facta imperāte interna facultate moueri incipiunt, & à se & in se motionē vt propriā perfectionē recipiūt: id enim est ex se mouere, ꝙ nullo extrinseco cōcurrente sola apprehēsione finis & obiecti cognitione incipere animal ab appetitu excitari ad pręcōceptum finē consequendum, siue pręsens sit, siue absens, siue reale & possibile, siue tātùm existimatū & cōceptū (nihil enim refert, sit vel non sit res, vt animal ad illā moueatur, dum tamen cōcipiatur esse.) Vnde imaginatiua non tātùm mouetur ab extrarijs obiectis, sed etiam ab internis, vt quæ mordent thoracē, tussire cogunt, non tamē sine pręcedēte imaginatione: deiectio intestinorū mouetur, bile interiùs instar naturalis clysteris mordēte: sic vrina vesicā pūgit, saliua os grauat, mucus nares, & semen ipsum in vasis retentū imaginatiuā validissimè mouet, nō tamen sine pręcedēte sensu tactus: vnde imaginatiua appetitū mouet, inde turgent mēbra, quę nullo ordine vel non expectato rationis imperio, ad venerē concitātur: interna ergo vis sentiēs, appetitum habet cōiunctum, cuius munus est motū ad locum imperare. Quo igitur anima ha eleuati⁹ & præstātiùs rerū formas apprehēdunt, eo exactiorē habent mouēdi facultatem: ideo homo præstātissimè omnium animaliū mouetur: imperfectissimè tamē Zoophyta, quę se dilatāt & constringunt, suāq; habent phantasiā, indiuiduam, cōmitem, vt lib. 2. de Anima tex. 29. licet sit indeterminata, vt hîc initio cap. 8. Antequam ad solutionē argumentorū deueniā, illud annotare libet, verum esse imaginationē corpus mutare (quod barbarè dicitur, imaginatio facit casum) ipsúmq; in varias etiā morbosas inducere dispositiones, vt imaginatio nō tantùm habet vim mutādi corpus secundū locum, sed etiā ipsum alterandi & variè afficiendi. Turbationes enim ab animę imaginatione procedētes corpori cōmunicātur: hinc lętitia animā cum sanguine & spiritibus extrà rapit, triste nuntium intrò cōuertit: cōcitat enim imaginatio humores, vnde perturbamur: ob id fortis imaginatio cadēdi de arduo & sublimi loco ruinā & pręcipitium facit, inā ex forti imaginationis impressione anima trahit ad se corpus. Tritū est illud, referente Plutarcho, nobilem, formosissimāq; fœminā, quæ dum veneri indulgeret, temq; nigrā intueretur, Aethiopē ex homine cādido genuisse, nimirum atra bile ad locum matricis delata. Sunt etiā qui referāt, gallinā, ꝙ in pugna gallum superauerit, calcaria sibi produxisse. Tanta igitur est vis interni affect⁹, vt imaginatio terribilis tremorē incutiat, pallore suffundat, cōceptū nigredine tingat: etenim imaginatio arti persimilis est, quæ in materiā subiectā propriā formam inuit. Sed quid moror? diuinę literæ id cōmendant Genes. c. 30. cùm Iacob versicolor pecus elegisset, coitúsq; tēpore candidas, viridésq; virgas in flumine, quo potabātur, eiecisset, vt cū eo visu cōcipientes, similium colorum fœtus ederent: cuius rei meminit D. Aug. lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 25. Sunt tamen hac in parte duo vitia maximè cauenda, Vnum Auicennę, qui lib. 6. naturaliū tātùm imaginationem humanā valere docet, vt nō solum propriū animātis corpus immutare posset, sed alienum in vnde infert, Medicū sola imaginatione ęgrū sanare posse. Sūma igitur argumēti est, quoniam anima superior est corpore, & superioribus inferiora parēt. Sed valeat, videat ipse, omnesq; Medici, si sola imagina-

Animalium motus perfectior quā plantarū.

Imaginatio corpus permutat.

Duo cauenda de motione imaginationis.

tione ęgrũ corpus ad salutẽ deducere valeát? solus enim Deus est, qui solo nutu res mutare & ex nihilo procreare valet. Alterum est eorũ, quos Alexicacos vocant, qui regulariter nebulones sunt, ebrij & incótinentes, de quibus potiùs pręsumẽdum arte dęmonũ canes à rabie sanare, super prunas & districtos enses descalciatis pedibus ambulare, quàm gratia sanitatũ præditos esse. Plena sunt ista superstitionis & falsitatis, & à sana religione valde sunt aliena. Quod autem ego assero est, imaginationẽ humanã supra propriũ imaginantis corpus vim immutãdi habere: at extra proprium corpus quicquã facere neq; verũ, neq; in fide tutũ, atq; adeò neq; philosophicũ, nisi fortè cũ alterius imaginatio à nostra concipitur: sic enim nõ alterius, sed nostra imaginatio nos cõturbat. Sed nũc de imaginatione & phãtasia, vt est principium mouendi secũdùm locũ, disceptatur. Procedamus iam ad enucleandas eas difficultates, quę in propositis argumentis inuolutę sunt:

Insignes enim sunt, & in argumentorum enodatione aperiuntur, atq; in fine huius quæstionis enumerantur seorsum.

Ad 1. argumentũ. Ad argumenta igitur suo ordine respõdeamus. Prior pars primi argumẽti tex. 49. soluta est: nam c. 6. determinatur intellectũ & appetitũ seorsum nõ esse sufficiẽtia principia mouendi: tamen si coniunctim & non disiunctim considerentur, sic principia sunt motus, & ita determinatur c. 7. & tex. 49. ratio huius aperitur, quia intellect⁹ practicus fine distinguitur ab speculatiuo, vt cõceptã veritatem ad opus dirigit: igitur intellectus practicus, qua ratione tãgit finem operis, necessariò cõnectetur appetitui, cuius obiectũ est finis atq; bonũ, vt tex. 51. cum Arist. diximus, & in tex. 49. quomodo prima radix causandi & agendi in fine sit ipsius cognitio & apprehensio: & ita locũ illum cũ tex. 89. lib. 2. Phys. cõponebamus. Posterior autem eius pars enarratione ad tex. 50. soluta est: neq; enim phantasia mouet, nisi appetitu determinetur: neque appetitus appetet, nisi priùs phãtasia appetibile perciperet atque proponeret: quare licet sint duæ potẽtiæ, tamen per modũ vnius impellũt & agũt: nõ sunt enim disparatæ causæ, nec per accidẽs cõiũctæ, sed essẽtialiter subordinatę. Quod patet ex illa cõditione causarum adinuicẽ subordinatarũ, ꝙ si vna tollitur, tolletur & reliqua: modò sublato appetitu, intellectus

Intellect⁹ et appetitus principia mot⁹.

Intellect⁹ et appetit⁹ vt vnũ mouent.

(quia ab appetitu determinatur lib. 9. Met. tex. 10. & hic tex. 50.) ad omnẽ operationẽ erit indifferẽs: appetitus aũt sine intellectu ad nil propẽdit, quia nõ fertur in incognitũ (vt statim ad 2. arg. dicemus) ergo phãtasia & appetitus, quatenus vniuntur in vno modo agendi, & adunantur in vna forma, per quã mouent, vt vnũ mouent, quia vno impulsu sub vnica & eadem finis forma, quę principiũ est cognitionis, vt in intellectu (lib. 2. Phys. tex. 89.) eadem principiũ actionis, vt in appetitu (hic tex. 49.) ergo vt vnũ mouent (tex. 50.) quia per vnã cõmunẽ formam, quæ cõmune est fundamentũ & origo totius actionis: finis enim obiectũ est voluntatis & ratio agẽdi, vt à phãtasia proponitur: motus autẽ animalis proficiscitur ab appetitu sequẽte apprehensionẽ, ideo appetitus apprehensionis sequela quędam est. Quare Arist. ante determinationem de vi appetitiua, negotiũ præmiserat viriũ apprehensiuarũ, ex quibus vis motiua explanãda est. Quod secundo loco dubitabatur de appetitu, si potentia cognitiua sit, profectò locũ non deberet habere inter philosophica dubia, nisi Nominaliũ molestia & quorũdam sciolorũ importunitas pro veritate cõpelleret respõdere: Nã præterquã res est etiã experimento cõprobata, Arist. plurib⁹ in locis eã apertissimis verbis cõfitetur, cũ lib. 6. Ethic. c. 2. docet, appetitũ nihil prosequi aut fugere, nisi quod in cogitatione affirmatũ est vel negatũ: & lib. 7. Ethic. c. 11. sine sensu nõ esse voluptatẽ, & idẽ in c. 12. Sed expressiora loca habem⁹ in his nostris libris: nã lib. 2. de Anima tex. 27. dicitur, dolorem aut voluptatem sine perceptione iucũdi aut molesti nõ esse: ideo ibidẽ tex. 28. cõcludebamus, in plantis neque esse sitim neq; famem, quia non est in illis sensus, vt sit appetitus, sine quo fames non est neque sitis: & tex. 40. huius lib. 3. discernendi facultates, vt sensum & intellectum, ab appetitu separat. Qua de re S. Thom. 1. p. q. 80. art. 1. à priori (vt ibidẽ docet Caiet.) ostẽdit appetitum nõ esse sine cognitione: quoniã omnem formam proportionabilis comitatur inclinatio, vt formam ignis consequitur propensio ad locum superiorem, formam terrę inclinatio ad locũ infimũ: vnũquodq; enim inclinatur ad id, quod sibi conueniẽs & proportionatũ est, & ad locum (lib. 4. de cælo c. 3. tex. 22.) vti ad speciem mouetur. Quare sicut in ordine naturali rerum, quæ cogni-

Ad 2. argu. si appetitus sit facultas cognitiua.

Appetit⁹ cognitionem sequitur ex Arist. & S. Tho.

cognitione carent, inclinatio ponitur, quæ sequitur esse naturale & determinatum, vt de igne & terra dictum est, ita in ordine rerum cognitiuarum (quia non tantùm determinantur secũdùm formam naturalem, sed etiam secundùm formã apprehensam, iuxta ea, quæ suprà cap. 5. dicta sunt) oportet, vt nõ solùm in eis ponatur inclinatio naturalis, quæ formã naturalẽ sequitur, sed etiã necesse est, vt sit appetitus, qui formam apprehensam sequatur. Discursus est euidens, quia formæ sua inclinatio proportionatur: ergo ex amplitudine formæ cognitiuę (quę non solũ est ipsa, sed alia omnia ex cap. 5.) oritur, vt non solus ponatur appetitus ille, qui secundùm conditionẽ diminuentẽ dicitur naturalis ex forma propria naturali prodiens, sed etiam ponatur alius, qui absolutè vocatur & est appetitus: distinctionis tamẽ gratia appellatur animalis, quoniã formã sequitur apprehensam: & ideo propriè dicitur appetitus, quia appetit supra modũ inclinationis naturalis, & supra modum communem extra se tendit, non ad particularia obiecta potẽtiarum, sed ad id, quod simpliciter cõueniens est toti animali. Sic S. Tho. ibidem ad 3. quòd quælibet potentia habet proprium obiectum vt conueniens & particulare appetibile, ad quod naturaliter fertur, vt ad suam perfectionem: at animalis appetitus secundùm actum apprehensum concupiscit & nititur in bonum, quod toti animali conueniens est: ideo animalis appetitus propriè sic appellatur, quia appetit & tendit extrà ad rem apprehensam: naturalis autem appetitus impropriè dicitur appetitus, quia non tendit neq; appetit, sed mittitur & inclinatur à generante. Quã ob causam lib. 2. tex. 28. famem & sitim in animalibus esse docuimus, quia est appetitus calidi aut frigidi, humidi aut sicci: in plantis verò impropriè est sitis aut fames, quia non est propriè appetitus, cùm cognitione careant: est tamen inclinatio & propensio, quam appetitum naturalem appellare licet, absolutè verò non est appetitus.

Appetit⁹ animalis nõ ponitur otiosè & frustra.

Appetit⁹ naturalis impropriè dicitur appetitus.

Null⁹ appetitus est cognitiu⁹.

Idcirco, vt vnde digressa est redeat oratio, falsum est quod in argumento assumitur, nempe appetitum potentiam esse cognitiuam: siquidẽ appetitus nihil aliud est, quàm naturæ propensio ad vsum & operationem iuxta naturam & determinationem ipsius formæ: ergo cùm appetitus sit quædam formæ cõsequutio & sequela, qua res in suam perfectionem fertur, & animalia animaliter & vitaliter ferantur iuxta formam apprehensam, vt consequantur ea, quibus carent, atque in ipsorum adeptione quiescant: appetitus non est qui cognoscit, sed qui in formam cognitã mouet, vnde est motus principium in genere causæ efficientis, nõ finalis, vt Aristoteles lib. 6. Ethic. c. 2. appetitus *actionis principium est, vnde motus* (id est, efficiens) *non cuius causa* (id est, nõ vt finis) si ergo appetitus operatur effectiuè, necesse est tangat obiectum, circa quod operatur: hoc autem fieri non potest, nisi per apprehẽsionem, cùm appetitus cõparetur ad rem extrinsecam, vt ad finem, qui priùs est in intẽtione, quã in actione & exequutione (lib. 2. Phys. tex. 89.) ergo appetitus præsupponit cognitionem. Vnde tritum illud axioma profluxit, Voluntas cæca est, & appetitus non fertur in incognitum: omnis enim appetitio quasi exequutio est ipsius cogitationis & imaginationis: & sicut oculus dirigit pedes, ita imaginatio appetitũ regit: idcirco cõcupiscibilis cupiditas ad bonum defert, quod per existimationẽ proponitur: irascibilis autẽ iracũdia est ad arduã superãdam difficultatem, estq; veluti cupiditatis ministra & cogitationis satelles, cupiditatisque vindex: sicut ergo cupiditas pręit iræ operationem, ita cupiditatem apprehensio boni necessariò pręcedit. Insuper sicut tria percipis in rebus inanimatis, primò formã, quæ dat esse: secundò grauitatem aut leuitatem, quibus ad locum à natura determinatum feratur: postremò qualitates alteratiuas, vt sunt caliditas, frigiditas, humiditas & siccitas, quibus vix impedimentum tollitur: ita profectò in animalibus totidem tria reperies, Primum est forma apprehensa, qua animal constituitur in eodem esse & perfectione cum ipso obiecto appetibili cognito (eadem enim perfectio & quidditas rei est perfectio & quidditas animę cognoscẽtis suprà c. 5.) quę & animę & obiecti appetibilis eadem perfectio est, licet in diuerso genere. Secũdò succedit instar motiuæ qualitatis appetitus cõcupiscibilis, quo ad appetibile apprehẽsum mouemur, veluti pedib⁹ concupiscendo gradimur, vt tandem desiderij nostri cõpotes euadam⁹. Succedit postremò irascibilis instar alteratiuarum qualitatum, quæ districto gladio cupiditati subseruiat, ipsamque tueatur, vt propulsis omnibus obstaculis, bonum apprehensum

Elegans collatio inter animalia & res inanimes

consequatur,& in adepto quiescat,eôq; pacificè fruatur. Quid? quòd ex natura doloris res est conspicua,vt lib. 2. tex. 28. diximus:certũ enim est apud omnes,experientiáque confirmat, nunquam esse dolorem, nisi sit læsionis perceptio, sicut delectatio requirit boni perceptionẽ cum ipsius coniunctione(dolor enim & delectatio passiones sunt concupiscibilis appetitus) lib. 6. Topic. cap. 3. loco 24. perceptio læsionis proxima doloris causa est: ideo inanimata non dolent, quia non sunt apta percipere læsionem. Quare dolor meliùs fortasse definietur,quàm lib. 2. tex. 28. vt quidam sit ipsius appetitus affectus ex apprehensa intemperie subitò excitatus. Quæ quidẽ definitio cõmuniter ab omnibus recipitur: nã cùm definitio principium sit,ex ijs,quæ ab omnibus cõceduntur,deduci debet. Sed vt ad rem reuertamur,adeò verum est,appetitum supponere cognitionẽ,vt dolor nullus sit,nisi adsit cognitio:hinc est,quòd qui in certamine vulnerantur,non dolent, nimirum quia occupato & intento animo ad tutelam, non percipiunt læsionem: & qui morti propinqui sunt,non dolent,quòd facultas sentiendi propemodum extincta sit: delirantes etiam dolorem nõ sentiunt,quia læsum est iudicium: ergo apprehensiua potentia præambula est ad appetitũ. Ob idq; Aristoteles lib.2.de Anima cap. 3.tex. 27. & 28.in plantis negat appetitũ,in Zoophytis aũt ponit,quoniam sensu prædita sunt: & tex.29.appetitus negatur,quibus negatur sensus.Deniq; cùm grata prosequamur, fugiamus autem ingrata, quorum nullum tale habetur neq; constat,gratũ aut ingratum,iucundum, molestũmve sit,nisi priùs fuerit cognitũ & perceptum per potẽtiam cognitiuam, quæ appetitui priùs ostendat quid ei amicum,quid autem inimicum sit. Tandem finis ob hanc causam dicitur *primum mouens immotũ*,& hîc tex. 54. & lib.2. Phys.tex.89.*principium cognitionis*,quia cognitio nihil ponit in cognito:ideo finis immutatus cognoscentem facultatem permutat, mox excitat appetitum ad finis consequutionem,excitatus autem appetitus animal mouet:ideo appetitus non est principiũ,cuius causa vt appetibile,sed vnde motus vt efficiẽs,vt hîc tex.49.& lib.6.Ethic. cap.2.Quare ad argumentũ in forma dico, ꝙ appetitus eligit ac desiderat, mouet atq; determinat,nõ tamẽ dirigit,neq; cognoscit, neq; imperat,neq; ordinat,quia ista ad partem cognitiuam pertinent:quod fiet magis perspicuum ex sequentibus,maximè ex solutione ad tertium.Sed quod in eodẽ argumento inuoluitur de eminẽtia & principatu inter intellectum & volũtatem,celebris est & grauissima cõtrouersia,quam omnes tractant & ad suum tribunal vocãt: Logici propter illas suas primas & secundas intentiones, quia de ente rationis considerant: Metaphysici etiam, quoniam ipsorum interest rerum naturas expendere: Moralis autem Philosophus,vt doceat in cuius potentiæ operatione beatitudo sita sit:Physicus verò eam versat,quatenus vires sunt animæ & principia motus.Propter has autem omnes causas de hac re celebris est cõtrouersia apud scholasticos Theologos in 4.d.49.quæ omnia percurrere longum esset,& parum nostro proposito cõsentiens: ad finem enim huius libri properat animus. Idcirco(vt multa in pauca conijciam,& res sit magis perspicua & clara)cum S.Tho.& peripatetica schola placet præsentem controuersiam resoluere hac conclusione, Intellectus simpliciter & secundũ se præstãtior est voluntate,supra quam eminentiam habet & principatum etiam in mouendo. Quam cõclusionem dupliciter probo cum S.Tho.Primò ex natura potẽtiç(1.p.q.82. art.3.) potentia enim ex obiecto dignoscitur:habet enim se obiectum ad potẽtiam, sicut Lydius lapis ad aurum, quod potentiarum excellentiam prodit: at intellectus obiectum est verum intelligibile, volũtatis autem obiectum est bonum appetibile: sed intelligibile simplicius est & abstractiꝰ, quia habet esse spirituale, ideo nobiliuꝰ & altius:quia quod intelligi debet,repurgatur ab omnibus conditionibus materialibus: panis enim non est in anima,sed species panis, qui est panis spiritualis: at appetibilis panis materialis est,quia secũdùm esse materiale & naturale desideratur:ergo volũtas ex obiecto ostenditur inferior intellectu,ideo intellectũ sequitur, & ei obaudit, & ab eo nuncupatur appetitus rationalis: & si ipsa domina dicitur, aut regina appellatur, hoc ideo est, ꝙ intellectus rex est & dominus:& si ipsa libera est formaliter,ab indifferẽtia intellectꝰ habet,qui radicaliter & fundamentaliter liber est:ex eo enim ꝙ intellectus abstractè & vniuersaliter res cõcipit,atq; vtrũq; contradictionis extremũ, nempe

Quid dolor. *Obseru.* *Attende.* *Intellectꝰ simpliciter volũtate præstat etiã in mouẽdo.* *Conclusio bina probatione eleganter ostẽditur.* *Subtilis cõprehensio de intellectus eminẽtia.*

nempe ens & non ens, voluntas se liberè determinat ad alterum extremum. Radix igitur & seminarium libertatis in voluntate intellectus est, qui consultat & deliberat quid conducibilius sit, & ita præcipit & imponit voluntati: tamen ipsa voluntas secundùm suam essentiam libera est, nulliq; actui addicta, aut illigata: quoniam etiam circa vltimum finem, etsi nō sit libera quoad specificationem, libera est quoad exercitium, cùm tamen intellectus conuincatur euidentia propter demonstrationem, atq; etiam propter rationem probabilem, si existimetur necessaria. Missam facio comparationem voluntatis & intellectus, vt in via sunt: nam simpliciter est intelligenda conclusio: lege Caietanū & S. Thomā loco citato. Secundò probatur ex parte actus & operationis cum S. Tho. 1. 2. q. 3. art. 4. quia consequutio finis per actum intellectus cōtingit, voluntas autē quiescit in fine adepto per intellectum: quare & si bonum & finis obiectum sit voluntatis, ex hoc ipso sequitur, quòd bonū hominis actus sit intellect⁹: ideo sicut visibile est obiectum visus, tamē actus est alterius causę, ita bonum, quod est obiectū voluntatis, non est actus ipsius voluntatis, sed actus est ipsius intellectus: non enim est quodcunq; & qualecunq; bonum obiectum voluntatis, sed bonum cognitum & apprehensum: ergo cognitio quasi pars est obiecti voluntatis. Vnde & si volūtas formaliùs bonum videatur attingere in ratione obiecti formalis motiui, intellectus autem intimiùs in ratione actus & obiecti terminatiui: quare cùm fœlicitas cōsistat in assequutione boni per modum actus & vigiliæ, non per modū habitus & somni, bonum eminētiùs pertinet ad intellectū, quàm per modum actus præsentis, quàm ad volūtatem, quæ per modum habitus ad bonū abstrahendo à præsentia tendit: ideo intellectus intimiùs attingit beatitudinē, quàm voluntas. Quod patet primò ex parte potentiæ, quia intellectus trahit ad se, volūtas aūt extra se tendit. Secundò ex parte actus, quoniam summum bonum hominis actus est ipsius intellectus, nēpe visio Dei, & hæc eadem visio Dei est obiectum concupitum à volūtate. Multa pro hac veritate latiùs diximus apud S. Tho. locis citatis, quę modò, licet non multùm inuita traherentur, tamē viderentur à nostro & Aristotelis proposito aliena: sat est rē acu tetigisse, atq; curiosum lectorem in via veritatis constituisse.

Elegās resolutio & essentia beatitudinis.

Obserua.

Quod autem attinet ad rem pręsentem est, atq; ex dictis iam sequitur, q̄ licet volūtas præstantiùs moueat, quàm intellectus quoad vsum & exercitium, tamen absolutè & simpliciter intellectus principatū & dominium obtinet in mouēdo. Quod in solutione sequentis argumēti patebit ampliùs: dūmodo aduertas, comparationem, quæ inter intellectum & voluntatem fit, eandem intelligi inter sensum & appetitum sësitiuū, siue quoad eminentiā & dignitatem perfectionis, de qua hactenus dictū est, siue quoad prioritatem, ordinem atq; modum motionis: semper enim phātasia ad appetitum sensitiuum se habet sicut intellectus ad voluntatē. Tertio loco quæstio erat de modo motionis potentiæ cognitiuæ & appetitiuæ in nam non omnibus constat, vtra potentia priùs moueat, an ambæ simul, & quo gradu & genere causæ? Ex vna enim parte cæcus videtur appetitus, vt qui egeat ductore aliquo, qui dirigat in appetenda & fugienda: quoniam appetibile voluntatem non tangit, nisi priùs intellectu aut phantasia apprehendatur: ergo ab apprehensa forma mouetur appetitus. Ex alia autem parte videtur, quòd phantasia non moueat, nā cùm Aristoteles tex. 54. connumeret principia mouentia secundùm locum, phantasiam non meminit, neque inter mouentia neque inter immota connumerat: quin potiùs tex. 49. & 50. appetitus motio intelligentiæ & apprehensioni præfertur, vt lib. 9. Metaphys. tex. 10. intellectus ab appetitu determinatur: & hîc vltimis verbis tex. 49. *Et propterea mens mouet, quòd appetibile ipsius principium est*: hinc euenit, vt ob piam affectionem inclinemur magis ad credendum vni præceptori, quàm alteri. Vt igitur rem hanc breuiùs & commodiùs definiamus, principiò oportet memoria recolere quæ in enarrando textū 50. dicta sunt, videlicet quomodo actio in appetitum referatur secundùm rationem particularem ordine exequutionis, in intellectum autem secundùm rationem vniuersalem ordine intentionis. Deinde aduertendum cum sancto Thoma 1. 2. quæst. 17. art. 1. quòd imperare & ordinare, actus sunt rationis: itaque imperare, indicando quid sit faciendum, dum deliberat: & imperando, præcipiendo & iubendo, fac hoc, per modum imperatiui, vtrunq; imperium actus est

Intellect⁹ mouendi principiū præstantius quā volūtas.

Quæstio de coparatione intellectus & volūtatis ad phātasiā, et appetitū sensitiuū extēdenda.

Ad 3. argu. de motione appetitus et cognitiuę facultatis.

Diuersa motio intellect⁹, et appetitus ex tex. tu 50.

Imperiū propriè actus et rationis.

est intellectus, cuius est cognoscere, dirigere, denuntiare quid sit faciendum, & denūtiare intimando quoad specificationem & determinationem obiecti. Cęterùm quoad exequutionem & exercitium primum mouens est voluntas (1.2. q. 9. art. 1.) voluntatis enim obiectum est finis & bonum in communi: ergo ipsius volūtatis est mouere omnes potētias ad suos particulares fines: bonum enim particulare singularum potentiarum sub bono communi ipsius voluntatis comprehenditur: & ideo voluntas per modum agentis mouet omnes potētias ad suos actus, pręter vegetatiuas naturales, quæ nostro arbitrio directè non subdūtur (vt S. Tho. docet 1. p. q. 82. art. 4.) ergo imperium absolutè & simpliciter ad intellectum pertinet, cuius est declarare & denūtiare intimando quid sit faciendum. Volūtas autem non dicitur imperare nisi impropriè, quatenus mouet, inclinat & propendit ad opus: est enim appetit' quasi nostræ naturæ pondus & velut pondera horologiorum: ordo autem & artificij ingenium, in rotulis atq; punctis consistit: sic in intellectu residet ingenij eminentia, in voluntate autem naturæ ponderatio. Malè igitur hìc Granatensis quæst. 3. imperium voluntati tribuit, quia voluntas neque imperat, neq; fert leges, neq; ordinat: ista enim omnia ad arbitrium intellectus pertinent: lex autem, ordinatio atq; certa dispositio imperij certa sunt indicia. Quare quoties sanctus Thom. dicit voluntatem imperare, sumit impropriè & largè pro eo, quod est mouere: licet reclamet Scotus 2. d. 6. q. 1. & quodlib. 17. tamen pro S. Thoma est Plato, qui semper appetitui rationem præfert, atq; eam in arce collocat, quòd sceptrū dominij contineat: & Aristoteles docet lib. 1. Politic. cap. 2. & 3. mentem in appetitum ciuile & regium habere dominium, quod verum est: nam quoad efficaciam & determinationem agēdi, vsus & exercitium voluntati defertur. Quamobrem liberum arbitrium ab vtraq; potētia appellatur, quoniam ab intellectu arbitrium dicitur, & inde habet speciem: à voluntate autem liberum vocatur, à qua vsus est, & inde laudē aut vituperium meremur. Ad argumētum igitur respōderi potest, intellectum formaliùs & principaliùs mouere atq; priùs secūdùm specificationem, sed voluntas principaliùs etiam in alio genere agendi & exequendi secūdùm exercitium. Et hoc Aristoteles contendebat, cùm diceret intellectum sine appetitu non mouere: nimirum quia volūtas proxima est motionis & actionis causa, vsqueadeo vt voluntas neq; angelis, neq; cælestibus spiritibus subdatur, sed soli Deo (1. 2. q. 9. maximè artic. 6. & q. 10. per totam, sed maximè art. 4.) ab inferiori ergo appetitu (vt ibidem determinat S. Thom.) directè & per se non mouetur: sicut Aristoteles hìc tex. 57. sphęra superior ab inferiori non mouetur, sed indirectè propter necessariam cōnexionem intellectus ad sensum perturbantur incontinentes, & veluti lethargici & phrenetici passionibus trahūtur. Est tamen in motione discrimen: quoniam intellectus mouet præsentando & imperando obiectum, voluntas autem afficiendo & alliciendo, similiter appetitus sensitiuus: nisi quòd voluntas, cùm natura sua sit superior, ex officio mouet aliquid imprimendo in sensitiuum appetitum, sicut vniuersale in particulares: appetitus autem sensitiuus non imprimendo aliquid in voluntatem, sed indirectè, quia per redundantiam & violentiam passionis sensitiuæ: quoniam eius violentiæ nō occurrimus nec resistimus, vt t. 2. q. 10. artic. 3. ad 2. & q. 9. art. 2. Quod vlteriùs in argumento petitur, si intellectus formaliter tantùm & quoad specificationem moueat, an etiam efficienter, ambiguum est & variè definitur. Tot enim sunt sententiæ, vt non vacet in præsentiarum eas omnes recensere: fusissimè dixi t. 2. q. 9. artic. 1. quæ omnia difficile est ad pauca contrahere: oportet tamen breuiùs rem expendere, si illustrari debeat. Ex dictis igitur sumamus hoc principium, quòd intellectus primum mouens est voluntatis quoad specificationem, voluntas autem primum mouens est intellectus quoad exercitium: nam si intellectus primò mouet faciendo obiectum voluntatis, voluntas primò mouet applicando ad vsum. Hoc principium in pręcedentibus declaratum est, sed nunc à priori reddenda est ratio. Nam cùm impossibile sit, quòd idem moueat seipsum, ne simul sit actu & in potentia respectu eiusdem & secundùm idem, fit, vt voluntas intellectum moueat, & ab intellectu moueatur, diuersa tamen ratione: nam intellectus in communi & vniuersali quoad speciem mouet ex parte obiecti, vnde est in actu: voluntas verò

Voluntas primū mouens quoad exercitium.

Collatio horologij cum intellectu, & volūtate.

Granatē.

Scotus.

Plato pro S. Tho.

Liberi arbitrii nomēclatura et usus.

Intellect' voluntas & sensus diuersimodè se mouent.

Intellectū primū esse mouens quoad specificationē, voluntatem autē quoad exercitiū, à priori ostēdunt.

verò in particulari mouet quoad indiuiduum ex parte subiecti ad exercitium actus: quare facta immutatione obiecti per intellectum, voluntas (cuius obiectum finis est, finis autem motionis omnis principiũ) propter finem repræsentatum applicat omnia ad vsum & exercitium: ergo intellectũ mouere voluntatem quoad specificationẽ idem est, quòd intellectum voluntati præsentare obiectum, vnde actio voluntatis specificatur: ita S. Tho. 1. p. q. 82. art. 4. & 1. 2. q. 9. art. 1. Et vniuersalis est propositio, scilicet aliunde actum specificari, aliunde autem habere exercitium: nam visio in brutis ab ipso visibili speciem habet, ab appetitu autem animali vsum habet: & in naturalibus motus lapidis sortitur speciẽ à loco deorsum, quò tendit, habet tamen vsum à grauitate lapidis: & in metaphysicis obiectum à subiecto aliud est: & in omnibus creatis esse & essentia differunt, quia essentia à principio formali, existentia à materiali est. Cùm tamen dico voluntatem primum mouens esse quoad exercitium, non est intelligendum respectu omnium intellectionum: quoniam prima intellectio omnem voluntatem antecedit, quia voluntas non fertur in incognitum. Quod patet primò ex parte formæ, quia si inclinatio naturalis necessariò præsupponit formam, appetitus etiam necessariò præsupponet formam apprehensam. Secundò ex parte obiecti seu termini, quoniam fieri non potest, vt actio aut motus sine termino sit, terminus autem & obiectum volũtatis per intellectum & proponitur & fabricatur. Tertiò ex parte actus, quia nulla actio est possibilis sine proprio agente & proximo principio: obiectum enim ab intellectu cõsideratum est primum agens in ordine ad voluntatem siue specificatiuè, siue finaliter, siue effectiuè (hoc in præsenti inuestigamus, & diximus obscurum esse & satis lubricum) quoniam si se habet vt finis, non mouebit realiter effectiuè: si autem vt obiectum, effectiuè mouebit. Huc totum belli pondus & opinionum turba inclinat, hinc pendet aratrum: & ex hac eadem distinctione opiniones & rem hanc illustrabimus. Errarunt quidem omnes, qui ad paucarum respicientes facilè enuntiarunt (oportet enim rem integrè & completè circunspicere.) Nam qui cum Scoto in 2. d. 25. q. vnica tenent (vt Capreolus ibidem) quòd intellectus specificatiuè & finaliter mouet voluntatem, non tamen efficienter, attendunt ad rationem finis, obiecti autem conditionem negligunt. Qua in parte deficiũt, quoniam ad obiectum voluntatis per se & nõ per accidens præsupponitur cognitio: nunquam enim voluntas fertur in incognitum, & apprehensio intellectus vel est pars obiecti voluntatis, vel conditio indiuidua comes. Qui autem cum S. Tho. contendunt, obiectum ab intellectu propositum effectiuè concurrere, non tamen specificatiuè, conditionem obiecti considerant, contemnuntq; rationem finis: Nam duo sunt act⁹, vnus intellectus, qui est cognitio: alter voluntatis, qui est volitio: sed obiectum causa efficiens est cognitionis: ergo & erit causa efficiens volitionis: idem tamen obiectum vt finis & terminus specificat. Ad hunc secundum modum Gabriel 2. d. 25. q. vnica & Palude 2. d. 16. art. 3 alludunt. Qui verò exactiùs & magis integrè rem penetrant cum Caiet. 1. p. q. 80. art. 2. & q. 82. art. 4. & cum Conrado 1. 2. q. 9. art. 1. vtrunq; considerant & efficiẽtiam & specificationem, nisi quòd dicunt obiectum ad specificationem effectiuè concurrere speciem causando: itaq; non concurrit ad speciem tantùm per modum finis, sed etiam per modũ agẽtis: probant ex simili de amore in diuinis, qui à verbo producitur: pari quoq; ratione in nobis obiectum cognitum ad volitionẽ effectiuè concurrit. Secundò dicunt isti, voluntatem effectiuè concurrere ad exercitium actus, non tamen obiectum, quia voluntas libera est. Sed in re morali & physica hæc Metaphysica nimium est implexa & plus nimio subtilis: præterquam quòd falsum assumunt, in hoc quòd existimant principium specificatiuum actiuè etiam cõcurrere: nam multa specificãtur ab his, quę actiuè non concurrunt, vt albefactio à producta albedine speciem habet, non tamen ab ipsa producitur, & sic in alijs multis: ab alio ergo res specificatur, & ab alio producitur. Ob id Ferrariensis dicit lib. 1. contra gent. cap. 44. quòd obiectum ad finem specificatiuè concurrit, ad media autem effectiuè. Qua distinctione triumphare videtur, & putat se diuersa S. Thomæ loca conciliasse: maior enim videtur efficientia ad media, quàm ad finem: tamen fallitur, quia voluntas eodem modo mouetur ab intellectu quoad media & quoad finem: quia sicut

Prima intellectio omnẽ voluntatem antecellit 1. p. q. 82. art. 4. ad 3. et 1. 2. q. 1. ar. 1.

Nodus totius quæstionis, si intellect⁹ moueat tãtùm specificatiuè an etiam effectiuè.

Scotus, et Capreolus

Quidam Thomistę et Palud.

Caiet. & Cõradus.

Ferrariensis.

sicut intentio finis debet per intellectum proponi, ita & deliberatio & excogitatio mediorum voluntati per intellectum proponuntur:non est ergo neganda efficientia circa finem, quæ conceditur circa media. Ita Aristoteles hîc tex.54.expressè asserit, quòd appetibile *mouet,& non mouetur mente,aut imaginatione perceptum*, mouebit ergo & ad finem & ad media. Nostra igitur resolutio fit certissima, quam existimo esse S.Thomæ & verè peripateticam,quòd obiectum ab intellectu cognitum principium est proprium specificatiuum ipsius volitionis,& actiuũ formale,non tamen effectiuũ. Hæc conclusio probatur ex aliarum repulsione, In primis quia si obiectum effectiuè concurreret,non relinqueretur plena libertas voluntati. Deinde quia illa metaphysica Caietani non est satis intelligibilis,quomodo obiectum effectiuè attingat substantiam actus in ratione speciei,non tamen in ratione indiuidui. Tertiò Ferrariẽsis distinctio friuola est:nam si intellectus proponit voluntati obiectum, siue circa finem,siue circa media,necesse est,quòd per intellectũ reducatur de potentia in actum non solùm circa media, sed etiam circa finem. Ob id in hoc tibi,germane lector,volo meam cõmendare operam, quòd obiectum voluntati ab intellectu præsentatum non cõcurrit efficienter,neq; quoad exercitium,neq; quoad specificationem, neq; quoad principia,neq; quoad media,neq; totaliter,neque partialiter,sed tantùm in genere causæ finalis (vbi non secludo concursum causæ exemplaris & formalis : finis enim & forma idem sunt,vt lib.2.Phys.tex.70. & ratio agendi est principium formale, & non est alienus concurrendi modus à concursu finali;finis autem quatenus forma est, formale est principium agendi.) Vna igitur efficaci ratione hanc conclusionẽ demonstro:quia omnis actio voluntatis specificatur à proprio & proximo principio agenti secundùm naturam & rationem agẽdi:sed voluntas secundùm se non potest esse proprium & proximum principium alicuius specialis actionis : ergo proximum principium agens in ratione causæ formalis (etsi non efficiat)est obiectum voluntati repręsentatum,cuius actionem vt proximũ principium specificat. Totus discursus patet: quia cùm volũtas generale sit principium efficiens non specificatum,neque determinatum ad aliquã specialem actionẽ, oportet specificetur & determinetur ab aliquo formali principio:quare efficientia voluntatis erit specificatio eius,iuxta principium formale, quod est obiectum ab intellectu propositum. Hæc ratio sufficiat & instar omnium sit, in qua latet aduersariorũ delusio & fallacia, quia principium formale in principium efficiens deflectunt atq; cõuertũt:maximè quòd finis & obiectum repræsentatum per intellectum non mouet vt forma coniuncta, sicut in rebus naturalibus contingit,sed vt forma separata & veluti propositum exemplar. Idcirco meritò tollitur ratio efficiendi,& conceditur principium formale specificandi sine vlteriori efficientia:mouet enim instar exemplaris ideæ, non instar formæ naturalis, ideo in vtroq; genere & causæ formalis & finalis, non tamen in genere causæ efficientis. Deberent igitur isti distinguere inter principium effectiuum & actiuum formale,quia obiectum motiuum est finale, & actiuum formale, non tamen principium efficiens: itaq; voluntas mouetur ab obiecto, quod intellectus ei repræsentat vt finem & exẽplar,ideo instar ideæ illius voluntas se cõponit ad finem consequendum. Ex his primò multa conciliantur, quæ apud S.Tho. repugnantiam præ se ostendere videbuntur. Secundò sequitur,quòd actus voluntatis ab extrinseco à solo Deo fit effectiuè(1. 2.q.9.art.6.)ab intrinseco autem à sola voluntate(vt S.Tho.ibidem art.3.)itaq; volitio à Deo & voluntate fit effectiuè,ab obiecto autem non effectiuè,sed modo iã declarato, vt finis est & exemplar. Sequitur tertiò, quòd finis est voluntati ratio agendi,non sicut forma coniuncta, vt forma in igne aut species in intellectu, vbi forma in eadem materia vel potentia est, sed sicut forma exemplaris,quæ in intellectu repręsentatur,quæ distincta est potentia à voluntate. Profectò si quis, medico prædicente mortem,de sua salute desperet, ad sanitatẽ non aspirabit : tamen si è vestigio medicus alius quasi derepente persuadeat sanguinis missione ægrum sanari posse, sanè statim volũtas eligit media ad sanitatem,quã appetit sola finis motione & secundùm rationem formalem specificante sine vlteriori aliqua efficientia. Verum est, quòd quia hoc habet voluntas ex amplitudine, suaq; immaterialitate, vnde libertatem & dominium

Autor S.Tho. interpretatur.

Conclusionis probatio ex perfunctoria aduersariorũ impugnatione.

Conclusio declaratur.

Obserua opinionũ lubricũ bibium.

Obserua has illationes.

Inter intellectiuum & sensi-

timū appetitūs notāda differentia. minium habet in suos actus, vt liberè se in finem atq; media moueat:tamen apprehēsio phantasiæ supra appetitum animalem maiorem habet concursum, ex eo quòd naturaliter mouetur. Idcirco dixit Aristoteles tex.54. quòd appetibile cognitum mouet appetitum, qui appetitus etiam dicitur moueri à fine: ratio est, quia voluntas se agit, appetit⁹ autem sensitiuus agitur, quoniam rapitur à præsenti: quo modo dicere possumus, quòd finis efficientiam aliquam habeat in appetitum bruti, quia naturaliter fertur in præsens. Non sic de volūtate, quæ appetit in vniuersali cum distinctione tēporis:& hoc modo fateor, obiectum, quod ab intellectu repræsentatur, aliquam habere efficientiam, quatenus eadem ipsa perfectio & quidditas rei fit perfectio & quidditas cognoscētis (iuxta doctrinam cap.5.) vnde statim efficitur propensio & appetitio ad consequutionem formæ apprehēsæ. *Obserua.* Et hoc discrimen maximè est commendādum, quòd voluntas liberè fertur sine maiori efficientia, quàm ipsa præstare vult: appetitus autem sensitiuus rapitur in præsens delectabile: apprehēsum autem obiectum effectiuè mouet animalem appetitum, & non solùm per modū & causæ formalis & finalis. Patet etiam, quòd verbum in diuinis concurrit producendo Spiritum sanctū: quia ibi non est alius ordo realis possibilis, nisi originis, & est perfecta & absoluta ratio verbi. *Duæ differētiæ inter verbū Dei et nostrum.* Quare simile, quod adducitur ex verbo in diuinis ad verbum in humanis, propter hæc duo non cōuincit, vt quidam putant. Alterum est, quòd Aristoteles textu 54. cum respectu appetitus animalis loquatur: non tamen loquitur æquiuocè & difformiter, quod esset vitium in doctrina tanti Philosophi: ideo si appetibile mouet, & appetitus etiam mouet, oportet, quòd cùm appetitus moueat effectiuè animal, quòd appetibile non moueb it appetitum duntaxat finaliter (sic enim mouere æquiuocè ab Aristotele vsurparetur, qua varietate doctrina eius eneruaretur) sed etiā effectiuè. *Appetit⁹ mouet animal vniformiter, sicut mouetur ab appetibili.* Et ita vniformiter procedit Aristoteles atq; vniuocè in eadem significatione & causalitate mouendi: & ideo appetibile mouet effectiuè, sed est immobile effectiuè, quia agit vt cognitum est: cognosci autē nihil ponit in re cognita, ideo metaphoricè agit: appetitus autē mouet, quia mouetur: appetitio actus est & operatio ab appetitu elicita, quoniam est motus & actus perfecti. Et vt diuersa S. Thomæ & Aristotelis loca concilies, aduerte, quòd voluptas non dicitur operatio, quatenus in ipso appetitu consideratur, sed quies, bene tamen vt fertur in appetibile, in quod mouetur: quia operatio conuenit operanti tanquàm agēti, & est motus, qui dicitur actus perfecti (supra tex.28.) non tamen est operatio vt via ad formam, qua careat, sed operatio est cōpleta & actus perfectus, qui ad suum intrinsecum complementum nihil futurum expectat. *Operatio appetitus bifariam cōsideratur: supra c.2. quali tas est vt intelligere.* Quod quarto loco obijciebatur, ex his, quæ iam nunc dicebamus, solutum esse videtur: præsertim de secunda parte, qua inquirebatur de vniformitate motionis appetibilis & appetitus. *Ad 4. argum.* Superesse igitur videtur, vt breuissimis absoluamus cōcursum causæ finalis, de quo inquiritur in prima argumēti parte. *Definis concursu tribus assertionib⁹* Qua de re primùm omnium illud certum est, finē causam esse realem, & rationem formalē agendi ipsius finis realem esse: Patet lib.2. Phys. tex.31. & lib.1. Ethic. cap.1. quia est bonum & vltimum, cuius gratia omnia fiunt, bonum autem est, quod conuenit ad perfectionem rei: auarus enim pecunias veras appetit, & infirmus sanitatem realem exoptat. *1. assertio.* Idcirco lib.2. Phys. tex.70. forma & finis re idē sunt: atque adeò lib.1. de generatione textu 55. præsente forma cessat motus, quoniā iam realiter est consequutio finis. Præterea quia finis apprehensus abstrahit ab intentione & exequutione: ergo non mouemur ad finem, neq; cupimus finem, qui est in intentione, sed qui in re ipsa intēditur: igitur cupimus rem absolutè secūdùm esse reale, pòst autem cogitamus de exequutione & consequutione: mouet itaq; finis secūdùm esse reale, vbi particula *secundùm* reduplicat causam formalem. Mox etiam secundò certum est, quòd finis non mouet nisi apprehensus & cognitus, quia nō est actu nisi per cognitionem: & quia appetitus nō potest ferri in incognitum, ob id esse in intentione, est cōditio, sine qua non mouet finis: *2. assertio.* sicut enim efficiens non agit nisi approximatum (quia est conditio per quam efficiens passo applicatur) ita finis agit secundū quòd est in intentione: vbi particula *secundùm* reduplicat cōditionem requisitam, vt finis agat: quia nisi finis sit cognitus & intentus, non agit. Et ita explicantur autoritates omnes Aristotelis in argumēto positis,

sitæ, quòd metaphoricè agit: quoniam si cõparetur ad causam efficientem, non agit contactu reali, vnde est principium motus (lib.7.Phys.tex.9. & lib. 6. Ethic. cap. 2.) sed contactu agit intentionali, vnde principium est cognitionis, & cuius gratia aliquid fit (lib.2.Phys.tex.89.& hic tex.49.) Metaphoricus ergo est contactus causæ finalis, non realis, qualis est contactus causæ efficientis, quæ non tantùm est causa realis, sed realiter applicatur extra animam, nam finis causa est realis; sed applicatio fit per actum animæ, vnde trãslatitia & metaphorica vocatur ab Aristotele. Postremò illud etiam omnibus rectè sentientibus certum esse debet, quòd finis in exequutione neq; est ratio motiua, neq; conditio requisita ad agendum, sed quid impertinẽs, vt finis moueat: etenim æquè finis mouet quando est, sicut quando non est: esse etiam in exequutione, ipsius agentis effectus est, similiter & ipsius finis, à quo exequutio mediorum imperatur: ergo finaliter causare non est esse in exequutione, sed mouere appetitum ad specificationem actus ipsius. Insuper quia esse in exequutione est finem pendere ab agente, quatenus realiter motus fit ad consequutionem finis: ergo finis secundùm rationem formalem realiter mouet, etsi per conditionem & approximationem apprehensionis: animal autem à fine motum exequitur, vt quod appetit assequatur. Et sic omnia consentiunt, & argumentum quartum omnibus suis numeris dissolutum est.

Obserua.

3. assertio.

Breuissima totius quæstionis collectio.

Vnum illud superest vt aduertamus, non esse idem finem esse in apprehensione & esse in intentione: nam finis in sola apprehensione non est actionis principium, sed cognitionis: quoniam apprehensio est veluti vniuersalis & speculatiua. Ideo lib.2. Phys.tex.89.hoc modo sumptus finis dicitur *principium, nõ actionis, sed cogitationis*: esse autem in intentione iam tangit rationem finis, & contingit volũtatem: & hoc modo principium est actionis, nam iam est in intellectu practico dependenter ab appetitu: & ita hîc tex.49.& 50. dicitur principium actionis, & quòd propterea mens mouet, quia appetibile principium est: nam intellectus absq; appetitu nõ mouet: ideo oportet in intellectu præcedat iudicium practicum, vt deinde voluntas attendat & prosequatur: simplex enim apprehensio perinde se habet ac pictura, quæ nos nihil commouet: oportet ergo, vt afficiamur, vltra imaginationẽ accedat existimatio, vt Aristoteles docet lib.2.de Anima tex.154.nemo enim à sola imaginatione & apprehẽsione mouetur sine phantasiç existimatione, id est, practico iudicio, quod quandoq; subitum est & momentaneum. Quid discriminis sit inter iudicium intellectus & sensus, suprà dixi circà caput tertium & quartum. Quo fit, causalitatem finis esse realẽ, quia realis est causa: conditionem autẽ agẽdi esse, prout in intẽtione & à ratione pendet: siquidem sicut agens agit per suam formam, & conditio agendi est approximatio realis, ita in fine conditio agendi est approximatio finis per intentionem. Et hoc est, quod dudum dicebam, quòd esse in execu tione, si conferatur ad causam efficientem, est per se, finali autem causæ conuenit per accidẽs: Ratiò est, quia causæ efficientis interesse videtur rem producere & exequi, ita vt in actu ponatur: ad finem autem non spectat nisi mouere & solicitare appetitũ, hoc est, esse id bonum, quod appetatur, desidereturq; ob id finis causalitas pendet à sola apprehensione, causalitas verò efficientis à reali approximatione: ideo hęc est vera actio, illa autem, quæ ad finem pertinet, metaphorica. Nunc autem ad finem properemus, si vnum priùs aduertamus, quòd finis est prima causarum, potissima & prima radix, vnde efficiens ad agẽdum accingitur, nimirum quia à fine solicitatur: quãobrem D.Tho.1.p.q.5.art.4.docet, quòd ratio bòni dicit rationem finis, non autem rationem efficientis. Postremi argumenti difficultas meritò in vltimum locum reposita est, vt ea res ista absoluatur, quoniã magis est huius loci propria: atq; iam tandem intelligamus, in quo consistat vis mouendi, & si dicat facultatem ab appetitu distinctam, an verò appetitus ipse causa sit motus. Statim enim sese offert ista difficultas: quia sentire & appetere actiones sunt immanentes (tex. 28. & 54.) moueri autem actio est transiens: ergo sentire & appetere non est idem quod mouere? Econuerso autem contrarium patet: quia appetitus nullam videtur habere operationẽ præter sentire & appetere: ergo ipsemet appetitus erit vis motiua? quare malè Aristot. lib. 2. de Anima tex.28.& 29. appetitiuũ & motiuum distinguebat. Hæc est vltima difficultas: pro cuius enodatione aduertenda sunt aliqua,

Fine esse in intẽtione & esse in apprehensione differũt.

Causalitas efficiẽtis et finis exponitur.

Ad 5. argu. de vi motiua.

Nod' difficultatis.

Animalis nō solū naturaliter et vitaliter, sed etiam animaliter et spontaneè mouetur.

aliqua, Primò, quòd vis motiua animalibus non cōuenit naturaliter tantùm, vt elementus: neq; solùm vitaliter, vt plātis: nam non viuentia ab alio mouentur, vt à generante: plantæ verò, quia viuunt, mouentur quidem à se, non tamen ex appetitu, qui (vt hac eadem quæstione ad 2. & anteà lib. 2. loco citato diximus) in plantis nō est: animalia autem mouentur adhuc appetitū animali, non solùm à se à principio intrinseco, vt plantæ, sed voluntariè & spōtaneè: non quòd moueantur liberè sicut nos, qui volūtate liberè ducimur perfecta libertate (volūtas enim sequitur iudiciū intellectus cōmune, abstractū atq; indifferens: appetitus autem brutorum sequitur iudicium determinatum, ideo liberè mouentur licet imperfectè: mouens enim & motū debēt esse proportionata, & qualis est sensus & phantasia, talis est appetitus sensitiuus, scilicet determinatus & alligatus ad particularia: etenim virtus apprehēsiua se habet ad appetitiuā, sicut motiuum ad mobile: & sicut actiuū passiuo est ꝓportionatū, ita motiuū mobili respōdet) sed dicūtur animalia volūtariè moueri, vt volūtatis impropriè aliquā participationē habent, vt lib. 3. Ethic. c. 2. dicitur, pueros & animalia in spontaneo & voluntario communicare, scilicet quòd animalia mouentur secundùm cōuenientiam formæ apprehensæ, necessariò tamen & subito atque determinato à natura iudicio: quia mouentur apprehensione coniuncta materiæ sine præuia consultatione, sed secundùm determinationem naturæ prosequuntur, aut fugiunt mox, ac habent sensum conuenientis aut nociui. Itaq; animalia voluntariè mouētur quatenus inchoare & sistere motum possunt, vt lib. 8. Phys. tex. 29. vbi voluntarium distinguitur contra violentum & contra motum, qui est à principio extrinseco, vt idem sit voluntariè mouere quod spontaneè, hoc est, à principio intrinseco: quia animalia habent à seipsis vnde initiare & citra terminum possint etiam sistere motum: quoniam merè naturalia ad vnam tantùm partem terminantur, vt grauia & leuia sursum, deorsúmve. Plantæ igitur ab intrinseco versus omnem differentiam mouentur, sed non animaliter ex appetitu, ideo ab intrinseco non possūt pro libito sistere motum. Animalia tamen non magis ad vnam partem, quàm ad aliam determinantur, sed pro electione, hoc est, existimatione iudicij, prout appetunt, ita mouentur, quanuis iudicij determinationem à natura ipsa accipiant: ideo non est in sua potestate sic vel aliter moueri, vt rationalia, bene tamen voluntariè, hoc est, spontaneè mouentur, vt dictum est. Iudicium nostrum totum est à nobis, ideo motus nōster dignus est laude, aut vituperio. Bruta autem habent iudicium à natura determinatum inchoatiuè, quāuis ab ipsis cōpleatur, quia sensus agens est (vti diximus lib. 2. cap. 5.) & sentire & appetere actiones sunt immanentes, siue sint in perfectis, siue in imperfectis animalib⁹: omnis enim operatio vitalis & animalis immanēs est. Cùm autem dico vim motiuam voluntariā esse, non disputo de respiratione si liber motus sit, an naturalis, & an electione fiat (vt Galenus probat lib. 2. de motu musculorum, quem à calumnijs Auerrois eruditisimè defendit doctissimus & præstātissimus doctor Christophorus à Vega lib. 2. de Arte medendi versus finem) non enim respiramus nisi præcedente cogitatione distincta, aut confusa, quæ in habitu potiùs quàm in actu consistat. Refert Galenus, seruum vitæ pertęsum spirationem vsq; ad mortem cōpescuisse: quiuis etiam plus, minúsve ipsam cohibere valebit: respirare ergo arbitrariæ est facultatis, quanuis Aristoteles lib. 8. Phys. cap. 6. videatur inter motus naturales recensere. Rursum aduertendum, dubium non esse apud rectè considerātes, virtutem motiuam per modum agentis non distingui à sensu & appetitu in animalibus (nomine sensus intelligendo absolutè potentiam cognitiuam) eo quòd virtus motiua, quæ in mēbris motū exequitur, nō est virt⁹ actiuè mouens, sed passiua virtus est, qua corpus disponitur, vt moueatur. Ita inquit S. Tho. 1. p. q. 75. art. 2. ad 3. quòd sensus & appetitus est mouere: virtus autem motiua est per quam membra habilia fiunt vt moueantur: itaq; virtutis motiuæ non est mouere, sed moueri. Idem etiam dicit lib. 2. cōtra gentiles cap. 92. ad finem, dum improbat opinionem Platonis, quòd anima seipsam mouet. Idcirco quāuis appetitiuum & secundùm locum motiuum distinguantur (iuxta doctrinā traditam lib. 2. de Anima cap. 2. & 3.) ex distinctione formali ob rectorum secundùm rationem potētiæ per actus & obiecta, hîc tamen non separātur: quoniā non agitur de illa distinctione formali,

Respiratio electio ne fit.

Vis appetitiua & motiua distinguuntur formaliter, quāuis re non separētur.

mali,sed de crassiori distinctione & enumeratione:& quia vis motiua exequutiua est, quæ non ponit in numerum supra vim appetitiuam, quæ imperatiua & elicitiua est illius motus: ideo secundùm rem pro eodē sumuntur,licet formaliter distinguantur, vt dicitur lib. 3. Phys. tex. 10. *Nam valere quidē posse,ac ægrotare posse,non eadem sunt,sed diuersa: esset enim idem, ægrotare atq; valere:* & lib. 12. Metaph. tex. 11. actus differunt secundùm diuersas potentias, vt suprà de actuatione potentiæ dixi cap. 3. Quando igitur Aristoteles appetitiuum & secundùm locum motiuum distinguit in 2. lib. de Anima,intendit vim motiuam actiuam,quæ in appetitu residet, à motiua passiua, quæ in exequutione est, formaliter separare: hîc autem docet,quòd non separantur re, vel vt intelligamus,quòd in animalibus perfectis est vis motiua sub imperio appetitus: alia enim animalia volant, alia natant, reptant alia,alia verò gradiuntur, vt alimentum sibi comparent: in Zoophytis autem appetitiuum est,sub quo non est motiuum saltem secundùm locum,sed plantarū more familiarem habēt à natura præparatam alimoniam: præstantiora autem animalia tanto sunt instrumentorum apparatu prædita,vt alimentū magis elaboratum & suæ naturæ idoneum quærant. Sed ad argumēti difficultatem reuertamur,de qua non est concors omnium sententia: dicam tamen quod mihi probabilius esse videtur. In hoc enim tota ponitur controuersia, quòd vna opinio ponit non esse aliam potentiam elicitiuam motus,nisi solum appetitum:itaq; appetitum mouere non est aliud,quàm appetere,& imperare motum (largè sumpto imperio,vt in voluntate reperiatur & proportionabiliter in appetitu sensitiuo) nam statim mēbra exequuntur. Alijs verò placet, quòd supra imperare & appetere superaddatur ipsum mouere tanquam distinctum ab appetere & imperare,ita vt appetere sit primus actus requisitus ad mouendum,& ratio secundi actus, qui est mouere. (Fortasse controuersia est de nomine, nam reipsa opiniones coincidunt: quia vis motiua,vt actiua est,in appetitu est:ita expressè S. Thom. lib. 2. cōtra gentiles cap. 92. & 1. p. q. 75. art. 3. ad 3. & q. 78. art. 1. ad 4. & ibidem,quòd vis motiua, vt passiua est, in ipsis membris habilibus est, vt obediant appetitui.) Confirmant à posteriori, quia

Collisio Arist. declaratur.

Motiua potentia actiuè in appetitu, passiuè in membris.

manet vis motiua & appetitiua in appetitu, quando nō manet exequutio in membris, cùm à naturali sua dispositione remouentur,vt patet ægrotante crure,aut senescente homine. Certum enim est,quòd appetitus causa est motus processiui,& quòd præter appetitum ad exequutionem motus requiritur in membris habilitas ad moueri,& vt appetitui pareant: ideo virtus motiua exequitur motum,prout disponitur ab appetitu,à quo motus elicitiuè & imperatiuè est. Sed quod dicimus,distinctione illustremus: est enim in appetitu actus elicitus & immanens,qui est appetere:alter actus etiā est elicitus & immanens, qui est imperare. Inter quos differentia est: quoniam appetere prior est,& non habet actualē & exercitam habitudinem ad motum membrorū: imperare autem iam actu habet relationem ad membra,quibus imperat motum: sicut intellectus & voluntas in Deo ab æterno dicuntur creare actione immanenti sine actuali relatione ad creaturam,tamen non dicuntur creare absolutè,nisi addito respectu ad creaturam (vt dixi ad finem lib. 1. de cælo,quem locum in recognitionibus ad illos libros illustro) sic imperare supra appetere addit respectum ad motum animalis tanquam ad effectum in actu. Ratio horum est,quia sentire, appetere & imperare motum,sunt actiones immanentes & actus perfecti (vt dixi tex. 28. & 54.) & cùm animaliter moueri etiā sit motus,qui est actus perfecti,debet comparari ad appetitum,nō vt ad extrinsecum passum (vt ignis dicitur agens & calefaciens ab extrinseca passione) per modum effectus,sed per modum actionis,quæ formaliter est & immanet in ipso appetitu,eiq; inhæret,ipsum formaliter denominans & mouens,quæ propriè nō pertinet ad prædicamētum actionis & passionis, sed qualitas est, quia immanet (vt de cognitione suprà dixi cap. 1. tex. 2. huius lib. 3.) non est ergo aliud appetere,& aliud mouere, cùm motio animalis sit operatio: sed idem actus est secūdùm rem appetere, motum elicere,imperare atq; mouere, ratione tamen distinguūtur:quia elicere,siue imperare motum,exercet habitudinem ad motum in actu, quam remotè & in habitu & quasi speculatiuè respicit ipsum appetere. Vnde dicere,quòd appetitus mouet animal,nil aliud est dicere, quàm quòd appetitus animalis imperet motum, quem ipso imperio

Appetere & imperare et elicere motū eadē actio quæ est qualitas, diuersa tamē ratione.

imperio producit: & ideo actio illa remanet in agente, & est vitalis operatio atque animalis, ideo de genere qualitatis. Nec te moueat, quòd actio immanens sit & habeat terminum extrà, quia hoc non est de intrinseca ratione actionis immanentis (vt suprà cap. 3. vbi de verbo mentali dicebamus) tamen non est contra actionem immanentem, quòd aliquid extrà producat, vt de intelligere & velle in Deo diximus. Itaq; in hoc consistit nostræ sententiæ summa, quòd non oportet ad rationem potentiæ motiuæ animalis præter appetere & imperare alium actum ponere, qui sit mouere & exequutio mot' actiuè, nisi quòd ipsummet imperium est exequutio motus addito respectu ad effectum in actu, cùm membra habilia sunt, vt appetitui obediant. Ob id Aristoteles totam vim mouendi refert in appetitiuũ & motiuũ, quod ab appetitiuo distinguebat in 2. lib. de Anima, modò tamen non separat: quoniam motus animalis non tantùm est imperatus ab appetitu, sed elicitus, non tamen alio actu, quàm imperio, cuius est effectus. Quamobrem dum animal actu mouetur, non tantùm vitaliter, sed animaliter mouetur: ideo sicut appetitio operatio est in ipso appetitu manẽs, ita & imperare & mouere qualitates sunt siue actiones in ipso animali immanentes. Rectè igitur Aristoteles asserit, quòd sensus & appetitus sunt principia mouentia, mẽbra autem motum exequuntur: mouere verò nõ est (iuxta Arist.) alius ipsius appetitus actus ab imperio: ex apprehensione enim boni apprehensi excitatur animalis appetitus ad motum in partibus & instrumentis exequendum. Etenim motio animalis actio est immanens & elicita sicut appetitio: ideo tex. 49. & 50. quòd appetitus est proxima causa motionis: & sicut appetitio motus est perfecti (tex. 54.) ita & motio. Vnde malè Caietanus hîc appetere dicit esse actionem immanentem, imperare verò & mouere transeuntem: & quidam etiam Neothericus, qui in quæstione de vi mouendi eum sequitur, rem non penetrauit. Ex quibus argumentum vndiq; solutum est: neq; enim Aristoteles hîc malè appetitiuũ & motiuũ coniungit, nec in lib. 2. eadem separauit: illic enim separauit, quia agitur de motu passiuè, & vt effectus est: hîc autem agitur de motu actiuè, & motio ipsa actio est vitalis, quę est actio immanẽs,

Resolutio Autoris.

Obserua.

Motio animalis est immanens.

Caiet. cũ Peresio refellitur.

Conclusio Autoris, quæ argumentum soluit.

quæ in ipso mouẽte existit vt perfectio ei', teste Aristotele lib. 9. Metaph. tex. 16. vita in anima est (per vitam intelligunt omnes cum S. Thom. opera vitæ) sed mouere act' est vitalis & animalis: ergo est immanens, atque adeò in ipsò manet agente. Neq; definit esse actio immanens, quòd aliquem effectum extrà producat, quia per verbum actiuum artificis domus constituitur: & nõ solùm nutritio & auctio immanentes sunt actiones, quia vitales, sed etiam generatio, licet per generationem aliquid extrà producatur. Nam differentia, quæ ab Aristotele constituitur loco citato inter has actiones, hæc est, quòd per transeuntem necessariò aliquid extrà producitur: per immanentem verò licet aliquid extrà producatur aliquando, non tamen semper aut necessariò aliquid extrà producitur. Qua de re dixi suprà quæst. de obiecto intellectus ad cap. 3. vbi de verbo mentis disserebatur: ideo sicut sentire & appetere actiones sunt immanentes, ita & mouere: quia mouere non est nisi appetere motum cum imperio, quod formaliter manet in appetitu, & est qualitas, quæ ipsum vitaliter perficit. Sed quoniam dixi generationem esse immanẽtem actionem, & repugnate videtur (quia generare est alterum simile producere: at nil seipsum generat, sed tantùm conseruat & perficit per nutritionem & augmẽtationem) annotare oportet, quòd (vt lib. 2. de Anima cap. 4. dictum est) generatio est naturalissimum viuentis opus, quia est finis, vt ibi habes: & quia supremum infimi (id est, vegetalis animæ) attingit infimũ supremi (id est, sensitiuæ, vt D. Dionysius cap. 7. de diuinis nominibus) fit, vt inter partes vegetatiuæ sola generãdi vis, quæ vltima siue suprema est in vegetatiuis, in exteriora se diffundat, vt accedat ad vim sensitiuã, quæ externa percipit obiecta, atq; est vltima & infima in animalib': tamẽ sicut trãsitus ille sensuum in sua obiecta fit vitali actione & immanenti, sic & in generatione est immanens sensio aut commotio viuentis, vt inde pòst resultet externa & passiua ipsius effectus generatio: ergo in principio immanẽs est, veluti motio animalis, & in effectu & exequutione producit aliquid extrà: ideo generatione non solùm producitur genitũ, sed generans ipsum vehementi titillatione secundũ vniuersum corpus voluptate perfunditur, & sic afficitur, quasi totum viuens in

Actiones oẽs vitales sũt immanẽtes, etiam motio animalis, licet habeãt aliquẽ effectũ ad extrà.

in generationem incumbat, vt colliquefaciat & excernat semen, quod est generationis instrumentum. Vltimò de instrumento motus animalis leui & suspensa manu tetigit Aristoteles: quoniam (vt tex. 55. diximus) hîc generaliter tantùm de istis organis differitur, in specie autē pressiùs & particulariùs ad vnguē determinat lib. de incessu animalium: tamen hîc docet motionem in organo fieri, sicut omnis sensio, quæ non potest fieri sine organo corporeo. An tamen primum instrumentū motus sit cerebrum, dubium est: Nam contēdunt Medici quòd sit, eo quòd à cerebro nerui motiui ducant originem: & quia cor videtur ineptum instrumentum ad motum, quòd varijs affectibus iræ, timoris, amoris concutiatur, ideo non possit esse principium motus ordinatum. Quod à posteriori manifestari videtur: quia in cardiaco morbo non aufertur, neq; omnino læditur motus, sicut læsa parte capitis posteriori, cōtinuò nerui obrigescunt, & motus per cōuulsionem suspenditur: ob id Apuleius cum Platone dicebat, totum hominem in capitis vultu esse. Oppositum tamen contendit peripatetica schola, quę cordi principatum motus concedit. Eandem tenet sententiam Auicēnas lib. 6. naturalium, quòd cor primū mēbrum est post epar: ergo sicut epar primum organum est facultatis vegetatiuæ, quia est veluti radix in arbore, ita cor primum organum est sensus animalis: igitur ibi primò residet appetitus, atq; adeò & motus, vt experimentum comprobat: quoniam animalis motus & pulsu & tractu fit, quæ sunt motus conspicuæ differentiæ (hîc tex. 55.) pulsus autem & tractus cordi peculiariter accommodantur, ergo, &c. Rursum quia timor, spes, amor, cæteræq; passiones sunt quædam appetitus calcaria, quæ animal commouent: hæc autem à corde fiunt: igitur & motus. Similiter membra animalis calore & sanguine ad motum præparātur: ista autem in corde generautur, & inde deriuantur & distribuuntur: ob id cor in medio animalis situ est, vt omnibus mēbris ex æquo ministrare valeat. Sed quia non vacat hîc exactiùs disputare, vide Gregoriū Nissenum lib. 4. de viribus animæ à cap. 16. vsq; ad finem. Conciliare igitur possumus hos extremos dicendi modos, nempe vim motiuam quoad appetitum in corde esse, quoad phantasiam autem in cerebro residere: tamen absolutè in corde est, vbi residet officina caloris natiui, & vbi omnes vitę operationes perficiuntur: nā cerebrū cordi ministrat, dum insita sua frigiditate vehementem caloris ęstū moderatur (sunt enim potentijs organa accommodanda.) Cōtra Galenum lib. de motu musculorum & vsu partium differit Auerroës ex Aristotele lib. 2. de partibus animal. cap. 7. vide Vesalium lib. 2. de fabrica corporis humani, & quæ diximus in enarratione textus 55. vbi cor cælo comparabamus. Quod quidē elegantiùs prosequitur S. Tho. 1. p. q. 18. art. 1. ad 1. quòd motus vitalis animalis persimilis est motui vniuersi, si vniuersum vnum animal esse fingamus. Vide locum & attēde, quo modo omnis motus indiget duobus fixis: vnum est externum, vt gradientia terra, quæ natant aqua, quæ verò volāt, aëre enituntur: alterum est internum, vt super vno pede fixo alter mouetur, atq; si totū animal se gyret, cētrale punctū quiescit, & ita omne motum quiescenti innectitur: ideo quod mouetur, & quod quiescit, sibi mutuò subsidium præstāt, vt qui saltat, pedes in terra firmat, & musculi ossibus innitūtur, & pars mota parti proximæ quiescēti adhæret, vt tādem cor, quod primum est organum motus, secundùm circūferentiam moueatur per systolen & diastolen, tamen secundùm centrum immotū manet, vt textu 55. latiùs dictū est. Dum igitur de vi motiua animaliū disceptamus, mentēmq; nostram exponimus, ex solutionibus argumētorum habes magnarum quæstionum resolutionem, quæ claritatis gratia hac breui summa enumerantur.

Ad cōfirmationē de organo motionis animalis.

Organū primum motus cor est, nō cerebrum.

Cōcordia.

Omne, quod mouetur indiget aliquo fixo.

Resumūtur vniuersa, quę eleganter de motu dicta sūt in hac q.

Appendices quæstiones hæ sunt.

Ex primo argumēto, an phantasia & appetitus moueant vt vnum? ¶ Ex 2. arg. an appetitus sit cognitiua potentia? ¶ Rursum ex eodē 2. arg. an intellectus præstantior sit voluntate? ¶ Insuper, vter in mouēdo præstet, intellectus, an voluntas? ¶ Ex 3. arg. de modo mouēdi, si formaliter, an efficienter? vbi res ardua, variē opinionū turba cōfusa, luculenter resumitur. ¶ Ex 4. arg. an finis moueat secūdùm esse reale? ¶ Ex 5. arg. an appetitiuum à motiuo distinguatur? ¶ Rursum si appetitio & motio sit actio immanens, atq; spontanea? ¶ Demum de organo motiuæ facultatis, cor sit, an cerebrum?

1. q. appēdix. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

Sed

Eadē etiā omnia lu culenta ſi militudi ne in epi logū colli guntur. Sed vt iam tandē colophonē addam⁹, appe tēdi facultas finē propoſitū cōſequi inten dēs, corde tanquā primo machinamēto cor pus animalis mouet, vt fine cōcupito frua tur: nā cùm finis cognitus ſit iam perfectio & forma animalis (ipſa enim aīa in rem co gnitā trāsformata eſt vt cap. 5. latè dictū eſt, atq; ipſi rei affinitate quadā copulatur) ap petitus inde illius deſiderio excitatur, vt cō ſequatur & poſsideat, vnde motū membris imperat. Et quatuor perfici motum docet Ariſt. tex. 54. Primùm fine cognito, qui co gnoſcentē immutat. Deinde ſecūdò appeti tus ipſe paſsionibus excitatur. Vnde tertiò animal cōmouetur. Tandē mot⁹ perficitur muſculis, neruis, oſsib⁹: nō ſecus ac in curru equeſtri pręſidet auriga finem curſus inten dēs, qui habenas manu tenet, quib⁹ equi di rigātur atq; refręnētur, vt quò voluerit au riga ducat & reducat currū, equóſq; loris & flagellis ſtimulans (ex hac analogia paria in noſtra cauſa conijcere licebit.) Sic in motu animalis vides aurigā liberā habere faculta tem præſidet nāq; potentia cognitiua, tan quā auriga finē & ſcopū intendens, motūq; imperās: appetitus tamen manus eſt, hic ha benas laxat, cōpeſcítve: habenis etiā nerui cōferūtur, & equis muſculi correſpōdent, lo ris & flagellis paſsiones & affectiones, qui bus animatur, ſtimulaturq; ipſe appetitus: currus verò oſsibus atque vniuerſo corpori quadrātiſsimè cōuenit: finis autē & ſcopus vnus eſt omnib⁹: cor tandē cōmune machi namentū & aurigę ſedes, appetituſq; orga nū eſt, vbi ſeſe vis motiua exerit, atq; in vni uerſum animal expādit, vt corpus tāquam animæ vehiculū in aliū locum pro ſuo arbi trio traducat: animal enim hauſta natura ob iecti ſecundùm eſſe intentionale ei cōiungi tur, & ob multos vſus deſiderat habere & realiter poſsidere. Ex his igitur principijs mouētur animalia: nā exiſtimatio dirigit, ap petitus affectat, nerui parēt, muſculi cōpa tiuntur, vt ſic totū corpus oſsib⁹ veluti bacu lis innixū gradiatur. Det dominus, vt greſ ſus noſtros fœliciter in vltimum finem, qui ipſe eſt, dirigamus.

CAPVT NONVM

De facultatibus, quæ ſunt animalibus neceſſariæ.

Tex. 59. NEceſſe eſt igitur, omne, quod viuit, animāq; habet, nutriē di vim habere ab ortu, genera tioneve, vſq; ad interitū, corru ptionēve ſuā. Neceſſe eſt enim, omne, quod eſt ortū, accretionē, & ſtatū, & decretionem habere: quæ quidē, vt patet, ſine nutritio ne fieri nequeūt. Neceſſe eſt igi tur, vniuerſis his, quæ accreſcūt, atq; decreſcunt ineſſe potentiam nutriendi.

Abſoluta igitur doctrina de ſingulis aīæ facultatib⁹ atq; opationib⁹, eiuſdē doctrinę ratio expoſcere videtur, vt de ipſarū cōpara tione diſſeratur, vt intelligamus quęnā ſint neceſſarię, quęnā verò vtiles. Quā ob cauſā viuēs cōfert cū vegetatiuo, ſenſitiuo atq; cū ꝓgreſsiuo. Et primò aſſerit Ariſt. omnibus viuētib⁹ neceſſariā eſſe nutriēdi vim à prin cipio vitę ad interitū vſq;: quoniā omne vi uēs quādiu viuit, vt nutriatur, vegetatiuā ha bet aīam (vt lib. 1. de gener. c. 5. tex. 41. & lib. 2. de aīa c. 4. à tex. 42.) neceſsū eſt igitur accreſcere, ſtare atq; imminui: accreſcit qui dē, vt perfectā adipiſcatur magnitudinē, vt generare poſsit, quod eſſe naturaliſsimum opus viuētib⁹ lib. 2. c. 4. iā citato oſtēdim⁹: imminui verò ex eiuſdē naturæ neceſsitate cōſequitur, quæ cū quotidie debilitetur, ad finē ꝓgreditur & ad interitū ꝓperat. At in ter augmentū & decremētū neceſſariò me diat ſtatus, nā ſunt motus cōtrarij: inter au gmētari & diminui, vt inter mot⁹ cōtrarios, neceſſe eſt quietē mediare, vt dicitur lib. 8. Phyſ. tex. 64. vſq; ad 70. Alia eſt differentia quoad nutritionē: quia in augmēto plus cō uertitur de alimēto, in decremēto minus, in ſtatu aūt æqualiter. Omnib⁹ igitur viuētib⁹ neceſſe eſt adſit vegetalis aīa, vt hęc obeat munia pro ratione caloris natiui, qui initio fortior eſt & validior: deinde verò cōtinuò deficit, atq; etiā immutātur opera vitæ pro mēſura humidi radicalis, quod à principio erat optimę ſubſtātię: inſup etiā attenuatur, & tandē calore aduritur & craſsius fit. Argu mentū igitur Ariſt. eſt, Omne viuēs, quādiu viuit, augetur, aut ſtat, decreſcítve, ſemp ta mē alitur: neceſsū eſt ergo habeat vim altri cē. Dubitāti verò, cur vegetatiua augmēti & decremēti cauſa ſit (videtur enim eſſe ad cō traria: idem ſecundùm ꝙ idem nō eſt cauſa contrariorum) facilè ſatisfiet, Primò, hoc

Doctri næ cōne xio.

Omne vi uens, quā diu viuit, nutritur.

Vegetati ua cauſa eſt cōtra riorum.

accidere propter varietatẽ instrumenti:nã calor naturalis, qui in principio fortis est, vnde auctio nascitur, versus seniũ autẽ debilitatur, vnde sequitur diminutio: eadẽ variciatis differentia in humido radicali reperitur. Similiter dicere possemus, ꝙ calor naturalis non intendit diminutionem, sed hũmidum assimilare: ex consequenti autem causa est diminutionis & corruptionis sui ipsius atq; animalis per modum sequelæ, sicut natura intendit generationem, ex consequenti tamen corruptionem facit.

Tex.60. *At non in omnibus viuẽtibus necesse est sensum esse. Etenim neq; ea possunt tactum habere, quorum corpus est simplex, quæq; non sine materia formarum sunt susceptiua: neq; fieri potest, vt sine hoc sensu animalium quicquam in rerum sit ratione. Animal autem necesse est sensum habere, si nihil facit frustrà natura: nam vniuersa, quæ natura conficiuntur, gratia sunt alicuius, aut sunt casus eorum, quæ alicuius causa fiunt. Si igitur corpus, quod habet vim gradiendi, non haberet sensum, corrumperetur sanè, & non ad suũ proficisceretur, perueniretq; finẽ, quẽ quidẽ opus esse naturæ cõstat. Quo nãq; pacto nutrietur? Immobilib⁹ enim adest nutrimentũ eo in loco, vbi sunt orta, quo nutriri possũt suapte natura.*

Viuens cũ sensu confertur. *Plãtæ nõ sentiunt.* De sensitiua facultate oppositam Arist. pronuntiat sententiam, nimirum quòd vis sentiendi non insit omnibus viuentibus, cũ plantæ viuant & nullum habeant sensum: non enim habent tactum, qui primus atq; fundamentũ est omnium sensuum. Primò, quia non habent attemperatas qualitates primas, cùm plantarum corpus simplex sit, & qualitates primas habeat in excellentia (lib.2. de Anima tex.118.) Deinde quia nõ recipiunt species sine materia, vt lib.2. tex. 121. quę omnia illic illustrauimus, & ostẽdimus plãtas nõ immutari spiritualiter & immaterialiter, sed tantùm realiter & naturaliter. De hac re suprà & lib.2. c. t2. à tex. 123 ad 127. & lib.3. cap.5. memini me dixisse: tamen quia res ardua valde est, & magnarũ disceptationum & in Philosophia & in Metaphysica atq; in sacra Theologia firmamẽtum, ijs, quæ superiùs dixim⁹, addo, Primò, ꝙ si immaterialitas principium ponitur cognoscẽdi, nõ licet tibi statim cum Aureolo t.d.35. inferre, aut ꝙ habitus omnes, tam in intellectu, quàm in volũtate existẽtes, sint cognitiui, quandoquidẽ immateriales sunt: aut ꝙ bruta non sint cognitiua, quia materialia sunt. Profectò immaterialitas principium est cognoscendi, in subsistẽtijs tamẽ & per se subsistẽtibus, quæ cognitionis sunt capacia: habitus etiã, licet simplices sint & immateriales, nõ habẽt rationẽ entis nec esse, sed sũt entis entia, quibus inesse cõpetit (vt lib.7. Meta. à tex.1. ad 4.) ergo immaterialitas est principiũ cognoscẽdi, & cõstituit cognitiuũ, si subsistat: & sic accidẽtia potiꝰ insunt, quã sunt. Sat tamen est, ꝙ hi immateriales habitus si nõ sunt cognitiui, quia nõ subsistũt, sint autẽ cognoscendi ratio in intellectualib⁹, vt sunt habitus & species intelligibiles, aut inclinatio cognoscendi, vt sunt habitus volũtatis: ergo firma manet nostra ratio, nẽpe immaterialitatẽ esse cognoscẽdi principiũ in subsistẽtibus cõstitutiuẽ, in nõ subsistentibus formaliter vt ratio cognoscẽdi & forma, quæ est principiũ cognoscẽdi, aut ad cognoscendũ inclinat. Brutorũ autem materialitas cognitionẽ minimè impedit, quia etsi in se materialia sint, tamẽ rerũ formas sine materia suscipiũt, quas plãtę nõ admittũt, nisi in esse naturali & cõditione materię. Vnde primò deprehẽdimus nõ omnino à posteriori plantas prorsus materiales, bruta verò nõ sic esse prorsus subdita materię, vt non excurrãt, seq; extendãt, vt cupiãt, ambiãtq; alia. Secũdò id, quod locis citatis dixim⁹ (nẽpe cognitiua non solũ esse ipsa, sed alia, quia recipiunt aliorũ formas) non te decipiat, vt existimes, similiter ferrũ suscipere calorẽ aut formã ignis, aut diaphanũ, vt speculũ aut aërem, formã coloris: & non tãtùm naturaliter, sed intentionaliter, vt hæc eadem ratione cognitiua esse censeas: quoniam cognitiuum suscipere formã alterius, sine materia intelligitur, qualẽ non recipit ferrũ, nec plãta. Similiter etiam formaliter sunt verba accipienda, ꝙ cognitiuũ formam alterius recipiat, vt alterius scilicet est: non enim satiatur propria forma, ideo alienã affectat. Illud verò recipit formã alterius, vt alteri⁹ est, quod nõ fit tertiũ, sed fit aliud, id est, trãsumitur in obiectũ (li.12. Meta. tex.39.) & fit ipsum obiectũ, vt suprà toties dictum est, ꝙ fit magis vnũ, quàm ex materia & forma. Et si petas, quare potiùs cognoscẽs fit ipsum obiectũ, & nõ aliquod tertiũ resultans, quàm materia fiat forma? Respõdebo, quoniã vnitas sequitur esse, esse autem & vnitas ex operatione deprehẽditur: ergo quacũq; forma suscepta, operatio

Immaterialitas cognoscendi principiũ & qualiter ad habitus immateriales extendatur.

Cognitiua quatenus sint alia.

Vnde cogniti & cognoscẽtis tam intima vnitas.

tio nō est propria ipsius formę aut materię, sed propria tertij simpliciter,id est,alicuius cōpositi cōstituti per materiā & formā,aut tertij secundū quid, quale resultare cognoscim⁹ in accidētibus. Vnde operatio speculi,diaphani aut aëris,per formā intētionaliter receptā sine materia,nō est cognoscētis, quia(vt suprà lib.2.à tex.123.ad 127.dixi) nō recipitur sensibiliter. Hîc autē rationem reddo:quoniam operatio speculi,diaphani aut aëris per speciem nō est propria ipsorū, diaphani scilicet aut aëris,sed ipsius imaginis & speciei, cuius est immutare sensus,& pupillā talē facere:at verò operatio,quę cōuenit sensui & in vniuersum omni cognitiuo,ꝓpria est ipsius cognoscētis,& ponitur, vt ipse,vel sēsus,vel intellect⁹ cognoscat secūdū specificationē & determinationē speciei,quę est forma alteri⁹ vt alteri⁹(est enim species esse eius,cuius naturā & quidditatē refert,vt suprà tex.37.ibi, *Animam ipsam ea vniuersa quodāmodo esse,quæ sunt. Nam ea,quæ sunt,aut intelligibilia sunt,aut sensibilia*,nempe aīa est secundū sensum sensibilia,secūdùm intellectū intelligibilia:& tex.38. *Nō enim ipse lapis est in aīa,sed forma lapidis inest*: ob id aīa est lapis,& fit lapis non absolutè,sed in esse intelligibili)ergo cognoscēs,vt tale,suscipit formā alterius,nō in esse naturali, sed vt alterius in esse intētionali, secundū quā ex dictis hoc libro,& lib.12.Meta.tex.39. ibi, *Intellectus secundū transumptionē intelligibilis* fit actu:factus autē in actu, ipse est qui agit & intelligit. Plātis igitur nō itē cōuenit agere, sed vel formæ susceptæ, vel tertio, quod est vnū secūdùm quid & per accidēs, quod resultat:atq; adeò nō cognoscētia recipiunt formas alienas propter operationē alienā,vt planta si calefit,recipit calorē,quo calefit, quę est calidi aut ignis operatio : at cognoscēs recipit formā & speciem alienā, vt aliena est,tamē nō propter alienā operationem, sed propter propriā operationem ipsius cognoscētis specificandā:ergo immaterialitas principiū est cognoscendi & suscipiendi formā immaterialē,vt ex obiecto immateriali,siue specie(quę eius vicē supplet) & ex potentia immateriali proportionatè vnū fiat principiū cognitionis & operationis immaterialis. Quapropter si lapis est in aīa,non naturaliter,sed intētionaliter, ideo est, ꝙ cognitiuū ambitiosè cupit rerū omniū perfectiones,vt aliorū sunt,quia ipsa rerum perfectio fit perfectio cognoscētis:albi *Obserua.* enim perfectio nō est in aëre, vt albi,sed vt aëris perfectio:at in visu,non solū vt est visus consummatio, sed vt est perfectio albi, cuius perfectio transumitur à visu,vt perficiatur visus recepta natura & forma alteri⁹, vt alterius est. Patent ista,tū ex dictis suprà c.5.& ex S.Th.de Veritate q.2.art.1. & 2. & lib.1.cōtra gēt.c.44.ibi ad finē tradit resolutissimè Ferrar.& Caiet.1.p.q.14.art.1. tum etiā signū hui⁹ est,quia altero psallēte saltamus,nā ipsa soni harmonia fit viuentis cōcentus. Quare aīa est omnia,reiū perfectiones à rebus suscipiendo,ambiendo,imbibēdoq;:angelus verò omnia est,nō acceptus à rebus specieb⁹,sed partim per suam essentiam,partim per innatas species(1.p.à q.55.)Deus autē omnia(1.p.q.14.)nō emēdicādo aliorū perfectiones nec suscipiēdo, sed cōtinendo eminenter per rationes ideales(1.p.q.15.)Tandē vt rem planè & breuiter intelligas,perpēde,speciē obiecti duo habere:vnū est,vt sit accidēs:quo modo vt ex calore & aqua fit vnū tertium per accidens,sic ex specie & subiecto, vt in aëre & speculo:aliud est,vt imago sit & similitudo obiecti,& sic ex potentia cognitiua & specie fit vnū,nō tertiū aliquod,quia fit ipsum obiectū.Ita inquit Arist.tex.37. *Animā ipsam ea vniuersa quodāmodo,&c.*id est,nō realiter,sed secundū similitudinē:hoc aūt à natura potentię prouenit,vnde suprà dixim⁹ sumi mensuram cognitionis:aliter enim radius solaris in terra recipitur,vbi nō resplēdet:aliter verò in speculo,à quo resiliēs mirum facit splendorem:& hinc est,vt operatio sit propria illius potentię,quia modificatur,viuificatur & transumit in se esse ipsius subiecti. Ex hoc habes, ꝙ omnis actio cognitiua & appetitiua vitalis est,habetq; terminū:quoniā aliquid agitur per ipsā, quod manet intra ipsum agēs,aliàs nō esset actio, si nil ageretur. Solùm tamen discrimē est,ꝙ in intellectu est & intellectū & ratio intelligēdi:in volūtate autē etsi sit volitū in actu, ratio tamen volēdi extrà est,ipsum scilicet bonū appetibile,vt suprà tex.54. Mox de alijs viuētib⁹ Arist.oppositā fert sententiā, nimirū,omne animal sensū tactus vt minimū habere:perfecta aūt animalia pręter tactū alios habēt sensus. Prior pars patet,quoniā sine sensu nō est animal. Posterior autē ꝓbatur,quia si natura nihil facit frustra & temerè,sed alicui⁹ gratia,cū animalia ꝓgrediūtur,frustra sine alijs sensib⁹ mouerētur,

Sūma resolutionis

Quòd ex specie & intelligibili fiat vnum.

Cognitionis mēsura ex potentia.

Fundamētū verbi constituentium.

Sensitiuū progressiuum cum sensu expenditur. Omne animal sentit.

quoniam sine fine & cōmoditate cierentur (procedūt enim ad cōsequutionē couenientis & fugā nociui) in suū aūt exitiū potiùs mouerētur, siquidē sine tactu non possent molesta à iucūdis distinguere. Itaq; perfecta & progressiua animalia finem non assequerētur, vt vitā suam incolumē seruēt, gratia cuius progrediendi vis cōcessa est eis: feruntur enim cum sensu & imaginatione (vt lib. 8. de Hist. animal. & lib. de incessu animaliū) ob id organa habēt accōmodata ad gradiēdū, & præter gustū & tactū, quib⁹ sentiunt per mediū internū, alios sensus habēt, vt eminus suas perficiant operationes. Imperfecta autē, quæ Zoophyta appellamus, si sensu tactus carerent, salua esse non possent: etsi sensuum ministerio alimentū non inuestigent, ideo neq; visu neq; odoratu valent, vt alia animalia, sed sensum tactus habent, vt propinquū & coniūctum alimentū (quod natura eis destinauit & quasi ad manum positū pręparauit) percipiant: nō secus ipsis alimentum ab ortu pręparatur, ac fœtui quandiu in matrice est: ideo nō necesse est, vt gradiantur aut vagentur, vt alimentum quærant, sed vnus solus sufficit tactus: & cōchis durioribus veluti armatura quadam includuntur, vt minùs à contrarijs offendi aut lædi contingat.

Tex. 61. Fieri autem nequit, vt corporum quicquā mobile, atq; ortū, animā quidē habeat, discernentēq; mentē, sensu autē vacet. Cur enim nō habebit? Aut enim animæ aut corpori idipsum melius erit. At neutri videtur melius esse. Illa nāq; ob hoc nō intelliget magis: illud autē non ob idipsū magis persistet. At verò neq; corpus quicquam ingenitū animatum sensum habere necesse est.

Luculēta literæ cōtinuatio. Dissoluit Arist. quod quis obijcere poset, nempe hāc inuestigationē atq; alimenti distinctionē fieri posse solo intellectu: ideo nō esse necessariū sensum, quoniā quorum est iudex sensus, poterit esse intellect⁹: quia quod potest virtus inferior, poterit & superior. Respondet Arist. impossibile esse hominem intelligere sine sensu. Ita probatum fuit cap. 4. & 5. huius 3. lib. & in hoc nō est aliqua difficultas: homo enim nō potest ad finem, ad quē à natura ordinatur, per solū intellectū absq; ministerio sensuū peruenire: quia sine phantasmate in vita præsenti nil possumus intelligere. Sed quod difficultatē ingerit, est, cur dicat Arist. *Vt corporum quicquā mobile atq; ortū, &c.* nam superuacaneè de corpore mobili atque de orto, id est, generabili & corruptibili specialiter loquitur, cū generaliter videatur & absolutè esse ꝓferendū? Cōmunis igitur expositio est de sententia Arist. nēpe cælum esse animatum anima intellectiua, & nō sensitiua. *Prima expositio cōmunis.* Aliter tamē dicit S. Tho. ꝙ illa parte, *Cur enim non habebit?* non tam interrogatiuè legendū, quàm relatiuè: quasi dicat, Quid causæ esse potest (vt multorum fert opinio) cælos esse animatos & intelligētes, non tamen habere sensum? quia si haberēt intellectū sine sensu, aut propter melius esse animæ, aut propter melius esse corporis: sed neutrū videtur dicendum, quia nō magis cū sensu, quā sine sensu intelligeret cælū, cùm cognoscat per modū substātiæ separatę: ergo sine sensu, nā sensu prædití esse non possunt, quia datur ad propulsionem nociui, atq; conuenientis prosecutionē: cælo autē aut ei⁹ motui nihil est contrariū (lib. 1. de cælo c. 3. & 4.) à quo se incolume seruet: non ergo meliùs cū sensu intelligeret, quàm sine eo: nec minùs conseruaretur cum ipso, quàm sine ipso. *Secunda expositio S. Thom.* Quibusdā extorta videtur hæc expositio propter ea, quę in textu sequēti habētur, nēpe nullum corpus esse intellectiuū, quin idē sit & sensitiuū. Ideo dicūt, locum esse contra Platonem de quibusdam Platonicis animalibus aëreis, quæ dicūtur mēte rationalia, corpore aërea, animo passiua, tēpore ęterna: & ita illa verba, *Cur enim non habebit?* interrogatiuè legenda, id est, qua ratione huiusmodi animalia sine sensu ponere cōpellemur? Argumentū est contra Platonicos, qui rationem non assignāt, cur illa animalia intellectum sine sensu habeant: quia propter bonum animæ necessarius est sensus, quoniam sine sensu non intelligit: nec propter bonū corporis, quod sine sensu non conseruatur: & ita dicunt omnia consonare. *Tertia expositio.* Tamen non videtur exhauriri difficultas propter verba, quæ sequuntur inde, *At neutri videtur melius esse*, quę dictis non solùm non quadrant, sed videntur omnino esse contraria. Videbatur mihi olim

Quarta expositio. olim Aristotelem in hoc textu dubitatiuè loqui,& pro vtraq; parte arguere,& in sequēti assertiuè respōdere atq; rem definire (hoc non esset multū à veritate alienū,imo cōtexturę quadrare videtur)tamē altiùs res est indaganda , neq; ita leuiter satisfaciendum , quando lib. 1. de Anima textu 1. ad 4. & lib. 2. textu. 11. in hunc locum examē reiecimus. *Censura Autoris ex diuersa lectione eundē sensū colligētis: vide textus 63.et 64.* Locus iste implexus est, de quo non satis cōstat apud expositores. Principiò igitur Platonis opinio de illis animalibus sublunarib' fictitia est & diuinatoria:nec de illis meminit Aristot. hoc loco, quāuis D.August.eorum meminit lib.c.de ordine cap.9. Deinde litera hęc,quæ in hac trāslatione negatiuè habet,*Cur enim non habebit?*quadrātius legitur,quàm si absq; negatione sic legatur,*Cur enim habebit?*Loci enim difficultas & ambiguitas de mēte Arist.variā induxit lectionem,tametsi ex vtraq; idē sensus sequatur. Nam sine negatione sensus est,ꝙ etsi generabilia sensum habeant,ingenerabilium tamen anima sensuū ministerio non indiget:quia neq; propter corpus indiget inuestigatione alimenti(incorruptibile enim est)neq; propter animā:quoniā sunt illa corpora veluti gloriosa,quę animę intellectiuæ functionē non impediūt:& ita non negatiuè,sed relatiuè intelligitur cū S.Tho. quia si haberet sensum,ex inde esset,ꝙ per sensum meliùs se haberet aīa cæli aut corpus cæli : neutri autem cōmodum aliquod resultat.Idē sensus est si negatiuè legas,*Cur enim non habebit?*quia scilicet neque propter animā,neq; ꝓpter corpus sensus est necessarius.Nō est igitur facienda vis in lectione, cùm ex vtraq; eadem sententia resultet,& semper mens Arist.incerta & ambigua maneat,vt in vtrāuis partē quō malueris facilè vertas:vel quòd sint animati cæli,& tamen sine sensu,& intelligant per modū substantiarum separatarum,quę ad singulariū etiā notitiā sensu nō indigent,cùm notitiam nō sumant à rebus,sed penes conuersionem ad superiora:vel ꝙ sint animati,sensum tamē habeant alterius ordinis & altioris gradus. Etenim si sensus noster rerum species sine materia suscipit altiùs,quàm sint in semetipsis (ideo sine alteratione & corruptione) quid mirū de corpore illo cælesti & quasi diuino? Sanè ibi nō erit sensus tactus , quia crassissim' est & nimis materialis: vel si est, iam non habet vsum,vt continget nostris corporibus,postquā gloriā fuerint adepta: vel si habet,altiorem quidem & eleuatiorem esse oportet:itaq; simplicior illis inerit sensus tactus. Vides igitur quàm incertum sit de sensu huius loci, & Arist.vel dubius fuit in hac cælorū animatione, vel certè de eius resolutione non cōstat,vt cum S.Tho. (lib.2.cōtra gent.c.70.)tenui lib.2. de cęlo tex.16. initio in 1. q. quā ob id problema esse dixi,& vtrūq; probabile defendi,& ad vtriusq; partis argumēta pro virili respōdi. Initio tamē disputationis dixi cum S.Tho. loco citato,& D.Aug.in Enchirid.quē ibi pro se citat S.Tho.& citatur in c.42.& 43. & non reperio,sed in c.58. Hoc fortasse vocabat cęlū intellectuale lib.12.cōfessi.c.13. & lib.super Genes.& lib.7.de Ciuitate Dei c.6.meminit,& c.19. Hieronymus exponēs illud Eccles.c.1.*Lustrās vniuersa per circuitū pergit spiritus,& in circulos suos reuertitur*, asserit idem,tamen super illud Deuteron.c.32. *Audite cæli quæ loquor,&c.* negat cælos animatos. De hac re nihil ad fidē pertinet,siue vnam,siue alteram partem tueamur , quod quidē innixus S.Th.autoritati & D.Aug. testimonio dixi. *Autor se ipsum & S.Tho.corrigit.* Nunc autem (quicquid sit de istorum sanctorū sententia)reperio cōcilium secundū Constātinopolitanum,quod fuit quinta vniuersalis synodus anno domini 553.vbi lego Canonē in hunc modū, *Si quis dicit cælū,Solem,& Lunam,& stellas,& aquas,quæ super cælos sunt,animatas quasdā esse et materiales virtutes,anathema sit:*qui Canō inducitur cōtra Origenē. Non igitur iam auderem cum S.Tho.tenere,scilicet quòd liceat vtramuis partē sine periculo fidei defēdere,cùm ibidē in Canone 11.anathematizetur Origenes & alij eius cōplices. Verū est,ꝙ in antiquis cōcilijs hęc condēnatio nō adducebatur,neq; habetur,sed Frācıscus Iouerius in suis sanctionibus Ecclesiasticis sua diligētia hæc tanquā cōuenientia & ad cōciliū illud pertinētia adiungit ex Nicephoro lib.17. Historiæ ecclesiasticæ c.27.& 28. Nō est igitur iā locus dubitādi:sed S.Tho. & D.August. (quorum autoritate in libris de cælo ducebar)excusari possunt inuincibili ignorantia:quia hæc pars concilij suo tēpore nō erat inuēta,neq; eam mihi cōtigerat legere in prima editione librorū de cęlo: ideo libēter sententiā illā ex toto animo retracto,& verā,catholicāq; fidē cum cōcilio Cōstantinopolitano profiteor,nēpe cælos (quicquid dicat Arist.)animatos nō esse,de quib' satis lusim' libris de cęlo loco citato.

g 3 Nunc

Nūc iam, vbi de fidei sensu Dei Opt. Max. beneficio mihi cōstat, relinquēda est huius loci perplexitas, & ad vlteriora pergendū. *Iacobus Naclantus.* Quare corrigendus est Iacobus Naclantus q.4. de infinitate primi motoris asserens, ꝙ assertio de cælorum animatione nō repugnat Theologiæ sacræ, vel documentis hactenus habitis à sacrosancta Ecclesia: in cęteris tamen, quod attinet ad Philosophiam, bene resoluit, & multa dicit, ad quę cōsultò te remitto. Nā etsi D. Bernard⁹ homil. 5. super Cātic. cōtrouersiam istam indiscussam relinquat, tamē Chrysostom⁹ homil. 13. & 32. in priorem ad Corinth. & homil. 22. in Genes. adscribit Dionysio Areopagitę, qui *Angeli non sunt corporei.* c. 1. cælest. Hierarch. angelos nominat immateriales & incorporales substātias, insuper deiformes simplicitates & immateriali tates: & certè nec subsistendi, neq; intelligēdi causa corpore indigere videntur, nec vt seipsos moueāt: quare eam partem amplector, ꝙ incorporei sint. Granatēsis disputat, si angelus sit aliquod corpus simplex, quade re nihil certi statuit. S. Tho. 1. p. q. 51. artic. 1. tanquā certius ponit, angelos incorporeos esse & merè intellectuales atq; immateriales, quē sequuntur cōmuniter scholastici existimantes, sine periculo fidei vtramuis partem defendi posse. Tamē mihi temerariū videtur, angelos corporeos facere propter cōmunem autoritatem scholæ & sanctorū: quāuis D. August. Origenes & Basilius, qui in Philosophia Platonis sunt versati, aliquādo corporeos fecerint, vt Origenes lib. 1. Peri archon cap. 6. Basili⁹ de Spiritu sancto cap. 16. Aug. lib. 3. super Genes. c. 10. & lib. 7. de Ciuitate Dei c. 6. & lib. 2. de ordine cap. 9. & lib. de Ecclesiast. dogm. *Obserua.* cap. 11. & 12. & Epist. 115. ad Nebridiū: tamen corporeum sumunt, nō vt opponitur inuisibili & spirituali, sed potentiali, quo modo solus Deus est incorporeus & immaterialis. Sed absolutè mihi plusquam temerariū iam videtur: quoniā in 7. Synodo generali, quę est secūda Nicæna act. 5. disputatum est de hac re, & definitur, quòd solus Deus est incorporeus: quo modo intelligibiles creaturæ nequaquā ex toto sunt incorporeæ, ideo depingi possunt: quia etiam in proprio corpore angeli visi sunt. Subdit conciliū, *Quanquàm autē non sunt, vt nos, corporei, vtpote ex quatuor elementis & crassa illa materia constantes, nemo tamen vel angelos, vel dæmones, vel animas dixerit incorporeas, &c.*

Scio tamen, hoc loco concilium nō improbare angelos esse corporeos corpore simplici (neq; id ex proposito agebat conciliū) sed tantùm in animo erat determinate imaginum cultum, & ꝙ angeli in forma humana depingi possent. Magis tamen me conuincit conciliū Lateran. sub Innocentio 3. vbi sess. 1. in confessione fidei confitetur *Deum creatorem omnium visibilium & inuisibilium, spiritualium & corporalium*: vbi vides, concilium confiteri creaturas aliquas inuisibiles & spirituales: quod de angelis intelligendū esse statim docet dum subdit, *Qui sua omnipotente virtute simul ab initio temporis vtranq; de nihilo condidit creaturam spiritualem & corporalem, angelicam scilicet & mundanā.* Et in cōcilio 6. Cōstantinopol. actione 11. refertur Epistola Sophronij Patriarchæ Hierosolimorū ad cōcilium, vbi inter multa, quæ eleganti oratione & christiana sapientia dicuntur, absolutissimè disputat de mysterijs fidei, & inter multa alia docet, angelos & animas, cæterasq; inuisibiles substātias nō corrupi: & hæc Epistola sess. 13. pertractata est, & ab vniuersa Synodo approbata, vt cū vna fide atq; apostolicis sanctorum Patrum doctrinis conueniens, atq; pro orthodoxa & catholica ibidē recepta est. Verum est, quòd non dicit angelos incorporeos, sed immortales & incorruptibiles, non per naturam, sed per gratiam: & ita de proposito non determinatur immaterialitas angelorum, quia cæli incorruptibiles sunt & corporei. Concilium tamen Lateranense vrget, quod refertur extrà de summ. Trinit. & fid. cath. cap. Firmiter. Sed nō est iste locus ad hanc disputationem opportunus, cōmodior sese nobis offeret disputādi occasio in nostris theologicis disputationibus.

Nullum igitur, vti diximus, non immobile corpus habet animā absq; sensu. Atqui si sensum habet, necesse est, ipsum vel simplex corpus, vel mistum esse. Sed fieri nō potest, vt sit simplex: nō enim habebit tactum. At hunc sensum inesse necesse est. *Tex. 62.*

Videtur igitur Arist. (vt eum cōsonēad fidem iuxta quartam expositionē interpretemur)

temur) dubitationi propositæ in præsenti textu satisfacere, nēpe ꝙ nullum animatū habet intellectū sine sensu: quia tactus est fundamentū omniū sensuum, & iste nō est in corporibus simplicibus, qualia sunt cęlestia: in reliquis autem generalibus & corruptibilibus neque intellectus est sine sensu, neq; sine tactu, qui nō solùm primus est & fundamētum omnium sensuum, sed maximè necessarius, vt saluum permaneat animal: quoniam animal tactu distinguit molesta à iucundis, & conuenientia admittit, aduersa propellit: aliàs nō se incolume seruaret. Cæteri autē sensus vtiles quidē sunt: ideo eminus per externa media videmus, audimus, odoramus; tactus verò cominus sentit per mediū intraneum, qui ob id maximè est necessarius.

Tex. 63. Quod quidem ex hisce perspicuū euadere potest. Nā cùm animal omne corpus sit animatum, corpusq; omne tāgibile sit, tāgibile autē sit id, quod est sensibile tactu, necesse est & animalis corpus vim habeat sentiēdi tangēdo, si debeat ipsum animal cōseruari. Cęteri nanq; sensus per alia quędam externa sentiunt, odoratus, inquam visus, ac auditus. Tāgens autem, nisi sensum habeat, non poterit alia quidem fugere, alia autē capere. Quod si ita sit, fieri nō potest, vt ipsum animal conseruetur.

Tex. 64. Quapropter & ipse gustus, quasi tactus est quidam: est enim alimēti sensus. At alimentū, corpus est, quod tactu percipitur. Sonus autem, & color, & odor, non nutriunt, nec accretionē, decretionemve faciunt. Quare necesse est, ipsum gustum, tactum quēdā esse, quia rei tāgibilis, ac nutritiuæ est sensus. Hi igitur sensus necessarij sunt animali. Atq; perspicuum est, fieri nō posse, vt sit animal absq; tactu. At cæteri sensus, boni sunt gratia: & definito iam generi, nō cuiuis animaliū sine vllo discrimine, sed cuidā vt gradiēti, necesse est insint: nam si cōseruari debeat, non solùm tangendo, sed eminus etiam sentire ipsum oportet.

Præcedēti textu enarrauimus quę ad horum duorū textuum interpretationē pertinent: solū tamē addo vnū, videlicet, tactum necessariò inesse omnib⁹ animalibus: quia omne animal animatū est, & omne animatum tangibile est: sed corpus cæleste nō est tangibile: ergo neq; animatū, neq; animal. Prior processus ab inferiori ad superius affirmatiuè est, si est animatum, est tangibile. Posterior autem à superiori ad inferius negatiuè, si non est tangibile, nō est animatū: quare cælum non est animal, quia non habet tactum: aut si habet, à qualitatibus tāgibilibus necessariò immutabitur, vt tangēdo saluum permaneat, & se incolume seruet: hoc ex tex. 63. At ex tex. 64. addo alterum, nempe gustū ad tactum reduci: tactus enim & gustus necessarij sunt, & vt tactus, sic gust⁹ intelligitur necessarius: reliqui autē sensus non necessitatis, sed vtilitatis gratia animalibus gradientibus cōcessi sunt, vt non tātùm cominus quæ coniuncta sunt tāgendo & gustādo animal sentiat, sed etiam eminus posita alijs sensibus discernat, vt ad ea consequenda progredi valeat. Gustus igitur, quia quidam tactus est (vt lib. 2. cap. 10. dictum fuit) necessitatis est sensus, cæteri autem vtilitatis gratia conceduntur, nō cuiuis animali in sua specie, sed in genere: nam talpa vel nō habet visum, vel illum habet pellicula obductum (vt lib. 2. cap. 13. videt enim veluti nos, qui clausis palpebris nonnihil lucis sentim⁹) lacessiti ergo oculi & inchoati relinquuntur) nam degit subtus terrā, cuius crassitie excęcaretur. Cæterū dicit Arist. ꝙ sonus, color & odor non nutriunt neq; augēt: ideo nō sunt necessarij auditus, visus & olfactus, qui circa illa tria obiecta versantur. Gustus autem & tactus sunt de nutrimento & alimēto, sine quibus animal

Sensitiuū cū tactu expedi-tur.

Notanda expositio pro textu 61. de cæli animatione.

non cõstat(ex eisdem enim sumus & nutrimur lib.2.de generatione tex.50.)ergo sine tactu nullum animal est: sine aliorum autẽ sensuum põpa & apparatu esse potest animal imperfectum: perfectum autem non, nisi sit orbatũ & defectuosum, vt cæci, qui aliorum subsidio sibi sufficiunt,& sensuum defectum supplent. De his distincta est explicatio lib.4.de Histor.animal.cap.8. quo autem modo sensuum sensibilia non nutriant, nisi tactus, habes lib. 2. de Anima tex.28. Dubiũ igitur est, videlicet quo modo valeat illa Aristot.consequentia, Omne animal tangibile est: ideo si corpus cæleste sensum tactus habet, tangibile esse oportet: nam videtur etiam concludere, omne corpus inanimatum habere tactũ: quia verum est dicere esse tangibile? Respõdetur, Aristotelem non concludere cælũ esse tangibile ex hoc præcisè quòd est corpus, sed ex hoc quòd est corpus tactiuum: quia intellectus in corpore non est sine hoc sensu. Ex duobus itaq; infert Arist. vnum est, ex hoc quòd sit corpus animatum: alterum est, ex hoc quòd habeat tactum. Vtrunq; autẽ assumitur, ex eo quòd intellectus in corpore non est sine sensu tactus: nam si est tãgibile, qualitates habet actiuas & passiuas, à quibus corrumperetur, nisi sensu distingueret nociua & iucunda tangibilia, vt sese tueatur. Et illatio Aristotelis formalis est, & intendit, quòd sensitiuum, sicut est altioris naturæ, quàm vegetatiuum, ita suam salutem incolumem seruet altiori modo, nempe sentiendo, vt operatio excellẽtiam habeat secundùm proportionem ad naturam, cuius est.

Corpus tactiuũ necessariò est tãgibile, vt textu 64.

Tex.65. Quod quidem erit, si per externum sentire medium possit hoc pacto, vt à sensibili quidem medium, ab hoc autem ipsum patiatur, ac moueatur. Nam vt in motu ad locum accõmodato fieri solet, cùm per multa efficitur (primum nanq; mouens pellit sensum, pellendoq; facit, vt illud pellat id, quod deinceps post illud est collocatum, fitque hoc pacto motus per medium. Atque primum quidem pellit, & non pellitur. Vltimum autem pellitur, & non pellit. Medium verò pellitur, atq; pellit: & interdum plura sunt media, interdum pauciora) sic & in alteratione fieri solet, hoc excepto dũtaxat, id, inquam, quod alterat, eodem in loco manere: veluti si quispiam in ceram tinxerit, vsque ad id mota est, vsquequo tinxit? Lapis autem non mouetur: at aqua, ad distantiam longam. Aër autem ad longiorem mouetur, atque agit, & patitur, si maneat, sitq; vnus, & non diuisus. Quapropter & de reflexione melius est, aërem à figura, coloreq; pati, quousq; sit vnus (est autem vnus in ipso leui) quàm egredientem visionem frangi, atq; reflecti cẽsere. Quocirca rursus hic mouet visum perinde, atque si signum, quod in ceram imprimitur, transmitteretur vsque ad finem.

Hinc occasione sumpta cõmunem rationem sentiendi omnium sensuum similitudine lationis apertè explicat Arist. Primò in motu locali, vbi est mouẽs primum, quod pellit & non pellitur: vltimum, quod pellitur & non pellit: medium, quod pellit, atq; pellitur: verbi gratia, homo mouet manum: manus mota mouet baculum: baculus, dum mouetur, mouet lapidẽ: sic fit motio vsq; ad vltimum, quod mouetur & non mouet: intermedia autem & mouẽt & mouentur. Secundò idem docet accidere in alteratione, nisi quòd primum mouens localiter necessariò mutat locum: primum autẽ alterans non necessariò mutat locum. Iam tertiò ex his duobus quasi gradu facto cõcludit Aristot. quod intendit, nimirum veriorem esse sententiam illam, quæ tenet sensionem fieri per passionem & immutationem

Pulcherrimus et luculentissimus textus.

nem ab ipsis sensibilibus: quoniam est immutatio quædam & alteratio, quæ fit per quandam assimilationem ab ipso sensibili. Nec cõtentus Arist. similitudine rerum naturalium, ex rebus artificialibus sigillum in exemplum adducit, cuius impressio in cera eousq; defertur, quousq; actio sigillum imprimentis pertingit, vt ceram tingat, atque sigilli formã imbuat: liquida enim est cera, quæ tingi potest & signari sigillo, cuius figuram lapis nõ admittit ob eius duritiem. Vt igitur se habet sigillum ad ceram liquidam, ita sensibilia ad aquam, quæ, mollior cùm sit, meliùs recipit, quàm cera: quia non tantùm superficie tenus, sed secundùm pro funditatem perfectè omnifariam tingitur & imbibitur: aër autem, qui adhuc magis est mollis & subtilis, quàm aqua, plausibiliùs recipit impressiones sensibilium, & in longiorem distãtiam promouet, nisi sit aliquod opacum aut interruptio, quæ obstet. Si ergo denarium, verbi gratia, in scutella plena aquæ constituas, denarius suę speciei similitudinẽ (veluti sigillum tingit ceram) aquam immutat & imbuit: delibuta autem & affecta aqua, aërem simili affectione immutat: aër verò sic affectus visum pertingit, vbi alterationis est finis & sensio ipsa perficitur. Hęc ideo Aristoteles dixit, vt doceat probabilius & conducibilius esse asserere, quòd fiat visio per intus susceptionem sensibilium, quàm (vt dicit Plato) per emissionem radiorum visibilium, qui per reflexionem visui renuntiant quæ extrà sunt per contactum quendam, vt cæci baculo instar oculi vti solent. Meliùs inquit Aristoteles, rationi esse magis consentaneum, quòd sensus à sensibilibus immutentur per medium aërem, qui partim immutat, partim immutatur: visibile ergo in aërẽ suam similitudinem imprimit, & vsq; ad visum pertingit, quasi sigillando & suam figuram imprimendo, vt sensus similes ipsis sensibilibus relinquantur: sentire enim est spiritaliter alterari: agẽs autem omne agit inquantùm est in actu: sensus verò non est in actu per id, quod trãsit & egreditur, sed per illam speciem, quã informatur. Vides igitur, germane lector, quo modo visio fiat intramittendo, & non extramittendo: qua de re diximus lib. 2. de Anima cap. 7. quem locum visites rogo. Habes etiam expressum locum ad asserendas species sensibiles, cùm doceat Aristot. ex motu locali, alteratione & sigillatione fieri sensationem per sensibilis impressionem.

Visio intramittẽdo.

Species sensibiles sunt.

SVMMA CAPITIS

Distinguit sensus in necessarios, & vtiles per sex conclusiones.

Necesse est, omne viuens vim habere nutriendi ab eius ortu vsq; ad interitum. 1. conclu. ¶ *Nõ omne viuens sensum habet, vt plantæ ipsæ manifestant.* 2. conclu. ¶ *Sine sensu nullum animal consistit: ideo gradientia alios à tactu sensus habent, vt alimentum inuestigent, quod immobilia coniunctum penes se habent.* 3. conclu. ¶ *Nullum corpus corruptibile animã habet absque sensu tactus, si debeat conseruari: gustus autem similiter necessarius intelligitur, quia est quidam tactus, & alimentum tactu gustus percipitur.* 4. conclu. ¶ *Tres alii sensus non tam necessitatis, quàm boni & commoditatis gratia animalibus sunt concessi: sonus enim, color atq; odor neq; nutriunt, neq; augent, neq; imminuunt, neq; tangẽdo per intraneum medium sentiuntur, sed per extraneum.* 5. conclu. ¶ *Sentire melius est, vt passio fit ab ipso sensibili illata, secundùm quam sensus patiatur, aut moueatur: sic motio secundùm locum & alteratio fiunt; & ars ipsa in sigillatione ceræ ostendit. Meliùs est ergo ingressu formarũ, quàm egressu radiorum ab oculis visionem fieri.* 6. conclu.

CAPVT DECIMVM
De simplicitate corporis animalis, & necessitate tactus.

ATque perspicuũ est, fieri non posse, vt corpus animalis sit simplex, igneũ, inquã, aut aqueum, aut aëreũ: nã nullus alius sensus absque tactu haberi potest. Corpus enim animalis omnis, vt dictum est, vim habet sentiendi tangendo. Cætera autem elementa, præter terram, instrumẽta sensus esse possunt. Atque omne tale, per aliud sentiendo sensum nimirum efficit, & per media: at tactus in tangendo sensibilia sua consistit. Tex. 66.

Quapropter & hoc nomine nũcupatur. Atque tametsi cætera quoq; sensuum instrumenta tactu sentiunt, tamen per aliud medium sentiunt. At ipse tactus per seipsum solus sentire videtur. Quibus efficitur, vt nullum talium elementorum, corpus sit animalis. At verò neq; terreum esse potest. Tactus enim, veluti mediocritas est omnium tangibilium, & instrumentum ipsius, non modò terræ differentiarum est susceptiuum, sed etiam calidi, frigidiq;, cęterorumq; omniũ tangibilium: & ideo neque ossibus, neq; pilis, neq; talibus partibus vllis omnino sentimus; quia terrea sunt. Hinc & plantę omnium sensuum sunt, vt patet, expertes, quia & ipsæ terreę sunt. At absq; tactu fieri non potest, vt alius quisquam sit sensus. Huius autem instrumentum sensus neque terrę est, neque cęterorum vllius elementorum.

Method' doctrinæ collocatur.

In procemio horum librorum tex. 16. & 17. reprehensibiles dixit Aristoteles eos, qui de anima determinarunt, de corpore autem nihil dixerunt. Ne igitur in illud vitium inter determinandum de anima incidat Aristoteles, vniuersaliter de corporibus animatis sermonem miscet, & de organis, quibus anima suas absoluit functiones, mẽtionem facit, de quibus subtiliùs atque exactiùs, pressiusq; in libris de plãtis & de animalibus. Insuper viuens sensitiuum ad corpora simplicia confert Aristoteles, & probat quod obiter & perfunctoriè præcedẽti cap. dixerat, nimirum animalis corpus simplex esse non posse, vt sic tractatum de anima absoluat, & ianuam aperiat ad exactã instrumentorum animæ expositionẽ. Docet itaq; Aristot. corpus animalis non posse esse simplex, vt aëreum, aqueum, igneum, terreúmve (quod Platonicis visum est) sed ex omnibus his attemperari oportet. Ostẽdit primò ex tactus natura: nam cùm omne animal necessariò tactum habeat (vt tactus sentiat qualitates tangibiles, temperatas habet qualitates, vt accommodata sint instrumenta ad sentiendum) animal igitur non habebit corpus simplex: ob id enim terrea omnia non sentiunt, neque quæ his vicina sunt, vt plantæ, capilli & ossa: habent enim multum de terrestri (lib. 1. de Anima textu 49.) Vis autem argumentationis declaratur ab Aristotele ex nomine tactus: quia tactus dicitur à tangendo & ex functione, quoniam per medium internum & per seipsum vice medij sentit, vt cùm neruus sensorius pungitur, medium est vna parte, altera verò sentit: ergo animalis corpus, quod prędítum est sensorio tactus, si esset corpus simplex, non haberet temperamentũ proportionatum, vt sentiret: alij verò sensus per aliud sentiunt: *At tactus in tangendo sensibilia sua consistit*, hoc est, non per extrinsecum mediũ, sed per seipsum sentit: necesse est ergo denudetur ab omni simplicitate & excellentia tangibilium, vt suprà tex. 4. Idẽ secundò manifestat Arist. ex ipso sensorio tangendi, quod in mediocritate tãgibilium consistere debet: de quo lib. 2. de Anima c. 11. tex. 111. dicitur quòd est corpus animalis: ergo temperari debet ex qualitatibus, aliàs non fieret tactus. Subdit Aristot. illis verbis, *Quibus efficitur, &c.* q neque sat corpus animalis attemperetur, si tamen in illo temperamento maximè vincat terra, vtpote quæ ad sentiendum sit inepta: ideo plantæ sine tactu sunt, quia terreæ, animal autem non est sine sensu: eadem enim est de omnibus alijs elementis ratio, quamuis terra maximè omnium sensum impediat. Dubitanti verò, quomodo mista moueãtur ad motum elementi prædominãtis (vt dicitur lib. 1. de cælo tex. 7.) mouentur autem motu grauium ad centrum: ergo sunt terrea, atq; adeò non sentiunt? Facilè respondebimus, dominari terrã quoad qualitates motiuas, nõ tamen quoad alteratiuas. Deinde dominium illud est arithmeticũ, id est, secundùm excessum quantitatis (plus enim de terra habent animalia, quàm de reliquis elementis) non tamen est geometricum, id est, secundùm proportionem & dispositionem, qua qualitates primę ad debitum medium

Quod dominiũ terræ tactũ impediat

dium rediguntur, vt fiat immutatio tactus: hæc autem mediocritas latitudinem habet: non enim est mediocritas rei, sed proportionis & rationis. Cæteri autem sensus à tactu etiam sentiunt tangēdo: quia fine tactu non fit actio & passio (lib. 1. de generatione cap. 7.) tangunt tamen communi ratione tangendi & per medium extrinsecum: tactus verò per medium intrinsecū sese cō-tingit, & hæc est differentia. Prolixus est hic textus, tamen perspicuus, qui sic potest in summam redigi: Omne corpus animalis habet tactum (quia sine tactu non sentit, neq; est animal) sed tactus non potest saluari in vno simplici elemento (cùm debeat omnia tāgibilia percipere, ita debet ab omnium excellentijs denudari, vt omnibus suscipiendis sit aptus) ergo nullum corpus animalis potest esse simplex, sed mistum, & ad debitam mediocritatem redactum.

Sūma & vis rationis.

Tex. 67. Hæc cùm ita sint, patet, animalia necessariò mori, cùm hoc solo sensu tactus priuantur. Neq; enim fieri potest, vt hunc sensum non animal habeat: neque si animal est, alium sensum, præter hunc, habere necesse est. Et propterea fit, vt cætera quidem sensibilia non corrumpant suis exuperationibus animal, color, inquam, sonus, & odor, sed ipsa tantùm sensuum instrumenta, nisi per accidēs: vt si simul cum sono pulsio, ictusq; fiat: & si à rebus, quæ videntur, atq; ab olentibus alia moueantur, quæ tactu corrumpūt. Sapor etiam hoc sanè corrumpit, quo simul accidit, ipsum tangibile esse. Exuperationes autem tangibilium, vt calidorum, frigidorum, & huiusmodi, ipsum interficiunt, atq; interimunt animal. Exuperatio enim sensibilis cuiusuis, sensus destruit instrumentum, atq; deuastat: quare & tangibile exuperans, ipsum destruit tactum.

Secundò colligit Arist. habitudinem tactus ad animal, quæ est essentialis & conuersiua: nec enim animal sine tactu est, neq; tactus sine animali: defectu nāq; tactus animal interire est necesse: tactus ergo inter sensus simpliciter est necessarius, quo posito aut ablato animal constitui aut interire est necesse: alij verò sensus non sunt necessarij: Probat Arist. quia sensibilium eorum excellentia sensum corrumpere potest, nō tamen animal: splēdor enim excellens dissipat visum: terribilis autem sonus in surditatem inducit & corrumpit auditum, & ita de alijs. Animal tamen ipsum istorum sensibilium superfluitas non destruit, nisi indirectè & per accidens, quatenus cum exuperantia alicuius tangibilis miscetur, vt visus Basilisci venenatis radijs admistus interimit: terribilis autem sonus, vt tonitruum, quia vehementer obstrepit, & pulsum aërem diuidit & interrumpit, nō ex soni exuperantia, sed ex vehemēti aëris impulsione: & sic sapor ex immoderata aliqua qualitate tangibili: odor verò, quia aliqua qualitate noxia inficitur: exuperantia autem tangibilis tactum lædit, & animal ipsum directè corrumpit, vt vehemens frigiditas stupidum facit: exuperantia tamen caloris adustum relinquit: ita etiam de alijs philosophādum. Tactus igitur vitæ animaliū principium est, & in ipso incipit, & cum ipso tactu finitur, & mors inducitur, quæ priuatio vitæ est: vita autem participatio est animæ nutritiuæ in calido naturali, cuius caloris duratio, animæ est permansio: calor autē eousq; durat, quousq; pabulum recipit ab humido radicali, quo consumpto, calor naturalis euanescit & vita perit. Concipe etiā, ita se habere calorem naturalem & humidum radicale, ac lumen & oleum in lucerna: deficit enim lumen, quando resoluitur oleum: humido igitur radicali & substantifico absumpto, calor non habebit vnde sustentetur, sed vita finitur.

Cōsertanimal ad sē sus oēs.

Discursus consītentiæ in vita nostra.

At hoc sensu definitū est animal. Sine nanque tactu fieri non posse, vt sit animal, demonstrauimus. *Tex. 68.*

uimus. Quamobrem exuperationes eorum,quę tactu percipiuntur, non ſolùm inſtrumentum ipſius ſenſus, verumetiam animal ipſum interimunt,atq; corrumpũt: quia neceſſe eſt,animal hũc ſenſum habere. Cæteros autem ſenſus animal habet,non vt ſit,ſed vt bene ſit, vt anteà diximus. Viſum enim habet, vt videat:quoniã&in aëre,& in aqua, & omnino in perſpicuo degit. Guſtum autẽ,ob id quòd voluptate afficit,aut dolore, vt in alimẽto ea ſentiat,& cupiat,ac moueatur. Et auditum, vt aliquid ſignificatur. Linguam pręterea, vt ipſum aliquid alij per ipſam ſignificet.

Exuperationes ſenſibiliũ per omnẽ ſenſum declarantur.

Concluſionẽ totius capitis colligit Ariſt. nempe tactum eſſe neceſſarium,cuius exuperantijs non tantũ ſenſus,ſed animal corrumpitur: aliorum autem exuperationes ſenſum deſtruere poſſunt, animal tamen minimè: ideo ſolus tactus neceſſarius eſt ad vitam:cæteri autem vtilitatis gratia donati ſunt. Quod quidem eleganter inducit Ariſt.per omnes ſenſus, nempe vt viſus ſit conceſſus,vt videamus per omne diaphanum ſiue naturale, ſiue artificiale: auditus verò ad ſignificãdos animi affectus,vt gregaria animalia oſtendũt,licet diſtinctiùs & explicatiùs apud homines fiat: *Tibiæ & pſalterium ſuauem faciunt melodiã,& ſuper vtraq; lingua ſuauis* Eccleſiaſtici 40. Sed de guſtu etiam dicit Ariſt. nõ eſſe neceſſarium,cùm per ſe non ſit niſi ad voluptates ciborum, vt conuenientes faciliùs accipiãtur,alij verò refutentur: ideo guſtus eſt veluti ſalſamentum ipſius tactus:olfactus autem miniſter eſt guſtus,quia odor eſt alimenti,& ad nutrimentum diſtinguendum brutis præſertim animantibus maximè neceſſarius. Si tamen roges,cur textu 64.guſtum neceſſarium docuit & cum tactu connumerauit, nũc verò vtilem eſſe docet,& cum reliquis tribus computatur? Reſpondetur, nullam eſſe in Ariſtotele colliſionem, quia dixit eſſe neceſſarium, vt ſentit per modum intraneum & media aliqua qualitate tangibili:guſtus enim non fit ſine tactu:ideo ratione neceſſariæ ſequelæ,& per concomitantiam guſtus eſt tactus, & ita eſt neceſſarius: at verò ex propria ſui obiecti ratione ſenſus eſt voluptatis, & vt ad alimentum auidiùs moueamur, & vt voluptate perfruamur,conceſſus eſt: omnia igitur conſentiunt. Sed ſi iterum roges, quomodo animal ſenſu tactus primùm conſtituatur, cùm ſenſus communis ante omnes ſenſus ſit? Dicam,quòd ſenſus communis & tact⁹ non ſe habent diſparatè,ſicut viſus & olfactus. Secundò,nec tantùm ſe habẽt pręſuppoſitiuè, vt olfactus præſupponat tactum. Neq; tertiò duntaxat ſe habent ſecundùm ordinem & dependentiam, ſicut ſenſus & phantaſia. Sed habent ſe ſicut aliqua vis & facultas atq; eius radix:eſt enim ſenſus cõmunis vt radix: tactus autem veluti trũcus arboris:reliqui verò ſenſus vt rami:vt ergo truncus non eſt ſine radice;radix autem nõ fructificat ſine trũco, ita nec tactus eſt ſine ſenſu communi,neq; ſenſus communis ſentit,niſi habeat cõiunctum tactum,cum quo ſimul elicit actum primarium, ſcilicet ſenſationem ſenſui tactus & communi germanam,communémq; vtriuſq;: eſt enim ſenſus communis centrum terminatiuum omnium ſenſationum. Primò enim ſaluatur animal per ſenſum tactus: ideo ſenſu tactus primò conſtituitur animal in ordine ad alios quatuor ſenſus exteriores. Deinde primò conſtituitur tactu: quia niſi tactus ſentiat,ſenſus communis non ſentiet:quoniam ſenſus communis habet pro obiecto propinquo ſenſationes ſenſuum exteriorum. Tertiò primò conſtituitur ſenſu tactus:quia ſenſus communis & ſenſus tactus non ponunt in numerum quoad conſtitutionem animalis,ſiquidem neuter ſine alio elicere poteſt ſenſationem:quare ambo ſimul perficiunt vnum principium ad abſoluendum ſenſationem, quæ eſt prima animalis operatio,qua anima propriam ſuam ſaluat ſubſtantiam: ideo in ſuo genere vterq; vocari poteſt primus ſenſus, quia ſe habent inſeparabiliter ad eliciendam ſenſationẽ,qua ſe animal tueatur.

Guſt⁹ vtilis & neceſſarius diuerſa ratione.

Sẽſus cõmunis & tact⁹ quomodo primi ſint ex Caiet. hic.

SVMMA CAPITIS

Animalis corpus nõ esse simplex,& tactum animali necessarium, per duas conclusiones docet,& ad secundam vnum corollarium.

1. cõclusio. *Perspicuum igitur est, animalis corpus simplex non esse: quoniam sicut animal sine tactu non est, ita tactus in simplici elemento non saluatur, sed in tangibilium temperamẽto, vt tangibilibus suscipiendis aptus sit. Argumento est, quòd plantæ & ossa non sentiunt: quia simplicia sunt & terrea corpora.* 2. conclu. *¶ Animal sine tactu non est, nec tactus sine animali: quare tactu deficiente animal interire est necesse. Alii enim sensus non sunt de animalis constitutione, sed commodi grãtia concessi.* Corolla. *¶ Quo fit, tangibilium exuperantias non solùm sensum tactus, sed etiam animal ipsum tollere: cæterorum autem sensibilium excellentias sensum lædunt: animal autem minimè corrumpunt, nisi ex accidenti, quando tangibilia miscentur, à quo corrumpantur.*

FINIS LIBRI TERTII de Anima.



CELEBERRIMA CONTROVERSIA DE ANIMORVM NOSTRORVM IMMORTALITATE

hoc tractatu eodem autore Petro Martinez definitur.

Transitu ad negotiũ de animę humanę immortalitate exordii oẽs partes inducuntur.



X TAM MVLTIS, quæ in hac enarratione præstare tenebar, nihil superesse videbatur, quod pro virili mea iam non præstiterim, atq; iuxta ingenij mei tenuitatem non perfecerim. Eapropter nisi percelebrẽ illam quæstionem de nostrorum animorũ immortalitate, quoties sese obtulit occasio, pollicitus fuissem, hîc nostrorum in libros de anima Commentariorum constituendus finis esset. Sed ne receptui canerem & pedem referrem, in causa fuit, quòd mihi ipsi toties promittenti, atq; meorum Commẽtariorum perfectioni & integritati debeo, vt non priùs finem dicendi faciam, quàm quid de proposita controuersia sentiã, memoriæ prodam, vt hoc addito colophone nostra hæc commẽtatio suis omnibus numeris absoluta esse videatur.

Attentio ex difficultate captatur.

Negotium quidem non minus arduum, quàm difficillimè inuestigabile, quod diu omni seculo & ætate præclarissima quæq; torsit ingenia, quæ in hac salebra versata sunt: difficile enim est veritatis scopum in proposita cõtrouersia collimare, tum, propter sublimem animorum nostrorũ dignitatem & excellentiam, tum etiam, propter dissidentes summorum Philosophorũ sententias: sunt enim non parùm multæ. Nec id mirum est, siquidem veritas per seipsam in profundo (vt dixit Democritus) demersa est: quoniam altissimum donum Dei est veritatem contingere: & in re hac grauissima eam contigisse, præstantissimum existimo, vbi nec vna nec concors est Philosophorũ sententia (teste Plutarcho lib. 4. de placitis Philosophorum cap. 7.) Eusebius Cæsariẽsis omni genere disciplinarũ insignis lib. 11. de præparatione euangelica cap. vltimo multas refert de anima existimationes. Multò tamen plures ponit Aristoteles, vt vidimus lib. 1. de anima cap. 2. referens quosdã asserentes interire cum Democrito & Epicuro, non interire autem cum Stoicis, duraturam tamen ad nescio quam sibi somniant vniuersi exarsionem, quia non censebant esse æternam: Pythagoræ palingenesian ridet, vt fabulę & figmẽto persimilem (lib. 1. de anima cap. 3.) Omnes enim docti, pariter ac indocti, Historici, Poëtæ etiam de suis campis elysijs, suisq; heroibus, animæ immortalitatẽ passim disquirunt à natura compulsi, & in hac cõsideratione attriti videntur. Plato immortalem docet pluribus argumentis, quæ colligit Bessariõ lib. 2. aduersus calumniatores Platonis cap. 6. Aristoteles inter Philosophos vltimus, sed omnium princeps, obscurè atq; lubricè suam nobis potiùs occultauit, quàm proposuit sententiam, vt D. August. lib. 3. de Trinit. cap. 9. dicat, *Vix pauci magno præditi ingenio, abundantes otio, doctrinisq; subtilissimis eruditi, ad indagandam solius animæ immortalitatẽ peruenire potuerũt, Cui tamen animæ beatam vitam non inuenerunt stabilem, id est, veram: ad miserias eam quippe vitæ huius etiam post beatitudinem redire dixerunt:* adeò vt quanto nobis est familiarior, eo magis nobis abstrusa & recõdita sit, vt proclamãs D. Bernardus ait, Ex meipso domine cognosco, quàm sis incomprehensibilis. Quam difficultatem Regius Vates adumbrat Psal. 138. *Mirabilis facta est scientia tua ex me, &c.* in nobis enim metipsis habemus, vnde diuinam sapientiã admiremur, veneremurq;. Si igitur vniuersorum, qui de hac re scripserunt, vel nomina sola recẽserentur, defuturum mihi tempus arbitror, & nil amplius emolumenti adduceret, quàm chartas implere, tempus cõsumere, lectorem molestè vexare. Ne tamen oleum & operam perdã, missos facio Simplicios, Alexandros, Themistios, Ammonios, Philoponos & alios, quauis nomẽclatura nuncupes. Valeant isti, & quid sentiat Aristoteles dicere instituo, quid (inquã) sentiat verè, & non ex aliorum sentẽtia. Nam Theophrasto videtur sensisse immortalẽ,

sed

sed extrinsecam substantiam. Alexandro (vt perhibent) quòd mortalis. Auerroës vnam immortalem, alteram mortalem posuit. Deniq; plures sententiæ, quàm homines, fuêre, & nulla absq; aliquo erroris semine: quoniam nemo purè & syncerè sententiam dixit inter Ethnicos vsq; ad Aristotelem, qui licet valde obscurè & essentialem esse hominis formam & immortalem asseruit, & multa sint, quæ in Aristotele consentire non videantur, semper tamen sui similis, meo iudicio, est.

Beneuolētiā ex vtilitate venatur. Quare labor iste superuacaneè non suscipitur, quem humanæ fœlicitati maximè conducere probatur quotquot Romanorū, Græcorùmve illustria referuntur facinora, quæ ex hac animorum æternitate & siti celebritatis sui nominis prodière: cùm tamen dubij de hac re essent, nil non subibant laboris, vt celebrem sibi apud posteros famā compararent. Profectò ad hominis dignitatem cōtemplandam pertinebit maximè considerasse animorum æternitatem: misera enim humani generis conditio est, quæ ram solicitè omnia, quæ supra & infra se sunt, capesset, minimèq; indiligenter inquirit: tamen circa semetipsum (cōtra Delphicum illud oraculum, *nosce teipsum*) quiuis hominum oscitanter se habet. Cætera omnia sagaciùs inuestigantur: animæ autem studium negligentiùs adhibetur, cùm tamen animę nostrę gratia, vniuersa, quæ cęlo & terra conspicimus, condita sint. Quid mirum? horizō temporis & æternitatis est, & in vtriusq; confinio posita, vniuersa pandit, siue quę in tempore contrectamus, siue quæ in æternitate constituta desideramus, indeq; medias sortitur vias inter ea, quę tēpore transeunt, atq; illa, quæ perpetuò manent. Hinc tam diuersæ naturæ & distantes in nobis prodeunt operationes, vt nunc cū bestijs terræ, confestim cum angelis Dei in cælestibus conuersari videamur. Ecquid optabilius homini, quàm suarum affectionum fontem inspexisse & ad viuum resecuisse? vt intelligere queat animam nostrā instar bifrōtis esse iam: quoniam geminum habet vultum, vnum argenteum, alterum aureum, ille temporalium, hic verò ęternorum est. Sed miseret me nostri, qui oscitanria nostra trifontem facimus animam, cùm rertium addimus vultum, & illum quidem plumbeum & cœnosum, hoc est, vilem & immunditijs plenum. Deplorandus igitur status iste noster, quo nos cum Tantalo illo (vt in fabulis est) collocamus, qui in medijs aquis sitimus, & in summa rerum copia inopes sumus ac famelici, ita non solùm quæ intra nos sunt negligimus, sed & fastidimus: & cùm nos ignoremus, extra nos metipsos diligenter nos quęrimus. O nos infortunatos, qui bona nostra non nouimus, aliena sequimur, quorum nil nos manet, quando cuncta sine ratione & iudicio aggredimur?

Docilitas ex methodo compatatur. Quod argumentum etsi à veteribus, recentioribúsq; diligenter disceptatum fuerit, actum agere non videbor, cùm ea omnia in vnam coaptatam summam redigo, quo breuiùs & dilucidiùs præstare valeo, fontes indicando, à quibus cætera sint haurienda. Idcirco minimè inutiliter hanc prouinciam meis imposui humeris: quoniam ex diuino nutu neque diminutè, neque ex parte cū plerisq; tractabo, sed integrè perficere enitar, vt nil desideres, vel quod ad veritatis cōfirmationem, vel ad dubiorum omnium resolutionem spectare videatur. Iniqui enim rerum iudices & rigidi reprehensores nihil habent, quod in meo candido pectore & ingenuo conatu vt verè reprehensibile vituperent: nam quæ à grauissimis viris sparsim disceptata sunt, colligo, fortasse tamen mea industria & diligentia absoluam etiam & perficiā: quod si non præstitero, non est vituperandus animi conatus, cū accuratissimè enarrationem horum librorum cōplere & consummare cōtendam. Nam si studium istud explorandi animę nostrę naturā difficillimum sit, idem tamen suauissimum est, teste Arist. lib. 1. de partib. animal. cap. 5. dicente, *Res nanq; illas superiores, tametsi leuiter attingamus, tamen ob eius cognoscendi generis excellentiam amplius oblectamur, quàm cùm hæc nobis iuncta omnia tenemus*: de sublimibus enim vel minimum scire, quàm plurimum habet voluptatis. Anima autem nostra (vti diximus) de genere sublimium est, cuius exacta cognitio prę omnibus alijs ad rerum diuinarum perfectam cognitionem perducit: in altissimarū enim rerum manifestatione animæ nostræ natura inuenitur, & inuenta deprehēditur, & comprehensa (si, vt par est, ei respondeamus) beatos nos facit, quo nihil est homini conducibilius, aut exoptabilius. De ordine autē & serie quęstionis, vsusq; eius, inferiùs iterū, vt dicamus plura, sese offeret occasio.

Neq;

Quid fide catholica de aĩa noſtra incõcuſſè cenſendum.

Neq; volumus, nec debemus cum noſtris, hoc eſt, cum catholicis cõcertare, quibus fide catholica firmiſsimum eſt, animã noſtram cum corpore non interire: ſtultus enim eſſem, ſi articulum fidei oſtẽdere eniterer, hoc verè eſſet actũ agere. Quod iam Clemens 5. in concil. Vienenſ. decreuit, vt refertur Clementina de ſumma Trinit. & fide catholic. §. Porro, cuius verba ſunt.

Porrò doctrinam omnẽ ſeu poſitionem temerè aſſerentem, aut vertentem in dubium, quòd ſubſtantia animæ rationalis ſeu intellectiuæ verè ac per ſe humani corporis non ſit forma, velut erroneam ac veritati catholicæ inimicam fidei, prædicto ſacro approbante concilio reprobamus: Definientes, vt cunctis nota ſit fidei ſynceræ veritas, ac præcludatur vniuerſis erroribus aditus, ne ſubintrent, quòd quiſquis deinceps aſſerere, defendere, ſeu tenere pertinaciter præſumpſerit, quòd anima rationalis ſeu intellectiua non ſit forma corporis humani per ſe & eſſentialiter, tanquam hæreticus ſit cenſendus.

Quod poſtea concilio Lateran. ſub Leone 10. ſeſs. 8. iterũ definitur, vbi idem concilium Vienenſe refertur, & ampliatur. Et quia in hac definitione animarum periculis prouidetur, non ſolùm ſententiam, ſed verba etiam fideliter inducam: plurimum enim refert illa ſingulatim conſideraſſe.

DECRETVM
Leonis Papæ decimi, in concilio Lateranenſi de Animæ rationalis ſubſtantia.

Quòd aĩa hominis vnica ſit, ipſaque immortalis definitur.

LEO Epiſcopus ſeruus ſeruorũ Dei, ad perpetuam rei memoriã ſacro approbante cõcilio. Apoſtolicæ regiminis ſolicitudo nos aſsiduè pulſat, vt medendis animarum lãguoribus, quarum nos ex alto omnipotens autor curam habere voluit, ijs potiſsimum, qui inſtãtiùs fideles nunc vrgere cernuntur, ſalutifero olei & vini medicamine, ad inſtar Samaritani in Euangelio ſolicitam operam impendamus, ne nobis illud Hieremiæ obijciatur: Nunquid reſina non eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi? Cùm itaq; diebus noſtris (quod dolenter referimus) zizaniæ ſeminator antiquus, humani generis hoſtis nõnullos pernicioſiſsimos errores à fidelibus ſemper exploſos in agro domini ſuperſeminare, & augere ſit auſus, de natura præſertim animæ rationalis, quòd videlicet mortalis ſit, aut vnica in cũctis hominibus: & nõnulli temerè philoſophantes (ſecundùm ſaltem philoſophiam) verum id eſſe aſſeuerent, contra huiuſmodi peſtem opportuna remedia adhibere cupientes, hoc ſacro approbante concilio damnamus & reprobamus omnes aſſerentes animam intellectiuã mortalem eſſe, aut vnicam in cũctis hominibus, & hæc in dubium vertentes: cùm illa non ſolùm verè per ſe & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat, ſicut in Canone fœlicis recordationis Clementis Papæ quinti prædeceſſoris noſtri in generali Vienenſi concilio edito cõtinetur, verùm & immortalis, & pro corporum, quibus infunditur, multitudine ſingulariter multiplicabilis, & multiplicata & multiplicanda ſit. Quod manifeſtè conſtat ex Euãgelio, cùm dominus ait, Animam autem occidere non poſſunt: & alibi, Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Et etiam cùm æterna præmia & æterna ſupplicia pro merito vitæ iudicandis repromittit. Aliàs incarnatio & alia Chriſti myſteria nobis minimè profuiſſẽt: nec reſurrectio expectanda foret, ac ſancti & iuſti miſerabiliores eſſẽt (iuxta Apoſtolũ) omnibus hominibus. Cũq;

Fides nõ cõtraria tur vero.

verum vero minimè contradicat, omnem aſſertionem veritati illuminatæ fidei contrariam, omnino falſam eſſe diffinimus, & vt aliter dogmatizare non liceat, diſtrictiùs inhibemus. Omneſq; huiuſmodi erroneis aſſertionibus inhærentes, veluti damnatiſsimas hæreſes ſeminantes, per omnia vt deteſtabiles & abominabiles hæreticos & infideles Catholicã fidẽ labefactãtes, vitãdos & puniendos fore decernimus. Inſuper omnibus & ſingulis Philoſophis in vniuerſitatibus ſtudiorum generalium, & alibi publicè legentibus, diſtrictè præcipiendo mandamus, vt cùm Philoſophorum principia, aut concluſiones, in quibus à recta fide deuiare noſcuntur, auditoribus ſuis legerint ſeu explanauerint (quale hoc de animæ immortalitate aut vnitate, & mundi æternitate, ac alia huiuſmodi) teneantur eiſdem veritatem religionis chriſtianæ omni conatu manifeſtam facere, & perſuadendo (pro poſſe) docere, ac omni ſtudio huiuſmodi Philoſophorum argumenta (cùm omnia ſolubilia exiſtant) pro viribus excludere atq; reſoluere. Et cùm non ſufficiat aliquando tribulorum radices præſcindere, niſi & ne iterum pullulent, funditus euellere, ac eorum ſemina, originaleſque cauſas, vnde facilè oriuntur, remouere: cùm præcipuè humanæ Philoſophiæ ſtudia diuturniora, quam Deus ſecundùm verbum Apoſtoli euacuauit, & ſtultam fecit abſq; diuinæ ſapientiæ condimento, & quæ ſine reuelatæ veritatis lumine in errorem quandoq; magis inducunt, quàm in veritatis elucidationem. Ad tollẽdam omnem

Præcipitur præceptoribus Philoſophiæ vt diſcipulis ſuis oſtendãt & declarẽt veritatẽ religionis chriſtianæ.

in

Prohibetur cōstitutis in sacris ordinibus incumbere Poësis studiis.

in præmissis errādi occasionē, hac salutari cōstitutione ordinamus & statuimus, ne quisquā decætero in sacris ordinib⁹ cōstitutus, secularis vel regularis, aut aliàs ad illos à iure arctatus in studiis generalibus: vel aliàs publicè audiēdo, Philosophiæ, aut Poësis studiis vltra quinquenniū, post Grāmaticam et Dialecticā, sine aliquo studio Theologiæ, aut iuris pontificii incūbat. Verùm exacto dicto quinquēnio, si illis studiis insudare voluerit, liberum sit ei, dum tamen simul aut seorsum Theologiæ, aut sacris Canonibus operam nauauerit, vt in his sanctis & vtilibus professionibus sacerdotes domini inueniant, vnde infectas Philosophiæ & Poësis radices purgare & sanare valeant.

Sūma decreti Apostolici de aīæ nostræ substantia.

In quo Canone primò definitur, ꝙ anima rationalis immortalis est. Deinde ꝙ est hominis sūbstātialis forma. Tertiò quòd multiplicatur pro corporum, quibus infūditur, multitudine. Quartò ꝙ ex principijs veræ Philosophiæ nil colligitur fidei orthodoxę contrarium: quoniā verum vero non dissonat, & fidei nullum verum aduersatur. Insuper quintò præcipitur omnibus publicè legentibus, vt omni conatu manifestam faciant hanc veritatem, vt omnis errandi occasio tollatur. Quare fide catholica constat quid hac in parte censendum sit: lege, si placet, Alfonsum à Castro lib. 2. aduersus hæreses verbo *Anima* hęres. 1. 5. 6. 7. & 8. Plura possem circa præsentem materiam inducere scripturarum testimonia, quæ consultò missa facio: quoniam ad id, quod ex sententia Arist. nitor instituere, aliena esse videntur. Hæc tamen dixisse sat est, vt discāt nostræ tempestatis Philosophi verbum tēperare, cùm de animę immortalitate sermo inciderit: & nemo audeat tantum sibi arrogare, vt temerè dicat, animam intellectiuā secūdùm veram Philosophiam mortalem esse: quoniam prædicta Apostolica definitione hæreticum est, & secūdùm rationem naturalem erroneū: falsa enim est philosophia, quæ fidei catholicę repugnat. Liberū tamē tibi est, christiane lector, Arist in hāc vel illam trahere sententiā, absq; hoc ꝙ in fidem impingas. Fuit enim Arist. Philosophorum facilè princeps, bonarum literarū parens, & (vt ille dixit) disciplinarū mūdus: tamen homo fuit, à quo humani nil alienū putare debemus: errare igitur potuit in re præsertim altissimè recōdita. Cæterùm philosophia legitima semper est vera, deficere neutiquam potest, vtpote quæ à Deo sit, à Deoq; insita. Idcirco quęcunq; argumētationes contra fidem proponūtur, captiosæ sunt & fallaces: quod eleganter ostendit S. Tho. 1. cōtra gent. c. 7. & 8. Quicquid ergo sit de animæ immortalitate secundùm Arist. philosophiam, tamen quę vera philosophia est, cū fide consonat, tenetq; animā creari, & creando corpori infundi, destructoq; corpore ꝑpetuò perseuerare. Quęstio igitur, quę cōtrouertitur, & vtrinq; verisimilitudinē habet, sub his verbis ꝓponitur.

Quid inter verā philosophiā & philosophiā Aristotelis intersit.

Aristot. laus.

QVAESTIO NATVRALIS

An humanus animus ex Aristotelis principijs immortalis sit? atq; si in tradenda nostræ animæ natura sibi Philosophorum princeps dissentiat, & pugnātia dicat?

Quæstionis in præsentia cōtrouersæ quæ sit futura resolutio.

Ste est status litis, non quid sentiāt catholici & veri Theologi, nec quid ex vera Philosophia cōstet de animæ nostræ immortalitate, quia habemus fidei decretum esse immortalem, & ex vera Philosophia incorruptibilem, sed quid ex Aristotelis principijs deducatur. Et nostra resolutio est, quòd etiam ex Philosophia Aristotelis habetur & confirmatur animæ nostræ immortalitas: quod sēsisse Aristotelē mihi persuadeo ob multas, quas ab eo depromemus, efficacissimas rationes. Licet enim in his eruendis, enucleandisq; non paruus sit suscipiendus labor, neq; indiligenter insudandū, bono tamen & alacri animo facio, quando hæc ad veritatis robur & fidei catholicæ firmamentū conducunt, atq; ad stabiliendā animæ nostræ excellentiā & dignitatē maximopere cōferūt. Ecquis enim non bene animetur ad pugnādum pro animę nostrę immortalitate? quam non solùm indissolubilis catholica nostra fides tenet, sed etiam eandem vera Philosophia doceat, & Aristoteles verę Philosophiæ discipulus & alūnus fateatur? Tametsi Arist. hac in parte lubricè & obscurè fuerit loquutus (quia graue erat & difficile in re altissima & abstrusissima sentētiam dicere, vt verba Aristotelis fortasse in vtramuis partem captiosus aliquis deflectat) tamen animus Aristotelis neq; anceps, neque dubius fuit,

Quib⁹ calcarib⁹ descendat Autor in præsentē arenam.

non nutat, neq; vacillat: obscuritatem tamē pro rei difficultate affectauit, quoniam se ab infinitis dubijs, quæ emergebāt, omnino extricare nō valebat. Neq; poterat quidem: quoniā anima nostra non tantùm terminus est rerum naturalium, sed initiū etiā sublimium & superiorum, quæ sine peculiari Dei reuelatione exactè attingi nō possunt. Sed quicquid de hac re sit, enitar ostēdere, nihil Arist. dixisse, quod animorū nostrorū immortalitati repugnet. Cupio enim vehemēter Arist. de omnib' disciplinis optimè merito gratū facere, atq; eum ab hac infamiæ nota, quā scioli ei inurūt, eximere & liberare, eiq; debitum honorem restituere, quo pręposterа & malè sana ingenia ipsum expoliarunt, vt desināt hanc opinionem in vulgus spargere & seminare, atq; sub hoc prętextu & nomine Arist. miseros & incautos in ignorātię barathrū detrudere: illi inquā, nō Aristoteles, reprehēdēdi sunt, q hoc pestifero veneno genus humanum inficere moliuntur. Minùs enim immortalitas animorum nostrorū (quā fides catholica testatur) istorū calūnię patebit, vt labefactari aut subuerti queat, quādo in Arist. philosophia vehementissima & potentissima præsidia reperimus, & efficaciùs stultam horum opinionem reuellemus, cùm manifestū fuerit vera ab Arist. cōstituta principia, vnde animam nostram cum corpore interire sit impossibile. Cessēt isti malè sanę fidei homines sub hac techna fidē catholicā ludibrio & calūniæ exponere, & fomentū errorum, malitięq; fermentū humano generi admouere. Non possū me herclè Deo immortali grās nō habere, qui non cōtentus modò per vnigenitū suum veritatem fidei patefacere, sed etiā pro animorū immortalitate Arist. dedit naturæ magistrū, ad quē in rebus dubijs & ancipitibus, quæ ad naturam spectarent, cōfugeremus: quem quidē vt literarū, doctrinarumq; parentem, nobis concessit, vt nō ineptè liceat cōijcere, Dei Opt. Max. singulari prouidentia nobis Arist. diuinitùs contigisse, vnde patrociniū sumeremus aduersus quorundā in hanc de immortalitate animæ fidem criminationes & querelas, ne qua ex parte fides sine tutela vacaret, aut à natura destituta esse videretur. Viua igitur vox naturę Arist. est, & perfectę naturę specimē, qui neq; substulit aiæ nostrę immortalitatem, neq; eam nobis inuidit, quoniam animorū nostrorum excellentiam & dignitatem summopere est veneratus. Sed proprijs auribus audire sentio iniquū rerū censorē me vituperātem, q Arist. Ethnicū hominem & à fide Christi alienū, Theologū faciā: desistet sanè & mirari desinet quisquis is fit, si superiùs inductū Lateran. cōcilij pręceptū diligentiùs animo verset, vbi districtè nobis præcipitur, ne in dubiū vertamus negotium de animę nostrę immortalitate, & pro virili nostra pręcludam' aditus, ne subintrēt errores: quod video cōmodiùs me nō posse præstare, quàm si Arist. doctrinam in nostrā traham sententiā. Magnus enim aditus aduersarijs veritatis præcluditur atque pręripitur, cùm Arist. cum fide hac in parte cōciliamus, & omni studio persuadem' verè nobiscum sentire, & aduersariorū omniū argumenta solubilia existere: nō enim sufficit (vt sacrū dicit concilium) tribulorū radices præscindere, nisi & ne iterū pullulēt, funditùs radices euellas, eorū semina, originalesq; causas, vnde facilè oriuntur, remoueas. Nō est ergo cur, vel hanc laudē Arist. Philosophorū summo inuideamus, vel hoc minimè quidē contemnendū pro immortalitate aiæ subsidium fidei catholicæ adimamus, cùm D. Hieronym' Arist. naturæ specimen vocare nō dubitarit. Tanta est enim benignitas, & tam profusa erga genus hominum Dei charitas, vt nullo nunquā tēpore hominū genus reliquerit illis præsidijs destitutū, quæ sunt ad immortalitatē aiæ dignoscendā accōmodata, & ad beatā vitā consequēdam sūmopere necessaria. Quod Paul. ad Hebr. 11. docuit dicēs, *Credere enim oportet accedentē ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator fit*: & ad Rom. 1. cōtra Philosophorū superciliū inuehitur, & inexcusabiles asserit, *Quia cùm cognouissēt Deū, non sicut Deū glorificauerūt, &c.* & Regi' Vates Ps. 4. *Signatū* (inquit) *est super nos lumē vultus tui domine*, vt ostēdat nobis bona. Hæc enim ipsa melioris vitæ pręsidia & adiumēta, siue fœcunda omnis veri, boniq; semina De' Opt. & Max. nostris mentibus inseruit, vt in numerato & velut ad manū haberemus præsensionem de immortalitate animorum, & vnius Dei singulari & exacta prouidentia atq; spe remunerationis bonorū, malorūq;. Nimi' igitur nemini videbor, qui tā pręclaris rationib' permotus, magno studio certū facere cōtendā, pro fide nobiscū Arist. stare, recteq; de animorū immortalitate cēsere. Quapropter dū nullū non mouet lapidem dili-

Autoris propositū.

Obserua christiane lector.

Arist. cōmēdatur.

Cur Aristoteles ex Ethnico Theologus & diuinus efficiatur.

diligentia & industria nostra, vt Aristotelis sententiam legitimam de æternitate animorum memoriæ prodam, intelli ge, christiane lector, me toto corde pro fide catholica, quam præ oculis atque in præcordijs habeo, enixè certare. Volo equidem meum istud obolum in domini gazophylaciū conferre, præsertim cùm antiquiores rem hanc fusiùs pro suæ eloquentiæ flumine tractarunt: cuperem autem ad quotidianum scholarum vsum præsentem controuersiam accommodare. Veritas enim etsi in disputationibus ornari non vetet, fuco tamen & orationis lenocinijs, licet maximè delectet, non potest exactè ad trutinam in lance expendi, sed habitur enim, & nonnunquam falsum loco veri persequimur. Missos facio Niphū lib. 3. de intellectu & lib. de immortalitate animæ, & Nicolaum Fauentinum, Ioannem & Franciscum Picum Mirandulanum in digressione de hac re super 3. lib. de Anima: & Hieronymum Cardanum, & reliquos, qui variè & ostentatoriè rem hāc, meo iudicio, sine vtilitate & resolutione tractant. Inter nostrates autem recentiores oēs versant, qui ad hanc Philosophię partem se exercuerunt: Scholastici enim lib. 4. sententiarum d. 43. vbi Soto diligentissimè, & Recentiores aduersus Cano lib. 12. de locis cap. 15. elegantissimè, versant, nisi quod ad rem nostram parum accommodatè, quoniam plus diuinis, quàm peripateticis vrgent testimonijs: in quo præsentis disputationis lis est, quid sentiat Arist. non quid fide tenendum sit. Nicolaus Fulginas cognomento Tignosius varijs in locis enarratione in hos tres de anima libros argumentū istud tetigit, cùm tamē misceat impertinētia multa, & nil omnino resoluat, & quādoq; minùs cōsideratè ad ineptias Cōmētatoris sensim dilabatur. Caietanus à Thienis in Commentarijs de anima, dum Paulum Venetum (vt in more habet) inducit, Nominalium scholam sequitur, & rem præsentem leuiter tangit: & pessimè facit, dum modum tuendi Auerroim docet, quod ei liberū non est propter præhabitum concilij Lateranensis præceptum atq; decretum. Caietanus de Vio in altero extremo breui sua cōmentatione in hos Arist. libros subtiliter multa dicit, subtiliùs tamen & efficaciùs Commentarijs ad 1. p. D. Tho. sed non est oscitanter & in trāsitu legendus propter ingenij acrimoniam & in dicendo innatam obscuritatem: & nescio qua via dilabatur, effugiatq; , vt cum Scoto in eam inclinet sententiā, vt Aristotelis rationes pro animarum æternitate minùs euidentes & efficaces esse, iudicet: contendimus tamen nos, Aristotelem verè & euidenter animarū immortalitatem demōstrasse. Michaël de Palacios Granatēsis vagè & latè non semel tractat, quæ videas nūc antiquiores referre, nunc autem ad recentiores descēdere, rem tamen nō premit, sed leui & suspensa manu tractat. Oportuisset igitur virū præstantissimum ad viuū magis rem resecare, & sua insigni diligētia dubia, quæ pauca nō sunt, pro acerrimo suo ingenio dissoluere. Sebastianus Perefius, cùm in calce suorū Cōmētariorum in libros de anima ad hanc peruenit controuersiam, velut in trāsitu & perfunctoriè percurrit, contentus egregia & elegāti sua enarratione, quā anteà circa literam Arist. haud indiligenter præstiterat: expectabā enim à summo eius ingenio, vt quibus in locis Arist. sibi dissidere videtur, enucleatus cōciliaretur. Cùm autem ad manus peruenit collega noster Gaspar Cardillo Villalpandeus Apologia pro Arist. de immortalitate aīæ, visus mihi est summos illos antiquiores Philosophos orationis elegātia si non superasse, equasse tamē: recētiores verò acrimonia & disputationis efficacia vicisse oēs. Et certè penè ceciditsset calamus à manu & parū abfuit, quin ab huius quęstionis tractatione prosilirēs quod profectò fecissē, nisi tam multis locis à nobis controuersia ista fuisset promissa, cui⁹ gratia plurimi loci relinquebātur à nobis mutili & māci, qui exactiorē enarrationem poscebant, nimirū qui in hūc locū remittebantur: nō ergo decet, nec relinquere debemus truncatam nostrā enarrationem. Refert Socrates apud Platonem in Gorgia lib. 4. *nefas esse mancas omittere fabulas, imo colophonē addendū, ne sine capite aberrent*: ideo pergendum est quò cœpimus, etsi actū agere videamur, vt sermo hic noster caput sortiatur. Nam etsi optimè ille collega noster confirmet quam intendimus conclusionem, aduersariorum tamen oppositiones, & quæ ex Aristotele sese offerunt collisiones breuiùs & leuiùs, quàm par erat, percurrit. Qua in parte non modicū à me insudandum est: vtinam dum hęc facio, in plura vitia non incidam & reprehensibiliora, quàm ego in alijs vitupero. Quid enim aliud ab exili meo ingenio pro exigua eius

Autoris mens ex aliorū autorū collatione deprehenditur.

Soto, Cano, Scot⁹ & Scholastici.

Tignosius

Caiet. à Thienis.

Caiet. à Vio.

Granatensis.

Peresius.

Villalpandeus.

Autor.

supellectili expectari queat, quàm copiosū & monstrosum examen vndiq; ebullientium defectuū: me præsertim per improbū laborem & assiduas vigilias confecto, & in quotidianis Theologiæ prælectionibus & contionibus ad populū impedito, & ab his studijs iam distracto. Iacta enim est alea, & posteaquā semel cœpimus, promissa vt appareant, est necesse: & viro Theologo atq; christiano nō sat est Arist. enarrasse, sed tāto studio atq; conatu excutere, vt quātum fieri possit cōsentaneè ad fidem loquatur, ne veritatis hostes ab Arist. armorum præsidia precariò sumere possint. Quod si (Dei gratia) præstitero, spero ex hoc nostro labore non mediocre expectandum emolumentum. Eteniм multi adhuc viuūt (proh dolor) qui, vt vitijs habenas relaxent, sibi persuadeant similem esse hominum acinmentorum exitum, ideo de virtute non curant, neq; de bonis æternis soliciti sunt, nec ventura timent: quos æquum est ratione naturali confundere, & testimonio Aristotelis refręnare, ne putent tantum Philosophum patronū sibi fuisse, intelligántq;, nisi resipuerint, in æternum perditum iri. Quocirca non solùm pro fidei robore atq; optimorum morum stabilimento; sed & fidelium omnium cōfirmatione, vniuersa, quæ ad rem præsentem pertinent, ex Aristotele pro nostra industria, in vnam sententiam colligemus, componemúsq;, vt quę ab alijs sparsim & diuisim dicta sunt, in vnam perfectam aciem componamus, vt faciliùs cōprehendi queat quod intendimus; & cessent isti Aristotelis sententia se protegere, habeantq; vnde hoc suum commētum incipiat displicere, neq; ampliùs propter eam opinionem, quam falsò Aristoteli imponunt, in præcipitium vitiorum se dedant, dum contra immortalitatem animæ obmurmurant, vt à debito hominis officio licentiosiùs abstineant, & sibi, suæq; concupiscentiæ plausibiliter satisfaciāt. Erasmus curiosiùs, quàm catholicum deceat virum, cupit, D. Paulum clariùs de resurrectione & de animorū immortalitate fuisse loquutum, cùm tamē Apostolus nihil clarius aperuerit omnibus suis Epistolis, sed in ea potissimùm, quæ est prior ad Corinthios cap. 15. *Si in hac vita tantùm, in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*. Sed ille dubitat, an in meridie sit dies, vt Chrysostomus dicit homil. 4. de prouidenti a: idem enim iste desideraꝰ, ac siquis in Aristotelis libris optasset principium illud, notissimum *Quodlibet est vel non est*: clariùs resumę returː sicut enim *Quodlibet est vel non est* in disciplinis speculatiuis principium est simpliciter primum, & euidentissimum, ita & in moralibus, desimiliter manifestum & primum principium est *Animæ immortalitas*, vnde humanę vitę & omnis reipublicæ bene constitutę optimū regimen & moderatio expectatur. Nisi enim spes esset de futuris, atq; nostri finis vltimi cōsideratio animo nostro immota sederet, manca esset & imbecillis omnis ad virtutē exhortatio: hæc autem in natura & visceribus ipsius Philosophiæ recōdita est, nam definiente concilio Lateran. anima nostrà natura sua immortalis est. Quapropter meditatio ista nostra laboris est & industriæ plena, quam si exactè pro exiguis meis viribus tractare (Deo duce) contigerit, non minus voluptatis, quàm fructꝰ est allatura: siquidem tenemūr (docēte D. Petro) rationem reddere, potissimùm de spe, quę in nobis est, vt non solùm fideles confirmemus, sed etiam ethnicorū ora obstruamus. Quod si nobis contingat (Deo dante) præstare, nō solùm ab aduersarijs veritatis præcipuum armorum genus præripiemus, sed ad veritatis cognitionem ipsos pertrahemus: si autem obaudire renuerint, sat superq; debitum nostrum pręstitimus officium, quod erga ipsos charitas christiana iubet exhibere: & nos dociles & obedientes reddimur præcepto adducto ex Lateranensi cōcilio, cùm veram Philosophiā, quæ immortalitatē animæ docet, ex peripateticis principijs inducimus. Qui Aristotelem nanque contenderit animæ nostræ mortalitati patrocinari, minimū proximus est, vt asseueranter etiam affirmet, ex vera Philosophia animam nostram mortalem esse, quod est hæreticū: fuit enim Arist. Philosophorū summus, à quo magnam partem optimæ Philosophiæ habemus. Dum igitur animæ immortalitatem ex ipsius principijs ostendere contendimus, enitimur profectò iuxta Lateranensis concilij traditionem animæ nostræ æternitatem ex vera & legitima trahere & deducere Philosophia.

Sed missis præfationibus, multisq; ambagibus, ne videamur de industria propinciā hanc recusare, tēpus est, vt ad propositæ quęstionis elucidationē veniamus: si tamen

Quæstionis cōmoditas atq; vsus.

Erasmus notatur.

Attende Autoris mentē, et quæstionis scopū.

Ordo & methodus procedēdi collocatur.

prius

priùs lectorē admonuero, decretū mihi esse scholastico more nostro argumentū propositū vrgere, vt principiò omnibus dubitādi rationibus propositis, mox relatis atq; reiectis aliorū erroribus, tum veritatem rationibus naturalibus atq; Arist. testimonijs demonstremus, vt tandem solutis dubitationibus finem dicēdi faciamus. Genus autem demonstrandi non debet à me requiri simpliciter optimum mathematica acribologia (vt dicit Arist. lib. 2. Meta. in fine) quoniā iste certissimus ratiocinādi modus sciētiæ naturali, quæ motui & variationi subditur, nō cōuenit. Hominis enim probè periti officiū est, limites propriæ cōmentationis non excedere, sed regulā obseruare, & requirere, quæ sit rei, de qua agitur, accōmodata: ineruditꝰ proculdubio ille erit, qui ab oratore demonstrationes exigat (lib. 1. Eth. c. 3.) Sēsibilibus igitur & moralibus rationibus res hæc manifestanda est: ad res enim adeò occultas non possumus exactas Mathematicorū adducere demōstrationes, sed perspicuè & euidēter animorū immortalitatem ostēdemus, si cōiecturis & verisimilibus rationibus, quales natura ipsa admittit, ostēderimus ea ex parte, qua nobis agēdum est Arist. testimonijs: quæ enitar adeò cōsentaneè exponere, ne locus relinquatur quorundā incertæ & variæ sentētiæ, qui plures admittūt cuiusq; loci expositiones, quā Prometheꝰ ille poëticus induceret formas, aut Ouidianus ille Protheus se poterat cōmutare.

Quo genere demonstratur animæ immortalitas.

Hac igitur tam certa, constanti atq; accōmodata methodo, si dominus dederit, pensum nostrū persoluemus. Itaq; quod cōtrouertitur est, an ex principijs naturalibꝰ, quæ ab Arist. accepimꝰ, anima humana cōuincatur immortalis? Cuiꝰ quæstionis sēsus est, vt intelligamus id, quod quæritur, nēpe an aīa nostra det corpori humano esse, per hoc ꝙ existentiā (quæ in ipsa simplex est) corpori communicat, vt hominis essentia in cōpositione integrè cōsistat: & hāc existentiā anima, dum à corpore separatur, ad sese retrahat atq; resumat, ita vt non desinat esse simpliciter, neq; intereat, sed tātùm desinat esse in compositione? Cōclusio autem affirmatiua erit, nēpe quòd ratione naturali cōuinci potest ex scriptis Arist. scilicet animā rationalem iuxta sensum prædictum formā hominis & immortalē esse. Sermo autē habēdus est cum hominibus rectè dispositis, beneq; animatis, qui dociles sint, scilicet neq; ignorantes, neq; obstinati: A*ctus enim agentium, in eo, quod patitur, atq; disponitur, inesse videtur*, lib. 2. de Anima tex. 24.

Sēsus quæstionis & conclusio nis, et totius cōtrouersiæ resolutio ob oculos proponitur.

Vniuersum istum tractatū in quatuor partes distribuimus. Prima difficultates comprehēdet. Secunda errores confutabit. Tertia veritatem confirmabit. Postrema difficultates diluet.

Posita præfatione, prima huius tractatus pars difficultates proponit.

SEntentia est Arist. lib. 1. Ethic. ad Eudemum, debere controuertētes cōtrariorū argumentorum pondera atq; momenta, & quæcunq; maximè apparēt aduersa, primū omniū inducere: quoniā parādæ facultatis initium est difficultas, quæ est quædam ad disciplinas capessendas expeditior via. Vnde dicenda magis creduntur, si earum sententiarum, quæ in controuersiam veniunt, iura priùs fuerint audita: sic absentes quidē minùs gratis condemnare videbimur, cùm vt iudices arbitri, non vt aduersarij, ad iudicandū descēderimus: sed in his modū tenere oportet, qui in omni negotio optimꝰ est. Priùs igitur vinculum, quo intellectus noster hac in parte ligatur, attendamus, vt nodū, quem dissoluere nitimur, intelligamꝰ (plura dicit Arist. de hoc præcepto lib. 3. Meta. tex. 1.) Itaq; vt sciamus quis sit finis nostræ inquisitionis, prædubitādum est de ijs, qui aliter opinionem susceperūt, quàm rei veritas habet. Plures autem sunt argumentationes, quàm vt quispiam hactenus in summam redegerit, aut vlla ratione resoluerit, necdum vnus ego enarrare sufficiam: summo tamen studio contendā methodo aliquot colligere, & ad certa reuocare capita.

Nō inutiliter antecedit dubitatio.

Quadrifariā quidē anima potest excogitari. Primò, habitudine ad agēs, quod ipsam produxit aīam. Deinde in ordine ad semetipsam, quatenus participat esse à suo autore deriuatū. Tertiò, quo modo aut qua ratione anima iam facta, absolutè in homine principium sit humanarū operationum. Tādem habitudine ad corpus, à quo dissoluitur, si separata otiosa sit, aut quidpiam operetur. Sic res alioqui abstrusissima commodiùs ma-

Certa, breuique ratione enumerantur & cōprehenduntur dubia de aīæ immortalitate, vt & facilè in-

telligere, et modica opera meminisse valeam. manifestabitur, & amplissimũ argumẽtum & tam latè patens intra minores cancellos cõtinebitur, cõtraheturq;, vt id, de quo dubitamus, arte & ratione cõprehendatur.

1. difficultas sumitur ex parte agẽtis. Principiò igitur difficultatẽ ingerit, cùm anima nostra non sit creator, sed quædã ex creaturis, quonã modo ad agẽs sese habeat? si fuerit ante corpus producta. De quo dubitãr grauissimi viri, & non solũ sapientissimi Philosophi, sed etiã sanctissimi Patres. Rufinus lib. Inuectiuarũ contra D. Hieron. affirmat, hoc aliquando sensisse D. Hieron. Epistol. ad Ephesinum, dum elucidat illud D. Pauli ad Ephes. 2. *Ipsius enim sumus factura.* Et Greg. Nyssenus lib. 2. de Anima c. 6. non solùm ante corpus factã esse docet, sed oẽs animas ante corpus simul creatas cùm illa Adę anima. Neq; abhorret ab hac sententia D. Aug. lib. 7. de Genesi ad literam cap. 23. & 24. & Magister sententiarũ lib. 2. d. 17. D. Aug. autoritate commotus dicit, ꝙ sub dubio quasi vtrauis pars sine periculo hæresis asseri & defendi possit. Hãc tenuit Origenes, qui cum D. Aug. & Greg. Nysseno hũc errorẽ à Platone suxerunt: & quidẽ nõ absq; occasione: quoniã si anima nostra immortalis est, & esse habet à corpore independens, & sine corpore permanere potest, nõ habebit profectò vnde cogatur dependenter à corpore in sua creatione fieri? Quæ enim ratio Deũ compelleret animam in corpore creare, ipsius animæ natura cõtradicẽte? Aut si in corpore necessariò producitur, ipsa non crearetur, sed potiùs cum alijs formis corruptibilibus ex potẽtia materiæ educeretur, & in mũdum traheretur ex vi naturalium dispositionum? sic enim vnũquodq; fit, vt natũ est fieri (lib. 2. Phys. tex. 85.) nunquam autem fit nisi in materia disposita: ergo ex vi naturę anima producitur, atq; adeò à materię dispositione pẽdet. Cuius rei signũ est, ꝙ vna anima altera essentialiter est nobilior atque præstantior: quod ostẽdit ingeniorũ & cõplexionũ mira diuersitas. Insuper cùm ex ratione corporis indiuidua sit, atq; corpori tanquã indiuiduus comes colligata, quare pariter cũ corpore nõ interibit? Neq; euades difficultatem, si dicas, quòd à Deo pro diuina eius volũtate creatur: nam Aristoteles creationem nõ nouit, qui ex nihilo nihil fieri pronuntiauit lib. 1. Phys. tex. 62. neq; intellexit, quòd causa prima sine secundis agere possit, sed mundum hũc contiguum lationibus superioribus, vt initio Meteororum.

2. difficultas sumitur ab aĩa in se. Secundo loco vrgemur conditione illa, quam anima in suo esse exposcit: quia si anima in se subsistat independenter à corpore, habebit esse proprium, quod à corpore non emendicabit, subindeq; habebit totalitatem essentiæ, vt iam non naturę humanę pars, sed persona, completáq; natura sit: quare non corpori vnietur, neq; erit humani corporis substantialis actus, neq; animæ definitio (quam Arist. lib. 2. de Anima tradit) vniuocè animæ nostræ intellectiuæ cum reliquis animabus competeret? Aut si ex alia parte aĩa vniuocè est actus corporis: cum reliquis igitur à corpore pendet, cui, vt forma materiæ, immergitur, ideòq; generaretur cũ materia, & cum corpore periret? Euasio est (quod quidam dicũt) animã secundùm suã essentiam actũ esse corporis, tamen secundùm potentiam separatã esse, nempe secũdùm intellectũ, qui nulli⁹ corporis est actus (lib. 2. de Anima tex. 11.) Nã quomodo potẽtia magis erit separata, quã essentia? Adhæc, quia vel anima spiritualis est, vel corporea? corpoream non dices, sic enim non esset separabilis: erit igitur spiritalis & immaterialis? Tum vehemẽtior insurgit difficultas, nempe quid cõmercij habeat spiritus angelicus, cui anima affinis & simillima est, vt corruptibili, caduco, immundóq; corpori tam stricto amicitiæ nexu copuletur? Rursus si (vt vera habet opinio, vt lib. 1. de generatione cap. 10. diximꝰ) mistorum forma modus quidã medius substantiæ est continens virtute elemẽtorum formas, & homo de genere mistorũ sit: igitur forma hominis, forma misti cùm sit, certam proportionem obseruabit inter ipsas formas elementales: erit ergo corporea & materialis nostra anima, vtpote quę ex mistione elementorum resultat? Tãdem prægrandis est difficultas, si hominis generatio naturalis sit, an pręter naturam, cùm anima vna ex parte actus corporis est, ex altera parte de foris adueniat, & nulla creata virtute producatur?

3. difficultas ex animæ operatione. Tertia difficultas ex habitudine animæ ad suam operationẽ sumitur: operatio enim est, quæ maximè formam indicat: sed anima non potest sine phantasmate intelligere (lib. 3. de Anima tex. 38.) ideo post mortem nõ reminiscimur (ibidẽ tex. 20.) ergo si immortalis anima sit, infinito tẽpore feriaretur & otiosa torperet, quod maximè natura

tura abhorret, quæ vnumquodq; facit propter suã operationẽ (lib. 2. de cælo tex. 17.) aut natura abundaret in superfluis: ergo aia simul cũ corpore peribit, cùm depẽdenter ab ipso omnẽ suam habeat functionẽ? Confirmari potest, quia animę separatio à corpore non potest non esse animæ violẽta & nimiũ tristis, cuius coniunctio ad corpus adeò est natiua, & animæ rationalis naturali inclinationi germana. Rursus nõ paruũ dubium est, si anima corpori propter melius esse corporis, an potiùs propter melius esse animæ vniatur? Nam si dicas propter corpus vniri, formã dabis ad materiã ordinari, quod absurdũ est? Quo autẽ modo propter melius esse animæ vniatur, non cõstat, cùm corpus animæ ad intelligendũ non tantùm nõ subseruiat, quin potiùs impedimento sit, ne quod velit anima cognoscat, neq; se, quãdiu est in corpore, perfectè inueniat: nã nihil nisi ex phantasmatibus intelligit mens.

4. difficultas ab statu separationis animæ desumpta. Tãdem status separationis animę maximè nos torquet, si otiosa sit anima separata, an intelligat, & quid, quomodo, quibúsve speciebus? Certè videtur nõ intelligere acquisitis speciebus, quoniã pendent à phãtasmatibus, vnde desumptæ sunt: in anima autẽ omnino à corpore separata nõ est phã[tasma]. Quòd autẽ anima alias species habeat, nescimus quo modo sit possibile: an vel ex ordine naturę, an potiùs Dei beneficio cõcedatur? quare vel non intelliget, quia nõ habebit species: aut si intelligat per species illas infusas à Deo, cùm sint superiores atq; adeò improportionatę, minùs cõgruè intelligeret, quàm eius excellẽtiæ cõueniat pro illo pręstãtissimo separationis statu? Cõfirmatur, quia si natura sua rationalis anima corporis est actus, separari à corpore contra naturã erit animę, & proculdubio nõ poterit non esse repugnans separatio eius, cuius coniunctio adeò intimè semper sit in votis. Adhęc accedit, quia si Aristoteli mũdus est ęternus, & omnes ei⁹ species coęuæ mũdo, ergo fuit ab æterno cõtinua hominũ generatio, atq; adeò præcesserunt infiniti homines, quorũ animę sunt superstites: igitur infinita multitudo daretur, quod negat Arist. lib. 3. Phys. à cap. 4. vsq; ad finẽ: ergo secum pugnat Arist. quia vel mundus non fuit ab æterno, vel datur infinita multitudo rerũ, vel aĩas à morte hominis superesse est impossibile: aut si supersunt, possẽt iterum ad corpora regredi, & per naturã resurrectio esset possibilis: quod est fidei aduersum, & Arist. negat lib. 1. de Anima tex. 41. & lib. 2. de gener. tex. 70. & in post prædicamentis cap. de oppositis, ꝙ à priuatione ad habitum impossibilis est regressus per naturã.

Has oẽs difficultates speculari nos oportet, vt ad veritatem, quã inquirimus, deueniam⁹: quãs omnes proposita methodo induximus, quia promiscuè, cõfuseàc incertè illis vtuntur, qui animorũ nostrorũ immortalitatẽ vel ex vera philosophia, vel ex ea, quam ab Arist. habemus, infringere vel infirmare pergũt. In oppositum tamen Aristoteles est plurimis locis tota hac nostra enarratione citatis, qui lib. 2. de anima c. 1. & 2. animam nostram substantialem hominis formã docet: & lib. 3. de Anima cap. 1. & 2. separabilem ostendit.

Vsus ex quæstione expectãdus. Res hæc grauissima est & anfractib⁹ plena, tamen quæ mortalium generi plurimũ conferat, in qua expectãda sunt omnis virtutis exordia, hinc religionis ortus, hinc vitiorũ exitus, finis atq; clades. Quocirca sũmopere cõcupisco, vt tam multa, quæ proposui, dissoluã, & tam latè patentẽ materiã si non angustis finibus, tamen dilucidis & apertis concludam. Quid enim prodest (inquit D. Aug. in suis confessionibus) altissima quæq; deprehendisse, mõtium vertices metiri, terræ ambitum cõprehendere, fluctus maris atq; astrorum percurrisse cursus, vim siderum penetrasse, cæli gyros considerasse, seipsum tamen relinquere atque ignorare, propriámq; conditionem negligere? Hoc igitur est quod ego facio, ob id me totum difficultati huic deuoui, ne huic subijciar damno, & huius insimuler reprehensionis: nihil enim proderit cætera cũcta cognitione perlustrasse, si ignorantiæ detrimẽtum anima in semetipsa est perpessura.

Secũda huius tractatus pars errorum congerit confutationes.

Opinionũ reiectio. Laboriosum nimis, ac penè immensum est oẽs opiniones dicere velle, refellere autem difficillimũ, & quod plus spinarũ, quã fructus adferret. Diu igitur mihi cogitanti visum fuit, relictis antiquioribus (cũ quib⁹ lib. 1. de Anima Aristoteles congressus est) cũ recentioribus rem hãc habere: neq; cum omnib⁹ his indiscriminatim, sed solùm cum

Aristot. laus. Peripateticis, quorum princeps fuit Aristoteles, qui Philosophorum summus à natura constitutus esse videtur, atq; à Deo datus, vt naturę specimen & dux rationis naturalis esset, hominúmq; magister. *Optima opinionũ distributio.* Omnibus igitur Peripateticis conuenit, animam nostram secundùm partem intellectiuā incorruptibilem esse: at secundū partem sensitiuam corruptioni obnoxiam. Ex quo fundamento alterum ex duobus licet inferre: vnū, quòd in nobis sint plures animę (quod tamen contra veram philosophiam est, vt lib. 1. de generatione cap. 4. & lib. 2. de Anima circa cap. 1. & 2. & maximè circa 3. diximus: quod nimis est conforme decreto iam tradito ex concilio Lateranensi) vel alterum sequi oportet, quòd si vna tantū anima est (vt reuera in homine non est nisi vnica anima rationalis, quę omnes alias sua virtute continet, & supplet) inęqualiter in homine sese habeat, siquidē in eo, quod ex contrarijs cōstat, alterum necesse est dominari (vt lib. 1. de cælo tex. 7. & ad finem lib. 1. de generatione cap. vltimo & lib. 2. de genera. tex. 47. & lib. 10. Meta. tex. 23.) Quare cùm anima nostra vna ratione corruptibilis, altera incorruptibilis sit, necessū est, quòd vtrūq;, corruptibile scilicet & incorruptibile, simpliciter habeat, vel alterū secundùm quid, vel quòd ambo, corruptibile scilicet & incorruptibile, secundùm quid ei conueniant. Itaq; cùm impossibile sit primum, scilicet quòd anima simpliciter sit corruptibilis, & simpliciter incorruptibilis, quia contraria in sua excellentia non possunt eadem ratione simul competere eidem: & tertium quoq; repugnet, vt vtrũque tam corruptibile, quàm incorruptibile competat ex parte & secundùm quid, siquidem dicuntur per contradictionem, ergo necesse erit alterum absolutè inesse: sic igitur secūdum membrum, vt vnum secundùm quid, alterum simpliciter competat, vt asseratur anima corruptibilis simpliciter, secundū quid incorruptibilis: vel èdiuerso simpliciter incorruptibilis, secundùm quid autem corruptibilis. *Tres de aīa opinio nes.* Quocirca necessum est, omnes de animæ immortalitate opiniones ad tres reuocare. Et prima opi- 1. nio fit dicentium duas esse animas in homine: vnam intellectiuam, quæ simpliciter est incorruptibilis: alteram verò sensitiuā, quæ simpliciter est corruptibilis, vbi corruptibile & incorruptibile simpliciter conuenit eidem homini, non secundùm idem, sed secundùm distinctas animas. Secunda opinio 2. eorum est, qui ponunt vnam animam, sed simpliciter corruptibilem & mortalem: at secundùm quid immortalem & incorruptibilem. Hanc opinionem illustrem fecit Alex. ille ex Aphrodiseo lib. suo de anima c. 8. quanuis in quæstionibus naturalibus videatur oppositā tueri sententiam, citatur tamen ab Auerroë, Themistio, Philopono, vt egregiè notat Mirandulanus: & quòd magis miror, ad hanc sententiam videtur accedere Iustinus Mart. lib. de placitis Philosophorum. Tertia tandem opinio fatetur 3. vnicam esse animam, quæ desinat esse, & corrumpatur duntaxat secūdùm quid, simpliciter tamen & absolutè incorruptibilis sit & immortalis. Hanc opinionem tenent Philoponus, Simplicius, Themistius, & omnes graues Philosophi, denique omnes Græci. Inter quas sententias duas priores secundùm veram Philosophiā reijciemus; *Opinio 3. quatenus sequẽda.* tertiam autem interpretabimur, & non tātùm secundùm veram Philosophiam, sed iuxta assertam ab Aristotele Philosophiā amplectemur, ostendemúsq; veram.

1. opinio Auerr. Principiò igitur primam examinemus, refellamúsq;, in qua illud modò non versamus, si in homine possent esse plures formę (de hoc enim latiùs dixi locis de generatione & anima dudum citatis) sed de corruptibilitate aut incorruptibilitate animæ nostræ controuersia est. Iuxta quem sensum tenuit Auerroës Aristotelis Commentator, animam sensitiuam, quæ sola est forma hominis, simpliciter corrumpi: intellectiuā autem neq; esse formā hominis, neq; corrumpi, sed immortalem esse, vnicámque in omnibus hominibus. Relicta igitur sensitiua (de qua in præsenti non agimus) tota dubitatio est de intellectiua, de qua probat Commentator & quòd non sit forma hominis, & quòd vnica sit in omnibus hominibus, pluribus rationibus, quas ad duo capita placet reducere, vt rem hanc distinguam, resoluámq; potiùs quàm cōfundam. *Omnia argumenta Auerrois ad duo cõ trahũtur.* Primum est, Anima est immortalis, ergo non vnitur homini vt forma: repugnare enim videtur, quòd immortale actus sit & forma eius, quod mortale est atq; caducū. Secundum est, Anima intellectiua est immaterialis: ergo non poterit numerari ad multitudinem indiuiduorum, aut forma esset materialis: atq; adeò sequitur, quòd si pro

pro multitudine indiuidoorum non multiplicatur, illa fit vna & eadem in omnibus hominibus: nam formæ subsistentes seipsis induiduantur. Confirmatur, quia sicut obiectum intellectus vnũ est, intellectus quoque in omnibus hominibus vnus erit, & iste singulis hominibus nõ aliter quàm per phantasmata cõtinuatur & copulatur: aliàs si plures essent intellectus, qui remanerent separati, quia sunt immortales, plures substantiæ separatæ essent otiosæ contra Aristotelem lib. 12. Metaph. à tex. 42. ad 50. vbi substantiæ separatæ pononutur propter lationes: ergo quæ non mouent aliquod corpus, superuacaneę sunt. Cætera argumẽta Auerrois, qoæ plurima sunt, in his continentur: animus enim nõ est omnia referre, ne tempus incassum consumamus. Hæc duo tantùm adduxi, vt ex eorum confutatione reliqua refellantur, & veritas nostræ quæstionis appareat & confirmetur.

Cẽsura de Auerrois sententia. In primis hæc opinio nouitijs, & qui parùm rerum naturas penetrant, ingeniosa & plausibilis videbitur: qoia omniom dubiorum facilè exhibet solutionem, dum vnam formam excogitat, per quam homo corrũpatur: & ex adoerso alteram, quæ perpetuò vna & eadem in omnibus permaneat. Quam opinionem in cortice & superficie literæ Aristoteles etiam tenere, alicui videbitur, cùm nonc de hac mortali, nũc autem de alia immortali & separabili loquatur: semel actom corporis physici docet, iterum verò separari, sicut nauta à naui seiungitur: vnde & inter corporeas clauditur substantias, & ad immateriales & incorporeas refertur. Sed inuentum istud arabicum plusqoam africana monstra venenosum est, & opinio impia atq; in fide hęretica, & in vera Philosophia erronea, quę Aristoteli mol ta imponit, cuius doctrinam sub prætextu Cõmentatoris peruertit atq; funditùs destruit: adeò vt S. Tho. opuscul. 16. non Cõmentatorem, sed potiùs peruersorem Aristoteleæ doctrinæ appellet: & Gometios Pereira in sua Antoniana Margarita nõ ingeniosum, sed hominem crassæ & confusæ Mineruæ nuncupat: ideo potiùs dicas somnium aut delirĩu, phrenesinve, quàm opinionem. Figmentum quidem est, ad delusionem & crocem multorum arte dęmonis reuelatum, qui hac ex causa Epicuream vitam sibi deligunt. Quam opinionem nisi omnes tractarent, in præsenti non referre: indignam enim puto & recitatione & impugnatione: etenim neq; ingenio valet, nec subtilitate pollet, & veritate caret. Cæterũ solet esse vnus aliquis defectus multorum occasio bonorum: fortasse insignis ista falsitas causa erit aperiẽdi veritatem. Ita Arist. 2. Metaph. tex. 2. his dicit gratiam habendam, quia si veritatis scopom non sont assecuti, tamen nos ad muestigandam veritatem, inoeniendamq; multum contulerunt: præstant enim exercitiũ in veri inquisitione. Facit enim iste, animam in omnibus hominibus instar Dei esse, qui in omnibus rebus existit: qood vix cogitabile est, vnum numero intellectum infinitis vniri hominibus, tot præsentibus, omñibus præteritis, & quotquot sunt futuri, & tam strictè eis coniungi, vt vnum efficiat, & tamen quòd non sit hominis substantialis forma: vnde homo supponetet pro intellectu, & connotaret corpus, quasi ipsios indomentum: idcirco homo, qua intellectiuũ est, propriè non esset ens naturale, quod in se in illo genere principium habeat motus & qoietis.

Rectũ & bonũ ab errore per occasionẽ

Rursum, quod ad fidem attinet, impia est & hæretica istius sententia, nõ solùm quatenus affirmat animam intellectiuam non esse verè & per se atq; essentialiter humani corporis formam, sed etiam quatenus asserit vnicam esse in cunctis hominibus, quæ pro corporũ, qoibus infunditur, multitudine singulariter & indiuidualiter non moltiplicatur. Vtrũq; autem damnatur in decreto allegato per Clementem 5. & Leonem 10. quod sоprà relatum est: sed modò non disquirimus quid fide tenendum, sed quid ex rationibus naturalibus & Aristotelis sententia ostendere valeamus. Intolerabile quidem est in Philosophia, quòd anima homana sit sola & vnica in homine forma (quod patet ex lib. 1. de generatione cap. 4. & lib. 2. de Anima cap. 3. ad quod alludit Synodos Constantinopolit. 8. Canone 11.) & qꝫ ab ea speciẽ homo nõ habeat? Nam si rationale hominis est differentia, à qoa homo rationalis & intellectoalis appellatur, anima rationalis forma est & actus hominis, per quem homo in certa sua specie constitoitur? Aut dares profectò hominem, qui in sua specie, quã à proprio actu sortitur, à bruto nõ differret? Quod sic ostẽdo: Anima intellectiua & rationalis nõ est intrinseca hominis forma: ea igitur seclusa, vt quæ homini sit extrinseca, quod remanet,

Auerrois sententia duas cõtinet hæreses.

Rationib' refellitur Auerroës.

net,compositum quoddam est ex corpore & anima sensitiua: ergo intrinsecè & substãtialiter homo à bruto non differret,quinimo inter animalia irrationalia computaretur. Neq; recedente anima rationali homo periret,cùm non vniatur secũdùm esse, sed per copulationem ad phantasmata ad operari & intelligere,sicut intelligentia cęlo,quod mouet:cælum autem seclusa intelligẽtia,in propria,integra atq; perfecta natura manet. Ex hoc autem retorquetur argumentũ cõtra Auerroim: Operatio sequitur esse, & propria operatio à proprio esse fluit:ergo cũ intelligere ꝓpria sit hominis operatio,fluet à proprio esse, quod à forma intellectiua nascitur: malè igitur dicit, hominem non constare ex corpore & anima rationali vt ex materia & forma:& intelligere hominis esse propriam operationem,non negat Commentator: hæc enim non vtiq; conueniunt. Etenim ipsa experientia manifestat,intelligere homini conuenire vt propriam operationem: & Aristoteles fatetur,qui lib. 1. & 10. Ethic. hominis fœlicitatem,quasi in propria & vitali operatione, in speculatione intellectus cõstituit: & homo vitam viuit intellectiuam, *At viuere viuentium est esse*(lib.2.de Anima tex. 37.) quare intelligere homini vt propria operatio conueniet.

Testimonijs Arist. reiicitur Auerroës. Hæc perfunctoriè tradita poterant sufficere pro extirpanda Auerroistica hæresi: sed quoniam à principio huius quæstionis animus est,semper ex Aristotelis sententia conclusionem nostram demonstrare, operæpretium est,ab initio horũ librorum totum negotium resumentes,bellum renouemus. Aristoteles lib.2.de Anima cap.1.definit animam dicẽs, *Anima primus actus est, perfectioq; corporis naturalis,potentia vitam habentis.* Et eam definitionem de omni anima intelligendam ipse explicat,cùm ad finem eiusdem capitis tex. 11. de intellectiua dubitans,an ei conueniat præhabita definitio, respondet,conuenire vtiq; cùm dicit, *Animam igitur non separabilem esse à corpore, non obscurum esse videtur*,quanuis partes habeat separabiles,*propterea quòd corporis nullius sint actus*. Nec pro Cõmentatore est quod subdidit, *At obscurum est,necdum patet,si perinde corporis anima sit actus, vt gubernator actus est nauis*:nam(vt eleganter illo textu enarrauimus)propter Platonem illa verba adducũtur. Neq; Aristoteles vult à generali animę

Tex. 11. lib. 2. de aĩa expẽditur.

definitione intellectiuam animam relegare,quinimo(vt ibidem explanabamus) illo eodem nautæ exemplo confirmatum reliquit:quoniam statim sese excusat nõ esse exactè de hac re dictum,cùm dicit, *Hoc igitur pacto, vniuersaliter de anima determinatum, descriptúmve sit.* Et quoniam id nondum ad viuum resecuerat,illa dubitatione modestè & ingeniosè lectores præparat ad veritatẽ hanc capessendam,atq; futuram admittendam demõstrationem,quam statim cap.2. cõstruit. In quo quidem cap. præhabitæ definitionis rationem reddit,& exactissimè à priori demonstrat:& re iam declarata,non figuraliter & generaliter, sed specialiter & in propria forma, perspicuum & dilucidũ facit,omnem animam,etiam nostram intellectiuam actum esse & formam nostri corporis.(Erit autẽ hoc cuiq; euidens,qui nostram illius capitis enarrationem à principio ad finem, & contexturam Aristotelis diligentiùs expenderit.) Nam tex. 13. supponebat *animatum ab inanimato vita seiũgi*, quoniam viuere viuentibus est esse: viuere autem quotupliciter contingat, statim declarat, *vt intellectus*(inquit)*sensus,motus loco ac status,&c.* ergo si homo viuit secundùm intellectum,vt verè viuit, intellectiua anima forma hominis est: aliàs intelligere nõ esset opus & genus vitæ contra Aristotelem,neq; intellectiuum de genere esset animatorum. Post hæc cùm tex. 19. inquirit, *Vtrum horum vnumquodq; sit anima,&c.* hoc est, an quatuor genera vitæ, & singuli illi quatuor gradus animatorum per propriã animam viuant, an tantùm per potentias? Et item inquirit propter Platonem, *Vtrum hoc pacto vt sit separabile ratione solùm, an etiã loco*,id est,an sint separabiles, an non, & si differant ratione,aut loco? Respondet textu 20. de reliquis partibus animæ, de quibus non est dubium: & tex. 21. *De intellectu verò,contemplatiuáq; potentia nondum quicquã est manifestum. Sed videtur hoc animæ genus esse diuersum,idq; solùm perinde,atque perpetuum ab eo,quod accidit,seiũgi,separariq; potest.* Itaq; vides quàm apertè Aristoteles de reliquis animis pronuntiat animam esse actum corporis: cùm autem ad intellectiuam, de qua dubium est,descendit, *nondum quicquam est manifestum* dicit, quia nondum erat declaratum: Rationem subdit,quoniam separatur, vt *perpetuum ab eo, quod accidit*: hoc est, nõ tam hoc ad Philosophiã naturalem spectat, quàm

Ex capite 2. li. 2. nostra anima actus corporis probatur.

Tex. 13. lib. 2. expenditur.

A tex. 19 ad 21. lib. 2. colligitur aĩa intellectiua actus corporis.

quàm ad primum Philoſophum, cùm anima de numero ſeparatarum ſit ſubſtantiarum: non tamen dicit *nondum quicquam eſt manifeſtum*, quia dubitet, ſed vt ea modeſtia nos dociliores reddat, & magis beneuolos efficiat ad ſuam diſciplinam capeſſendam. Et ideo poſtquam dixit animã noſtram ſeparabilem eſſe, cæteras verò animę partes non ſeparabiles, quod Phyſici muneris eſt, à tex. 22. vſq; ad 25. incluſiuè demonſtrat animam intellectiuam actum & formam ſubſtantialem eſſe hominis: ſed potiſsimùm demonſtrationẽ nectit in tex. 24. quam exponit tex. 25. vt ibidem diligẽtiùs enarrauimus: viſita illũ locum, ne faſtidioſè repetere cogar: egregie enim ibi efficaciam demonſtrationis, & in quæſtione pro virili noſtra aperuimus.

Tex. 22. 23. 24. 25. lib. 2. adducuntur in eandem ſententiam.

Reſumitur ratio ſuperiꝰ poſita et breuiſsimè et efficaciſsimè.

Quamobrem (vt rem à ſua origine exordiamur) dubium, quod in fine capitis 1. tex. illo 11. lib. 2. de Anima induxerat Ariſt. ſi ſit anima in homine vt nauta in naui, in cap. 2. eiuſdem lib. diſſoluit cùm docet, animatum anima & vita determinari non ſolùm ad ſenſitiuum & vegetatiuum, ſed etiam ad intellectiuũ (tex. 13.) & quòd licet anima intellectiua ſeparabilis ſit (tex. 21.) tamen forma ſubſtantialis corporis eſt (tex. 24.) & forma quidem, ſubſtãtialiſq; actus (tex. 25.) nam quo primò nos viuimus, anima intellectiua eſt, eademq́ue eſt, quo primò intelligimus: ergo anima noſtra rationalis non ſolùm ex fide atq; vera Philoſophia, ſed etiam de expreſsiſsima Ariſtotelis ſententia verè, per ſe atq; eſſentialiter hominis forma eſt.

Attende.

Magna enim eſt virtus & inſignis indiſſolubilitas huius peripateticæ demonſtrationis, à qua quicũq; diſceſſerit, neceſſe eſt plurima cum Auerroë admittat abſurda, atq; in vera Philoſophia, Ariſtoteliſq́; ſchola intolerabilia, in fide autem hæretica.

Obſeruãda cõſideratio, & applicatio, ſiue põderatio doctrinæ.

Sed vt magis mireris prope diuinum Ariſtotelis ingenium, aduerte, quàm diligenter ſub demonſtratione poſita in lib. 2. cap. 2. tex. 24. ſubſumit idẽ Ariſtoteles lib. 3. de Anima tex. 1. vbi iam in particulari incipit determinare de parte intellectiua, dicitq́; *De animæ autem ea parte, qua cognoſcit, atq; ſapit, &c.* ſignificans, ꝙ intellectiua anima eſt qua primò intelligimus & ſumus: vnumquodq; enim per propriam formam actu eſt & operatur: ob id ipſa propria & eſſentialis forma hominis colligitur ex eadem demonſtratione lib. 2. de Anima cap. 2. non ergo ſe habet vt intelligentia ad cælum, quæ non eſt natura cæli, nec principium intrinſecũ ſui motus, quo primò mouetur cęlum, ſed quo ſecũdò & extrinſecè cietur: at anima noſtra eſt principium, quo primò mouemur, ſapimus & intelligimus, & vt propria & intrinſeca natura principium eſt omnis motus hominis. Et hoc Alfonſus à Caſtro tanquam errorem condemnat lib. 2. contra hæreſes verbo *Anima* hæreſi 1. quòd nõ ſolùm anima noſtra ſit forma ſubſtantialis hominis, ſed etiam inquantum rationalis: nam homo à forma rationali habet eſſe, ab ea operari, & ab ea eſt homo: & ita in concilio Viennenſi citato & Lateranẽſi.

Nota.

Iterũ redintegratur pugna.

Quia ſemel cœpi Ariſtotelis verba ſigillatim ponderare, vt ex collatione doctrinæ eiuſdem res iſta perſpicaciùs & dilucidiùs manifeſtetur, vlteriùs proſequamur quod cœpimus. Poſtquam igitur lib. 2. cap. 1. animæ finitionem tradidit Ariſt. quam cap. 2. in ſua principia reſoluit, in 3. cap. animæ potentias diſtinguit in quinque genera, inter quas intellectiuum numerat tex. 27. quam vim ſolis competere hominibus inter mortalia docet ibi tex. 29. Ergo ſi animæ, quæ actus eſt corporis, quinq; ſunt potentiarum genera, inter quas comprehenditur intellectus, igitur intellectus potentia eſt eius animę, quę actus corporis definita fuerat: perperã ergo & contra Ariſtotelem philoſophatur Cõmentator dum docet, intellectiuam animam non eſſe eſſentialiter formam hominis?

Tex. 27. lib. 2. & tex. 28. et 29. eiuſdẽ

Deinde idipſum tex. 30. ſimilitudine figuræ comprobat, vbi reſpondens ad ſeptimam illam difficultatem, quam lib. 1. de Anima tex. 8. propoſuerat, ſi vna ſit cõmunis animę definitio: & lib. 2. de Anima textu 11. ſubinduxerat, an anima, quæ actus corporis definitur, vniuocè omnibus cõpetat animabꝰ, tex. 30. lib. 2. de Aĩa diſſoluit: ſicut enim figurarum omnium vna eſt ratio, ita etiam & animarum vna erit omniũ vniuoca definitio: vbi trina collatione animæ cum figura hanc ſimilitudinem explicui, & quàm ridiculum ſit, animæ quærere communem definitionem, quæ nõ ſit cuiuis animæ accommodãda.

Tex. 30. lib. 2. cũ tex. 8. lib. 1. & tex. 11. lib. 2. collatus.

Tex. 32. lib. 2. pro natura animæ perpẽditur, et cũ tex. 1. lib. 3. confertur.

Ampliùs aduertendum & magis ponderandum eſt quod ibi ſubdit tex. 32. dicens, *Extrema autem atq; minima rationem habent & mentem*, id eſt, intellectus in extremis atq; minimis eſt. Qua periphraſi homines intelligit, vt ibidẽ expoſuimus, *Quibus enim mortalium* (inquit)

ineſt

insit ratio,his sunt continuò & cætera cuncta: ergo apertè vult homini inesse intellectũ, sicut cæterę potentiæ insunt,hoc est ,quòd intellectus & cæteræ potentiæ, quas præsupponit, eius animæ potentiæ sunt, quæ actus corporis definita fuerat.Neq; Aristoteles Auerrois hæresi fauere videbitur, ex eo quod subdit ibi,*De intellectu verò contemplatiuo,alia ratio est*, quasi innuat,intellectũ neq; animam esse,neq; animæ partem:sed hoc ideo dixisse existima, quoniam de intellectu contemplatiuo in lib.3.de Anima futurus erat sermo:& præterea examẽ eius ad primum pertinebat Philosophum,quatenus intellect' separatus est: quatenus verò coniunctus, initio lib. 3. de Anima,vbi locum istum & dubitationem positam in hoc tex.32.perspicuè & subtiliter dissoluit dum dicit, *De animæ autem ea parte, qua cognoscit,& sapit,&c.* quasi dicat, anima est qua primò sapimus atque cognoscimus, ideo est hominis forma. Quare quæ circa intellectum in superioribus relicta fuerãt sub dubio, in lib. 3. quasi in proprio loco supplẽtur & declarantur: sicut quod lib.2. tex. 11. de potentia in communi dixerat, lib. 3. textu 17.in particulari de intellectu possibili,atq; similiter de agente intellectu accipiẽdum exponit,cùm intellectũ agentẽ partem animæ ponit alteram ab intellectu possibili. Vnde non poteris non mirari,cãdide lector,Aristotelis huius prodigiosi quidem hominis diligentiam singularem & tã exactum ordinẽ in processu doctrinæ:omnia enim in suis locis relinquit tractanda, nihil confundit:vt vides,quæ addubitat in 2.libro,in 3.lib.perficit, & cõtinuò ordine naturæ doctrina ipsa eleuatur,altiúsq; consurgit.Ideo si lib.2.tex.21.à quibusdã desideratur determinatio,si intellect' ab alijs animæ partibus separetur,in lib. 3. à tex.1. incipit respondere determinando de intellectu deinceps agendum esse, *sine sit separabilis ab alijs animę partibus, siue nõ separabilis magnitudine,sed ratione:*esse autem separatum euidentissimè cap.1.& 2. lib. 3. manifestat,pręterquàm quòd prædicto tex.21. 2.lib.clariùs suam aperit sententiam,quàm vt siue calumnię,siue extortæ expositioni, dubitationíve locus relictus esse videatur: verba enim dilucidè affirmant, quia dicit, *De intellectu verò,contemplatiuaq; potentia, nõdum quicquam est manifestum* (hactenus excusat se à tractatione de intellectu:deinceps his,quæ sequuntur,propriam affirmat sententiam) *Sed videtur hoc animæ genus esse diuersum,idq; solùm perinde, atque perpetuum ab eo,quod accidit,seiũgi,separariq; potest.*Quo autem modo clarius affirmare potuerit, nescio:Nam verbũ *videtur* non est dubitãtis, sed grauissimè,modestissimeq; asserentis, vt ex sequentibus apertiùs ostendemus,& legitimũ esse huius testimonij sensum, ex lib. 10.Metaph.tex.26. confirmabitur,vbi dicit,*Necesse diuersũ esse genere,corruptibile, & incorruptibile:* ergo si anima separatur, tanquam perpetuum à corruptibili, non tantùm docuit animam intellectiuam actum esse corporis,sed etiam obiter separabilem esse à corpore:hoc autem lib.2.loco citato non determinat, quia aliò properabat, & quoniam singulæ difficultates proprijs locis examinãdæ manere debẽt.Ex hoc loco citato lib.2.de Anima tex.32.dubium pẽdebat de differentia intellectus ad alias animæ partes,*De intellectu verò cõtẽplatiuo alia* (inquit)*ratio est*:quod lib.3.tex.1.diluit dicens,*Considerandum deinceps est,quam differentiã habet* ad alias,scilicet animę partes:quod in sequentibus facit, cùm considerat, quo pacto fiat intelligere, quod separatum est, quando materiæ facultatem supergreditur, cui anima nostra non est immersa, siquidẽ non particulariter, sed vniuersaliter & abstractè intelligit.Quare cùm Aristoteles dicit intellectum esse separatum,non esset ab Auerroẽ aliò torquendum,quàm Aristoteles accipit, qui intellectum docet separari: non quia potentia non sit animæ nostræ, quæ actus est corporis, sed quia actus est neq; à materia eductus, neq; materiæ immersus,sed altior & eminentior, quoniam eius facultatem excedit & supergreditur, vt lib.2.de Anima cap.1.diximus quæst.1. & cap. 2. quæst. 1. diffusiùs & exactiùs in sequentibus aperiemus.

Tex. 11. lib. 2. cũ his, quæ tex. 17. lib. 3. dicuntur, cõferatur.

Tex. 21. lib. 2. cũ textu 1. lib. 3. exponitur.

Lib. 2. tex. 21.

Lib. 10. Metaph. tex. 26.

Tex. 32. lib. 2. aperitur per textũ 1. lib. 3. de anima.

Ad 1. argumentũ Auerrois pro forma.

Quamobrem Auerroẽs suo primo argumento nihil aliud concludit, nisi quòd nostra anima, quę immortalis est, nõ est actus eductus à corpore,neq; est neq; fit dependenter ab ipso corpore caduco & mortali, ideo de foris aduenit, & sine organo operatur:qua via ab Aristotele asseritur intellectus nullius corporis actus.Sanè si anima intellectiua humani corporis actus non esset(vt Auerroẽs summo studio contendit) eo ipso à nobis subtraheret principia moralis Philosophiæ & partes illas animæ,

quæ

quæ agendi & omnis virtutis principia ab Aristotele ponitur lib. 6. Ethic. cap. 1. & 2. Quod nefandum est & absurdum: nam si neq; voluntas, neque intellectus potentiæ hominis essent, neque oporteret consiliari neq; de futuris deliberare, stultum esset leges condere, rempublicã aut familiam regere: necessum est igitur dicamus, ab ipsa etiam Aristotelis Philosophia coacti, animam intellectiuam, cuius potentiæ sunt intellectus & voluntas, nobis verè & essentialiter vt formam vniri: non tamen sequitur, quòd anima sit mortalis, aut materialis & corporea, vt ex sequentibus erit dilucidius.

Aïa numeratur & multiplicatur ex Arist.

Secunda argumẽtatio, quam pro Auerroe adduximus, non est soluta, sed difficilis redditur ex eodem Aristotele, & ijs, quæ inferiùs in solutione ad 1. principale dicimus; scilicet animã nostram numerari pro multitudine corporum: quoniam ipsa intellectiua anima non est aliquid vnum prædicamentale, nec habet causam numeri, qui fit ex diuisione continui, vnde omnis numerus habet, vt materialis sit atq; à materia pendeat: anima autem nostra neque quanta, neq; corporea, neq; materialis est, vt sic numeretur: cum hoc tamen stat, vt numeretur & multiplicetur vnitate multitudinis, quæ sequitur ens & esse; quo modo quælibet substantia, & quodlibet ens vnitatem habere dicitur lib. 4. Metaph. tex. 3. numerus enim non est causa vnius, sed ecõuerso vnum indiuisibile causa numeri est, & multiplicandæ multitudinis. Ita Aristoteles, Platonem redarguens lib. 7. Metaph. à tex. 51. ad 55. asserit, quòd idea separata vna est & indiuidua, aliàs impossibile esset de multis prædicari: indiuiduæ ergo sunt & singulares substantiæ separatæ; & ita in animabus poterit esse multitudo singularium ex commensuratione ad corpora, vt habes exactiùs infrà ad 1. principale, & Aristoteles expressit lib. 2. de Anima tex. 26. ibi, *Etenim ipsa corpus quidem nõ est, est autem corporis aliquid: & inest ob hoc in corpore, atque in corpore tali, non in quouis sine discrimine vllo, &c.* sed in corpore accõmodato: *Actus enim vniuscuiusq; in eo, quod est potentia, & in propria materia, suapte natura fieri, esseq; solet:* quod paulò antè dixerat tex. 24. *Actus enim agentium, in eo, quod patitur, atq; disponitur, inesse videtur.* Ex quib⁹ igitur locis apertè colligitur animam ex commensuratione ad corpora indiuiduari: quod in citato Lateranensi concilio his verbis dicitur, *Pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis, & multiplicatã, & multiplicanda sit.*

Tex. 58. 59. 60. 61. 62. et 118. lib. 2. de aïa collati cũ tex. 2. 3. 4. 5. 6. 7. lib. 3. de aïa expo[illegible]

Cæterùm vt Aristotelis mens perspicacior constet, enitar hoc, quod de enumeratione animarum dictum est, ab ipsius scrinijs eluuis deducere. Dixerat enim Arist. lib. 2. c. 5. per totum, maximè à tex. 58. ad tex. 62. illis verbis, *Ipsum autem sensitiuum potentia tale est, quale iam ipsum sensibile est in actu,* tex. 118. addit non solùm esse sensibilia, sed etiam quòd *sensus est quasi mediocritas quædam contrarietatis eius, quæ in sensibilibus inest.* Qua de re cùm lib. 3. de Anima de intellectu sermo incidit, similem collationẽ faciens Arist. si intellectus ab intelligibili patiatur, eiusq; exuperationibus corrumpatur, respondet cap. 1. in tex. 2. quòd *si intelligere sit vt sentire, aut pati quoddam,* & ideo intellectus sit potentia ipsa intelligibilia, & tex. 3. & 4. quòd omnis potentia denudatur ab eo, quod recipit (vt ibidem latiùs exposuimus) fit, vt sicut sensus denudatur à suo obiecto, quod recipit, ita & intellectus: textu autem 5. dicit, quòd *neq; vlla sit ipsius natura, nisi ea solùm, qua possibilis est* & in potentia: in quo damnato Empedocle, Anaxagoram emendat, & simpliciter denudatum ab omnibus facit intellectum. Quare sicut sensus, qui particulariter est cognitiuus, particulariter tãtùm denudatur ab obiecto (vt in sensu tactus ibidem exposuimus) ita intellectus, qui vniuersaliter & simpliciter omnium est cognitiuus, ab omnibus denudatur. Vbi vides Aristotelẽ loqui primùm non de intellectu, qui substantia sit separata, sed qui pars animæ est (in quo hæresis Commentatoris de illo suo vnico intellectu ab Aristotele damnatur: quia principio capitis de intellectu, qui est animæ pars, sermonem habere cœpit.) Secũdum, quod habes, est, nempe intellectum nullam habere naturam determinatam, ideo immistus est: quod tex. 6. ostendit, tum, quòd nõ fit *calidus, aut frigidus,* id est, non immutatur intellectus immutatione corporea, neq; vtitur organo, sicut sensus: tum etiam; quia intellectus *locus est specierum,* id est, intellectui conuenit conseruare species & in se recipere sine corpore & organo, quod sensus cõpetere nequit. In quo eleganter alteram Auerrois phrenesin condemnat, qui animam

mam intellectiuam materialem faciebat, si forma deberet esse hominis: dicit enim Aristoteles, quòd licet forma sit hominis, non tamen calefit, neq; frigefit, id est, non afficitur his alterationib⁹ materialibus, ideo impassibilis est. *Obserua.* Quare liceat tibi, germane lector, hinc recōditam & penè admirabilem Aristotelis subtilitatem deprehendere, qui dum intellectum ex similitudine sensuum inuestigat, insignem dissimilitudinem sensus ab intellectu cōcludit tex. 7. dicens, *At qui passionis vacuitatem non similem esse sensitiui, atq; intellectiui, &c.* sensus ergo nō sine corpore, intellectus autem sine corpore species admittit & recipit: sic veluti cribro distinguit Arist. sensum ab intellectu. *Intellect⁹ quo modo ad mētem Arist. separat⁹ cōtra Auerroem.* Eodē tex. 7. concludit Arist. verba maximè notanda ibi, *Sensitiuum enim non est sine corpore: at intellectus ab eo separabilis.* Quæ verba sic noster iste Commentator pro fulcimento sui erroris torquebat, vt vnum separatum intellectum in omnibus hominibus poneret: non debuisset enim obliuisci eius, quod Aristoteles tex. 6. statim præmiserat, ideò scilicet separatum esse, non quòd non sit potentia animæ, quæ actus est corporis, sed quòd est separatus, quia non coniungitur calido aut frigido, id est, ab organo corporeo seiungitur: & ita solus intellectus suscipit species, & solus ipse per eas intelligit sine aliqua corporis communione & actione: hoc modo ab Aristotele intellectus noster separatus vocatur. *Optima manuductio.* Ecquis non videat non paucos reperiri lapillos ex ipsis commistos elementis, qui tamen virtutes habeant supra mundanas & cælestes? Magnes enim ferrum trahit cælesti potiùs, quàm elementali virtute: inde iaspis ad restringendū sanguinem, mirabilem sibi vendicat operationem. Persimili igitur rerū consequentia licet anima nostra forma sit & actus essentialis hominis, eius tamē intellectus virtus quædam separata est (hoc diligentiùs ad 2. principale infrà expono) nō est enim intellectus separatus secundùm rem, quia coniunctus est animæ, quæ verè actus corporis est, tamē separatus est, quatenus sine organo operatur. Vides igitur, vt animæ per corpora differunt, quibus essentialiter copulantur, & secundùm quæ commensurantur, vt ad 1. principale latiùs habes.

Ad 2. Auerrois informa. Malè ergo Auerroës inferebat ex animæ nostræ immortalitate & separabilitate, quòd illa sit vna in omnib⁹ hominibus, quod nō modò cum fide catholica & vera Philosophia, sed etiam cū Aristotele aperto Marte pugnat.

Ad cōfirmationē qualis vnitas potētiæ ex vnitate obiecti. Non minùs ineptè in confirmatione arguebat Auerroës, quòd intellectus vnus esset, ex eo quod obiectū intellectum vnū esset: plus enim concluderet, quàm Auerroës intendit. Statim enim absurdum sequitur, nimirum quòd non tantùm noster intellectus vnus esset, sed etiā absolutè non esset in vniuerso nisi solus vnicus intellectus. Insuper noster intellectus non tātùm colligeretur subsistens esse separatum, sed etiam Deum, diuinumq; intellectum: patet, quia ex vnitate intelligibilis, vnitatem deducit intellect⁹. Fallitur igitur, tum quia ex vnitate formali obiecti non debuit colligere nisi specificam vnitatem potentiæ, non indiuidualem & singularem: cum vnitate enim visibilis obiecti plures numero sunt potētiæ visiuæ (lib. 2. de Anima cap. 4. fusiùs habes de distinctione potentiarum ab vnitate obiectorum proueniente) tum etiam, quia potentia non dat vnitatē obiecto, sed econuerso (vt loco citato.) Insuper species intelligibiles non se habent ad intellectum, vt intellecta, sed vt quibus intelligimus: vnde si intelligere esset actio transiens, numeraretur quidem ex nūmero patientium, vt combustio ex numero combustibilium: sed quia intelligere actio immanens est in agente, nō debet ex obiecto vnitatem & multitudinem habere, sed ex subiecto. Quamobrem licet vnum & à me & à te intelligatur, quia alio à me intelligitur, alio à te (id est, alia specie, alia notione & intellectione) aliud erit intelligere meum, & aliud intelligere tuum: ideo in prædicamentis dicitur, quòd licet scientia vniuersalis sit quoad obiectum, singularis est quoad subiectum, vt in prædicamento ad aliquid. *Obseruāda similitudo.* Cuius rei signum est, quòd magistri nō inducunt scientiam in intellectum discipuli, nisi industria, ingenio & labore ipsius discipuli præcedente, sicut medicus non sanat nisi cum ministerio naturæ: ergo neq; secūdùm doctrinam, magistri est disciplina in discipulo, sed iuxta facultatem industriæ ipsius addiscentis: neque secundùm artem medici sanitas in ægro est, sed iuxta virtutem naturæ: similiter ergo intellectus non est vnus ex vnitate obiecti, sed distinguitur secūdùm numerum habentium suppositorum.

Intellect⁹ secūdūm esse nobis continuatur, nō secundū sola phantasmata.

In eadem confirmatione vnum aliud inuoluitur, nempe quòd intellectus sit nobis vnus, vt continuatur & nobis per phantasmata copulatur: in quo consistit nō minima pars Auerroisticæ delusionis, quę cōtra Aristotelem expressè militat, qui formam homini à primæua sua origine per generationem continuat. Quod Theophrastus diligenter considerauit ex Aristotele lib. 2. Phys. tex. 26. qui dum docet, ad Physicum pertinere de natura determinare, dicit, formam hominis terminum esse naturalis cōsiderationis, secundùm quam homo ab homine generatur. Minùs tamen aduertenter Auerroës non per generationem & esse, sed secundùm sensus & phātasiæ operationem nobis animam intellectiuam consungit: est enim phantasia motus factus à sensu secundùm actum (lib. 2. de Anima tex. 160.) Accedit huc, quòd vix intelligibile est, vt vnus idemq; intellectus tot hominibus, tam diuersè complexione, loco & tempore distantibus, simul & semel vniatur. Præsertim quia hæc Auerrois fictio, si diligentiùs perpendamus, continuatio appellari non debet, sed potiùs separatio, quoniam semouetur à phantasmate, à quo, vt intelligere contingat, abstractionem fieri oportet. Sic enim ex Aristotele ostēdimus lib. 3. de Anima cap. 2. species à phantasmatibus abstrahi, & quòd species, quæ in intellectu possibili recipitur, immaterialis est, ideo eadem in phantasmate, quod materiale est, recipi non potest: fatuum ergo est asserere, animam nostram perfici secundùm huiusmodi continuationem, & tamē nō vniri vt formā, cùm operatio ipsum esse indicet. Demum, vt ab alijs multis abstineā in re clarissima, irrefragabiliter & ad hominem arguo: quia si intellectus per phantasmata copularetur ad intelligēdum, cùm per species intelligantur res ipse, per intellectum autem eas intelligamus, fit, vt sicut paries albus, qui per speciem visui copulatur, videtur, sed non videt, ita ex hac sententia Auerrois sequeretur intrinsecè, quòd phantasmata intelligerentur: non autem sequetur, quòd homo intelligeret, licet coniungatur phantasmati, quod intelligitur: sicut enim paries non videt, sed eius color videtur, ita sequeretur, tantùm phantasmata intelligi, non tamen quòd homo intelligat. Itaq; Auerroës non dat modum, quo homo intelligat: etenim si vnus esset numero intellectus, vnus quoq; esset intelligens, vnúsq; volens, & ita omnium intelligentium vna actio: quoniam phantasmatum diuersitas nil videtur ad distinctionē facere, eo quòd præambula sunt actioni intellectus, vt colores præambuli sunt visui: neq; operatio intellectus directè per operationem phantasmatum variabitur. Maximè quòd Auerroës species intelligibiles non ponit à phantasmatibus acceptas, sed potiùs irradiantes phantasmata per eum modum, quo Plato dicit visionem fieri ex quadam radiorum visualium extramissione. Quocirca sicut colores fiunt actu visibiles per luminis irradiationē (quod iuxta Aristotelem verum est, & ex dictis lib. 2. de Anima cap. 7. patet) sic iuxta Auerroēm phātasmata fiunt per illam illustrationem actu & per se intelligibilia. Quod tamen & cum veritate pugnat, & ijs, quæ hactenus diximus, aduersatur: tum, quia phantasmata non sunt per se intelligibilia, quoniā singularia & materialia sunt: tum etiam, quia nō essent intelligibilia per abstractionem, vt docuimus, sed potiùs per illius luminis receptionē. Quod quidem nouum est atq; inauditū (vt & Auerroës docet) quia omnis receptio fit ad modum recipiētis, ideo materialis est sicut phātasma: quare intellectio non fiet per receptionē, vt contendit Auerroës: & cùm neget fieri abstractione, vt docet Aristoteles, manebunt ergo phātasmata otiosa & impertinentia ad intelligendū, atq; ad intellectiuam operationem dispara ta erunt, quod manifestè veritati & rationi repugnat: non est ergo possibile, vt vnus intellectus numero sit in omnibus hominibus solùm per phantasmata copulatus.

Substātię separatæ quo modo sint propter latio nes ad corpus, quod mouent.

Quod autem postremò in eadem confirmatione includebatur de pluribus intellectibus separatis, infrà ad 4. principale habes latiùs. Nunc autem dico pro materia argumenti, ꝙ Aristoteles dum docet lib. 12. Metaph. loco ibi citato, substantias separatas otiosas esse, si nō mouerent corpus, primùm probabiliter & topicè argumētatur, neq; inducit necessitatem. Deinde diligentiùs perpendenti locum, constans & firmū erit, non absolutè, sed conditionaliter & ex hypothesi fuisse loquutum. Quid? quòd otiosum est quod ad suum finem non pertingit, mouere autem corpus non potest esse substantiarum separatarum finis: nihil enim ordinatur tanquam ad finem ad id,

quod

quod ignobilius & se imperfectius existit: semper ergo finis potior est ijs, quæ sunt ad finem, nam finis bonum est rei & præstantissimum eius. Docebat autē Aristoteles numero lationum substantias separatas numerari, non tanquam ex fine, sed tanquam ex occasione & notitia à posteriori, quam ipse Aristoteles citra reuelationem poterat habere. Vnde cùm anima nostra est separata, quanuis non sit perfecta & completa natura, quia est pars hominis (ad integritatem naturæ hominis corpus etiam pertinet) non tamen dum separata est à corpore, frustra, otioseq; degit: quia finis eius præcipuus & totū eius bonū non est informare & mouere corpus, sed potiùs intelligere, in quo lib. 1. & 10. Ethic. Aristoteles hominis fœlicitatē collocauit. Idcirco cum S. Tho. 1. 2. q. 4. art. 5. multis diffusè docuimus, quòd licet corpus pertineat ad integritatem naturæ hominis, non tamē requiritur ad integritatem beatitudinis secundùm essentiam, licet bene corpus pertineat ad perfectionem beatitudinis. Rationem huius assignat S. Tho. ibidem ad 2. de quo nos infrà ad 1. principale latè differimus, videlicet quòd operari sequitur esse: cùm igitur anima nostra in suo esse subsistat, poterit habere integram & completā suam operationem, quæ est intelligere, quanuis non habeat integram naturam. Etenim tota hominis natura non addit aliquod esse supra illud, quo anima nostra subsistit: ideo eius beatitudo non retardatur ex absentia corporis, nec diminuitur secundùm essentiam, nam alio supremo & eminentiori bono ex consortio & participatione Dei suppletur & rependitur, de quo alibi incidet differendi occasio.

Aīa separata integrū habet suum esse atq; operationem, beatitudinemq;.

His auditis, sufficienterq; expositis efficaciter figmentum illud Auerroisticū verè exibilandum, explosum mihi videtur, indignumq; quod ampliùs in scholis audiatur, nisi quatenus rectū ab errore prouenire contingit, & occasionem nobis præstat exactiùs Aristotelem declarādi: veritas enim ex aduersis magis micat, & contraria iuxta se posita magis elucescunt (lib. 2. de cælo tex. 40.) Et nequis putet, S. Thom. immodestè dixisse Commentatorem istum non fuisse peripateticum, sed potiùs peripateticæ doctrinæ euersorem & corruptorem, addo ego impium fuisse & malè affectum in fidem catholicam, quam nihili faciebat: expresè enim confessus fuit, se tenere contrarium fidei catholicę, quam temerè & iactabundè positionem vocat, quasi falsam sentiens & extraneam iudicās esse opinionem: & non veretur affirmare, se contrarium fidei tueri velle, censens fidem de aliquibus esse, quorum contrarium ratio naturalis euidenter concludat. Quod quàm falsum sit, ab initio hui⁹ disputationis perspicuū & firmum reliquimus, & in decreto illo Lateranensis concilij determinatur: ratio enim naturalis nihil habet contra fidem: & licet fides supra rationem naturalem sit, rectè rationi naturali non aduersatur. Solubiles sunt omnes rationes contra fidem, vt in dicto concilio Lateran. determinatur, & S. Tho. elegantissimè quatuor libris contra gentiles persequitur. Hæc autem nos contra ipsum adduximus duntaxat arguendo ex ratione naturali, & ex peripateticis principijs (vt ab exordio hui⁹ disputationis ꝓposuim⁹) ne his principijs glorabundi & iactabundi Auerroistæ triumphare de fide videantur, vt eodem cæmento, quo Auerroës ædificabat, discipulorum eius obstruatur os, ne ampliùs in circulis & angulis, pueris & ignorantibus, qui de arduis iudicare nesciunt, circunloquentes falsè & subdolè imponant: atque fideles & omnes veritatis cultores consimilibus armis, quibus nos impugnant, eis resistant, seseq; tueantur. Sed ad sequētia pergam⁹.

Epilogus & cōclusio contra Auerroē.

Secundam classem (vt quibusdam videtur, mea enim sententia aliter est, vt pòst dicam) ducit Alexander ille Aphrodisiensis Aristotelis discipulus & diligens auditor, grauissimusq; philosophus, qui tanti nominis fuit, vt sua tempestate eo autoritatis deuenerit, vt philosophus non haberetur, qui idem non esset Alexandrinus. Dicebat igitur Alexander, animam nostram corruptibilem esse simpliciter, secūdùm quid incorruptibilē & immortalem: licet enim nostram animam nobilissimam & formarum excellentissimam censeret, tamen quę ex nostri corporis cōplexione & elementorum mistione resultaret, ideóq; corpoream, materialem atq; adeò mortalem existere. Plurimę sunt pro hac sententia argumentationes, quas in præsenti omnes inducere superuacaneum censeo: sufficiet tamē præcipuas adducere, vt in Auerrois sententia recensenda factum fuit: quia quę omittuntur, ex pręcipuis argumētis in principio huius

Secunda opinio, ꝙ aīa multiplicatur cum corporibus, & cū eis corrūpitur.

huius quæstionis positis petenda sunt. Potissimum tamen huius sententiæ firmamentum ex lib. 2. de Anima c. 1. & 2. sumitur, vbi animæ definitio ponitur & probatur, atque communis esse dicitur omnibus animabus: & cap. 3. docetur vniuocam esse, æqualiterq; omnibus animabus competere: ergo si reliquę animę corruptibiles sunt, nostra quoq; anima corruptibilis erit. Confirmat ex lib. 2. Phys. tex. 26. quòd homo non aliter hominem generat, quàm equus equum, iuncta doctrina Aristotelis lib. 1. de cælo cap. 11. omne, quod incipit, desinit: anima autem nostra cum corpore incipit (vt docet Aristoteles lib. 12. Metaph. textu 16.) ergo cum corpore perit. Cætera ex præcipuis huius controuersiæ argumentis petenda.

Pomponatius. Hanc sententiam visus est tenere Petrus Pomponatius, vir sua ætate clarissimus, libello de immortalitate animæ, qui sententiam fuisse Aristotelis defendit, animā rationalem corrumpi. Et præter asserta argumēta, adducere videtur verisimilem rationem: quia cùm denominatio semper fiat à maiori & abundantiori, & in homine plura sint mortalia, quàm immortalia, simpliciter igitur homo mortalis est, qui solā habet partem intellectiuam immortalem, cętera cuncta mortalia sunt. Signum huius rei est, quòd si climata vniuersi omnia perlustremus, plures homines bestiarum more & ritu viuentes reperiemus, quàm ratione vtentes. Fortiùs cōfirmat, ex eo quòd intelligere (testante etiam Aristotele) nullus homo potest sine phantasmate; ideo paucissimi hominum sunt, qui cognitione supra sensum vel latum culmum sese extollant. Quinimo si rem penitiùs perpendamus, à multis, minimisq; animalibus prudentia & futurorum prouidentia superamur. In primis, vt alia maiora & præstantiora præterea, sic de formica & ape experimur, quarum cura, solicitudo & regimen, si circūspicias, admirabilia videbuntur: homo autem inermis est, iners, improuidus & incautus, quod signum est, sine phantasmate operationem non habere (vt Arist. dicit lib. 3. de Anima tex. 36.) quare anima non est separabilis, iuxta id, quod lib. 1. tex. 13. arguit Philosophus, aut separata esset otiosa, quod est absurdum: & idem Aristoteles lib. prędicamentorum cap. 5. dę substantia asserit, quòd *non existentibus primis substantiis, impossibile est aliorū aliquid esse*, quia corruptis nobis corrumpūtur omnia, quę in nobis sunt: igitur nō manet anima cùm morimur, atq; adeò anima nostra corruptibilis est, nec separari potest, nec Aristoteles de statu separationis cogitare valuit.

Censura de secūda opinione. Hæc opinio hęretica est in fide, vt ex dicto Lateranensi decreto constat: ideo ex lumine naturali & recta philosophia sustineri non potest, & inepta atq; imprudentissima est: quoniam non solùm veræ religioni aduersatur, sed cuiuis etiam reipublicę, leuiter, mediocriterve institutæ, grauiter repugnat: sublata enim è medio animæ immortalitate, profectò rempublicam euertes, pacē & tranquillitatē adimes, virtúsq; omnis abolebitur. Etenim seminariū est vitiorū omnium opinio ista, & omnes leges, rerúmq; publicarum regimen optimum ab animæ immortalitate pēdere videtur. Quā ob causam nunquam potui in eam sententiam venire, vt Alexander Aphrodisiensis huius vnquam fuerit sententiæ: non posset enim in dedecus sui Magistri Aristotelis nō cedere. Etenim (nisi meus me fallit animus) qui hominis huius autoritatem & singularē grauitatem inspexerit, nusquam hanc poterit sibi persuadere sententiā: abolēda igitur est à tāto viro infamia. *Alexan. immortalitatis aīę nostrę assertor.* Quis enim animam vnà cum corpore funditùs deleri arbitrabitur, nisi qui à ratione & sensu cōmuni alienus sit? & vsqueadeo sibi conscius, & flagitijs, prauisq; facinoribus corruptus, vt futurorum malorum metu (quia non longè imminere, sibiq; instare videātur) optet, si posset, aut natum non fuisse, aut nihil quicquā sui à morte superesse? Ab hac igitur suspicione Alexandrum grauissimum Philosophum procul abesse compertum erit his, qui diligentiùs per eius scripta fuerint progressi. *Aug. Eugubinus.* Habeo in primis testimonium Augustini Eugubini lib. 9. de perēni Philosophia cap. 21. & 22. qui acerrimè pro autoritate Alexandri pugnat. Multa enim peruersè vitio locorū, temporumq; diuturnorum imperii homines deprauarunt: adeò oēs in malū sumus procliues & oscitāter libros legimus, cōtenti raptim & cursim pauca vidisse. Vanū igitur hoc iudiciū de immortalitate animæ Alexādro ex Aphrodisco nō adscribet, qui sua scripta omnia perlegerit, exactiúsq; perpenderit: non repudiauit ille animæ nostrę immortalitatē, qui non semel cum Aristotele sentit, mentem

de foris aduenire, & Deo cognatam, semperque actu operantem fatetur. Cupio enim ne diutiùs per Philosophorum scholas iste error diuagetur contra Alexandrum, vnde Aristoteli gloriam & laudem inuidere videntur. Alexander enim lib. 1. Problemátum docet, animam in corpore sicut citharœdum in cithara immutabiliter operari. Quare qui hæc Alexandro obijciunt, ipsum ex nomine tantùm nouerunt: reperio enim ipsum libro suo 2. de Anima cap. 23. expressè animæ immortalitatem cum Aristotele ponentem, dum ita inquit, *Intellectus corrupto atque abolito organo non secus operatur, quàm artifex, aut ferrarius faber amissis ferramentis: agit etiam tunc, non tamen materialem atque organicum actum: Sic sentiendum* (inquit) *omnino iuxta Aristotelis sententiam intellectum diuinum esse atque incorruptibilem, hoc certo modo, non alio censendum esse.* Eadē dixerat eodē lib. 2. c. 16. *Talis* (inquit) *forma, aut substantia materia vacans incorruptibilis est, &c.* vbi de anima nostra loquitur, vt ex contextura & titulo capitis patet. Addit, idem sensisse Aristotelem & memoriæ commendasse, intellectū scilicet extrinsecùs aduenire. Idem repetit cap. 19. & 20. & nos infrà ex commentatione ipsius Alexandri lib. 1. de Anima tex. 65. cùm inde pro animæ immortalitate argumentum nectemus: & similiter ex lib. 12. Metaphys. tex. 16. & 17. Quibus testimonijs Aristotelis viua voce haustis Alexander conuictus & tractus est, vt animæ immortalitatem inconcussè teneret.

Soluuntur argumenta secundæ opinionis.

Idcirco quæ obijciuntur, nulla vel modicâ operâ dissoluentur. Fulcimentum nanque illud, quod ex 1. & 2. cap. lib. 2. de Anima trahitur, debile & arundineum est: quod partim ostendimus, dum illa capita enarratemus, partim autem cùm dudum contra Auerroëm agebamus. Anima enim in vniuersum vniuocè actus est corporis physici, quia est actus substātialis verè & substātialiter vnitus, quod attinet ad veram & generalem rationem animæ, licet in specie sit differentia: quoniam animæ specie differunt, & latitudinem habent, vt sæpe dictum est: vna enim anima magis aut minùs immergitur materiæ, quàm altera: quare non probatur animæ nostræ mortalitas ex aliarum formarum corruptibilitate.

Anima est actus corporis &c. explicatur.

Homo hominē, & equ' equū

Quod autem obijcitur, nempe hominem non generare vniuocè cùm reliquis animalibus, docuit sanctus Thomas 1. p. q. 118. artic. 2. & ibi Caietanus ad 4. de quo nos infrà ad 4. principale: anima enim nostra licet prius natura creetur à Deo, tamen simul tempore corpori infunditur. Quare notanter Aristoteles dixit lib. 2. Phys. tex. 26. *Sol & homo generant hominem*, nimirum probè insinuans, quòd sicut equus non dicitur generare, quia producat formam equi, sed quia equum ipsum producit, ita homo, quomodocunq; se habeat erga animam rationalem, generare dicitur verè & vniuocè cum reliquis, quia verè producit hominem, licet anima creetur, vt dixi lib. 1. de cælo cap. 12. Quod etiā inferiùs ad 1. principale ostendo ex Aristotele lib. 2. de generatione animalium cap. 3. vbi affirmat nostram animam de foris aduenire: quoniam illud met animę esse, quod est terminus creationis in se, vt Deum creantem respicit, in eodem instanti generantem hominem terminat, vt lib. 7. Metaphys. tex. 27. & 28. *Homo* (inquit) *hominem generat, & Synodum facit*, id est, compositum & totum ipsum, quod verè fit: partes autem nō fiunt (lib. 1. Phys. textu 64.) sed in toto habent esse. Si ergo equus verè generatur, quia fit totum, & partes equi verè neque fiunt, neque sunt nisi in toto (quo non obstante equus verè generatur) quid ergo hominis veræ & vniuocæ generationi obstabit? Quòd autem anima rationalis in se habeat esse, si tamen humano corpori verè vt forma substantialis copulatur, & totus homo reuera in reliquis, excepta creatione animæ, consimiliter generatur, nihil sanè veræ hominis generationi prohibebit? Quinimo hæc est animæ nostræ nobilitas & singularis sua excellentia, quòd non resultet ex ipsa potentia materiæ, nec sit immersa materialibus conditionibus & complexionibus, sed ipsa pro sua præstantia & dignitate istorum omnium est causa: quoniam ex animæ nostræ natura ad corpus commensuratione pendent: quod in solutione ad 4. principale latiùs exponimus. Alterum verò, quod tangitur, ex lib. 1. de cælo cap. 12. dissolues, & infrà in solutionibus ad principalia argumenta tāgam ad 1. & 4.

generat naturaliter et vniuocè.

Quod Pomponatius obijciebat, nempe denominationem debere fieri ab abundantiori, non est tanti ponderis: debile enim est argumentum, quod ex sensualitate vulgarium hominum sumitur, qui non vt homi-

Pomponatius refellitur.

homines, sed potiùs vt bestiæ viuere videntur. Et citatus locus est apud Aristotelem lib. 9. Ethic. cap. 4. & lib. 10. Ethic. cap. 7. *Vnumquodq; est præcipuum, quod est in ipso*, vt ita debeat fieri denominatio ab abundanti: intellige, id est, ab eo, quod est præstantius. Ideo Aristoteles ibidem mentem nostram propriè appellat hominem, quemadmodum D. Paulus Epistol. 2. ad Corinthios cap. 4. *Licet enim* (inquit) *is, qui foris est noster homo, corrumpitur, tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem*: & hanc ob causam sanctus Thom. 1. 2. quæst. 106. artic. 1. legem nouam, non scriptam legem, sed inditam & gratiam appellat. Ratione tamen atque mente posthabita, de æternis homines magna ex parte non sunt solliciti, quia præsentibus omnes allicimur (lib. 3. de Anima tex. 53. *futurum non perspicitur*) quod pessima educatio & hominum consuetudo iuuat, & nulla rerum consideratio, neque dignitatis nostræ cõdigna ponderatio: quæ si Pomponatius considerasset, hanc suam falsam existimationem non dubito quin deposuisset. Etenim anima nostra vniuersalia & æterna cognoscit, quæ mirum est quàm enixè affectet: hæc autem si in rerum natura non essent, neque cogitasset homo: quando nil à natura frustra cõcessum est. Quamobrem fallitur in secunda argumentatione, quòd nostrum intelligere sensum non transcendat, cùm lib. 3. de Anima tribus primis capitibus & maximè in 3. cap. & ibi in quæst. de obiecto intellectus demonstrauerimus, intellectum directè vniuersalium esse, nõ singularium. Quid autem anima agat in statu separationis, habes infrà ad 4. principale: sæpe enim vocat intelligere separatum esse, atq; adeò à corpore non pendere. Sed valeant iam mẽdacia, & ad veritatis exactam discussionem, veræq; doctrinæ expositionem accedamus atq; properemus.

Attende.

Tertia huius tractatus pars cõtinet tertiam & veram opinionem, confirmationemq; nostræ conclusionis.

Tertia opinio, quam Autor cũ S. Tho. ex Arist. defendit.

SVo veluti proprio iure succedit tertia classis, quam ducit sanctus Thom. qui Latinus dicitur Commentator Aristotelis: & verè ei hæc quadrat nomenclatura, quoniam doctrinam tanti, summique Philosophi minimè peruertit, vt impius Auerroës, sed eleuat, mireque promouet, & summopere perficit, vt Theologiæ sacræ subseruiat, & fidem catholicam abundantiùs, illustriúsq; exponat: quod sanctis Thomæ studium verè pium pro viribus nostra hac disputatione iuuare contendo. Cuius conclusio est, Anima humana simpliciter est incorruptibilis & immortalis, etiamsi secundùm quid corruptioni sit obnoxia: non quòd secundùm suam substantiam morti subiaceat, & in toto aut in parte pereat, sed quòd licet secundùm vires eas & facultates, quæ organa sibi vendicant, debilitetur, & tandem formaliter secundùm illas desinat (quæ tamen radicaliter in ipsa maneant) cæterùm nil animæ in sua substantia interire potest, sed duntaxat secundùm vnionem ad corpus & organica munia, quæ per illam communionem corporis exercet. In hac conclusione vnum est, quod potissimùm controuertimus: & vt demonstretur, proponitur, scilicet animam nostram intellectiuam immortalem esse ex veris Philosophiæ principijs, atque adeò ex peripateticis documentis, quæ ab Aristotele accepimus, anima nostra proculdubio corpori mortuo superest. Cætera autem non pauca, neque parua, quæ in eadem conclusione inuoluuntur, ex hac, velut rami à radice, pendent, quæ in transcursu obiter definientur, & maximè ex solutione argumentorum constabunt: nimirũ quòd anima rationalis sola est forma hominis, & vnica existens omnes alias suppleat, estq; homini instar omnium formarum, aliàs homo non esset vnum ens: sed de hoc lib. 1. de generatione cap. 4. & lib. 2. de Anima in enarratione capitis 3. & in quæstione ad illud caput. Deinde in hac eadem conclusione includitur altera veritas, videlicet quòd anima rationalis non educatur de potentia materiæ, sed quòd dum creatur, corpori infunditur secundùm vim præuiarum dispositionum, quas exigit, vt corpori vniatur. Tertiò alia veritas continetur, quòd anima nostra non vnitur materiæ, ita vt ei coëxtendatur & immergatur, quia non est corporea, sed spiritalis: ideo materiam supergreditur, & tota est in toto, totaque

Conclusio & totius quæstionis, quæ probanda proponitur.

Explicantur multa quæ in cõclusione ponuntur quæstionis deinceps examinanda.

in qualibet parte (vt lib.2. de Anima cap. 3. de indiuisibilitate formarum diximus) quapropter nullius determinati organi actus est, neque à corpore pendet, licet sit actus essentialis & formale principiū substantiale & intrinsecum, quo primò viuimus & intelligimus, vt habes lib.2. de Anima cap. 1. & 2. Demum (vt alia multa prætercam, quæ ad explicatius exponendam nostram conclusionem faciebant) in proposita conclusione inuoluitur, nempe animam nostram pro multitudine corporum numerari, & vnamquāq; suum proprium vendicare corpus, cui coaptatur & commensuratur: vnde singularis, si non vt à causa, tamen vt ab occasione & conditione redditur indiuidua: actus enim & potentia sibi mutuò correspondent, & anima actus est corporis, non cuiuscunque, sed talis, vt lib.2. de Anima tex.26.

Aristotelis testimoniis aiæ æternitas demōstratur. Sed his, alijsq; non paucis omissis, iam exordiamur, vt animæ immortalitatem ex Aristotelis præceptis inducamus: quod erit veram illam Philosophiam deducere, quæ iuxta Lateranense decretum tenet & docet animam nostram natura sua immortalem esse. Multi occurrunt Aristotelis loci, in quibus expressè licet, hanc animorum nostrorum singularem immortalitatis excellentiam considerare, quos ego referam non (vt vulgò fit) promiscuè & tumultuariè, sed secundùm seriem & ordinem librorum, vt ea methodo ordinentur, qua possint & nostram iuuare horum librorum enarrationem, & seipsos secundùm rerum consequentiam innicem exponere, vt hac nostra diligentia ex lata rerum & perplexa vastitate quisque discerpat quod ad rem præsentem pertinere videatur, & à densissimis tenebris hanc veritatem in lucem eruat, quam propter hominum incuriam & obliuionem in memoriam reuocabo. *Qua methodo loci ex Arist. inducēdi, vt enarratio horū librorū sit luculentior.* Atque ne quis falsò putet, me gratis velle verbis & non rebus disputationem instituere, ex eisdem ipsis Aristotelis testimonijs nostras (vt res postulat) conficiemus ratiocinationes, nec contortas quidem neque violentas, sed legitimas atque germanas, quæ aculeis pungant atque vrgeant. Etenim hæc pars non est à me leuiter præstanda, neque solùm eloquentiæ floribus aut lenocinijs agendum, sed punctim, cæsimq; feriendum, vt oratio rebus accommodetur, nō autem res ad orationes trahatur. Explanabimus igitur animæ immortalitatem, licet pingui & crassa nostra Minerua: efficaci tamen & accurata doctrina de cætero elaborabimus, vt Aristoteles semper sui similis ostendatur, nec latum vnguem à se dissidere. Totam igitur mentis nostræ aciem in hanc rem intendemus, vt ex Aristotelis scrinijs locupletissima testimonia in medium conferantur, quæ propositam demonstrent conclusionem. Et quando in his tribus libris de Anima propriam hæc quæstio sedem habere videtur, ex eisdem primo loco testimonia inducam, in quibus Aristoteles multus est in separando mētem & intellectiuam animam à corpore, eiusq; corruptibilitate. Dum igitur hæc loca adduco, aduerte, germane lector, me etiam horū lib. enarrationem consummare velle: ideo postquam libros percurrero, deinceps alios Aristotelis libros perlustrabimus, in quibus non pauca ad rem præsentem reperiemus: sed iam tandem conseramus manus. *Obserua.*

Ex libro primo de anima.

Locus primꝰ ex lib. 1. de aīa tex. 1. in ēto text. 43. lib. 1. Poster. et c. 5. lib. 1. de partibꝰ animalium. INitio horum librorum de anima tex.1. docens Aristoteles huius scientiæ præstantiam, præstabiliorem inter omnes scientias naturales dicit disciplinam de anima. Vnde cùm lib. 1. Posterior. cap. 23. textu 43. doceat Aristoteles vnam scientiam trifariam altera exactiorem, Primò, quia demonstrat propter quid, cuius altera tātùm dicit quia. Secundò, quia ex paucioribus procedit, vt subalternans præstantior est subalternata, vt Arithmetica Musicam excellit. Tertiò, quæ non est de subiecto aliquo præstantior est ea, quæ versatur de subiecto: non quòd velit Aristoteles aliquam scientiam non habere subiectum, cùm ibidem doceat omnem scientiā vnam esse ex vnitate generis vnius subiecti: sed per scientiam, quæ non est de subiecto, intelligit eam, quæ à sensibili abstrahitur subiecto, vt velit scientiam esse præstantiorem, cuiꝰ subiectū est abstractius, id est, cuius genus subiecti materiæ magis est expers, excellit eam, cuius subiectū materiale est & corporeū. Itaq; cùm sciētia de anima nō sit exactior cęteris disciplinis naturalibꝰ primis duobus modis & cōsiderationibus (quibꝰ exactior multò est doctrina de physica

fica auscultatione, in qua docemur propter quid: & quia cōmunior, amplior atq; prior est, ex paucioribns, certioribusq; procedit) superest, vt doctrina hæc exactior sit, vt ex primit Aristoteles initio 1. lib. de Anima tex. 1. quia *rerum est earum, quæ magis præstabiles, magisq; sunt admirabiles.* Cæteræ nanq; omnes naturales disciplinæ in naturæ sensibilis contēplatione se occupant & versantur, genusq; materiæ sortitæ sunt: hæc autē scientia de anima genus tale entis versat & tractat, quod materia vacat, vt lib. 1. de partib. animalium cap. 5. *Res nanq; illæ superiores, tametsi* (inquit) *leuiter attingere possim⁹, tamen ob eius cognoscendi generis excellentiā amplius oblectamur, quàm cum hæc omnia nobis iūcta tenemus.* Hac igitur de causa scientia de anima exactissima est, quia non est de subiecto & materiali aliquo: ergo si non est de subiecto, Anima, quæ subiectū est horum librorū, materia vacat, & immaterialis est, ob id etiam immortalis.

Secundus locus lib. 1. de aīa tex. 12. et 13. adhibitus aliis nonnullis & 15. lib. 1.

Vt optimus magister pergit Aristoteles ad æternitatem nostrorum animorum demonstrandā, sicuti cœperat: & iste locus totius quæstionis neruū tangit, atq; ipsius nodum veluti digito cōmostrat. Etenim cùm natura nihil faciat frustra, sed vnūquodque propter suam operationem (vt lib. 2. de cœlo tex. 17. *Eorum quoq;, quorum est opus, operis ipsius esse gratia constat*) fit, vt si affectionum animæ aliqua ei sine cōmunione corporis competat vt propria, separabilis sit atque adeò perpetua: secùs si nullū habet affectū proprium, neq; operationem sortitur sine corporis consortio, ipsa non est separabilis. Egregia sanè & subtilis argumentatio, quæ tibi erit dilucidior, si literam tex. 12. & 13. lib. 1. de Anima diligentiùs perspexeris.

Per propriā operationem aīæ quid Arist. intelligat.

Atq; quo plurimas, vanas siue extortas expositiones prætercam, proprium opus animæ nō excludit obiectum, quod (vt lib. 3. de Anima cap. 3. dicimus) quidditas est rei materialis, excludit tamen organum: nam propria operatio animæ est, quæ ei soli cōuenit absq; organo: propriū ergo opus est, quod excludit corpus, nō obiectiuè, sed organicè, vt lib. 2. de Anima tex. 11. *quòd nullius est corporis actus* ipse intellectus. Quare conditionalis consequentia Aristotelis illo tex. 12. & 13. nō solùm apparens est & topica (vt Ferrariensis lib. 2. contra gentiles cap. 79. ad finem capitis commentatur) sed etiam demonstrationis medium efficax cōtinet (vt subtiliter his libris Caietanus affirmat) quia si nullam habet anima propriam operationem separata, mortalis erit & minimè separabilis: si autē separatur, propriā operationē, quæ soli animæ cōpetat, fateri est necesse. Quod autē prædictis textibus 12. & 13. dubitare videtur, infrà in eodem lib. 1. de Anima tex. 64. & 65. dilucidè diluit dū affirmat, plures operationes ab aīa inchoari, *nonnūquā verò* (inquit) *ab illa* operationes sunt (tex. 64.) ipsa igitur sola aīa nostra sufficiens est sustinere intellectionē, atq; ex proprijs sine corpore operari: quia operatio ꝓpria propriū esse indicat. Quod euidentiùs statim tex. 65. manifestat dū dicit ibi, *Quare senectus nō est, &c.* quòd anima non senescit, neq; marcescit cum corpore: ergo anima nostra simpliciter est incorruptibilis. Ad quod alludit lib. 3. de aīa tex. 1. cùm dicit ibi, *De animæ autē ea parte, qua cognoscit, sapit, &c.* animam esse qua sapimus, cognoscimus & intelligimus: intellectionē autē corpus non iuuat, sed potiùs impedit, ideo *laboriosum est, coniunctā esse cum corpore, neq; ab eo absolui posse*, vt lib. 1. de Aīa tex. 49. vbi etiā videtur docere melius esse intellectui sine corpore esse: quare si intelligit mēs absoluta à corpore, ergo separabilis & immortalis erit: vnaquæq; enim res efficaciùs & priùs se habet ad esse, quàm ad operari. Habes autem multa de operatione intellectus posibilis lib. 3. de Anima cap. 1. & de operatione intellectus agentis cap. 2. & ibidem quòd intelligere actio immanens est in nullo organo corporeo suscepta, sed in intellectu posibili, qui solus *locus est formarum* (lib. 3. de Anima tex. 6.) intelligere ergo per se phātasmatibus nō obligatur, neq; in subiecto & organo corporeo recipitur. Porrò anima nostra rationalis ex natura proprij esse non sustētatur à corpore, nec operatio ab ipso pēdebit: quia si ab eo dependeret, intelligere in corpore reciperetur, tanquam in subiecto & materia: quod naturæ intellectionis repugnat, quia lib. 3. de Anima præsertim cap. 1. intelligere spiritale separatum ostenditur. Ideo nō est, quòd scioli Aristotelem calumnientur, & probro dent, quòd dubitationem ex tex. 12. & 13. inductam, nullibi dissolue rit, cùm nō solùm citatis locis, sed plurimis alijs, quæ in discursu huius disputationis adducentur, non obscurè id præstiterit. Quid? quòd ne externos testes petam⁹, do-

Caiet.

Obseruanda expositio ab ipsis verbis Arist. petita tex. 12. et 13. lib. 1. de aia, etiam tex. 15. mesticum habemus testimonium Aristotelis in his eisdem textibus 12. & 13. inter dubitandum, solutionem expresſiùs, quàm vt dubitari poſsit, non ſemel innuit. Siquis enim paulò diligentiùs inſpectet, ſemel tex. 12. Ariſtoteles affirmat, affectum animæ proprium eſſe, cùm dicit, *Atque plurimi ſunt, quorum ſine corpore nullum aut agere, aut pati videtur: vt iraſci, confidere, cupere, omnino ſentire:* hæc ſine corpore non contingunt. Subdit etiam, *Maximè autem ipſum intelligere, proprio ſimile eſt.* Ecquid potuit clarius affirmare? Iterum autem cùm eodem textu 12. ſubnectit, *Quòd ſi hoc etiam imaginatio ſit quædam, aut ſine imaginatione non ſit, nec iſtud* (ſcilicet intelligere) *eſſe ſine corpore poteſt:* vbi tanquam abſurdiſsimum ſubinfert, quòd intelligere non poſsit eſſe ſine corpore: per ſe enim notum eſt, intelligere per ſe ſiue corpore eſſe. Et textu 15. ſubinfert, animā naturalis eſſe conſiderationis, cùm dicit, *Idcirco naturalis eſt de anima vel omni, vel tali conſiderare,* inſinuans animā aliqua ratione ſeparatam. Quòd ſi adhuc *Nota.* inſtes, Ariſtotelem non affirmare, ſed ſub dubio relinquere? Certè magis inſpiciendum ad animum Ariſtotelis, & ſenſum verborum, quàm ad eorundem externum ſonitum, vt ex adductis locis & cęteris adducendis planiùs reſoluit. Quid? quòd dixit, intelligere animæ ſolius eſſe proprium: quia ſi cum corpore haberet commune, nunquam corpus impedimento eſſet, quo minus purè & ſyncerè intelligeremus: quinimo corpus, veluti cætera cuncta inſtrumenta, ipſam intelligētiam adiuuaret. Cuius contrarium experientia docet: quia laborioſum eſt (lib. 1. de Anima tex. 49.) propter corpus intelligere, *quippe cùm melius ſit intellectui, non eſſe cum corpore:* & Sapiens 9. cap. ſuæ Sap. dixit, *Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam; & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Quod Ariſtoteles lib. 8. Politic. cap. 4. in fine dixit, *Nam ſimul mente, & corpore laborare non oportet, cùm ſe inuicem impedire nata ſint:* quoniā ij labores contrariarum rerum efficientes ſunt: labor enim corporis menti impedimento eſt. Nihil amplius eſt quod optem⁹, & ab Ariſtotele expoſcamus: nam ex his locis vnum annotare licebit contra eos, qui *Attende infrà loco 10.* Philoſophiam Ariſtotelis peruertunt, quòd in textibus prædictis 12. 13. & 15. expreſſe de anima loquitur: vt videas errare dicentes, Ariſtotelem nunquam de immortalitate agens animæ meminiſſe, ſed de intellectu & potētia intellectiua loqui. Ad hūc locum reducitur quod Ariſtoteles lib. 1. tex. 15. docet, nempe animam phyſicę eſſe conſiderationis, ſecundū quòd habeat operationes coniunctas: vbi innuit animam ſeparari & metaphyſicæ eſſe cōſiderationis, vt lib. 2. Phyſ. tex. 26. & lib. 1. de partibus animalium cap. 1. à quib⁹ ſuperſedeo, quia adducta ſunt ſuperiùs initio horum librorū ad finem quæſtionis de ſubiecto librorum de anima, dum anima noſtra conſiderationis naturalis eſſe probatur.

Ex diſputatione Ariſtotelis contra Platonem lib. 1. de Anima. cap. 3. à tex. 46. ad 49. ſatis apertè quiuis mediocriter affectus colliget, animam noſtram immortalē Ariſtotelem ſenſiſſe. Reprobans nanq; Ariſtoteles Platonem, non quoad ipſius intētionem, ſed quantum ad verborum ſonitum, quòd malè doceret per ſymbola, nequis ex inordinatis verbis in errorem incidat, quòd Plato diceret, intellectum magnitudinem, circulum & numerum eſſe (quæ Plato intellectui metaphoricè tribuebat) probat, intellectū ſine magnitudine eſſe, & impartibilem, penituſq; indiuiſibilē, ex eo quòd intelligendo facit perfectam circulationem & perennem conuerſionem: quod ſine indiuiſibilitate animæ fieri non poſſet, maximè quia intellectio & conuerſio, quæ intelligēdo fit, ſine motu fiat: ob id magis quieti aſsimilatur, vt lib. 7. Phyſ. tex. 19. dicitur & tex. 20. clariùs: operatio enim animæ, in qua beatitudo conſiſtit, motus expers eſt. Quare licet in tex. 49. colligat, non abſolutè, ſed ad hominem, laborioſum eſſe animæ intelligere in corpore, cū corpori iuxta ſententiam Platonis contra naturā anima vniretur (in quo ſenſu ratio Ariſtotelis efficaciſsima eſt) tamen oportet haud indiligenter ſemper aciem intellect⁹ noſtri dirigere, quò mentis Ariſtotelis intelligētia nos ducit. Vult enim Ariſt. nucleum ſub cortice opinionis Platonis & latentem veritatem manifeſtare, & quòd intellectus ſpiritalis ſit, quòd ſupra ſenſum ſit reflexiuus, & quòd impartibilis & indiuiſibilis, quoniam impartibilia & indiuiſibilia cognoſcat. Pręterea & incorporeus, quia intellectio non motui, ſed quieti magis & ſtatui aſsimilatur: & quia in hoc ſita eſt animę beatitudo, anima noſtra miro tenetur deſiderio intelligēdi ſub-

Locus terti⁹ ex lib. 1. de aia text. 46. 47. 48. et 49.

Perpende ſenſū tex. 49.

di substantias separatas, quod est signum, ad eas secundùm aliquem statum, modùmve animum nostrum peruenire posse. Quare quanuis ex hypothesi Aristoteles contra Platonem arguens laboriosum animæ esse dicat, quòd corpori coniungatur, tamen absolutè colligit meliùs esse intellectum sine corpore, quemadmodum dici solet, & complures sanè consentiunt: modum igitur essendi habet sine corpore (hoc enim est, quod intendebat.) Et ita omnes consentiunt, corpus non cōcurrere organicè ad intellectionem, sed independenter à corpore animam intelligere: quòd si corpus obiectiuè concurrat, non simpliciter, sed secundùm quid, id est, tantisper dum in hoc statu residet, vbi *in ipsis sensibilibus formis* intelligit, lib. 3. de Anima tex. 39.

Quartus locus ex text. 63. 64. 65. et 66. lib. 1. de aiā.

Vt desinant inuidi detractores tantā gloriam Aristoteli inuidere, persequar cætera, quæ sequuntur: nam tex. 64. lib. 1. de Anima & duobus sequentibus multa eleganter congerit in hanc rem pōderanda: cuius loci testimonio vtitur S. Thomas lib. 2. cōtra gentiles. Vbi, antequam ad vim testimonij descendam, adnotare libet, quòd cùm in hoc loco ponitur verbum *videtur*, aut *fortasse*, non indicatur Aristotelem dubitare: quod lib. 2. de Anima tex. 21. & lib. 12. Metaphys. tex. 17. etiam reperies, & in plerisq; alijs locis, quibus immortalitas animæ tangitur, ambiguis & dubijs verbis vtitur, nempe *videtur, obscurum, fortasse*: tamen non par est, statum existimemus, Aristotelem perplexum aut dubium animi fuisse. Nam (vt ex lectione grauissimorum Philosophorum accepimus) frequens est iste Aristotelis mos, vt in rebus etiam planis, vocibus ambiguitatem significantibus apertè vtatur: vt primò hominis modestiā inspicias, qui sine supercilio vllo docet, ijs in rebus maximè, in quibus non tantū vult suam notificare animi moderationem, sed manifestare etiam, de illa controuersia nōdum ex professo determinatam, neq; latā sententiam fuisse, quod maximè Philosophiam & eius studiosos decet, ne temerè ante tempus quippiam affirmare videatur. Ideo Themistius verbum *videtur* pro apparet dicit vsurpari, vt Porphyrius in cap. de genere, *Videtur itaq; neque genus, &c.* Præsertim quòd in locis, in quibus de immortalitate animæ apud Aristotelem fit mentio, vel res adhuc erat indiscussa, vel non erat ad disputandum proprius locus, vel contra antiquos philosophantes agebat, qui plurimos miscebant errores, illis ambiguis verbis summa cura atque diligentia, vt vir ingenio præstantissimus, nolebat sententiam liberè iudicandi reliquis adimere, suam tamen perfunctoriè exponebat mentem, quo dociles lectores faceret, & animos eorum conciliaret ad eam suscipiendam sententiam, quam planè proponebat, vt omnem inuidiam & æmulandi occasionem hoc dicendi tenore remoueret. Quod in præsenti loco facit, qui cùm tex. 62. dubitauisset, an anima moueatur, tristetur & gaudeat, cùm dicit, *At enim rectiùs de hac ipsa quispiam ad talia respiciēs dubitabit, putabitq; ipsam moueri, &c.* tex. autem 63. in vltimis verbis colligit, quòd *intelligere, seu ratiocinari, aut tale forsitan est, aut etiā tale*, id est, forsan nō est sicuti merè irasci, vt anima moueatur ad motū corporis: quoniam intelligere, quędam est animæ propria operatio, in qua anima cum corpore non communicat. Et quanuis dicat Aristoteles, quòd de his alia sit ratio, hoc ideo est, quia exactam discussionem huius rei in futurum reijcit. Quo tamen non obstante, hîc in transitu definit cùm dicit, aliam rationem esse de operatione intellectus & de ratiocinatione ab ea, quæ est de ira & timore, qui affectus communes sunt animæ cum corpore, intelligere autem soli animæ competit. Quare malè Scotus contendit ex hoc loco colligere, quòd intelligere sit totius compositi: nam de intelligere alia ratio est, quàm de irasci: irasci enim organicum est, intelligere autē sine organo corporeo: ergo est solius animæ operatio, quam iuxta hanc sententiam Aristotelis sanctus Thomas 1. p. quæst. 77. artic. 5. docet à sola anima nasci, progredi atque sine consortio corporis fluere: habebit ergo anima separata vnde naturæ pensum persoluat, cùm functionem propriam sine corpore ei ex vera & peripatetica philosophia accommodemus, quæ incolumis destructo corpore in anima perseuerat. Id clariùs in textu 64. vbi affectus animæ quosdam à corpore incipere docet, quosdam autem *ab illa*, id est, anima originem trahere. Vnde habes animam ex se agere & inchoare, sustinereq; operationem, quoniam nullo

Verbū, videtur, & fortasse, apud Aristotelē nō sunt dubitandi signa, infrà loco 6. et initio solutionis ad 1.

Scotus.

corporeo organo tanquã subiecto ad eius operationem indiget.

Aristoteles nos vbiq; in refutandis alienis ad propriam sententiã nos præparat.

Nequis autem quæ dicta sunt diluere putet, quòd Aristoteles hoc loco in reprehensione Philosophorũ versetur, qui motum in definitione animæ posuerunt: & dicat, Aristotelem non ex propria sententia aliquid dicere, sed contra Philosophos arguere, aduertat, Aristotelem eos ex propria sententia impugnare, eo quòd nihil ab eis effectum est huiusmodi definitionis genere: quoniam non omnes animi affectus ei cum corpore sunt communes, sed quosdam habet proprios sine corporis communione: quare ineptam docet esse eorum rationem, qui omnes hos motus soli animæ assignant. Aperta igitur est Aristotelis in præsenti pro animæ immortalitate & euidens sententia: quam vt clariùs aperiret, & omnem tolleret ambiguitatem, subdit in textu 65. se loqui de intellectu, non quocunq;, sed de eo, qui *aduenire videtur*, vt lib. 2. de generatione animalium cap. 3. de foris aduenit. Et insuper inquit, *Et substantia quædam est, ac non corrumpitur:* hoc idem est, acsi diceret, Nullus credat, me in præsenti reprehensione de intellectu quocũq; fecisse mentionem, sed de eo, qui homini conuenit, & de foris, non de potentia materiæ, aduenit: & ideo non de intellectu, qui potentia est animæ, sed de substantia, hoc est, de anima intellectiua, quæ substantia quidem est, id est, per se existit, non vt potentia animæ, quæ accidens est ipsius: sicut enim ratio accidentis est in alio esse, ita ratio substãtiæ est per se existere. Quid apertius? Tamen non sistit in his Aristoteles: quoniam subdit, non quamcunq; substantiam esse, sed illam, quæ *non corrumpitur:* loquitur igitur de anima intellectiua, quæ ab interitu est immunis. Nec contentus Aristoteles simplici hac assertione, probationem subdit ibi, *Nã ab ea maximè, quæ in senectute fit, obfuscatione, &c.* quòd anima propter senium hominis non senescit, sed eandem facultatem habet: signum (inquit) huius est, quia *si senes talem acciperet oculum, videret sicut & iuuenis*, perinde acsi perspicilla sumas: quare (inquit) *senectus non est, quia anima quicquam est passa, sed quia id, in quo est aliquid, passum est.* Ideo concludit dicens, *Et ipsum igitur intelligere, ac contemplari marcescit*, quatenus ex corpore & phantasmate pendet, vt lib. 3. tex. 20. Attamen

Esse, animæ nostræ soli competit absq; corpore.

rem vt penitiùs corroboret, in tex. 66. dicit, *Intellectus autem diuinum quid est fortasse, passioneq; vacat.* Violentissimus sanè & palmarius locus, qui vsqueadeo Alexandrum exercuit, vt tãdem in nostram flexerit sententiam, pronũtiantem & proclamantem, non esse dubium, quin magnus Aristoteles animam nostram immortalem & æternam crediderit: tam graue est momentum veritatis. Nec poteris hoc testimonium eludere per palingenesian Pythagoræ, seu animarũ in corpora transmigrationem, quando Aristoteles eam locuplete oratione refellit atque explodit lib. 1. de Anima tex. 52. 53. & 61. eamq; *fabulæ persimilem* esse dicit, & lib. 2. de Anima tex. 26. animam *in corporetali*, id est, accommodato ipsa commensuratur: quippe cùm non quęuis anima sine vllo discrimine corpus quoduis suscipit, sed licet veniat de foris, tamen ad determinatum & accommodatum subiectum. Discedant igitur vel hoc testimonio conuicti quicunq; contrarias partes agunt, & animam intellectiuam nobiscum immortalem esse fateantur: nam vbi alia argumenta obscuriora visa fuerint, hoc euidentius est, quàm calumniæ vlli patere possit.

Alexander pro immortalitate animæ.

Non est animarũ palingenesia.

Nec hinc discedam quin ex hoc eodem lib. 1. Aristotelisq; commentatione contra Platonem tex. 91. & 92. colligam, expressè Aristotelem tenuisse animam nostram separabilem esse & minimè organicam. Cùm igitur Aristoteles contenderet non esse ponendas tres animas, quæ loco, situ & organo distarent, concludit tex. 92. si animæ in partibus determinatis corporis collocantur, quòd cuilibet operationi animæ sit determinata certa corporis pars, respõdeatq; determinatum organum corporale: infert Aristoteles, *Quam enim partium corporis intellectus, aut quo continebit pacto, fingere quoque difficillimum est:* sentit ergo intellectum nõ determinari ad certum corporis organum, quia nullius corporis est actus. Eandem argumentationem visus est suprà facere c. 4. eiusdem lib. 1. tex. 58. & 59. & c. 5. à tex. 80. vtrobiq; cõtra Empedoclem agens, vt eius opinionem labefactaret atq; imminueret, quòd anima esset harmonia, aut ex elemẽtis composita. Tandem inquit Arist. quòd elementa, ex quibus anima constare putat, cùm materiæ rationem subeant, seipsa non poterunt continere, & simul certo vinculo religare: nam quod continet, Philosopho-

Locus quint⁹ ex lib. 1. de aĩa tex. 91. et 92. cum quibusdam aliis.

rum

rum omnium iudicio, præstãtius debet esse eo, quod continetur: nec reperiri aliquid potest inter natura constantia, quod continere dicatur, nisi formæ rationem sortiatur: intellectus ergo est, qui continet corpus, & animæ proprium est cõtinere: vnde colligit tex. 91. *Quapropter* (inquit) *& egressa, dissoluitur corpus, atq; putrescit*, quoniam egrediente anima spirat & marcescit corpus. Vides quàm apertè anima dicatur continere & regere corpus: & quod amplius est, egredi dicitur corpus, vt ex modo dicẽdi & proprietate sermonis planè intelligas, dissoluto corpore animam non perire, sed egredi. Quam loquendi phrasin superiùs obseruauerat Arist. in eodem lib. 1. tex. 41. dum dicit, *Fieri quoq; potest, vt egressa rursus corpus ingrediatur: ex quo fiet, vt animalium ea, quæ mortem obierunt, resurgant.* Quibus verbis licet aduersarios incommodis vrgeat, & nihil ex propria sententia affirmet, tamẽ quid de aĩa sentiat, perspicuè nobis declarat atque proponit. Ex his igitur omnibus palàm & in promptu est intelligere, quam vim habeat aduersariorum opinio, quam (ni fallor) ab eorum mentibus diuulsimus: quod efficatiùs & euidentiùs sequentibus præstabimus.

Ex libro secundo de anima.

Locus sextus ex lib. 2. de aĩa tex-tu 11.

VErùm etsi quæ adduximus Aristotelis testimonia, vel leuiter exposita, satis esse possunt ijs, qui in meridiana luce non hallucinantur, tamen vt illi, qui obstinatiores & pertinaces sunt, suum deponãt errorem, ad alia loca Aristotelis descendã: reperiuntur enim satis multa, ex quibus hanc nostram sententiam non curtam (vt quidam putant) sed plenam potiùs atq; perfectam reddere possim. Recensenda sunt igitur ea, quæ in lib. 2. de Anima Aristoteles pro eadem sententia adducit, Principiò cap. 1. tex. 11. dum inquirit, an sit animæ finitio communis, ita vt rationali animę etiã competat? respondet, aliquas animæ partes nõ separari (quod de vegetatiuis & sensitiuis verum est) aliquas verò separari; vt intellectiuas, *propterea* (inquit) *quòd corporis nullius sint actus.* Quid expressius dicere potuit pro animæ separabilitate? Nec obstat quod subdit; *At obscurum est, necdum patet*, quæ sunt non dubitantis, sed modestè docentis verba: quoniam nondum erat determinatum, si anima nostra actus esset, vt gubernator est actus nauis: sed hũc locum ibi in nostra enarratione diligenter habes expositum. Nihil habeo, quod addere possim, nisi quòd videtur Aristoteles tex. 11. lib. 2. de Anima præparare nos ad capessendam solutionem quæstionis propositæ lib. 1. tex. 12. & 13. Alterum etiam notare libet, quòd Aristoteles dicit, quasdam partium animæ separabiles in numero plurali, vt intellectum agentem & possibilem comprehenderet, vt non solùm intellectus agens separabilis dicatur, quod pleriq; affirmãt. Estq; locus iste promptissimus: nam cùm Arist. in eodem capite tex. 7. definisset animam actum esse corporis, vidissetq; intellectiuam nullius corporis esse actum, debeatq; actus in potentia esse & perfectio in perfectibili, meritò lib. 2. tex. 11. dubitat, si esse actum corporis omni animæ cõueniat, & si secundùm omnes partes: & dicit, non omnes partes animæ inseparabiles esse, quando mens nullius corporis est actus. Atq; ne videretur finitionem animæ ęquiuocè aut analogicè nostrę animæ cum reliquis conuenire, subdit, *Obscurum est, necdum patet, &c.* vbi collatione animæ nostrę cum nauta insinuat (quod posteà explanat & definit) nempe animam nostram vniri corpori, vt actum substantialem vniuocè cum reliquis, licet separabiliter corpori copuletur. Re autem nondum discussa, modestis potiùs quàm ambiguis vtitur verbis, quo potiùs beneuolos, quàm calumniatores auditores reddat.

Egregiæ annotatio-nes.

Locus septim⁹ ex c. 2. lib. 2. de anima à tex. 13. ad 21.

Quod in pręcedenti cap. 1. lib. 2. de Anima circa tex. 11. dubitatum fuerat, cap. 2. eiusdem libri diligenter explicat, Principiò dicit tex. 13. *Animatum ab inanimato vita seiungi*, & animã intellectiua vult constitui præstãtissimum gradum animatorum, qui intellectiuus dicitur, vbi iam animam nostram actum facit corporis, siquidem genus & gradus viuentium constituit. Idem concludit tex. 18. Tex. autem 19. rursus renouat dubitationem propositam tex. 11. si omnes animæ partes sint separabiles: & tex. 20. diluit, quòd facilè constat, vegetatiuas & sensitiuas non separari: subdit autem tex. 21. dicens, *De intellectu verò, contemplatiuaq; potentia nondum quicquam est manifestum. Sed videtur hoc animæ genus esse diuersum, idq; solùm perinde, atque perpetuum ab eo, quod accidit, seiungi, separariq; potest.* Nil po-

tuit clarius desiderari, vt non solùm ex verbis huius textus constat, sed ex contextura etiam & totius doctrinæ decursu (diximus iam loco 4. & 6. verbum *videtur* non significare dubitationem animæ, sed affirmationem potiùs.) Præterea sicut dubitatio proposita de partibus animæ erat, ita solutio indistinctè de tota parte intellectiua intelligitur, vt nō solùm ad intellectum possibilem, sed ad agentem etiam extendatur, & appetitus quoq; intellectiuus comprehendatur, quæ omnia genere differunt à cæteris animabus, vt incorruptibile à corruptibili (lib. 10. Metaphys. tex. 26.) Est ergo anima nostra incorruptibilis.

Attende.

Octauus locus ex lib. 2. de aïa tex. 31. et 32.

Minimè absonè argumētaremur, si rem propositam ex lib. 2. de Anima tex. 31. colligeremus, vbi vnumquenq; gradum animatorum per propriam animam constituit: *Quapropter* (inquit) *in singulis quærēdum est, quænam sit cuiusq; anima: vt quenā sit anima plantæ, quæ bestiæ, quæ deniq; hominis*: de qua hominis anima fusiùs suprà dictum est contra Auerroëm. Continuò tex. 32. subdit rationem, & mentem homini tanquam formam cōpetere (de anima enim cuiusq; disserebat eo loco Aristoteles) cùm dicit, *Extrema autem, atq; minima rationem habent, & mentem. Quibus enim mortalium inest ratio, his sunt continuò & cætera cuncta, &c.* & post pauca, *De intellectu cōtemplatiuo alia ratio est.* Ex quo loco suprà contra Auerroëm agebamus, quem etiam ex his, quæ sumemus ex tex. 1. lib. 3. de Anima loco 9. perficiemus: ibi enim dubiū lib. 2. tex. 32. insinuatum soluit Aristoteles, posteaquam eodē lib. 2. cap. 15. tex. 155. & 156. & alijs damnabat Democritum atque Empedoclem & alios, qui sensūm cum intellectu miscebant & confundebant: demōstrat intellectiuam animam substātialiter nobis vniri, licet separabilis sit, vt statim loco 9. subijciam. Ne igitur veritatis aduersarius hunc locum infirmum dicat, veniamus ad sequentes, vbi iste perficitur. Nō me fugit quod Aristoteles lib. 2. de Anima c. 1. & 2. vult animam actū esse corporis, corpus tamen ipsa non est: quod magis expressit lib. 2. c. 2. tex. 26. dum dicit; *Idcirco rectè admodum putāt ij, quibus anima neq; esse sine corpore, neq; corpus aliquod esse videtur. Etenim ipsa corpus non est, est autē corporis aliquid, &c.* vnde intelligas mixta Arist. incorporeā atq; immortalem esse aïam. Sed efficaciora his sūt quæ sequūtur.

Ex libro tertio de anima.

Transitio nē vritur à lib. 2. de aïa ad 3.

A Grauissimis igitur viris accepimus, Aristotelem immortalitati nostrorum animorum proprium & integrum volumē dicauisse, quod si ad nostras peruenisset manus, scioli nulla ratione nos perturbarent, sed perijt cum alijs multis Aristotelis scriptis, & hominum indiligentia antiquatum est & abolitum: tamen si hunc tertium librum de anima diligentiùs euoluissent, nō dicerent ampliùs animam nostram intellectualem de sententia Aristotelis cum corpore interire. Hîc fixo cōgrediendum pede, & tanquam ex proprio loco potiora sunt sumenda argumenta, vt nil præterea optandnm sit ad rem, quam agimus, illustrandam.

Locus nonus ex libri tertii de aïa vniuerso c. 1. à tex. 1. ad 16. cū aliis, quæ adhibentur ad eī expeditionem.

Ab intellectu possibili.

NE multus videar atq; in multiplicandis locis fastidiosus sim, vnum locum duntaxat constituam ex vniuerso cap. 1. libri tertij de Anima: nam etsi plures distinctæ rationes ab eo colligantur, tamen omnes huius capitis partes in vnum scopū tendunt, nimirum vt intellectum possibilem esse ostendant, in quam rem textus mutuò sese consequuntur, exponuntq;.

1. ratio ab intētionis propositione ex tex tu 1.

Ex natura igitur intellectus possibilis præsens sumitur locus, cuius naturam, obiectum atq; operationem ibidem minimè indiligenter explanat Arist. Argumentum primum eruitur à tex. 1. vbi proponitur intentio Aristotelis (vt suprà contra Auerroëm ponderabamus) quoniam præparat auditorem ad eorum dubiorum dissolutionem, quæ lib. 2. tex. 31. & 32. proposuerat: atq; resumit demonstrationem lib. 2. cap. 2. cōnexam, & tex. 24. in formam redactam, & tex. 25. explicatam, hîc autem (scilicet lib. 3. tex. 1.) proposito accōmodatā negotio, vt animam intellectiuam formam hominis essentialem esse ostendat.

Obserua.

Pro 2. ratione supponitur obiectū intelligibile esse præstanti⁹ intellectu, vt suprà lib. 3. de aïa textu 38.

Alterum argumentum deduci potest ex tex. 2. vbi communio sensus cum intellectu constituitur ex determinatis lib. 2. tex. 58. 62. & 118. tam enim sensus, quàm intellectus virt⁹ est passiua, quo significatur vtrāque perfici à suo obiecto, hoc est, quòd sicut obiectum sensibile præstantius est sensu, ita intelligibile nobilius & excellentius est ipso intellectu: quod lib. 2. dicebam cap. 5.

cap. 5. quæst. de sensu agente ad tertiũ principale. Estque expressa Aristotelis mens lib. 12. Metaph. tex. 51. vbi docet Deum esse suum intelligibile: nam si aliud à Deo esset intelligibile Dei, ipsum intelligibile aliud à Deo, dignius & excellentius esset Deo, quod absurdũ est: Deo enim aliquid esse præstantius manifestè repugnat: & tamen nobilitas intellectus ex nobilitate pēdet intelligibilis: est enim intelligibile intellectus perfectio, sicut sensibile actus est sensum perficiens & veluti generans, in actũq; deducens (lib. 2. de Anima tex. 59.) Hoc est, quod in proposito Aristoteles cupit nostris mentibus imprimere, nam est certissimum & potissimum huius doctrinæ fulcimentum: quod S. Thom. prosequitur 1. p. q. 87. art. 1. vbi ordinem intelligibilium supra ordinem intellectuum cōstituit: quam propositionem diligēter Caietanus ibi exponit, licet valde obscurè & diffusè, tamen verè & peripateticè. Argumentatio igitur hinc sumpta, sic nectitur: Obiectum & potentia in eodem sunt genere & gradu rerum: & sicut Aristoteles lib. 1. Phys. tex. 69. asserit, materiam, quæ potentia est, per actũ & formam manifestari, sic sensus per sensibile, tanquam per suum actum, declaratur, & intellectus per intelligibile, tanquam per suam perfectionem, expenditur. Quare per naturam intelligibilis, naturam intellectus venabimur: sunt enim in eodem genere intellectus & intelligibile: cùm ergo intelligibile vniuersale sit, abstractum & æternum, intellectus abstractus erit & æternus, vt infrà circa rationem nonam huius loci. (Quod assumitur in hac ratione, vniuersale æternum esse obiectum intellectus, ex sequentibus patebit, & lib. 3. de Anima cap. 3. quæst. de obiecto intellectus exposuimus.) Quocirca licebit etiam adhuc proportionabiliter argumentari in hunc modum: Si materia rerum corruptibilium & materialium ingenita est & incorruptibilis (lib. 1. Phys. tex. 82.) intellectum, qui potentia est rerum immaterialium & incorruptibilium, necesse est, immaterialem & incorruptibilem esse fateamur.

2. ratio ex cōmunione sensus & intellectus ex tex. 2.

Obserua.

3. ratio ex proprietate possibilis intellectus ex tex. 3.

Ex tex. 3. tertium etiam formatur argumentum ex proprietate intellectus possibilis, quem ibi Aristoteles impassibilē esse vult, eleganterq; ostendit: Nam si potentia intellectiua caret eo, ad quod, vt recipiat, est in potentia, sicut sensus caret sensibili, à quo perficitur (etenim sensibile actus est perfecti ipsius sensus, quia non est propriè motus, vt lib. 3. tex. 28. & lib. 2. tex. 57. & 58.) ita intellectus in potentia est, vt ab intelligibili absque motu perficiatur: quare cùm in potentia sit ad omnia intelligibilia, etiam abstracta & immaterialia, sit, vt ipse quoq; intellectus abstractus sit & immaterialis omnino propria passione vacans. Sed hęc argumentatio à sequentibus pendet, vt proportio ista aperiatur: ad eas igitur properemus oportet, vt hæc ab illis suas sumat vires.

Ex textu 4. clariùs argumentabimur ex conditione intellectus, quem cum Anaxagora Aristoteles immistum esse dicit, quoniã susceptiuus est omnium corporum: ab omni igitur corpore denudabitur. Quod ibidem exponens, tres adducebam rationes, quibus intellectum immaterialem esse explanabam: quod deinde fusiùs & efficaciùs præstabam, dum explicarem, quo modo recipiens denudatur à natura recepti: recole quæ ibi diximus, ne oporteat nos molestos esse repetendo. Nunc autem, illa supposita commentatione & doctrina, sic ratiocinamur: Anima nostra cognitiua est & receptiua corporum omnium: ergo ab omni corpore denudatur: ergo nulli corpori miscetur: ergo est independens à corpore: ergo potest esse sine corpore: quare immaterialis est, incorruptibilis & immortalis. Profectò totus iste discursus, & omnes eius consequentiæ, eidem huius textus medio innituntur: quia si intellectus corpori misceretur, corpus, quod intus existit, determinaret intellectum, atque adeò prohiberet, vt non esset determinabilis per omne corpus: ergo nec susceptiuus, nec cognitiuus omnium corporum: quoniã corpus, quod intra animam existeret, faceret, ne anima determinabilis & in potentia esset ad omnia, quia iam capacitas & possibilitas potentiæ aliquò determinaretur: ergo non esset capax omnium. Sensus enim nostri determinatæ sunt naturę & organicæ potentiæ: & quia corporibus miscentur, non cognoscunt naturam nisi particulariter & determinatam, vt discurrenti per oēs sensus & eorum obiecta patet: at intellect⁹, qui vniuersaliter & absolutè sine exceptione, omnium est cognitiuus, immistus, immaterialis, incorruptibilis & immortalis erit. Et sic dubitationem positam lib. 2. tex. 11. si po-

4. ratio ex cōditione intellectus ex tex. 4.

Perpende vires rationis. si potentiæ animæ sint separabiles, hîc soluit cùm docet, intellectū immistum esse & ab omni corpore immunem. Vbi quanuis de potentia videatur loqui, nō de ipsa substantia: tamen quia ex accidentibus subsidium petimus ad cognoscēdam ipsam substantiam, fit, vt rectè Aristoteles ex proprietate ipsius intellectus possibilis, ex conditione operis, ex eminētia & eleuatione potentiæ, quæ omnia immista sunt & sine corporis communione, naturam & substātiam animæ nostræ nanciscatur, nobisq; manifestet. Proculdubio aīa nostra in suis operationibus à sensu & singularibus incipiens, semper procedit ascendendo ad magis vniuersalia, denudādo materialia materialitate, singularia expoliādo singularitate: perinde ac stomachus alimentum magis ac magis excrementis repurgat, vt ipsum in substantiam aliti conuertat: ita anima expurgat materialia, expoliat singularia, vt quod quid est & vniuersale ipsum ad collatoria sensuum percollatū percipiat. Modus iste procedendi animæ in suo munere & functione apertè indicat substātiam animæ separatam & immaterialem: quare animam intelligimus esse sine quantitate, sine figura, sine loco, sine situ: nam si alimentum, quod actione physica & materiali conuertitur in naturam nostram, nostræ substantiæ accommodatur & assimilatur, anima, quæ nō solùm ad se trahit obiectum actione immateriali & spiritali, sed se transmutat & transfert in ipsam rem, & per transumptionem istā fit ipsum intelligibile (lib. 3. de Anima tex. 37. & lib. 12. Meta. tex. 39.) immaterialis necessariò est & abstracta, quoniam est velut potentia omnium intelligibilium, inchoatioq; ipsorum: quare maximè incorruptibilis & propriè immortalis erit.

5. ratio ex natura possibilis intellect⁹ ex tex. 5. Non dissimilis argumentatio nectetur ex tex. 5. quo Aristoteles naturam intellectus possibilis nobis definit dicens, *Vt neque vlla sit ipsius natura, nisi ea solùm, qua possibilis est*, id est, in potentia ad omnia (quod in huius textus enarratione comparatione ad materiam primam expono.) Certè si intellectus nullam naturam actu habet, sed omnis naturæ expers & ab omni natura denudatur, vt omnem possit suscipere naturam, est ergo immaterialis, quia omnis quidditatis materialis est cognitiuus & susceptiu⁹. Vnde peracutè inferebat Aristoteles, quod anima nulli corpori miscetur, sed ab omni corpore separatur: inde consequens est, animam subsistentē esse, quia immunis à corpore & ab omni corporeo organo, ideo subsistens & à corpore independens atque incorporea, vtpote quę vt spiritus de foris aduenit (lib. 2. de gener. animal. c. 3.) Neq; ex eo quòd anima nostra actus sit corporis, à corpore sustētatur, quia secūdùm esse non dependet ab illo: intelligere enim in intellectiua anima est, & ab ipsa sustētatur, non tamen intelligere sustinetur à corpore. *Aristoteli aīa nostra in se subsistit, infrà ratione 8. circa tex. 7.*

6. ratio, quia non est capax materialiū actionū ex textu 6. Ex tex. 6. hanc sententiam planiùs confirmabimus, si eiusdem textus enarrationē huic nostro proposito accōmodemus. Eadem nanq; radice atque medio expressè & ex professo anima nostra impassibilis & immista demōstratur, & quod lib. 2. tex. 11. dubitatum fuerat, determinatur, scilicet animam intellectiuam de foris aduenire, & nō esse actū de potentia materiæ, quoniā nullius corporis est actus, id est, determinatus & receptus ex vi materialium dispositionum: *Non est* (inquit) *calidus, aut frigidus*, neque afficitur materialibus dispositionibus. Sic igitur deducit Aristoteles, Intellect⁹ est *impassibilis* (tex. 3.) *& immistus* (tex. 4.) *& ab omni natura denudatus* (tex. 5.) Ex quibus in textu præsenti infert, intellectuam animam non esse materiæ, eiúsq; materialibus conditionibus immersam, atq; adeò quòd ab ipsa materia secundùm esse non pēdet, ideo immortalis est. Consequentia vim habet, ex eo quòd forma, quæ educitur de potentia materiæ, pendet à materia, totaliterq; immergitur materiæ: at animam nostram sic se habere (id est, cum corpore misceri & qualitate corporea affici) iuxta Aristotelem in præsenti, rationi non est consentaneum: ergo ex sententia Aristotelis anima nostra materiam supergreditur, supra quam eleuatur: quare si aīa nostra nec materiæ immergitur, nec ab ea pendet, poterit à materia separari, quia non se habet vt sensus, de quo hîc dicit Aristoteles instrumentum corporeum habere & organicum esse: intellectus autem nullius organi actus asfirmatur. Vnde etiam in enarratione huius textus dicebamus, Aristotelem soluere dubitationem propositam lib. 1. de Anima tex. 12. & 13. quia si intellectiua anima non est corporeo organo mista, secundùm existentiam abstrahit à materia, cuius qualitatibus & conditionibus non afficitur: separabi- *Obseruāda deductio. Anima habet esse propriū. Attende.*

rabilis ergo eſt à materia, cui non communicat, & eſſe habet à materia independens: quare intelligendo à phantaſmate abſtrahit, & intellectus poſsibilis non antè intelligit, quàm ſpecies purificatas à materia recipiat: intelligere ergo, quod functio animę præcipua eſt, à corpore non pendet. Quód apertè indicat, corporeum nil noſtris miſceri animis, vt nil concretum, aut ex terra natum, aut ex materia factum, intellectum affirmare poſsimus. Hæc vera ſunt & philoſophica, quia operatio facit cognoſcerę formam, & modus operandi ex parte operantis modum eſſendi prę ſe fert: intelligere autem, etſi obligari videatur phantaſiæ, non per ſe, ſed ex accidenti, quia formaliter ſeparatur: ideo animæ immortalitas efficaciùs deducitur ex operatione intellect᷒ agentis (vt notabat Ariſt. lib. 3. tex. 20.) ob id (vt ibidem inſinuabat) intellectus poſsibilis minùs ſeparatur, quia tantùm formaliter & negatiuè, quoniam nō pendet à materia: agens autem intellectus ampliùs ſeparatur; quia realiter & affirmatiuè ſecundū eſſe, nam ipſe dicitur verè eſſe.

7. ratio ex eodē tex. 6. quia ſola aīa immateriales ſpecies recipit.

Hanc eſſe Ariſtotelis expreſſam mētem, confirmat quod eodem textu ſubdit ibi, *Tamen neque tota eſt locus, ſed intellectiua, &c.* id eſt, quòd anima noſtra ſecūdùm partem intellectiuam locus eſt ſpecierum, hoc eſt, quòd non recepit ſpecies, atq; adeò neque habet operationem communem cum coniuncto & in organo corporeo receptam, ſed ſola anima ſine coniuncto corpore ſpecies ſuſcipit: ergo ſola ſine communione corporis operatur, dum intelligit: quare ipſa ſeparabilis eſt, immiſta & nullius corporis actus (vt lib. 2. de Anima tex. 11. in medium proponebatur) atq; adeò operationem habet anima ſine corpore, quod lib. 1. de Anima tex. 13. adumbrauerat Ariſtoteles: eſt ergo anima noſtra immaterialis & incorruptibilis, & quia in ſe ſubſiſtit, verè immortalis. Abſiſtat igitur malè ſanorum mens, qui ſibi ſapientiam arrogant, & diſcant peripateticam doctrinam de animę immortalitate, atq; deſinant bonam philoſophiā deprauare, cùm luce clarius habeamus Ariſtotelem pro animæ immortalitate quaſi pro aris, fociſq; dimicantem.

8. ratio ex collatione ſenſus cū intellectu ex tex. 7.

Tametſi adductæ omnes rationes euidēter colligant animæ noſtræ immortalitatē, vt ſupetuacaneū iam videatur plures adducere, tamē quoniá à principio diximᵒ, oia, quæ de hac re Ariſtoteles dicit, nos relaturos, textū 7. qui euidentiſsimè pro hac ſententia agit, intactum non debemus relinquere, in quo ab excellentia intellectus ſupra ſenſum animæ immortalitas oſtenditur ex diſsimilitudine vacuitatis & paſsibilitatis inter ſenſum & intellectū: ſenſus enim organicus eſt, & in quadam mediocritatè conſtitutus, ideo ab exuperantijs ſenſibiliū corrumpitur (lib. 2. de Anima tex. 118.) intellectus autem, quia nō eſt corpori miſtus neque organicus, non conſiſtit in temperamento qualitatum materialium, ideò ab excellenti ſenſibili non corrumpitur, ſed perficitur potiùs. Rationem huius differentiæ reddit Ariſtoteles, *Senſitiuum* (inquit) *non eſt ſine corpore: at intellectus ab eodem ſeparabilis.* An potuit igitur aliquid apertiᵒ affirmari? Certè nil: nam ſi ſenſibile excellens ſenſum deſtruit, quoniam materiæ eſt concretū, intelligibile autem quo excellentius, eo magis intellectum perficit, anima noſtra immortalis eſt, & de ſententia peripatetica incorruptibilis. Omnibus igitur his ſeptem textibᵒ vnum commune eſt, quod ex omnibus ſimul atq; ex ſingulis deducitur, ſcilicet animam noſtram intellectiuam ſubſiſtentē eſſe, id eſt, habere eſſe ſeorſum per ſe, quod à materia & corpore minimè pendet. Hoc enim cœpit Ariſtoteles tex. 1. inſinuare: hoc tex. 2. ex capacitate & paſsibilitate intellectᵒ cœpimus nos fundare: hoc tex. 3. ex impaſsibilitate infertur: tex. 4. ex eo ꝙ eſt immiſtus: tex. 5. ex capacitate, quā intellectus ad omnem naturam ſuſcipiendam habet: tex. 6. ex eo quòd materialibus non afficitur, & quia locus eſt ſpecierum. Ex quibus omnibus in tex. 7. apertè iam docet, intellectum à ſenſu hoc diſcriminari, quia intellectᵒ perficitur à ſuo obiecto magis ac magis, quo obiectum eſt excellētius: quoniam cùm organicus non ſit, à corpore eſt ſeparatus, vtpote qui omnium eſt cognitiuus, ab omni natura denudari debet (vt fuſiùs & preſsiùs ibi enarrauimus) incorporea ergo eſt anima noſtra in operādo & in eſſendo, quando eſſe & operari ſibi mutuò reſpondere eſt neceſſe. Cùm igitur anima ſine organo, vt receptiuo aut ſuppoſito, ſpecies habet ad intelligendum expeditas, intelligere nō eſt organica operatio: ergo neq; eſſe animæ alligabitur corpori & organo: igitur dum intelligit per ſe, vt ſubſiſtens in proprio ſuo eſſe, propriam ſuſtinet operationem.

Aīa noſtra intellectiua in proprio eſ ſe ſubſiſtit, quod eſt valde obſeruandum.

tionem. Proculdubio si negatio huius modi operandi separatim à corpore atq; organo subsistentiam negat, affirmatio eiusdem subsistentiam & separationem à corpore affirmabit; intelligere enim omnem sensibilem & vegetalem transcendit operationem, quia supergreditur materiam: cuius signum est, quòd intelligere immateriale est, & in sola anima recipitur, quæ ob id incorporea, immortalis & simpliciter natura sua incorruptibilis manifestatur. Ex hoc fundamento infrà in solutione ad 1. præparamur & accingimur ad dissolutionē omnium dubiorum.

9. ratio ex obiecto immateriali ex tex. 9. 10. & 11. In textu 9. 10. & 11. intellectus immaterialitas ab obiecto ostenditur, quod est separatum & immateriale: ergo anima nostra separabilis est & immaterialis: semper enim anima nostra tenuitatem captat, immaterialia affectat, à terrenis & crassis abstrahit, materiæq; vacuitatem exquirit, & singularia materialia reijcit, quæ directè nō intelligit: ergo si mēs vniuersalis est, vt sensus particularis (lib. 1. Phys. tex. 49.) ipsa abstracta, immaterialis atque immortalis est. Hæc ratio inchoata manet, illustranda tamen ex ijs, quæ dudum circa tex. 2. dicebamus de obiecto intellectus, quod intellectui proportionatur, vt perfectio ad proprium perfectibile, ex horum etiam locorum enarratione & ex quęst. de obiecto intellectus lib. 3. de Anima cap. 3. Ne autem ex illa doctrina inferas, corpus hominis animæ correspōdere, atq; adeò debere esse incorruptibile, quia anima nostra, quæ eius perfectio est, est incorruptibilis, aduerte, quòd anima non est perfectiua corporis, inquātum incorruptibilis corporis & inseparabilis, vt facit forma cæli, sed ea ratione, qua separabilis est, & sic non sunt eiusdem generis absolutè & omnimodo: at intelligibile, vt intelligibile, perfectio est intellect⁹, vt intelligens est: ergo vt sic, debent esse vnius ordinis rerum: quare sicut intelligibile est abstractum & incorruptibile, eandē rationem sortitur intellectus, quia simpliciter, absolutè & immediatè per se vnius ordinis sunt. Corpus autem humanum nō sic se habet, nisi vt assumitur, vt materia formæ, & organum sensitiuæ & vegetatiuæ animæ, non autem animæ, vt est intellectiua: quia vt sic, non indiget corporeo organo, neq; vt subiecto, neq; vt organo, sed tātùm vt instrumento & ministro (1. p. q. 76. art. 5. ad 2.) corpus (inquit S. Thom.) non debetur animæ propter intellectionem secundùm se: ideo anima intellectiua & corpus nostrum non se consequuntur quoad corruptibilitatem, vel incorruptibilitatem; quoniam corruptibilitas corporis sequitur hominem ex parte materiæ, incorruptibilitas autem animæ ex parte formæ: ideo intelligibile & intellectus in incorruptibilitate proportionantur per se & immediatè. Vnde anima rationalis, qua ratione in corpore suscipitur, secundùm quid corruptibilis est, id est, non vnitur inseparabiliter: secus species intelligibiles in intellectu recipiuntur, vt sunt indiuisibiles (lib. 3. de Anima cap. 3.) & vt immateriales (ibidem c. 1. 2. & 3.) & vt tales, sunt principiū operandi: quare anima incorruptibilis, immaterialis & indiuisibilis est, quia vnumquodq; recipitur ad modum recipientis. Quare ex incorruptibilitate obiecti animæ immortalitatem colligimus, & pressiùs vrgemus, vt necessariò ita sit fateudum: quia species immateriales & incorruptibiles in anima recipiuntur, vt ex obiecto, medio atque ex receptione speciei intelligibilis semper & necessariò animæ immortalitas concludatur; quoniam vt sic, immediatè & per se in eodem ordine sibi mutuò simpliciter correspondent: non sic corpus & anima intellectiua, qua intellectiua est, cui corpus non subseruit vt organum intelligendi, licet ministerium præstet. Quanquàm multis videatur Aristotelem dubiam reliquisse animæ nostræ immortalitatem, mihi tamē studiosiùs consideranti visus est eam planè definisse: quod si ex ijs, quæ hactenus copiosiùs adducta sunt, non fuisset demōstratum efficacissimè, vel ex hac huius loci noni postrema argumētatione expressissimè deduceretur.

Aīa nostra non correspondet corpori humano in eodē gradu ordinis, quā uis perfectio et perfectibile sibi respōdeant.

Quia corpus per se non debetur aīæ nostræ propter intellectionē, ideo nō est de se incorruptibile, ut anima.

Obserua.

10. ratio- nis vis & summa ab expositione tex. 12. 13. 14. 15. & 16. Etenim cùm Aristoteles duas proponat dubitationes, vnā tex. 12. alteram tex. 13. quas tex. 14. 15. & 16. diluit, dubitationum & solutionum consequentia rem præsentē planam facere videtur. Nam tex. 12. dubiū est, quomodo intellectus intelligat & patiatur, cùm immaterialis sit & simplex, atq; adeò non communicet cum agente in materia? Respondet tex. 14. quoniam intelligere pati est perfectiuè, quatenus (vti dictū est) *Intellectus potentia quidem est quodammodo intelligibilia ipsa.* Hęc autem dubitatio de actiua intellectione erat, cui occasionē dabat,

bat, quòd intellectus esset simplex & immaterialis. Huic autem proxima est altera ambiguitas tex. 13. de passiua intellectione ipsius intellectus, videlicet; si vt intelligens actiuè, ita quoq; sit intelligibilis passiuè? Textu 15. affirmat Arist. dum dicit, *Est etiam intelligibilis & ipse &c.* esse quidē intelligibilem, vti sunt ea omnia, quę à materia separantur, qualia sunt quæ per se & natura sua intelligibilia sunt. Reddit huius rei causam ibi, *Nam in hisce quidem, quæ sine materia sunt, intelligens, & id, quod intelligitur, idē est*, nimirum quia immateriale per se est intelligibile: qua de re latiùs in enarratione tex. 15. Ergo si anima nostra intelligendo patitur, licet sit simplex & expers materię, eademq; est intelligibilis, quia in ordine separatorum à materia per se collocatur: sequitur apertè, Aristotelem animam humanam immaterialem affirmasse & incorruptibilem vidisse. Quod tex. 16. confirmat cùm reddit causam, cur anima non semper se intelligat: nimirum nam & si per se & ratione sui immaterialis sit & in ordine intelligibiliū per se cōstituta, tamen quia in hoc genere est sicut tabula rasa & pura potentia (quoniam est actus corporis in genere rerum) oportuit vt in genere intelligibiliū sit potentia: quo in genere vt fiat sibi præsens, indiget conuersione ad phantasmata: vnde oportuit fieri in actu per intellectionem aliorum, vt se intelligeret: vnūquodq; enim intelligit inquantū est in actu.

Apertior igitur est Arist. sententia, quàm perfidi atq; quidam peruicaces vellent: & vbi Aristotelem missum faceremus, nostrā sentētiam de immortalitate animorum obfirmabimus, si ipsum intelligere inspiciamus, quo anima omnia lustrat atque penetrat, & ad seipsam suam functionem & considerationem conuertit; argumento plano est ipsam esse incorpoream & spiritalem, quia intelligit, vt quæcunq; verè intelligibilia sunt. Quibus significatur humanum intellectum ab interitu absolutum, quoniam à materia seiungitur: atque toto hoc cap. 1. libri tertij (quod hoc loco 9. iterum breuibus percurrimus) mens nostra vocatur intelligentia, qua opinatur anima, & quæ nil actu est eorum, quę intelligit: ob id cum corpore anima non permiscetur, sicut neque opus ipsius, aut facultas intellectus. Inde enim est, quòd inter mentem & reliquas hominis partes hoc interest, quod inter corporeum & incorporeum, temporalium & sempiternum, corruptibile & incorruptibile. Hæc dicta sint de loco nono.

Capitis primi lib. 3. de aīa; & totius loci 9. recapitulatio.

Ab intellectu agente.

COpiosissimus iste locus est, maximeq; violentus, idemq; euidentissimus: & licet non videatur præcedenti dissimilis, tamen animorum nostrorum æternitatē magis persuadere videtur, quanto actus & forma, potentia & materia manifestior esse videtur: sicut enim intellectus possibilis potentia est, ita intellectus agens actus & forma dicitur: ob id ex eius operatione humanæ animæ natura exactiùs deprehendetur. Etenim cùm Arist. tex. 17. & 18. intellectū agentem esse ostenderit, atq; ipsum cū possibili intellectu partes esse & facultates animæ ibidē declarauerit, cōsequenter tex. 19. proprietates intellectus ostendit communes esse vtriq; intellectui, agenti scilicet & possibili: *Et is (inquit) intellectus separabilis est, & non mistus, passionisq; vacat, &c.* quod ex superioribus iam patebat. Sed cùm intellectus agens vnum habeat propriū, quo ab intellectu possibili seiungitur, nimirum quòd est actu, vt agens, perfectio & forma, teste Arist. *Sēper enim id, quod efficit, atq; agit, præstabilius est eo, quod patitur, &c.* vnde concludit, quòd si intellectus possibilis impassibilis est, immistus & separatus (cùm sit potentia) euidentiùs demonstratur hæc ipsa priùs & præstantiùs intellectui agenti competere: est enim actus simpliciter prior potentia (lib. 9. Metaph. tex. 13.) & agens honorabilius est patiente. Ex quibus omnib. Arist. euidenter colligit tex. 20. cùm dicit, *Separatus verò, id est solum &c.* intellectum agentem veriùs separatum, ex cuius functione animæ immortalitas & mentis nostræ perpetuitas colligitur: profectò (vt in enarratione huius cap. 1. lib. 3. de Anima docuimus) ex operatione intellectus agentis magis animæ immortalitas probatur & apertiùs, quàm ex alio adducto loco. Videtur nanq; Aristoteles superædificare super illud suum superiùs positum fundamentum lib. 1. de Anima tex. 12. & 13. vbi nodum huius quæstionis proposuerat; hic autē mirè resoluit dum docet, aliquam esse animæ operationem sine corpore, nimirum quòd iste intellectus agens ex eo probat immortalitatem animæ, quia separatus propriam habet

Locus decimus ex lib. 3. de aīa vniuerso capite 2. à text. 17. ad 20.

Text. 13. & 13. lib. 1. de aīa exponuntur.

habet operationem: non erit vtiq; otiosus, qui (vt loco citato lib. 3. de Anima exposuimus) in statu separationis intellectum possibilem illustrat & confortat, vt possit se ad superiora cõuertere: sicut in statu vitæ phãtasmata illustrat, vt intellectum valeat mouere quidditas in ipsis relucens. Hinc verius animæ nostræ immortalitas declaratur: quoniam intellectus possibilis generatur, atq; corrumpitur accretione aut dimi nutione intellectionis (lib. 1. de Anima tex tu 65. *intellect⁹ aduenire videtur, &c.* & lib. 3. tex. 2. *intelligere pati quoddam est*) at intellect⁹ agens licet agat & intelligat, non generatur, neq; corrumpitur, nec quidpiam recipit (quod in dictis Commentarijs habes lib. 3. de Anima cap. 2.) Præterea intellect⁹ possibilis quandoq; intelligit, quandoq; nõ intelligit, quia mutatur secundum suam po tentiam: at agens intellectus de se semper in actu est, semperque perficit & illustrat. Quare si hæc operatio intellectus agentis magis est separata, immista atq; magis perẽnis, sanè efficaciùs & copiosiùs ab ea colligemus animæ nostræ æternitatem: vtiq; separata anima non erit otiosa, vt quæ separatam & perpetuò permanentem prædi ctam sortiatur intellectus agentis functionem. Admonuimus superiùs, Aristotelem de animæ immortalitate loquentem, non semper de intellectu, sed quandoq; de anima intelligere, vt suprà loco 2. Quid? quòd per intellectum animam ipsam manifestat, nisi contra naturę leges velis proprietatem sine sua substantia permanere, aut operari posse: nunquã enim natura destituitur sua proprietate, neq; proprietas à natura absol uitur & seiungitur, & nos ex accidentibus & proprietatibus rerum naturas indagamus (lib. 1. tex. 11.) Rursus intellectus possibilis (vt dicit Aristoteles lib. 1. de Aĩa tex. 13.) videtur separatus consideratione, vt sphæricum tangit planum in puncto, quæ forsasse reipsa non existunt: at agens intellectus separatur hoc solo quòd est, id est, verè separatur non sola consideratione, sed essendo, nimirũ quia verè existit separatus. Illustribus & planè apertis verbis Arist. nõ solùm dicit, sed exponit suam phrasin, propriumq; loquendi modum: vnde si paulò accuratiùs & diligentiùs attendas, videtur præferre separationem intellectus agentis separationi intellectus possibilis: quia intel lect⁹ possibilis si formaliter separetur, forsasse non realiter est sine phantasmate: & si negatiuè separetur, quia non coniungitur phantasmati tanquam organo, forsan non separatur positiuè & simpliciter secundùm existentiam, sed secundùm quid, vt sphæricum tangit planum in puncto: sed intellectus agens verè separatur, realiter, formaliter, simpliciter, absolutè & positiuè secundùm realem existentiam. Id enim sonat aduerbium illud *Verè*, id est propriè, quod in nostra translatione habemus, id est, *solum quod est*: sicut lib. 4. & 7. Metaph. tex. 2. dicit substantiã esse, accidẽs autem inesse, ita hîc simpliciter separari intellectum agentẽ, at secundùm quid intellectum possibilem, vt sensus Aristotelis sit: licet enim intellectus possibilis separatus sit, veriùs tamen intellectus agẽs separatur: nam si propriè possibilis separatur, proprijssimè verò intellect⁹ agẽs. Quare directè & ex professo respõdet ad quæstionem propositam lib. 1. tex. 13. quòd ex intellectus agentis functione animæ immortalitas euidentissimè declaratur. Tandem quia dixerat intellectũ possibilem non adeò verè separari sicut agentem, ne quis falsò existimet ipsum non separari, aut non distingui ab intellectu impropriè, nempe à cogitatiua, quæ dicitur intellectus passiuus & corruptiuus, dicit, quòd cogitatiua impropriè est intellectus, duntaxat secundùm quandam vicinitatem ad intellectum, cui subseruit: hunc intellectum significat Arist. cùm dicit, *Intellectus verò passiuus extinguitur, &c.* Vnde sumitur manifestum argumentum prò animæ immortalitate: nam certè dum quærit Arist. cur post mortem non reminiscimur, accipit & vt indubitatum assumit, animam nostram post mortem manere: aut proculdubio si à mortuo homine nihil animæ superesset, nulla esset quæstio, imò ineptè & superuacanèè in medium proponeretur, atq; adeò inaniter & vanè solueretur dũ dicis, quòd non recordamur post mortem: quoniam phantasia corrumpitur, & nullum phantasma manet, quod tamen ad recordationẽ singularium erat necessarium. Apertiùs distinguit Arist. lib. 1. de Anima tex. 65. & 66. recordari (inquit) operatio quidem est coniuncti & *communis, quod quidem perijt: intellectus autem diuinum quid est, passioneq; vacat.* Aduerte, quòd dicit, *Non autem recordamur, &c.* intelligens nõ de toto homine, sed de sola anima, vt lib. 9. Ethic. c. 4. & lib. 10. cap. 7.

Attende, quòd cũ Arist. intellectum dicit immortalẽ, animã nõ secludit.

Notanda expositio ex collatione egregia inter possibilẽ, & agentem intellectum.

Iste discursus vsq; ad finem huius loci procedit ab expositione communi: nã Autoris alia mens est suprà ad finẽ capitis 3. lib. 3. de anima.

Obserua.

d

c.7.dicit Arist. *Videbitur aũt & vnusquisq; hoc esse, siquidẽ præcipuũ est, & melius*, quia principalius, quod in nobis est. Alluditq; Arist. ad communem modum dicendi, cùm petimus à sanctis interpellent pro nobis, quãuis corpora nondum surrexerunt. Quare ex ipsis verbis, phrasi, modoq; loquendi intelligamus supponere animã nostram immortalem esse.

Locus vndecim⁹ ex lib. 3. de Aïa c.3. à tex.21. ad 26.

Sufficientissimè demõstrata mihi videtur animæ humanæ immortalitas, quæ ex peripatetica schola sicut ex vera, legitimáque philosophia efficacissimè deducta est, quam ex potentijs intellectiuis, ipsarúmq; obiecto planè & verè declarauim⁹. Nũc igitur lib. 3. de Anima cap. 3. eisdem medijs & ratiocinationibus æternitas animę ab operatione intellectiuarum facultatum aperitur atque ostenditur. Nam à tex.21.ad 23. vnum & indiuisibile est obiectum intellectus, quod (vt ibi in quæstione de obiecto intellectus expono) separatum, incorporeum & intellectuale est, quod momentaneo tẽpore & indiuisibili potentia percipitur: ex qua operatione conditio intellectus & natura animæ manifestatur immortalis & incorruptibilis. Nec te moueat quod textu 24. dicit Arist. *Inest enim & in his indiuisibile quiddam, at fortasse non separabile*, quia in hoc ideas Platonis tãgit, & significat, quidditatem nos non percipere sine attributione ad phãtasmata. Et hoc est, quod subdit tex.25. dicens, *Punctum autem omnisq; diuisio, & id, quod est indiuisibile, perinde atq; priuatio cognoscentur, &c.* quòd indiuisibilia non apprehendũtur ratione proprij phantasmatis, sed veluti priuationes cognoscuntur per suos habitus. Vbi subdit causam, quare indiuisibilia per habitus cognoscimus, videlicet quia (inquit) *id, quod cognoscit, potentia nimirum esse, & in ipso potentiam inesse oportet*: noster enim intellectus pro hoc statu est in potentia sicut tabula rasa, quod ibidem exposui, dixiq; duplicem animæ statum, coniunctum & separatum, Aristotelem insinuare, atq; præparare nos, vt intelligamus duplex esse obiectum secundum diuersitatem status. Illud enim, quod dicit tex.25. *potentia nimirum esse, & in ipso potentiam inesse*, est quod eodem lib. tex. 15. dixerat, nempe intellectus talium potentia sine materia est, quia potentia per actum, & vnum contrarium per aliud percipitur. Vide quę ibi dixi.

Loc⁹ duodecim⁹ ex lib. 3. de aïa c.4. tex. 28. 30. 36.

Non erunt inutilia argumenta, quæ ex lib. 3. de Anima cap. 4. haberi possunt: nam licet minora sint, ab eis maiora nõ malè cõfirmabũtur, dum Aristot. intelligere (quod animę propria operatio est) ex ipso sentire manifestat, docetq; intelligere non esse motum, tametsi intellectus sine phantasmate nõ sentiat (tex.30. 33. 36.) In quo ad quęstionem propositã lib. 1. tex. 13. respondere videtur, quòd intellectus, quia actu intelligit, separatus est, vt supra illum textũ latiùs habes, molestũ esset repetere. Phãtasmata enim nõ requiruntur ad eliciendam intellectionem, quia ad id (vt patet) solus intellectus sufficit, qui etiam sustinet eam sine corpore: non enim requiritur corpus ad recipiendam intellectionẽ, neq; eam recipere potest, cùm intelligere actio immanens sit ipsius intellectus, qui locus est specierum (lib. 3. de Anima tex. 6.) Insuper neq; exigitur corpus aut phantasma ad terminandam intellectionẽ: quoniam lib. 3. de Anima cap. 3. in quæst. de obiecto intellectus diximus, quòd intellectio proximè ad verbũ terminatur: ergo si phantasma aliqua ratione requiritur, non est nisi vt materia determinans & obiectum mouens, vt eodem lib. 3. cap. 2. in quæst. de intellectu agente habes.

Phantasmatis indigentia.

Ideo Deus & substãtię immateriales pro hoc statu non possunt à nobis per propriam speciem cognosci tum, quia obiectũ nostri intellectus (vt suprà lib. 3. q. super cap. 3.) quidditas est rei materialis, quę non nisi cognoscim⁹ nisi ex phãtasmatib⁹, ob id nõ eleuamur ad cognoscendum, nisi quod phãtasmatib⁹ proportionatur: tũ etiã, quia (vt dicitur 2. Meta. tex. 1.) cæcuum⁹ ad manifestissima naturæ, quoniã non habent effectus proportionatos & adæquatos, vt eas cognoscam⁹, vti ad substãtias materiales, vt ignẽ ex calefactione, hominẽ ex admiratione, &c. Deũ autẽ & intelligẽtias ex motu & generatione horũ inferiorũ (8. Phys. & 12. Meta. tex. 29. & 41.) quæ proportionatẽ & adęquatè immaterialitatẽ separatã non referũt ob id finita in Deo infinita, & imperfecta perfectè sunt: atque ediuerso quæ in Deo sunt infinita, actualissima, simplicissima, pfectissima atq; immaterialia, à nobis finitè, potẽtialiter, cõpositè, imperfectè, materialiterq; cõcipiuntur, percipiunturq; quoniã sub quidditate rei materialis attinguntur. Quare cũ Arist. tex. 30. dicit, *Quapropter ipsa anima sine phantasmate nunquã intelligit*;

Substantias separatas pro hoc statu cur nõ cognoscim⁹.

pro hoc statu loquitur, vt lib. 1. Poster. c. 1. *Omnis* (inquit) *doctrina, omnisq; disciplina intellectiua ex praeexistente fit cognitione.* Patet hoc ex Aristotele tex. 36. vbi supponit separatum esse aliquem statum animae, de quo posteà considerandum dicit: apertè ergo intellexit aliquem esse statum animae separatae. Vide expositionem tex. 36. & ad sequentia pergamus: nam plura, quae pertinent ad hunc locum, ex lib. 3. de Anima tex. 39. in propria quaest. sunt deducenda.

Locus decimus tertius ex lib. 3. de aïa cap. 5.

Sicut in cap. 5. lib. 3. tota controuersia de intellectu in certa capita distribuitur & resumitur, ita recopilatio est, & summa omnium argumentorum, quae ex praehabitis locis deprompsimus: quoniam in huius capitis doctrina omnia includũtur, quę ex potentijs intellectiuis, earumq; operationibus atq; obiectis tradita sunt. Etenim cùm intellectus ipsum fiat intelligibile, & quidditas rei trahatur ad esse intellectus (vt ibi in explanatione tex. 38. habes) sicut intelligibile abstractum est & immateriale, ita & intellectus. Praeterea quia materialitas intellectionem impedit, immaterialitas verò ad intelligendum est necessaria: ergo intellectus non intelligeret, si non esset immaterialis, vt latiùs habes textu dudum citato. Insuper quia obiectum, & potentia proportionantur, & idem, quod est perfectio rei, adducitur, vt sit perfectio intellectus: ergo si species est immaterialis, & obiectum immateriale, anima quoq; immaterialis est. Pleraq; alia non ingrata, neq; iniucunda ex eodem cap. 5. decerpes: animus autẽ instat, vt locis ex libris de anima sumptis finem imponamus.

Locus decimus quartus ex lib. 3. de aïa c. 7. et 8.

Natura animae nostrae, eiusq; aeternitas satis ex potentijs intellectiuis apprehensiuis explorata videtur: tamen quia verum vero vndiq; consonat, non minùs ex appetitiua & motiua virtute animae nostrae separabilitas & incorruptibilitas ostenditur. Aristoteles enim cap. 7. lib. 3. de Anima postquam tex. 49. ostendisset animal ab intellectu & appetitu moueri, declarassetq; appetibile mouere, tex. 53. expositurus, vnde in nobis tam contrariae & diuersae exoriantur appetitiones, in causa inquit esse, quoniã homo duplici cõstat appetitu, vno sensitiuo, altero intellectiuo: inter quos id discriminis notat Arist. quòd sensitiuus praesentibus capitur atq; inescatur, & neq; tempus percipit, neq; distinguit: intellectiuus autẽ supra praesens tempus, nõ solũ praeteritũ, sed futurũ percipiens, vtrũq; distinguit: quorũ consideratione sensus à praesentibus illecebris refrenatur, atq; à proprijs cõcupiscentijs extrahitur. Quare mẽs & ratio, quę hominẽ mouet, praesentibus non immergitur, sicut sensus, sed supra praesens se extollit: tẽpus, futurũ atq; praeteritum comprehẽdit, ambitq;, vnũ cùm altero confert, collatũq; alteri praefert. Anima igitur nostra, vt quae ita tẽpus supergreditur, non poterit tẽpori esse subdita atq; obnoxia, aut alas maiores proprio nido extendat atq; explicet: ergo apertissimum signum est, Aristotelem euidentissimè cognouisse animae humanę incorruptibilitatẽ, quia intellexit sapientem astris dominari, id est, tẽpus ad ęternitatem destinare. Simile est, quòd c. 8. tex. 57. causam reddit, ob quã appetitus sensitiuus nõ sit deliberatiuus sicut intellectiuus, nimirũ *non videtur opinionẽ habere*, id est, non opinatur, neq; *vnum aliquid ex pluribus phãtasmatib' facere potest*: sicut intellectiuus, qui intellectũ sequitur, vnum ex pluribus colligentem, & qui de rebus opinatur, nimirũ quia vniuersaliter & abstractè cognoscit: quod mirabiliter naturã animę indicat, quia operatio intima est & essẽtiae proxima, quoniã ab ea dimanat & fit (vide quę infrà loco 17. dico de obiecto huius appetitus aię nostrę, quae pro hoc cõducere videtur.) Neq; posset tam separata & spiritalis esse operatio, vbi anima, à qua proximè fluit & dimanat, materiae esset immersa atque corporea: intelligens non est organica operatio: ergo neque anima intellectiua organica erit, aut organo corporeo mista. Quòd si redarguat, Ignis nõ est organicum: ergo ignis formã habet incorruptibilẽ & immaterialẽ? Non valet, quia organicum est quod plura & varia habet animę ad suas functiones instrumenta, quo modo ignis organicus non est, cùm sit simplex ... habet tamen aliquid superius, quod imperfectius est, scilicet materiale & corporeum: vnde ignis, si organicus non est, corporeus est, & habet formã materiae immersam: at anima nostra neutrum est, nec organica, nec materialis, sed supra materiam se extollit & eleuat. Quòd si anima nostra mortalis esset ex sententia Aristotelis (vt veritatis aduersarij calumniantur) quî fieri potuit, vt summus Philosophorũ in hisce libris perpetuò tam

Materiale, et organicũ differunt.

conti-

cōtinuus esset in asserenda animorum nostrorum immortalitate? Sanè magnum est veritatis pondus,& vsqueadeo graue momentū,vt Aristoteles verè philosophię ductu ad hanc summā & grauissimam sententiam de animorū nostrorum æternitate firmissimè & constantissimè peruenerit. His igitur libris de anima valere iussis,ad alios nos conuertamus,ex quibus hæc ipsa veritas non minùs planè confirmabitur.

Ex libris de Physica Auscultatione.

Locus decim⁹ quintus ex libris Phys. lib. 1. 2. & 5. Omnia igitur persequamur,nec sit vllus lapis, quē nō moueat diligētia nostra, siquo modo,quod intēdimus,præstare possimus,vt animā ex peripatetica schola immortalem declaremus.Aequū est,vt ex sermonibus prioribus & vniuersalib⁹ de Physica Auscultatione argumenta,quæ suppetūt,inducam⁹:ij enim libri de anima ab illis vt cōmunioribus muniūtur,& inde firmissima habēt præsidia.In primis lib.1.Phys. *Lib. 1. Phys. textu 82.* tex.82.*necesse*(inquit)*est,materiam ingenitam & incorruptibilem esse.*Quod si de materia rerum transmutabilium censere debemus, quid causæ est, vt Aristoteles non censuerit animam nostram(quæ materia est rerū intransmutabilium ,susceptiuaq; intelligibiliū & immaterialiū,cognitiuaq; substantiarum separatarum) incorruptibilē quoq; & ingenitā esse?Profectò nulla esse potest. Adhæc materia pura potentia est,& tamē incorruptibilis:ergo ei correspōdet aliqua forma incorruptibilis: actus enim prior est potentia,eiq; in eodē ordine proportionatur.Nec valet,quod quidā fingūt,esse quidem primū motorem,ingenitum & incorruptibilē,quia primus motor nō est coniūctus materiæ tanquā actus eius. Minùs valet quod dicūt,formā cælestem esse incorruptibilem , quoniā illa non est in materia transmutabili,vt anima nostra.

Lib. 1. Phys. textu 43. Primò libro Physicorum tex.43.*vnūquodq;*(inquit) *fit ex suo contrario*,& tex.81. *corruptiua enim sunt sui inuicem contraria*,quia nihil ex contrarijs coalitum æternò durat: at anima contrariorum nihil habet , neque ex contrarijs cōstat(lib.3.de Anima cap.1. à tex.2.ad 7.vt suprà iam diximus) non est enim anima mista corpori, à quo corrumpatur , & ipso obiecto intelligibili potiùs perficitur , sensus autem sensibilis excellētia destruitur:quoniam anima,quæ euasura est omnia (lib.3.de Anima tex.37.) per quandam transumptionem (lib. 12. Metaph. tex. 39.) illis non destruitur, sed potius perficitur:si aliquid tamen est contrarietatis in anima , quod mutetur per contrarias opiniones,id ex parte rerum est,nō tamen ex parte animæ, vt Aristoteles dicit in prædicamento substantiæ ad finem. *Nota.*

Libro secundo Physicorum tex.26.dum probat ad Physicum pertinere de materia & forma tractare,vt limites physici negotij circunscriberet , quòd sit de formis coniunctis materiæ,& de anima rationali verba faciens dixit ad Physicū pertinere,quatenus coniuncta est, quia Sol & homo generant hominem:quatenus autem separata,ad primum Philosophum spectat determinare. Verba Aristotelis sunt, *Quo verò modo sese habeat hæc separabilis forma,& quidnam sit,Philosophiæ primæ officium est determinare,ac pertractare.* Vides locum patentissimum,quo ab Aristotele anima nostra asseritur,tum forma substantialis hominis,quia homo ab homine & Sole generatur(quod Physicus tractat)tum etiam affirmat,quòd anima hominis separabilis est (quid autem sit & eius officium , primus determinat Philosophus)ergo de sententia Aristotelis Physicus & Metaphysicus animam nostram considerant , vnus vt coniuctam, alter vt separatam.Quid planius potuit dicere Aristoteles ? si ergo anima separata est,in se habet esse , atque adeò immortalis est.Libro quinto Physicorum tex.1.tripliciter moueri rem docet Aristot. primò per accidens , deinde per se ratione partis , demum per se ratione totius.Modò arguo sic, Intelligere cōuenit homini,sed non per accidens , cùm sit propria hominis functio: ergo conuenit per se , non tamen ratione totius,quia intelligere non fit organo corporeo:ergo ratione partis,scilicet ipsius animæ intellectiuæ , quæ seorsum habet propriū esse,sicut proprium operari , quod ex prehabitis manifestū est:apertè igitur Aristoteles animorum nostrorum immortalitati patrocinatur. *Lib. 2. Phys.tex. 26. vt infrà loco 18.* *Obserua.* *Lib. 5. Phys. textu 1.*

Ex libris de cælo.

Locus 16. ex lib. 1. de cælo c.9.11. & 12. cap.9. Nec sum ijs,quę commemoraui,contētus,adhuc plura apparēt,quæ possū & debeo referre. Libro enim primo de cælo

Lib. 1. de cælo tex. tu 100. cap. 9. tex. 100. mirabilia apponit Arist. de substãtijs separatis, dũ inquit, *Quocirca neq; apta sunt ea, quæ illic sunt, esse in loco, neq; tẽpus senescere ipsa facit, neq; vllius eorũ est vlla mutatio, quæ super extima sunt disposita latione, sed nullis alterationibus, nullis passionibus prorsus subiecta, optimam in vniuersa sempiternitate vitam & sufficientissimã habent: diuinè nanq; nomen hoc prouuntiatũ est ab antiquis, &c.* Quòd si hæ & plures aliç proprietates, quas ibi apponit Arist. conditiones sunt, quæ substantijs separatis conueniunt, anima nostra, quç illis affinis est & congenea, non erit degener, neq; ab eis aliena? est ergo cum separatis illis substãtijs separata nostra anima, immortalis quoq; & sempiterna. Itẽ vel Arist. loquitur de solis intelligẽtijs, aut de animabus rationalibus: non primum, quia sic plures essent intelligentiæ, quàm orbes (cuius cõtrariũ videtur asserere 12. Met. tex. 44.) ergo debet dari secundũ, & ita aliquæ aïæ erũt in illa vita beata (hoc ratiocinio sic colligit Aug. Eugub. lib. de perenni Philosophia.) Ad id alludebat Arist. cùm 2. lib. de cælo tex. 6. animam cæli dicit esse beatam: & 1. lib. de Anima tex. 32. refert opinionẽ Alcmæonis dicentis animã esse immortalẽ: quam opinionem non improbat, quinimo tex. 31. & 34. Anaxagorã sic tenẽtem laudat: igitur animã nostram censet simillimã esse animæ cæli atq; intelligentijs.

Lib. 1. de cælo tex. 116. & à 118. ad 129. Et lib. eodẽ de cælo cap. 11. tex. 116. ait Arist. *Quo patet, ad finem atq; excessum definiri potentiã oportere, &c.* id est, potẽtia quãta sit, in maximũ, quod potest, terminatur. Quod secundùm omne genus potẽtiæ, in cõmuni atq; absolutè intelligẽdum, ibidẽ docui: & Aristoteles ad periodũ permanentiæ applicat eodem lib. c. 12. à tex. 118. ad 129. dum de mundo arguit, quẽ probat habere potẽtiam, vt semper sit, inquiens, *Si igitur aliqua sunt, quæ esse & nõ esse possũt, quoddã tẽpus maximũ & essendi & nõ essendi definitũ esse necessum est, &c.* Et quãuis de mũdo ille nõ colligat æternitatẽ, nisi topicè & probabiliter, quatenus possibile est mundũ esse æternũ, de facto tamen neque ostendit, neq; potest vlla ratione concludi: quoniã de fide catholica tenemus, mũdum à Deo creatũ initio tẽporis fuisse: tamen illa ratio colligit animæ nostrç immortalitatem & nullo tẽpore finiri. Vide obsecro nostrã illius loci enarrationem, fastidiosus enim essem, si eam iterum hìc inculcarem: sat est, ex illa doctrina *Qualem mũdi çternitatẽ probet Arist.* ad nostrum propositum argumentemur. Anima nostra rationalis appetit semper esse constãti, firmo & minimè nutãti appetitu: ergo anima semper erit, atq; adeò immortalis est simpliciter. Totũ negotiũ deductionis hui⁹ videtur esse circa antecedẽs, quod tamen euidentissimè cuiq; constabit ex ijs, quæ lib. 1. de cælo tex. 116. dicimus, & appetitum ex obiecto declaramus, *Ad finẽ atq; excessum definiri potẽtiam, &c.* ergo potentia ad esse minori tempore, quàm æterno non terminatur: nam cùm anima nostra per se intellectiua sit (non enim ex participio & vicinitate alterius, vt cogitatiua ratiocinari dicitur) atq; tẽpus intelligat, nòn tantùm præsens, præteritum aut futurum, sed sine termino aliquo aut fine apprehendit *semper esse*: sic profectò affirmatiuè semper esse appetit, non quidem indeterminatè & vagè, quasi si in incertum aliquid & indefinitũ confusè tendat, sed determinatè & distinctè æternum apprehendit & sine fine esse: quia *semper esse* pars est obiecti naturaliter appetiti & desiderati. Est igitur immortalis, eo pręsertim, quòd iste animç nostræ appetitus semper essendi, cùm non sit respectu impossibiliũ, quia à natura fugeretur, quæ nunquã ad impossibile inclinat, naturalis est & minimè vagus, solidus atq; cõstãtissimus. Aperta est huius rei causa, quoniã aïa nostra appetit ęsse, vti apprehendit: apprehendit autẽ vniuersaliter semper supra tẽpus esse (lib. 3. de Anima tex. 53.) ergo ita appetit semp esse, quod bonũ quoddam est excellentissimũ expetendum, maximeq; exoptãdum: nõ enim tãtùm negatiuè fertur in sempiternitatẽ, sed positiuè in sempiternitatẽ distinctè apprehensam propẽditur. Quamobrem huiusmodi appetitus (alioqui naturalis) deceptionis & tristitiæ esset inductiu⁹, si immortalitas aïæ non cõpeteret, nã nõ posset nõ esse tristis tormẽti fomentũ: ex hoc igitur appetitu semper essendi aïæ nostræ immortalitas cõcluditur. Hoc argumento vsus Arist. mũdi manifestat incorruptibilitatem, si non simpliciter quoad oẽs vniuersi partes, tamẽ quoad cęlos, qui inter res materiales principaliores sunt mũdi partes, incorruptibilitatẽ ostẽdit: persimili igitur ratiocinatione nos vtimur ad colligendũ animç immortalitatem, quç omnibus cælis multò excellentior est. *Hui⁹ loci 16. firmamentum.* *Attende.*

Obiectio, ꝙ semper Siquis tamen insurgat, vt quæ diximus impugnet ex eodem Aristotele lib. 2. de Anima

Anima tex.34.& 35.dicente, *Vnumquodq;, inquam, aliud sibi simile procreare, animal quidem animal, plantam autem plantam, vt sint semper hoc pacto, conditionemq; subeant, quoad possunt, diuinam*: vbi omnibus viuentibus dicit conuenire appetitum semper essendi, ideoq; generare inter opera vitæ naturalissimum esse, per quod æternitatem cuncta participant, si non secundùm se, tamen secundùm speciem. Et lib.2.de cælo c.12. tex.66.omnia ad sempiternitatem contendunt, non tamen omnia sempiternitatem assequuntur secundùm se: quare anima humana eodem modo appetere poterit semper esse, licet de facto secundùm se realiter non assequatur. Ratio igitur proposita vt in plurimum colligit sempiternitatem esse possibilem secundùm speciem, non tamen quòd eadem numero anima perpetuò permaneat. Optima est instantia, & vt veritas elucescat, accommodatè adducitur: ad quam dico, quòd infimæ res licet permanentiam & sempiternitatem appetat, eam tamen non cōsequuntur, nisi secundū speciem & aliquid simile & proportionale: in anima autem nostra eadem ratio sempiternitatem concludit, non tantùm de possibili aut secundùm speciem, sed etiam de facto & secundùm numerum. Ratio tamen differentiæ est duplex, Prima in communi sumitur ex rerum differentia (vt lib. 2. de cælo cap. 12.) & latitudine, quæ diuersimodè ad sempiternitatem moliuntur, vnumquodq; pro gradu suæ nobilitatis & perfectionis. Secunda in particulari à natura animæ trahitur, cùm corruptibilia æternitatem non appetant distinctè sibi pro eodem indiuiduo, sed vt in specie saluētur: at anima nostra non tantùm vt secundùm speciem, sed secūdùm indiuiduum directè sibi apprehendit immortalitatem, eāmq; sic apprehēsam sibi etiam appetit: cætera autem corruptibilia sempiternitatem explicitè nō apprehendunt, ideo confusè & in commune appetunt, & potiùs aguntur & mouentur ad sempiternitatem, quàm ad illam se dirigant: homo distinctè & determinatè eam concipit, explicitéq; ad eam se dirigit: aliàs superuacaneus esset huiusmodi appetitus, qui nūquam sortietur effectum, vt lib.1.de cælo tex.32.inquit Arist. *Frustra enim calceum eum dicimus esse, cuius non est vsus*: & lib.2.de cælo tex.50.māca fuisset natura, quæ vim progressiuam astris contulisset, si progrediendi organa eis denegasset: *Sed vniuersa* (inquit) *videtur tanquam de industria abstulisse, quib⁹ per se procedere ipsa possent: atq; ab hisce, quæ instrumenta ad motū habent, quàm plurimū semouisse, &c.* Simile argumentum facit de Zoophytis & plantis lib.3.de Anima tex.45. ergo si natura reb⁹ vitiatis (vt in mula & burdone, quæ ob seminis commistionem ad generationem sunt inepta, & in alijs multis, vt talpa, quæ suos lacessitos & inchoatos habet oculos) non deficit in necessarijs, animæ intellectiuæ deficiet, cuius natura præstantissima est? Certè non est ita existimandum, nec debemus ei mancam & mutilam inclinationem concedere: est ergo anima nostra natura sua immortalis.

Solutio, cur aīq; rationalis immortalitatē concludam⁹ ex appetitu semper essendi.

Obseruāda ratio.

Sed colligamus quæ diximus, breuiúsq; contrahamus. Tandiu res durare debet, quandiu sua operatio durat: sed velle, nolle & desiderare esse de facto & in proprio indiuiduo, in ęternum positiuè & affirmatiuè atq; explicitè extenditur: ergo ex hoc affectu semper essendi anima nostra immortalis probatur. Sic quisq; hominū sentiet, nisi natura ferinus, consuetudineq; brutalis & moribus bestialis habeatur. Si igitur bruta suam sempiternitatem procurāt, pro suo tamen gradu & portione, nimirum secundùm speciem, non tamen sunt cum hominibus conferenda, qui in indiuiduo ad certam immortalitatem inhiant, & ad sempiternitatem in particulari conceptā aspirāt: & ita rebus præclarissimè gestis non tātùm ad proprij nominis celebritatē, sed ad sempiternā felicitatem nituntur: non cōtenti ea, quæ secundùm speciem est, aliam, quæ est secūdùm propriū esse indiuiduale, appetūt, affectāt & semper ad eā se accingūt. Cuius rei signum adhibere possum⁹: quoniā cùm homo corrūpitur & corpus marcescit, corpore fatiscente anima magis viuit atq; ad sempiternitatem attendit, eoq; magis ei est intenta. Argumentum profectò minimè debile, vnde animam à corpore non pendere, neque organo addictam esse constat: Non senescere ipsam inquit Aristoteles lib.1.de Anima tex.65.cū dicit, *Quare senectus non est, quia aīa quicquam est passa, sed quia id, in quo est aliquid, passū est, &c.* cū ergo aīa nostra appetat semper viuere & in ęternū permanere, ita de facto semper erit: nisi velis inclinationem perfectissimæ naturæ, qualis est anima rationalis, frustraneā esse,

Summa rationis.

Perpende.

quæ nũquã in se, aut in simili aliquo in specie impleretur, atq; adeò tota humana species talis finis consequutione orbaretur.

Ratio hęc à Platone desumpta ab Arist. permutatur cum egregia Autoris declaratione, & animarũ differẽtia.

Ex his (mea nisi me fallit opinio) patet, quò pertineat quę Plato in Phædro docet, animæ immortalitatẽ hac ratione colligẽs, ꝙ se moueat atq; in se principiũ habeat sui motus, intelligẽs animam immortalẽ, quoniam in se habet vnde sit actus & causa vitæ. Vegetalis igitur anima principiũ habet motus, sed dirigitur ad motum, quia non cognoscit: sensitiua verò motus habet initiũ, tamẽ etsi cognoscat, non se apprehẽdit, neq; se ad seipsam cõuertit: at nostra anima rationalis se quærit & inuenit, & à se tale habet principiũ & finem, quò tẽdit, cognoscit & semetipsam reflexè aduertit & cõsiderat, & geminata, cõuersiuaq; intellectione dẽprehẽdit, cùm iterata & perfecta circuitione à rebus ad seipsam facta, nõ solùm alia cognoscit, sed ad suam substantiam penetrat, aliorũ & suam naturã directè & distinctè exquirẽdo: quę animæ nostrę, si immortalis non esset, non concederẽtur, sicut experimẽto didicimus. Egregia sanè ratio, cuius faciẽ Arist. tantisper immutauit, propter quã omnes Platonici suos codices immortalitate animorũ repleuerunt. Non fit

Resumitur ratio proposita clauditur que miris aculeis pũgens.

igitur verisimile, ꝙ anima nostra in se pictoris instar cogitando depingat & adumbret res altissimas & excellẽtissimas, quas cum desiderio cõceptæ sempiternitatis veluti distãtes præsentit & à lõgè salutat, nisi immortalis sit? Quî fieri posset, vt tãtorum desideriorum vela tam latè patentia explicuisset, vt cogitationis alis, ad æternitatem Dei volãdo, penetret, nisi hęc ipsa immortalitas animæ nostræ possibilis esset, vt i eam sibi exoptat, concupiscitq;? Firma ergo ratione constat, Aristotelem animam nostrã immortalẽ censuisse. Etenim quod nõs verbis dicimus, ipsemet animus noster clausus, in corporeęq; latitans, raucis vocibus inclamans haud surdè intonat, se omnia terrena superare, & in ęterna, quæ cæcutiẽdo nouit & velut palpando inquirit, inhiare, aspirareq;. Et si velis, Deũ & naturam aliquid fecisse frustrà, Qua ratione omnes de aiæ immortalitate tradunt? qua mente eam cõcipere potuerũt? aut quo affectu desiderare? aut quomodo ad eam se præparare? aut quibus viribus sese animare valuerũt? Certè certo certius est, his naturæ conceptionibus & desiderijs immortalitatem pro fine & scopo respondere. Iste erat (vt existimo) ille alius mundus, ad quem non aduertens, tamen pro illo æstuabat Alexander ille Magnus, vt dixit ille,

Aestuat infelix angusto limine mundi.

In vniuerso hoc loco sermo habitus est de appetitu naturali cognitionem sequẽte, & de appetitu quoad specificationem ex natura obiecti, quicquid sit de actu elicito & de exercitio secundùm indiuiduum. Et cõfirmari abundè potest, quia animæ nostræ natura est omnia fieri (lib. 3. de Anima textu 17. 37. & 38.) ergo non sistit in rebus sensibilibus, sed cupit etiam intelligibilia fieri, præsertim immaterialia, quibus maximè perficitur, & in quorum cognitione nostra sistit felicitas (lib. 10. Ethic. c. 9.) Atque ad hanc rationem alludebat Ecclesiastes 1. cap. dum latè prosequitur propositæ suę cõcionis thema illud, *Vanitas vanitatũ, & omnia vanitas, &c.* vt ex inquietudine præsentium ad satietatem futurorũ properemus. Et ita claudens sermonem dicit cap. vltimo, *Deum time, & mandata eius serua: hoc est enim omnis homo*, id est, hinc pendet æterna vita. D. Aug. lib. 1. cõfess. cap. 1. dicit, *Quia fecisti nos domine ad te, & inquietũ est cor nostrum, donec requiescat in te, &c.* Concedere nobis dignetur ipse, qui via, veritas & vita est.

Ex libris de generatione & corruptione.

Licet in libris de generatione & interitu nec tam multa, nec tã efficacia sint testimonia, vnũ tamẽ est, quod ab his, quæ adduximus, parũ distare videtur. Nam cap. 6. lib. 2. de generatione, in quo Aristoteles multus est in extirpãdis Empedoclis erroribus, in fine capitis tex. 45. concludit dicens, *Porrò absurdum est animã ex elementis cõstare, aut elementorum vnum aliquod esse*, nam elementorum haberet crassas & materiales affectiones. *Perspicuum enim est* (inquit) *quòd si anima ignis sit, eædem illi, quæ igni, in quantum ignis est, affectiones competent. Si verò ex elementorũ mistura constet, affectiones corporeas ei adscribi oportebit: at harũ nulla corporea existit. Verùm de hisce cõsiderare, alterius contẽplationis officium est.* Vides Aristotelem expressè nõ solùm ponentem animam nostram immortalem, sed apertè eam demonstrantem

Locus decimus septimus ex lib. 2. de gener. & corrup. tex. 45.

ea ratione, quia si ex elementis aut aliquo cōstaret corporeo, eius affectiones corporeæ & materiales essent: at animæ nulla est affectio corporea, vt lib. 3. de Anima tex. 6. nō est *calidus, aut frigidus* intellectus, & ibidem tex. 4. & 5. *Necesse est, ipsum, cùm vniuersa intelligat, non mistum esse, &c.* quia ab omni natura corporea denudatur: anima ergo nostra ex Aristotele corporea nō est, sed spiritualis, immateriales nanque exercet operationes: operatio verò tanquam Lydius lapis naturam & substātiam certissimè & verè indicat: anima ergo nostra, quæ spiritales habet operationes & separatas, spiritalis quoq; est & immaterialis, ideo incorruptibilis atque morti minimè obnoxia.

Ex libris de animalibus.

Locus decimus octauus ex libris de animalib.

Lib. 1. de part. animal. c. 1.

EX ijs libris, quæ de corporibus animatis sunt (qui hos libros de anima proximè sequuntur & comitantur) neq; pauca, neq; debilia, aut inevidentia sumuntur argumenta. Nā lib. 1. de partib. animal. & eorum causis cap. 1. quęstionem illā resoluēs Arist. quā lib. 2. Phys. tex. 26. proposuerat (videlicet si scientia de anima sit naturalis, vt suprà loco 15. dictum est) subdit, *Vtrum de anima omni docere naturalis scientiæ intersit, an de aliqua: nam si de omni, nulla certè præter naturalem philosophiā relinqueretur sciētia; &c.* Probat, *Est enim eiusdem scientiæ, vt tam de intellectu, quàm de re intelligibili doceat: siquidem eadem contemplatio est omnium inter se cōiunctorum, sicut sensus etiam, & res sensibilis.* Concludit affirmatiuè respondens, *Constat igitur, nō de anima differere omni oportere: quandoquidem non anima omnis natura est, &c. Adhæc rē à materia abstractam nulla potest scientia naturalis contemplari, &c.* sed intelligibile ipsum abstractum est: ergo de anima intellectiua, vt abstracta, non potest esse physica consideratio: aut præter naturalem philosophiam nulla esset ponenda scientia primæ philosophię, quia nulla natura abstracta relinqueretur, quam ipsa prima philosophia consideraret. Hac de re dixi initio horum librorū in fine quæstionis de subiecto eorū. Idem tangit Arist. lib. 1. de Anima tex. 15. & hoc sub dubio relinquerat lib. 2. de Aīa tex. 31. & 33. cùm dixit, *De intellectu verò cōtemplatiuo, alia ratio est.* In præsenti autē loco excludit intellectiuam animam, qua intellectiua est, à consideratione naturali: ergo abstracta est & prorsus materia vacans atq; adeò immortalis. Eadē enim est scientia de intellectu & intelligibili: sed intelligibile abstractū est, & ob id metaphysici negotij: ergo aīa metaphysicę est cōsiderationis, quæ est de abstractis à materia secundum esse & consideratione, vt lib. 6. Meta. tex. 1. 2. & 3.

Lib. 2. de part. animal. c. 10.

Rursus lib. 2. de partib. animal. c. 10. rationē reddens, cur ab homine incipiat tractationē dicit, *Quale hominum genus est, quippe quod aut vnum ex omnibus animalibus nobis cognitis diuinitatis particeps sit, aut omniū maximè, &c.* loquitur de animalib⁹ cognitis propter opinionem de animalibus immortalibus cælestibus, de quibus dixi lib. 3. de Anima tex. 61. Ideo inter cętera cūcta, quæ cognoscimus, animalia, magnificis vocib⁹ hominem, diuinū prędicat esse animal, & speciem dicit habere multiformiorem, numerosiorémq; varietatē reciperet. At illę homi nis laudes quantæ essent, si eius anima non esset immortalis? Et lib. 4. de part. animal. c. 10. reddens rationē, cur homo loco priorum pedum brachia habeat, dicit, *Atq; etiā qua de causa homo animalium vnus erectus est, vtq; erectus suapte natura non desiderat crura priora, sed pro his brachia, & manus à natura recepit: homo enim non propter manus prudentissimus est: sed quia prudentissimus est omnium animalium, ideo manus obtinet: manus autem esse videtur non vt vnum instrumentum, sed vt multa,* quia instar plurium instrumentorum est, vt lib. 3. de Anima tex. 38. Prudentissimi autē atq; diuini sapere est & intelligere: habet ergo homo mentem immortalem?

Lib. 4. de part. animal. c. 10

Lib. 2. de gener. animal. c. 3.

Libro secundo de generatione animaliū cap. 3. testimonium habetur euidentissimū & quod vocāt palmarium: vbi inquirens Aristoteles, si in vniuersum animæ omnes in seminis virtute cōtineantur, & quomodo aut vnde veniant, de vegetali primùm resoluit in seminibus contineri: de sensuali quoq; pari modo dicendum, priùs in potētia, quàm in actu haberi: & impossibile esse, vegetatiuam, aut sensitiuā animam ante corpus esse, *Quorum enim* (inquit) *principiorum actio est corporalis, hæc sine corpore inesse non posse certum est. Itaque extrinsecùs ea venire impossibile est: neque enim ipsa per se accedere possunt, cùm inseparabilia sint, neq; cum corpore.* Vnde vnum sumitur argumentum, quod nullus ex hoc loco colligit, videlicet ꝙ oēs aliæ formæ, & animæ corporeæ sunt, &

de potentia materiæ eductæ: quia actiones earum materiales sunt & corporales, ideo non possunt extrinsecùs accedere. Vbi ex professo & expressè cæteras animas de potentia materiæ educi fatetur Arist. & probat: at verò ad intellectiuam animam cùm descendit, subiungit in hæc verba, *Restat igitur, vt mens sola extrinsecus accedat, eaque sola diuina sit: nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis, &c.* Nihil habem⁹, quod desiderare possimus, quoniá locus est apertissimus: vbi principiò non loquitur de intellectu agente, nec de possibili, aut cęteris animæ facultatibus, sed de ipsa animæ substantia, quam dicit non esse in virtute seminis, vt est vegetatina & sensitiua anima, sed de foris aduenire. Quare tum ab expressa animarũ collatione, tum etiam ab assignata differẽtia inter intellectiuam animam & alias, tum præterea ex contextura discursus & motæ quæstionis resolutione, sola intellectiua anima incorporea est, & sola ipsa in virtute seminis non continetur, solaq; extrinsecùs accedit & de foris aduenit: non ergo educitur de potẽtia materiæ, neq; mortalis est: etenim actio ipsius immateria lis est, neq; cum corpore communicat. Propter quam rationem euidẽter deducit Aristoteles, animam nostram à cæteris omnibus animabus distare, quòd incorporea, diuináq; sit atq; extrinsecùs accedens. Neq; putandum, dixisse Aristotelem animã de foris aduenire, quòd transmigrationẽ animarum in diuersa corpora significare voluerit: nam huiusmodi Pythagoræ palingenesian commentitiam & fabulæ similem dixerat lib. 1. de anima tex. 53. atq; iterum reprobauit lib. 2. tex. 26. non enim anima in quoduis corpus sine vllo discrimine ingreditur, quinimo singulis hominibus sua indita est anima, quæ ampliùs nullius alterius corporis futura sit forma.

Exprimit Aristoteles animæ nostræ substantiam immortalem.

Nõ est animarum palingenesia.

Iam hîc te rogo, germane lector, qui tam pertinaciter mendacij partes agunt, & animam nostram mortalem esse ex peripatetica doctrina contẽdũt, quid habere possũt quod dicant? cùm tam expressè de substantia animæ intellectiuæ Arist. loquatur, & nõ seorsum de facultatibus & de ea anima, quę non indiscriminatim in quoduis transmigrat corpus. Insuper qua ratione constare poterit (testante Aristotele) vt diuina sit nostra anima, atque etiam de foris aduenire, non vt cæteras animæ partes ex semine deduci, & tamen interitui & corruptioni obnoxiam esse putare?

Arist. expressit substantiam aĩæ immortalem, et nõ solum intellectũ

Ex libris moralibus.

NOn erit extra rem ex libris de morib⁹ Aristotelis, animæ nostræ ęternitatem deducere. Sicut enim operatio substantiam indicat, ita virtus, virtutisq; præmiũ ostendũt id, in quo hominis felicitas sita sit, vnde animæ natura haud difficilè expendatur, cùm finis vltimus humanæ naturæ ipsius sit bonũ & quidem præstantissimũ. Libro igitur primo Ethicorum cap. 9. beatitudinem definit Aristoteles dicens, *esse enim eam animi quandam operationẽ secundum virtutem:* & post pauca colligit, homines capaces esse beatitudinis, bruta autem nõ esse beata, nisi per metaphorã: reddit rationẽ, *Quippe cùm nullũ ex ipsis talis operationis* (scilicet secundũ virtutem) *esse particeps possit.* Qualis autem erit beatitudo existimanda, si ęterna nõ sit? Ideo lib. 1. Ethic. cap. 10. Solonis dictum explicat, qui ad beatitudinem dixit expectãdum esse finem: *Quod si mortuum* (inquit Aristoteles) *felicem esse non dicimus, neq; Solon id voluit: sed solummodò hominẽ dixit tunc beatum appellari tutò posse, quippe qui extra omnia mala, & infortunia constitutus sit.* Quod lib. 1. Ethic. cap. 11. cõfirmat, dum vult posteriorum fortunas ad defunctos pertinere, ita tamen vt tunc neq; felices reddere infelices, neq; ediuerso quidpiam tale efficere valeant. Quanam igitur ratione felicitas posteriorũ, bona, malàve sobolis, aut familiæ mortuos augere possent, si animæ nostræ à corporis morte non superesset? Aut ergo prospera & aduersa fortuna, amicorũ ad mortuos nihil refert: aut si pertineat (vt verè pertinet & pertinere vult Aristoteles) constituit homines vita defunctos à morte secundùm animam superesse? Scio Aristotelem maxima ex parte lib. 1. Ethic. ad Nicomachum disputando procedere: sed interim quid ipse sentiat, claris verbis innuit, quæ tamen ex sequentibus libris confirmantur. Nam lib. 3. Ethic. à cap. 6. ad 9. de fortitudine disputans inquit, *Ille itaque propriè vir fortis dicetur, qui circa praeclaram mortem impauidus fuerit, atq; promptus ad pericula obeunda, vitaq; cum paruo lucro commutat, &c.* ergo si fortis viri est mortẽ pro republica oppetere, & vitam cùm lucro virtutis impauidè commutare, cùm commoditas

Locus decimus nonus ex libris moralibus.

Li. 1. Eth. cap. 9.

Lib. 1. Ethi. cap. 10.

Lib. 1. Ethi. cap. 11.

Lib. 3. Ethic. c. 6 & 9.

ditas exposcit, anima ergo immortalis est? aliàs non deberet homo vitam præsentem spernere, nisi spe melioris vitæ; cùm homini mortuo nihil sit amplius, neq; bonũ neq; malum esse videtur. Quod intelligit Aristoteles de vita præsenti: aliàs nõ esset opus virtutis, sic pro patriæ salute atq; libertate mortem libenter subire. Idem docet lib. 9. Ethic. cap. 8. opus esse egregiæ virtutis pro amico mortem oppetere: *hoc (inquit) fortasse illis euenit, qui pro aliis mortem oppetere consueuerunt, &c.* quod insignis esset imprudentiæ, si cũ homine vniuersa, quę in ipso sunt, perirẽt: ab homine igitur mortuo animam rationalem superesse est necesse. Præterea lib. 6. Ethic. cap. 1. duplicem ponit animæ partem, vnam, quæ non est particeps rationis, alteram autem, quæ particeps est. Et cap. 2. de intellectu & appetitu agit, vt sunt agendi principia, de quibus determinauerat lib. 3. de Anima cap. 7. & eodẽ lib. 6. Ethic. cap. 3. de habitibus animæ nostræ multa diligenter disserit, & quòd sciẽtia habitus est vniuersalium. Idem de intellectu cap. 6. & de sapientia cap. 7. *scibile igitur necessariò est: ergo æternum: quæ enim necessariò sunt, absolutè omnia sunt æterna: quæ autem sunt æterna, generationi & corruptioni minimè subiacent:* & c. 7. *Constat (inquit) sapientiam esse rerum præstãtissimarum naturâ scientiam & intellectũ, &c.* Ergo si (vt lib. 3. de Anima argumentabamur & superiùs loco 9.) quod obijcitur intellectui, materia vacat & incorruptibile est, præstabilissimum atq; ęternum, qua via anima nostra, quæ ei proportionatur, poterit esse caduca & mortalis? Sed maximè ad rem præsentẽ facere videtur quod lib. 10. Ethic. cap. 7. dicit, *Si verò felicitas est ex virtute operatio, consentaneum est eam ex illa esse, quæ præstantissima est: hæc autem eius erit, quod est optimum, &c.* vbi felicitatem in præstantissima secundùm virtutem operationẽ collocat: hãc autem operationẽ dicit esse in intellectu contemplatiuo, nam is maximè principatum obtinere videtur, & in hac vita cõsistere hominis felicitatem; in qua non solùm quatenus homo viuit, sed quatenus diuinum quid in ipso est. Verba autem hæc sunt & quidem valde ponderanda, *Attalis quidem vita præstantior esset, quàm homini conueniat: non enim quatenus homo est, ita viuet, sed quatenus diuinum quid in ipso inest. Quanto autem id præstat composito, tanto quoq; eius operatio ab operatione distat, quæ ex virtute alia existit. Si igitur intellectus diuinum quid est, si ad hominem respiciamus: sic vita, quæ ex intellectu traducitur, si humanæ vitæ comparetur, diuina etiam ipsa est.* Vnde habes, geminam esse hominis vitam, vnam, quæ est secundùm compositum, alteram, quæ secundùm mẽtem competit, hanc autem diuinam, Deóq; similem: ergo homo secundùm mentem, & id, quod in nobis diuinissimum est, immortalis est. Et ne illatio mea, sed Aristotelis esse putetur, subdit, *Neq; verò oportet, quemadmodum nonnulli monẽt, vnumquenq;, cùm sit homo, humana, & cùm sit mortalis, cogitare mortalia: sed quatenus licet, immortalem se reddere, omniaq; efficere, vt ex præstantissimo omnium, quæ in ipso sunt, vitam traducat. Nam licet id mole sit paruum, vi tamen, & precio omnia longo interuallo excellit.* Habes igitur ex Aristotele vnde te magni facias: nam non debemus nos viles existimare, & pro corporis mole & natura nostram dignitatem metiri, sed potiùs corporis vacuitate, mentis indiuisibilitate, atque intellectualis, incorporeæq; nostræ animæ æterna substantia: *Id autem (inquit) esse etiam vnusquisq; videtur, siquidem præcipuum, & melius est.* Quod si ita est, & felicitas nostra in mente & intellectu consistit, quo modo absurdum non est, si propria ac præsenti vita neglecta, pro bono alterius æternæ atq; perennis quasi pro aris & focis dimicem'? Et lib. 10. Ethic. cap. 8. mentem, secundùm quam nobis felicitas competit, separatam ponit cùm dicit, *Mentis autem separata est: de ipsa enim hoc tantummodo est dictum, &c.* de qua in illis libris non poterat exquisitè tractari, sed ad diuinum Theologum, aut primũ Philosophũ spectare affirmat. Separata igitur anima felicitatem secundùm operationem sortitur: *Nõ enim (inquit) vt de Endymione dicitur, dormire eos oportet, &c.* felicitas autem Deo & hominibus eatenus competit, quatenus similitudine aliqua conueniunt. Ideo dicit Arist. intelligere natura homini concessum esse, vt natiuam haberet operationem, per quam felicem secundùm virtutem viueret atq; ageret vitam. Vnde infert, *Atqui ex intellectu operatur, huncq; excolit, atq; optimè afficit: is esse Deo carissimus videtur, &c.* vsq; ad finem capitis. Præclarissima igitur verba ad commendationem intellectus, quia à natura nobis datus, vt à principio nostro intrinseco vitæ perennis & immortalis atq; diuinæ participium haberemus: ergo forma

Lib. 9. Ethic. cap. 8.

Lib. 6. Ethi. c. 1. 2. 3. 6. & 7.

Lib. 10. Ethi. c. 7.

Anima viuit & subsistit secũdùm se.

Lib. 10. Ethi. c. 8.

Anima rationalis subsistens est.

hominis substãtialis, quæ vitam & motum tribuit, secundùm se proprium habet esse & subsistens est, quanuis tantisper, dum est in corpore, omnes suas operationes organicè exercere quasi humi se retinere videatur. Grauia enim sunt Aristotelis verba ista & luculẽta nimis, & quæ, vt animę immortalitatem amplectamur, maximè nos alliciunt, attrahũtq;. Quid enim magis nos debet ad vitam illam æternam & operationẽ secundùm virtutem inflãmare, quàm videre, quòd secundùm ipsam sumus maximè Deo chari? Pro viribus igitur conandũ nos tales esse, quales excellentiam & dignitatem nostræ naturæ decet. Neq; ab hoc loco discedã, quin te lector amice admoneam, Aristotelem homini excellentiam tribuere per substantiam, quæ vocatur intellectus, id est, secundùm intellectiuam animam: vnde homo animal est intelligentiæ, rationis & memoriæ plenum, cogitatione futurorum & æternitatis prouidentia fœcundũ. Accedit adhæc quod Aristoteles lib. 1. Ethic. cap. 11. dicit de gratitudine & beneficẽtia, cęterisq; gratijs circa mortuos exercendis. Idem dicit lib. 1. Rhetoric. ad Theodecten cap. 9. gratitudinem & beneficentiã erga mortuos esse, & honestum atq; laude dignum esse mortuis religiosè iusta persoluere & monumenta ponere: quoniam (inquit) *memorationes, ac monumenta, & quæ magis ac magis maximè autem quæ ad defunctũ consequũtur, & quibus bonos maior cõnectitur, &c.* Quòd si à morte nihil nostri superesse sentiret, cur tam religiosè iusta mortuis persoluere iuberet? Quanam ratione, vana cùm sint, ad virtutem pertinerent?

Lib. 1. Ethic. c. 11.

Lib. 1. Rhetor. cap. 9.

Ex libris primæ Philosophiæ.

Locus vigesim⁹ ex lib. Metaphysicæ.

MVlta sunt in libris de prima philosophia, quæ animæ immortalitatẽ ostẽdunt, & quæ in his libris reperimus, multò erunt vrgentiora argumenta, ad quos semper Aristoteles exactiorem & illustriorem de animę immortalitate discussionem examinandam retulit. Est enim Metaphysica consideratio diuina, quę considerat sempiterna, & ea, quæ materia vacant, nõ solùm consideratione nostra, sed etiã reipsa: quod dicitur lib. 6. Metaph. à tex. 1. ad 4. ibi, *Prima verò circa separabilia & immobilia, &c.* id est, prima scientia est circa separabilia, & quæ sunt omnino immobilia considerat. Quam ob causam vltimã sedem huic loco concessi, vt solent præstantissimi duces facere in bello, qui à tergo firmissima statuunt præsidia: sic ego totam testimoniorum aciem custodire contendo: si enim cõtingat, apertissimum aliquem locum ex his libris deducere, is apertissimus erit & irrefragabilis. Et quidem illustrissimum habemus: nam lib. 12. Metaph. à tex. 12. ad 17. postquã de materia disseruerat, aggrediens determinationem de forma & composito, si forma sit præter compositum, dicit contra Platonem, quòd non omnes species & formæ sunt præter cõpositum. Deinde inter causas ponit differentiam, quòd causæ mouentes prius existunt, causa autem formalis simul est; simul enim est sanitas, quãdo homo sanatur: vnde habes, quòd anima rationalis simul fit & creatur cum homine. Textu autem 17. ad nostram descendẽs quæstionem in hunc modum ait, *Si autẽ posterius aliquid manet, perscrutandũ est. In quibusdam enim nihil prohibet, vt si est anima talis, non omnis, sed intellectus, non omnē namq; impossibile forsan.* Verba expressa sunt pro animæ immortalitate; licet satis obscura & nimis inuoluta. Ne tamen quis putet, à nobis deflecti atq; confingi, vt nostram sententiã confirmemus, enitar ex ipsius Aristotelis contextura apertissimè deducere. Agebat enim ibi Arist. de materia, forma & composito: inciderat autem quæstio de causa formali, si prior sit composito, & respondet simul esse: itaq; formæ non sunt ante compositum, vt neque anima nostra (quæ in se habet propriam subsistentiam) corpus antecedit, nisi solùm naturę ordine. Cæterùm ad dubium, an aliqua forma sit superstes corrupto composito: respondet Arist. cùm dicit, *In quibusdam enim formis nihil prohibet,* vt in anima nostra, quæ, quia rationis est compos, separata potest habere operationem, non tamen omnis alia forma, vt animæ brutorum, quoniam sunt rationis expertes. Explicatio ista est Alexandri ex Aphrodiseo grauissimi philosophi & fidelissimi Aristotelicę doctrinæ defensoris, qui hoc testimonio vt vehementissimo victus atque prostratus, pro animæ immortalitate proclamauit. Hanc eandem expositionem Doctius & sapiẽtissimus Aristotelis Commentator sanctus Thomas commendat, & ipsius in Aristotelem cõmentatio semper est

Lib. 6. Metaph. tex. 2. 3. & 4.

Lib. 12. Met. tex. 16. et 17.

Alexan. Aphrodisiensis.

est summopere amplectenda, quã si sustuleris aut neglexeris, Aristoteles planè mutus erit. Itaq; vt ex contextura deducitur, atq; horum grauissimorum virorum Alexandri & S. Thomæ expositione, paraphrasticus horũ verborum sensus est. Cùm igitur nullam formam ante compositum esse sit possibile, perscrutandum est, si post compositum permanere queat: quod tamẽ in aliquib^9 certum est, nihil obstare, quominus permanere possint, qualis nostra anima intellectiua est, quia eius operatio neq; organica neq; corporea est: cæteras autem separari impossibile est, quoniam sine corpore & organo non operantur. Nec te moueat, quòd vtatur illa nota *Vt*, quæ exempli gratia poni videtur: & nota illa *Si*, quæ cõditionem & fictionem insinuat, non affirmationem: nec quod addit *Forsan*, vt dubitare de hac re, non affirmare dicas: nam (vt loco 4. diximus) hæc omnia in Aristotele, præsertim in re grauissima, non animi aut sentẽtiæ ambiguitatẽ, sed potiùs rei, quã docet, difficultatẽ & excellẽtiã innuũt, ipsiusq; docentis modestiam & grauitatem, qui auditores & lectores omnes beneuolè conciliat & dociles reddit. Nota igitur illa *Vt*, in præsenti exemplificat in intellectiua anima, in qua vult doctrinam verificari. Idem ergo valẽt illa verba, *vt si est aia talis*, acsi diceret, verbi gratia, intellectiua manet: intendit enim aliquã formã manere post compositi resolutionem. Quòd autem non dubitet, sed affirmet Aristoteles, patet ex sequentibus; quia facit exceptionem, quod de omni anima verificari est impossibile; de intellectu autẽ non est impossibile: non enim oportet inspicere, tam quid aut quibus verbis homines loquantur, quàm quid sentiant; vt apud Diogenem Laërtium in vita Aristotelis scriptum habes: sentit enim animam à morte superesse. Lib. autem 2. Rhetoricorũ ad Theodecten cap. 4. naturæ affectum explicans dicit; *Quocirca qui in defunctos huiusmodi sunt, hos cuncti amant*, id est, cunctos amare eos, qui in defunctos sunt benefici, & in pretio haberi, qui defunctis subueniunt, vti etiam in præsenti loco definit. Depravari igitur nõ potest pręsens textus, cùm apertè doceat, animam nostrã quæ substantialis forma est nostri corporis, non præexistere corpori, separari tamẽ posse: Quod eodem lib. 12. Meta. à tex. 29. ad 35. de substantijs immobilibus & à materia separatis disputans dicit, *Ampliùs igitur tales oportet esse substãtias sine materia: sempiternas enim esse oportet, si & aliquid aliud sempiternum actu, &c.* vbi probat, omne, quod non habet materiam, interire non posse: intellectiuam autem animam de genere separatorum immaterialium esse, sat multis diximus in his locis, qui ex libris de anima sumpti sunt. Muniuimus igitur animæ immortalitatem vltimo hoc testimonio vt fortissimo & vehementissimo, quo ab aduersarijs, si ad libram & æquis (vt aiunt) ponderibus Aristotelem expenderint, omnem ademimus libertatem aliter iudicandi.

Obseruãda verborum ponderatio.

Lib. 12. Meta. à text. 29. ad 35.

Nõ ignoro, plurima esse loca apud Arist. quę meã suffugerint diligentiã, quę tuo studio, optime lector, in mediam proferentur lucem, vt hæc ipsa, quæ induximus, illustriora fiãt atq; efficaciora reddantur. Neq; tamen tibi omnia proponere, sed potiora, tentaui: consultò nanq; quædam missa facere decreui, quæ minùs efficacia esse videbantur: quale est illud testimonium Arist. lib. 2. Topic. cap. 2. loco 6. vbi sic ait, *Non enim sufficit ad probãdum, quoniam omni inest, in vno disputasse, vt si hominis anima immortalis est, & quòd omnis anima est immortalis, &c.* Nam dices, de exemplis Arist. non curasse, quoniam exemplorum non requiritur veritas? Tamen quicquid de hoc sit, neminem latet, exempla quadrare debere his, quæ tractantur atq; docentur. At dicit Arist. quòd ratio trianguli eadem est omnibus triãgulis, ratio tamen immortalitatis nõ est eadẽ omnib^9 animabus: constat ergo, ꝙ si Arist. cẽsuisset nostrã animã immortalẽ, non proposuisset sibi exemplum falsum & tam familiare, propriúmq; ad id, quod docebat: Aristoteles igitur vt minimũ animã nostram immortalem probabiliter credidit. Sed iam tandem ab Arist. testimonijs abstineamus.

Alia Arist. testimonia cur relinquantur.

Pro qua nostra conclusione sunt grauissimorum virorum per omnia secula & nationes testimonia: tam mirabilis enim est vis veritatis, quę fortiùs, quàm magnes ferrum, nos rapit, & repugnantes etiam trahere videtur. Recenserem igitur innumeros viros per omnes ætates & linguas de hac re egregiè sentientes, nisi in his recensendis ambitiosus magis, quàm vtilis videri pertimescerem: hos enim diligentissimè & elegantissimè recenset Augustinus Eugubinus lib. 9. de perẽni Philosophia per totum,

Testimonia ab origine mundi apud Eugubinũ lib. 9. de perẽni Philosophia.

tum; & ex omni antiquitate ab origine mundi veritatem hanc planè deducit, vt animæ nostræ immortalitas obuijs vlnis amplectenda sit atq; exosculanda, vt quę Aristotelis philosophiam perficiat, atq; eousq; eleuet, vt Theologiæ subseruiat & veram philosophiam interpretetur. Nihil enim est quod verissimam de animæ immortalitate assertionem non iuuet: Nam non patiar silètio prætериri, quod apud Aegyptios pro animæ immortalitate hieroglyphicum esse pyramidem, sub qua anima humana adumbrabatur, cuius basis in Zodiaco, vnde vita pendet, vsq; ad centrum terræ protendebatur, vbi apex pyramidis erat. Quàobrem ingentia heroum sepulchra in magnis pyramidibus constituebātur, cuius rei hodie Romæ monumentū videmus in pyramide seu immani illa acu Iulij Cæsaris; qua ratione corpore resoluto, animam viuere & superstitem esse profitebantur, eàq; pyramide significabatur, animam, veluti ignem, supera petere loca: & vt pyramis basi sustentatur, & ignis fomento, sic anima egregia virtutis operàtione ad vitā immortalem se pręparat. Significabāt pręterea, animę immortalitatē per virginem tauro insidentem, qui eam per mare in pelagus deferebat super vndas inambulans, ipsa tamen ad litus, vnde exierat, sine intermissione aspiciebat, aspirabátq;. Ferocissimus taurus corpus noster est, quod violenter animam ad ima deprimit, & ad vilia & fluxa deflectit: anima autem nostra virgine repræsentabatur, quæ Deum creatorem, opificemq; suum auidis semper intuetur oculis. Consenserunt igitur omnes, & clariores Philosophi expreßiùs, animas nostras cælitùs & diuinitùs in nostra corpora aduentasse: vetustißimáq; fama est de immortalitate nostrorum animorum, in quā omnes, iudicio, ratione q; docente, vnanimiter descendunt & mirificè consentiunt, & ex ipso mūdi initio ad omnes posteriores, veluti hæreditario iure permeat, nisi quorundam deprauatorum errore hæc veritas pollueretur. Sed neq; ij, quantumuis facinorosi & perditi homines, mortales nostros animos asserebant sine tacita immortalitatis animæ præsensione atq; expresso cōscientiarum remorsu: *Genus nos esse Deorum* dixerat Aratus ille, quem D. Paulus citat Act. cap. 17. Id Aristoteles dicit, mentem nostram diuinam esse, vt quæ imago Dei sit, quod similitudine immortalitatis declaratur. Quæ si quotidie memoriæ paterent, nihil de nobis vile atq; humile sentiremus, præuidentes nimirum nos de genere diuino esse, patremq; habere in cælestibus optimum, clementißimum, atque immortalem.

Aegyptiorum hieroglyphicũ pro aïæ immortalitate.

Plurimas possemus adducere rationes, & verisimiles congruentias, quæ si non cōuincerent euidenter, persuadere tamen niterentur, & tacitum continerent dissentiendi pudorem: vt si ex proportione micro-cosmi (in quo vnus Deus immortalis est, qui cuncta regit, in quo ignis semper ad supera contendit loca) deducas in microcosmo, id est, homine spiritum vnum immortalem esse, qui corpus hoc dum moderatur, ad æterna, vnde oriundus est, aspiret. Deinde diuinæ sapientiæ detrahere videremur, si hominē, propter quem omnia creauit, vt ei cuncta subseruiant (quod ipse etiā Aristoteles cognouit lib. 2. Phys. tex. 24. & lib. 8. Phys. tex. 17. & lib. 2. de Anima tex. 32.) caducum & corruptibilem omnino fecisset, & nihil in ipso incorruptibile esset? Præterea tam artificiosa & propè diuina hominis fabrica, vbi imago Dei continetur, quæ omnia supera, inferaq; ad suum vsum vocat, si immortalitate destitueretur, vana, curiosa & ambitiosa duntaxat esset? Quod vt absurdum abhorremus, ipsa ergo conuincit nostri corporis fabrica, quia homini & nulli brutorum os sublime dedit, & cælum videre iussit, vt anima ex præclarißimo hoc domicilio erectum ad sidera tolleret vultum. Neque asserendum, in tam miro membrorum apparatu dormitasse diuinam prouidentiam, quæ cuncta beneuolentißimè homini prouidit, vt eò pertinere se intelligeret, vnde originem ducebat, & in omnibus suis officijs Deum redoleret, illinc pęderet, ac nutriretur, vt cum D. Paulo ad Philip. cap. 1. dicat, *Coarctor autē è duobus, desiderium habens dissolui & esse cum Christo, &c.* Quod Aristoteles obscura voce dixerat, Plato tamen clara & aperta pronuntiauit, hominem plantam esse, non terrestrem, sed cælestem, ideóq; arborem esse inuersam, cuius radices sursum inspiciunt. Adeò artificiosè fabricatum est animorum nostrorum domicilium, vt nisi sensu, ratione q; careamus, vel ex sola figura nos, nostriq; admoneat, vt Dei imaginem intueamur, & subitò ad opificem nostrum recurramus:

Probabiles & cōgruentes rationes.

ramus: nos enim in mundum introduxit, vt interpretes & suorum operum laudatores atq; imitatores: oportet enim nos symbolum Dei existimemus, societatis, naturæq; diuinæ consortes, à qua degenerare, noo potest nô esse valde periculosum. Difficile enim foret intelligere, quomodo homo (qui animal rationale est, liberóq; arbitrio præditus) præmij atque iusti supplicij capax esset, nisi anima sit immortalis? Nam etsi virtus sibi sufficientissimum præmium esse videatur, tamê qui immortalitatem animæ ademerit, omnem Dei erga nos prouidentiam statim sustulisse videtur: *Nũquid de bobus cura est Deo?* (1. ad Corinthios cap. 9.) Est sanè, sed potissima cura est de hominibus, quia proposita immortalitate homines charitate deuincit, ad virtutem præmijs æternis allicit, atq; à vitijs supplicijs perpetuis deterret: nisi velis nos *miserabiliores esse omnibus hominibus* (1. ad Corinth. cap. 15.) quoniam in præsenti vita fine spe futuræ remuoerationis multa mala pro religione & virtute patimur. Rationi igitur quàm maximè consentaneum est, vt in futura vita, æterna, côdignaq; præmia recipiamus: ex libero nâq; arbitrio homo obligatur rationi, Deóq; parere indefinito tempore: ergo præmium infinitum & æternum debet correspôdere: nisi velis, Deum cum offensione suæ iustitiæ iudicare. Adhæc, ex hominis sapientia, prudentia, præteritorum memoria, prospectu futurorum, præsentiũ cogitatione & solertia, quis non concludat plusquam verisimiliter, hominem, qui ita liberè ratiocinatur, immortalem habere animam? Præsertim si inspiciat imperium super seipsum, propriásq; concupiscentias, & quòd sibi resistit, corpus regit, refrænat, & quò vult impellit, atq; ita exercet, vt sitienti recuset potum dare, venerem appetenti non acquiescat, increpet & obiurget, frænúmq; per singula imponat. Sed mittamus hæc: Qui enim animam immortalem negât, humano generi iniurij sunt, & dum sic philosophantur, Deum nimis strictum & illiberalem faciunt, qui nec virtutibus debitum præmium, nec vitijs condignum supplicium redderet: imò verò rempublicã malè constituerent, si solũ pro præmio virtuti honestas & delectatio, vitijs autem pro supplicio inhonestas & turpitudo præponerentur: in republica enim sic constituta degete, tutum non esset. Quare si homo secundùm virtutem viuere debet, patriæq; leges & religionis sanctiones obseruare (quod reuera oportet & æquum est obseruet) fatearis est necesse, animam nostrã immortalem esse? spes enim immortalitatis nos in miserijs mirificè consolatur & recreat, aduersorum tollerantiam iubet, quoniam animas ad maiora erigit, & spe immortalitatis in officio retinet. Etenim nunquam immortalitatem conciperemus, nisi sempiternitas animæ esset, aut naturæ varietatê adscriberemus & mendaciũ, quæ tale desiderium sempiternitatis indidit, essetq; naturæ propensio deceptoria, & miserum esset, sic felicitatem concipere, desiderareq;, si vita æterna nobis contingere non posset: nam in côficta quadam rerum abundantia inopes & miserabiles nos natura reliquisset. Sunt isti suorum flagitiorũ vsqueadeo conscij, vt velint socios habere malorum & alios secum, & proprios etiã animos corrumpere, siqua via possent supliciorum futurorum metum, inuita natura & propria reluctante conscientia, subterfugere, hæresim domi suæ natã fingunt, vellentque à morte nil hominis superesse: qua sparsa suspectione, Aristotelis doctrinam infamant, & subinde veram philosophiã condemnant. Valeant isti, seu pereant potiùs, qui has nugas Aristoteli impositas in vulgus iactant, nam nec ingenio, nec doctrina valent, neq; virtute pollent, neq; autoritate vigent, sed scioli quidem sunt, ne dicam ignorantes, scelesti quoq; atq; facinorosi, viles & abiecti de media plebis fæce, brutales & sensuales homines. Faxit Deus, vt hoc humile & sensuale atq; genus hominum brutale aliquando resipiscat, aut diuina manu & potentia conteratur. *Obserua.*

Demonstratam igitur arbitror animæ immortalitatem tam euidêti ratione, vt refelli nequeat, nisi à proteruis & capitosis, qui eò dementiæ peruenerunt, vt Deũ improuidũ faciant, rerumq; humanarũ negligentê: viris tamê probis, sapiêtibus, rectèq; institutis abũdè, clarè & manifestè ex omni antiquitate declaratur. Duob[9] fermè millibus annorũ ante Platonê tradiderat Moyses animam nostram esse simulacrũ & effigiem Dei immortalis. Pòst diuinus ille Plato apertissimè, & quanuis sub figurarũ tropis & inuolucris, manifestissimè tamê: quê secutus est sapiêtissimus Aristoteles Philosophorum summus, quanuis sub ambagibus, *Colligitur principalis côclusio.*

gibus, trecẽtis tamen annis ante Plotinum. Et ita is sermo per omnes ætates vsque ad Senecam & Ciceronem succeſsit, omnia tẽporũ curricula obambulans, nullius ſapientis pectus nõ inſedit, mutuis ſententijs atq; ſuffragijs roboratus. Indi enim occidentales noſtra tempeſtate reperti, qui quanuis rudes & inculti homines, hanc tamen animorum immortalitatem profitebãtur, & cum mortuis ſuis, quos vnicè diligebãt, viui ſepeliebantur, ea de cauſa, vt cum ipſis conuiuerent: neutiquam ſanè feciſſent, niſi de animorum immortalitate ſenſum à natura inſitum haberent. Magna res & ineluctabile argumentum nemini non admirandum, tãtus omniũ ſeculorum cõſenſus, ex omni gente, genere, linguis atq; moribus, in quẽ ducente natura conſpiraſſe videntur. Gratias agamus diuinæ clementiæ, quòd aduenerit lux illa, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mũdum, quæ ſola omnis hæreſis caliginem diſsipat atque diſpellit: qua non veniente, non dubito, quin cum multis in magno errore detineremur. Chriſto domino donante, qui via, veritas & vita æterna, pacificè veritate de animorum immortalitate fruimur: parcè igitur, obſcurè & fortaſſe repugnanter dixerunt Philoſophi: ſed feliciſsimis his temporibus (irradiante Chriſto domino æterni Patris naturali filio) aniculam, quanuis decrepitã, rudem & inertem, nullam rogabis, quę pręclariora & certiora non dicat, quàm omnes illi priſci Philoſophi magno & improbo labore atq; ſummo ingenio dixerunt. Cõuicti ergo ſumus, & iudicio veritatis coacti exiſtimare, magnum Ariſtotelem animæ noſtræ immortalitatem protuliſſe. Deſinãt igitur calumniatores errorem ſuum venditare, cùm omnes eorũ rationes partim nugatoriæ, partim exiles & nullo negotio ſint diſſolubiles: puerilibus argumentis videntur tamen ſibi quaſi ex tripode dicere, vt hanc notam Philoſopho inurant, cùm tamen Ariſtoteles verè & ſyncerè philoſophatus, animæ immortalitatẽ expreſſerit. Quam veritatem vt omnibus ſuis numeris demonſtremus, poſtremò ex ſolutionibus argumentorum oſtendendũ, confirmandũq; veram eſſe & legitimam Ariſtotelis philoſophiã.

Quarta huius tractatus pars cõtinet argumentorum ſolutiones.

NVnc iam vltimò ſedulò danda nobis opera eſt, vt quæ aduerſus hanc Philoſophi ſententiam (quam iam animo comprehendimus, exactaq; ratione determinauimus) ab aduerſarijs principiò obijciebantur, diluamus, vt non modò rudibus, qui facilè offendi ſolent, coſſulamus, ſed etiã ſapientibus anſam præſtemus, quo rem hanc pleniorem & firmiorem efficiant. Dixit enim Ariſt. alibi ſæpe, ſed potiſsimũ lib. 1. de cęlo tex. 10 t. ibi, *Inſuper & dicenda magis creduntur, ſi ſententiarum earum, quæ in controuerſiam veniunt, iura priùs fuerint audita: abſentes enim condemnari minùs vtiq; videbuntur, &c.* aduerſariorum ſententias priùs audiri debere, ne abſentes condemnare & cõtra inauditam partem ſententiam ferre videamur. Audiuimus igitur eos ſuperiùs, vbi appoſita methodo, innumera eorũ argumẽta, licet captioſa & fallacia, artificioſè tamen ad quatuor capita reuocauimus: nũc verò ſolutionem eorum audiamus, in quo non eſt ſitum minimum noſtræ concluſionis præſidium: ſiquidem (vt dicit Ariſt. initio 3. lib. Meta.) *poſteriorum inueſtigatio, priorum eſt ſolutio dubitatorum, &c.* quia ſolutiones contrariorum, veritatis ſunt confirmationes. Verùm in ea re tenendus modus eſt, qui ſi in omnibus rebus pulcherrimus eſt, tum maximè in diſputationibus & controuerſijs obſeruandus. Ideo quanuis propoſita dubia negotiũ maximum exhibeant, tamen pro mea virili enitar rem certis limitibus comprehendere, vt eam breuiùs & dilucidiùs, contractiùſq; definiam.

Ad argumenta & quatuor difficultates in cõmuni & trãſitu dicitur.

Principiò igitur communis eſt aſsignanda ſolutio, quando omnia nõ poſſumus ad viuum reſecare, quòd Ariſtoteles quaſi de propoſito breuiter & cõcisè, atq; adeò more ſuo obſcurè omnia, quæ naturæ animæ noſtræ contingunt, complexus eſt: in cauſa autem fuit rei magnitudo, ſingulariſq; differentia, atq; difficultas maxima huius rei (vt loco 4. tetigimus.) Vnde quanuis planè, quid ſenſerit, nobis aperuerit, ambiguè tamen. Deinde plurima, quæ noſtram ſententiam diſturbare videntur, ex ijs, quę cõtra Platonem ſunt, trahuntur, quę maxima ex parte ex hypotheſi procedunt, & argumenta

Documẽtum pro Ariſtot. enucleãdo.

Suprà loco 4. cur uerbis am biguis Ariſtot. vtatur.

Ariſt. cũ Platone quomodo certet.

menta sunt ex datis,&(vt dicunt) ad hominem: quem redarguit, quasi minus naturaliter & physicè loquentem (vt patet ex lib. 8. Phys. tex. 13. *Etenim sic dicere, figmento magis assimilatur*, scilicet quàm positioni naturali) absolutè ergo rationes in se vanissimæ sunt. Aristoteles tamē sagacissimè loliginis instar se suis tenebris occultabat, & insidiosum opponebat argumētum, hoc solo contentus, quòd Platonem verè & exactè reprehendebat, vt innaturaliter & minùs physicè loquentem, & quòd naturę leges transiliret: & ita singula intra naturę limites ex physicis testimonijs, quæ à materia pendent, redarguuntur, hincq; absurda omnia colliguntur. Cæterùm æquiuocè concludit, nempe à re facta ad creatā, à re materiali ad separatā arguendo: cognouit enim Plato virtutem diuinam & consilium, quòd longè naturam antecellit: sed Aristoteles naturæ vires rimabatur, & eius secreta diligenter perscrutabatur: exactè autem de nostra anima dicere, ad altiorem contemplationem, nimirum ad primum & diuinum Philosophum semper remittebat. Similiter testimonia omnia, quę hostes veritatis contra nostram doctrinam adducunt, vnam generalem solutionem admittunt, scilicet imperfectè & mutilè citari, extortáq; esse, quia difficillima sunt & obscurissima: vt D. Augustino cōtigit libello de immortalitate animæ, in quo scribēdo pręceps fuit, quia aggressus est sine exordio, absoluit sine epilogo (quod sui moris non est) & rationes non habet digestas, vt alijs libris, sed inuolutas & intricatas: Ipse ita dicit lib. 1. Retractationū cap. 5. *Post libros Soliloquiorum iam de agro Mediolanum reuersus, scripsi librum de immortalitate animæ, quē mihi quasi commonitorium esse volueram propter Soliloquia termināda, quæ imperfecta remāserunt. Sed nescio, quomodo me inuito exijt in manus hominum; & inter mea opuscula nominatur. Qui primò ratiocinationum contorsione atq; breuitate sic obscurus, vt fatiget, cùm legitur, etiam intentionem meam, vix vt intelligatur à meipso, &c.* Habet enim plurimos modos fermè inextricabiles, quos pauci & Dialecticę periti extricabūt. Aliquæ rationes friuolę sunt, & multa, quæ obijci possunt, impertinentia. Idem Aristoteles de se dicere posset, qui de immortalitate animæ loquitur vafrè & lubricè; sicut quia ista re, de qua pluries mentionem fecit, non tam vt alijs eam explicaret,

Quid inter Platonem & Aristotelem.

D. Aug. de immortalit. obscurè, vt Arist.

quàm vt quid ipse sentiret, insinuaret; & obumbrabat, quibusnā rationibus in hāc sententiam pertraheretur. Mentiuntur igitur insigniter qui dicunt, Aristotelem nunquam de animę immortalitate verbum fecisse: conuincuntur enim ex locis à nobis adductis, sed expressiùs loco 4. & 10. vbi admonuimus de anima ipsa mentionē fieri, cùm de immortalitate agitur, & non solùm de intellectu. Et loco 4. de verbis ambiguis nonnihil diximus, quam ob causam illis fuerit vsus Aristoteles, vt in re abstrusissima suam indicaret modestiam, quoniā maiori indigebat perscrutatione. Nō enim existimandum est, Aristotelis acerrimum ingenium perplexum fuisse: sapientissimus nanq; Philosophorum summus fuit, idéq; studiosus erat veritatis: nihil ergo erit illi temerè nisi proprio loco dicendum, ad locum tamen proprium de immortalitate nō peruenit: fuit itaq; ne arrogare sibi videretur Apollineum oraculum, vt ex tripode dicere auderet, vt faciūt imperiti, qui in obscuris & imperitis rebus statim præcipitāt sententiam, & dant sine mente sonū. Quod Plinio contigit, qui multa mendacia elegātissimè nectit, & Auerroës, qui ineptè dum philosophatur, Aristotelem peruertit atq; confundit.

Loco 4. de verbis dubiis Arist.

Arist. ingeniū non fuit arrogās circa animę immortalitatem.

Plini⁹ cū Auerroë numeratur.

Commune præparatur fundamētum pro solutione omnium argumentorum, quo explicatur animam intellectiuam proprium habere esse.

SEd vt nos modū teneamus & vitia aliorum vitemus, breuiusq; resoluamus positam controuersiam, seorsum pro argumētorum dissolutione vnicum ponendum est fundamentum, à quo cætera pendent, nimirum animam nostram subsistentē esse, hoc est, animam rationalem habere esse propriū seiunctum à corpore: imò quòd totum esse hominis nō addit supra esse animæ, nisi solam extēsionem & cōmunicationem. Hūc enim suprà diximus esse quæstionis sensum, videlicet quòd anima intellectiua habeat propriam existentiam simplicem, quā dum corpori communicat, hominem componit & constituit: in morte autem, eundem hominis ad sese illud suum esse recolligit: idem enim est animam nostram immortalem esse, & subsistentem appellare: ideo certissimum est, sanctum Thomam itaaffir-

firmare & probare 1. p. q.75. art.2.& 1.2. q.4.art.5.& lib.2.contra gent.cap.68.& 72. atq; de fide etiā tenendū,cùm idē sit dicere immortalem esse,& subsistentem:nam immortale non potest esse , quod non habet esse:ergo cùm separatur anima,asserere debemus proprium esse habere & existentiā, secundùm quam in se existat aliàs eam doceremus immortalē verbis,& nō re.De hac re lege Caietanū de ente & essētia cap.5.

Cæterùm quia nos cum catholicis non disputamus , nec sacram Theologiam hoc loco interpretamur (scimus enim & de fide tenemus , animam immortalem & subsistentem esse iuxta eum , quem diximus, sensum,nempe quòd in se propriam habet existentiam seiunctam à corpore)duntaxat autem cum Aristotele rem habemus,vt ex eius doctrina animæ immortalitatem deducamus,& probemus in sua propria existentia subsistere:nā si id constiterit ex peripatetica schola , confecta res erit & argumēta minimo diluentur negotio. Ergo fundamentalis conclusio ex Aristotelis disciplina deducenda est , quòd anima intellectiua subsistit in proprio esse,quod ab anima in corpus deriuatur , & post mortem ipsum met esse ad sese contrahit,ita vt simpliciter non desinat esse anima , sed secundùm quid desinat esse, videlicet in corporis vnione. Cùm autem dico animam subsistentem , non intelligas velle me asserere solam animam esse hypostasin & personā, vt est angelus : quandoquidem anima non est integra natura , nec tota essentia hominis,quoniam(vt dictum est initio lib.2. de Anima)actus est corporis & altera pars hominis : sed intellige , animam nostram habere existentiam propriam in se , non tantùm originaliter & radicaliter , sed formaliter , licet incompletè, vt pars naturæ humanæ,totam existentiam hominis habet, quam in vnione animæ ad corpus exerit, extendit atq; communicat,& velut in vltimam actualitatem deducit. Vnde deprehendes etiam,hominem non habere nouā & distinctum esse ab eo,quod est animæ rationalis,sed eadem existentia animæ rationalis hominem existere atque subsistere per hoc , quòd illud idem esse animæ corpori communicatur & extenditur,completúrq; in sua vltima actualitate.

Anima quatenus subsistēs.

Iam his iactis pro totius quæstionis conclusione & fundamento ad argumētorum dissolutionem,superest, vt quod dictū est, ex Aristotele inducamus. Non enim proposito nostro satest veritatem dixisse , nisi eam ex Aristotelis schola confirmemus: ipse tamen adeò expressè eam fatetur , vt non possim non mirari diligentiam multorum & grauissimorum Aristotelis expositorum,in hac parte adeò graui & necessaria fuisse negligentissimam:expressissimè enim Aristoteles fatetur,animam subsistere in se , atq; adeò immortalitatem animæ nostræ planè sensit. Constabit autem euidenter id,quod dicimus,diligenter percurrenti atq; perscrutanti viginti, quos superiùs induximus , locos ad animæ immortalitatem ex Aristotele ostendendam:sed specialiter id animaduertebam⁹ loco 4. & loco 9.circa quintam & sextam rationem,ta metsi in omnibus contineatur. Nam idem est immortalem esse,& separabilē esse,atq; in suo proprio esse posse subsistere,operari & intelligere posse independenter à corpore : hæc autem se inuicem sequuntur,& per viginti illos locos animæ competere, ex Aristotelis sentētia,veraq; philosophia declarauimus. Sed ex aliquibus locis rem hanc peculiariùs , efficaciusq; veluti digito planius commonstremus: Lib. 1.de Anima tex.1.exactiorem esse scientiam de anima docet Arist.quę *vel rerum est earum,quæ magis præstabiles,magisq; sunt admirabiles*, id est, separatarum. Quod in eodem libro tex.65. declarat Arist.quomodo separetur (vt loco 4.exposui) *Intellectus*(inquit)*aduenire videtur & substantia quædam esse*,ac non corrumpi. Quibus (rogo) verbis potuit apertiùs quod dicimus significare? Et posteriùs lib.2. de gener. animal. cap.3. (vt loco 18. retulimus) hanc animæ independentiam à corpore expressissimis manifestat,dum modum aperit,quòd de foris dicitur aduenire, & ita loco 2.dicebamus separatam habere operationē:sed maximè id constat ex loco 10. de intellectu agente. Rursus quia etsi quibusdam videatur Aristoteles de hac animæ propria existentia & separatione dubius lib.2.tex.11.21.& 32.(vt habes suprà loco 6.7.& 8.)non est tamen dubius(vt ibidem diximus)sed vbi ibi dubius esset,euidentissimè tamen toto cap.1.lib.3.de Anima (vt suprà loco 9. specialiter 5.6. ratione) declarat ex natura possibilis intellectus,qui ab omni natura denudatur ideo immistus est corpori & impossibilis,materialiúmq;

nam subsistere ex Arist. doctrina deducitur.

Aduerte terminorū cõuersentiam.

Animæ intellecti

rialiúmq; affectionũ nõ susceptiuus,& per se locus specierũ,quoniã à corpore separatur. Anim⁹ igitur noster à corpore & omni corporeo immunis est,ideo à corpore independens,quare per se & in propria sua existentia subsistens:aliàs corpori misceretur, ab ipsoq; penderet,& secũdùm se nõ esset locus & thesaurus specierum,quoniam nõ haberet esse proprium secundùm se, vnde posset sustinere species & propriã operationẽ seiũctam à corpore:neq; posset separatus à corpore felicitatẽ habere,quod tamen Aristoteles sensit,vt suprà loco 19. & priùs ad finẽ impugnationis Auerrois. Sed quãdo omnia cessassent,apertus est tex.17. lib.12.Meta.vt suprà loco 20.diximus: nõ est ergo anima organica,vt quę operationẽ habet separata à corpore:& si à corpore est separabilis secũdùm operationem,proculdubio esse ipsius animæ separatum quoq; erit,atq; anima in se propria existentia subsistens est. Nõ igitur est ꝙ in re aperta pluribꝰ agamus,ne cogamur,quæ hactenus dicta sunt,molestè repetere: sufficiat hęc indicasse,vnde cætera pendent,& quòd anima principium sit intelligẽdi corpora, quia ab omni corporea natura denudatur,ideo immaterialis & separabilis est: quoniã si intelligere nõ est organicũ,neq; aĩa depẽdens à corpore,cui neq; cõsepelitur,neq; immergitur,proculdubio ipsa in ꝓpria existentia subsistet tanquam forma superioris ordinis supra materiales,ad genus immaterialium formarũ pertinens:vsqueadeo vt hęc sensibilia eleuet ad quandã participationẽ superiorũ,vt in cogitatiua nos experimur,quæ ex confinio & vicinia ad intellectum ipsa quoq; suo modo ratiocinari dicitur. D.Paulus hoc significabat 1.ad Corint.cap.15.dicẽs, *Seminatur corpus animale,surget corpus spirituale:si est corpus animale, est & spiritale, &c.* nimirũ quia anima suũ esse cõmunicat corpori & in se trãsformat,vt paulatim ab hac mortalitatis corruptione exuatur & stola immortalitatis induatur. Fundamentũ itaq; nostrum euidẽtissimum est,nẽpe Arist.expressè sensisse animæ intellectiuę immortalitatẽ & subsistentiã propriã:imò verò quia vidit subsistentẽ in se,cognouit immortalẽ.

Attende.

Intellectiua anima vnione ad corp⁹ perficitur.

Ex quibus sequitur primò,ꝙ licet anima in se propria existẽtia subsistat,tamen quia nõ est integra essẽtia,sed pars naturę humanæ,vltimatè & formaliter cõpletur & perficitur vnione ad corpus. Quod statim exactiùs declaro & fusiùs inferiùs circa solutionẽ ad 3.&4. Infertur secundò,perfectiorem esse statũ animæ coniũctæ,quàm separatæ:quoniã status cõiunctionis naturalior est, quia ibi habet anima sui esse formale cõplementum & integrã speciei rationẽ,& nõ solùm primã perfectionem,quę est esse, sed secũdam etiã,quæ est influere & communicari corpori(in qua re Deo similior fit & naturę boni conformior,quod sui ipsius diffusiuũ est) separata autẽ,incõpleta manet & quasi partialiter:verũ in corpore formaliter omnes suas virtutes & facultates extendit,vt vegetatiuas & sensitiuas, quas non potest exercere,nisi organicè:separata verò solas exercet intellectiuas, quia non sunt organicę,sed à corpore indepẽdentes sunt:& has adhuc intellectiuas in statu separationis confusè & improportionatè exercet,at resumpto corpore,distinctè,perfectè & proportionatè: quia anima pars est humanæ naturæ & actus corporis,& ita magis commensuratè & proportionatè intelligit in corpore: vnde aĩa nostra absolutè propter melius esse sui magis,quã propter melius esse corporis vnitur. Tertiò habemus, quòd anima ad corpus non accidentaliter, sed essentialiter ordinatur, tum quia pars hominis est,tum etiam,quia actus corporis physici(lib.2.de Aĩa cap.1.)quare dũ separatur,integritatẽ amittit, quia est substantialis actꝰ hominis(lib.2.de Aĩa tex.24.& S.Tho.quæst.vnica de anima art.1. ad 16, & 1.2.q.4.art.5.)& corpus participatiuè ab anima sortitur esse. Essentia igitur animæ non solũ ordinatur ad esse vtcunq;,sed ad esse speciei huius: quare licet anima nostra possit sine corpore habere esse,non tamen potest illud habere in cõplemento suę speciei,siue coniunctione ad corpus.

Aĩæ nostræ status naturalior est separatus, quàm cõiunctus.

Aĩa quã intellectiuas ppter melius esse sui corpori vnitur.

Aĩa essentialiter ordinatur ad corp⁹.

Omnia ista (vt plura alia prætercam) ex eodem principio pẽdent,nimirũ ꝙ anima subsistat in propria sua existentia, & actu in se vna sit & indiuidua,atque adeò quòd multiplicatur ad multiplicationem corporum, non tanquam ex causa, cùm à corporibus non pendeat, bene tamen tanquam ex conditione & occasione:vnde licet recipiatur in corpore tanquam in potentia receptiua, cui commensuratur & coaptatur(vt lib.2.de Anima tex.6. & 24. et 26.et S.Thom.quæstione vnica de anima art.3.anima essentialiter et substantialiter est corporis actꝰ,et in accõmodato et

tali est supposito) verùm tamen in corpore nõ est sicut in potẽtia respectiua, cùm à materia nõ educatur: nã anima natura sua prior est corpore: prius autẽ ab eo, quod est posterius, nõ pẽdet: in se ergo anima habet cõmẽsurationem & sigillationem ad corpus, qua traditur & inducitur in corpus ad speciei cõplementum. (Hoc de potentia respectiua & receptiua expono infrà ad 3. nodũ principalis argumenti, vbi de eductione de potẽtia materiæ.) Nolo equidem dicere, quòd anima nostra non conueniat cum omnibus alijs formis substantialibus. Primò in eo quòd est substantialis actus, & dat esse essentiale cõposito. Secũdò in eo quòd cõstituit suppositũ. Demum in hoc quòd totũ & partes non existunt, nec subsistunt, nisi per vnum & idẽ esse, quod est formalis effectus ipsius formæ: ab vna enim forma nõ nisi vnũ esse promanat. Volo autem dicere, quòd præter has tres cõuenientias, quæ sunt omnibus substãtialibus formis, quæ materiæ coniunguntur, cõmunes, habet anima nostra rationalis insignes differentias, quas Aristoteles lib. 3. de Anima cap. 1. & alijs locis superiùs latè adductis expressè fatetur. Prima ex parte prioritatis, videlicet quòd anima subsistit in se & in suo proprio esse, quod nõ est totius sicut in alijs formis (quæ à materia pendent & comprehendũtur, vtpote quæ rerum materialium ordinem nõ excedunt) est ergo prius natura, quàm corpus, ideóq; immaterialis, & rerum materialium ordinem longè excedit & supergreditur, licet in fieri à principio non nisi in materia fiat (lib. 12. Metaphys. tex. 16.) independenter tamen fit ab ipsa (ibidem tex. 17.) quia posteriùs in suo proprio esse permanet. Secunda differentia ex parte coniunctionis ad corpus, nempe quòd esse formarum materialium, cùm à materia educantur & comprehendantur, primò & per se est totius compositi tanquam eius, quod in natura perfectiorem gradũ tenet, & quod prius existit: secundariò autem conuenit formæ, vt pars est, quæ non in se, sed in toto existit. Anima verò nostra, quoniam immaterialis est & à corpore independens, prius natura, quàm corpus, existit, & in se subsistens est primò & per se: secundariò corpori & composito competit, tanquam ei, quod ad ordinem rerum immaterialiũ mediante anima intellectiua eleuatur. Tertia differentia, & quam potissimùm præsenti controuersia inquirimus, sumitur ex posteriori tempore & permanentia, nimirũ quòd cùm esse aliarum formarum primò & per se sit totius cõpositi, ipso destructo, funditùs forma perit, nec remanere potest: esse autem animæ nostræ, quoniam primò & per se ipsius est, non tamen totius, ipso homine corrupto, anima, quæ immaterialis est & incorporea, manet eum suo esse, quod materiæ cõmunicabat: ergo nõ oportet aliud esse existentiæ hominis esse, & aliud intellectiuę animę, sed per ipsum esse, quod est animæ rationalis propriũ, & corpus & anima, homóq; simul subsistunt, ita vt corpus ab anima mendicet & participet esse, & esse totius hominis propriũ sit solius animæ.

Anima rationalis in quibus conueniat cum reliquis.

Tres insignes differentiæ animæ rationalis ad alias formas substantiales.

Ex his omnibus absolutum est & omni ex parte constat propositum fundamentũ, Animam scilicet in se subsistere propria existentia, quia immaterialis est, & corporeis non afficitur neque corpori miscetur (lib. 3. de Anima cap. 1. multis textibus, sed potissimùm tex. 5. 6. & 7.) Ideo non sustentatur à corpore, neq; ab eo cõprehenditur, aut deducitur in aliquo genere causæ: non quidem efficiẽtis, quia cùm corpus sit materia animæ, materia & efficiens non cõcurrunt in eandem causam: nec pendet in genere causæ finalis, quia anima potiùs est finis corporis (vt dudum dicebã: & infrà ad 3. principale, quòd anima vnitur corpori propter melius esse animæ) nec sicut à causa formali, quia anima corporis est forma; corpus autem animæ non est: neq; potest esse forma, atq; idem esset respectu eiusdẽ forma & materia: quare in nullo genere causarum anima nostra à corpore pendet, nisi sicut ex occasione & cõditione, vt inde indiuiduetur. Quibus habitis, expeditiùs diluemus quæ quatuor præcipuis argumentis proposita sunt.

Anima nostra in nullo genere causæ pẽdet à materia.

QVAESTIVNCVLA

An anima creetur ante corpus?

PRimum igitur principale argumentum triplicem nodum habere videtur. Primus, si anima fuerit ante corpus, cùm in se subsistat & à corpore non pendeat? & quid causæ fuerit, vt in corpore producatur? Secundus, si creetur, aut ex vi naturalium dispositionũ deducatur de potentia materię & ob

Ad tres precipuos nodos reuocatur prima difficultas in primo argumento posita.

& ob id si Aristoteles creationem nouit, & actionem primæ causæ sine secūda? Tertius atq; postremus, si anima multiplicatur pro multitudine corporū, atq; adeò ab ipsis fit singularis & indiuidua, vnde vna anima essentialiter altera perfectior sit? Hæc sunt, quę potissimū primo petūtur argumēto.

Anima nostra est prior corpore natura, non tamen tempore.

Et quod attinet ad primum nodum, perspicua breuitate sic resoluitur. Duplex igitur est prioritas, Vna, quæ est naturæ & naturalis independentiæ, iuxta quam anima prior est corpore: Patet ex firmamento iam posito, quòd sit per se subsistēs: vnde independenter à materia fit, atq; in suo proprio esse subsistit, neq; educitur à potentia materiæ. Quare anima nostra creatur, & naturaliter priùs est, quàm homo: cæteræ nanq; formæ fiunt in composito, in quo prius natura sunt, quàm in semetipsis: anima verò intellectiua priùs in se, quàm in toto, hoc est, ratio productionis animæ terminatur ad esse animæ nostræ, quæ fit per se, & non per rationem totius, & sine dependentia à corpore & materia in vllo genere causæ, quia à materia non sustentatur, nec cōseruatur: in quo cōsistit ratio creationis, quòd independēter à materia fiat, & soli animę nostræ competit prius natura in se subsistere, quàm in toto. Quæ doctrina præterquā quod catholica est, ex peripateticis documentis deducitur, iuxta ea, quę citatis locis & in adducto cōmuni fundamento dicta sunt. Altera prioritas est temporis, de qua non solùm apud Philosophos fuit cōtrouersia, sed etiā apud grauissimos Ecclesiæ doctores, qui in argumento citantur: & antequam vlla esset de hac re Ecclesię catholicę definitio, potuit probabiliter sine periculo hæresis vtrauis defendi: iam tamen nullatenus licet post cōcilij Vienensis atq; Lateranensis pręhabitū decretum, quo docemur vnicam animam intellectiuā in singulis hominib⁹ esse, eámque multiplicari pro multitudine corporū humanorum. Ita D. Hieronymus ad Pammachium: nam si anima ante corpus crearetur, non esset forma essentialis hominis, sed in corpore tanquam nauta in naui degeret.

In quo cōsistat ratio creationis.

Animā nostrā nō esse ante corpus, nō diffinitur expressè, tamen asserere ante corpus creari animas, error est plan⁹.

Et quāuis Castro doctissimè definiat lib. 2. contra hæreses verbo Anima hæresi 5. & citet præter D. Hieronymum, etiam Leonē Epist. ad Astoringensem Episcopum, non video expressam Ecclesiæ Romanæ definitionem: Nam in prædicto concilio Lateranensi & Vienensi determinatur esse formam hominis essentialem, & multiplicari ad multitudinem corporum: Vnde statim sequitur in bona consequentia, quòd anima non est ante corpus, sed simul tēpore creatur, & corpori infunditur: habetúrq; tanquam traditio ecclesiastica, & opposita sententia vt minimum est erronea, Platonicūq; figmentum. Vide S. Thomam 1. p. q. 90. art. 4. & lib. 2. contra gentiles cap. 83. & ibi Ferrarien. in fine. Origenistarum ille error dicentiū animas & angelos simul ante corpora creatos, à Platone descendit & dānari debet, nisi intelligas, non secūdùm ordinem temporis, sed naturæ; & secundùm similitudinē generis propter conuenientiā cum angelis concipias priorem fuisse. Quod non solùm falsum non est, sed ipsissima fidei catholicæ veritas: quia anima à corpore est indepēdens, & à materia nō educitur, quoniam sublimior est. Tamen hęc fidei sententia apud Aristotelē est expressa, qui lib. 3. de Anima tex. 14. docet & simul probat; cùm dicit, *Oportet aūt &c. in ipso nihil esse perinde, atque in tabula nihil est actu scriptum anteà, quàm in ipsa scribatur: hoc enim in ipso fit atque accidit intellectu, &c.* animam nostrā à principio esse sicut tabula rasa, in qua nihil depictum est. Vbi exposuimus animā corpori infundi, vt in eo, tāquam in propria officina, per sensuum instrumenta, quasi per scribas, sese depingat elaborando proprias & proportionatas species, rerúmque imagines: aliàs esset otiosa, si ante corpus crearetur, & nō haberet vnde commodè & proportionatè ad suam naturam intelligeret. Expressiùs atq; etiam ex professo lib. 12. Metaphys. tex. 16. determinat, quòd quanuis causæ efficientes priùs sint, causæ tamē formales simul sunt, dicēs, *Quæ autem vt ratio simul, &c.* quia perfectio nō est ante perfectibile, neq; causa formalis ante suum effectum formalem. Hūc autem esse sensum, patet ex contextura huius Aristotelei loci, quē in superioribus sæpe retulimus, sed potissimùm loco 20.

Aristoteles cognouit et probauit animam non esse ante corpora creatā.

Aīa nostra etsi incorruptibilis sit, non est de prima, et essentiali vniuersi perfectione.

Sed si redarguas, res omnes quoad suam speciē esse de substantia & perfectione vniuersi (vt lib. 1. de cælo cap. 8. & 9.) perpetuas autē res non solùm secūdùm speciem, sed etiam secundùm indiuiduū esse de prima vniuersi perfectione: at aīa nostra æterna est: ergo non tantùm secūdùm speciem, sed secūdùm indiuiduū ad primā & essētialem vniuersi perfectionē pertinebit? quare

iuxta Aristotelem debuit anima ab initio mundi creari? Respondetur,indiuidua,nisi æterna sint,nō pertinere ad vniuersi perfectionem essentialem primã,sed ad secūdariam & accidētariam:anima autem nostra iuxta Aristotelem licet posteriùs maneat & incorruptibilis sit atq; adeò perpetua(quia à parte post non habet finem)non tamē est æterna,cū inceperit esse. Ex quo patet,vnde De⁹(vt nostro dicamus loquēdi modo) quasi cōpelli videatur animam corpori iam præparato infundere,nimirum ex cōditione vniuersi, rerūmq; integritate: quia anima nostra forma est essentialis & actus substantialis corporis humani(vt satis suprà dictum est & in cōmuni firmamēto,& anteà contra Auerroëm, & lib. 2. de Aïa tex.7. 24.& 26.)non ergo potest infundi corpori, nisi præuijs, præcedentibúsq; dispositionibus secundùm ordinem aliarum formarū: & ita in corpore durat,quandiu dispositiones sufficiunt animam conseruare: non quod anima nostra ab illis dispositionibus simpliciter conseruetur,sed quatenus subiectū corpus animat,eiq; communicat esse: illæ enim dispositiones non ad esse animæ, sed ad vnionem ipsius cum corpore concurrunt. Vide S.Thom. 1.p. q.90. art.2. & infrà ad 2.principale.

Vnde anima rationalis corpori coniungatur.

QVAESTIVNCVLA

An anima nostra creetur,an potiùs educatur de potentia materiæ?

Secundus nodus eiusdem primi argumēti, si anima creetur, dissolutus à me est lib. 1.de cælo cap. 12. vbi plurima Aristotelis adduco loca. Nūc verò sufficiat quod diximus in posito fundamento,nēpe quòd anima est subsistens,cui ob id repugnat de potentia materiæ educi,cùm de foris adueniat(lib. 1.de Anima tex.65.& lib.2.de generatione animal.cap.3.& lib.12.Metaph. tex.17.)Quod autē Aristoteles dicit lib.1. Phys.tex.62.ex nihilo nihil fit, *Semper enim est aliquid,quod subijcitur,&c.* intelligendum est ex hypothesi iuxta subiectam materiā: Nam Physicus non considerat de separatis à materia,sed id ad primum Philosophum spectat (lib.2.Phys.tex.26.) In Metaphysica autem nunquam quidpiam simile dixit,sed potiùs lib.2.Metaphys. tex. 4. primum ens causam esse omnium aliorum quoad esse, *Vnumquodq;*(inquit)*sicut se habet vt sit,ita & ad veritatem*,ac proinde ad esse & operari. Et lib. 12.Metaph.tex.38. *Ex tali igitur principio depēdet cælū & natura*,id est, à Deo pendet natura vniuersi: & tex 36.& 44. docet, quòd quælibet res separata à materia est principium efficiens omnium eorum, quorum est finis: Deus autem finis est intelligentiarum & vniuersi; ergo erit causa efficiens (de hoc tetigi obiter lib. 2. de cælo tex. 70. & 71.)Prima igitur causa liberè agere potest & creare, vt olim locis citatis ludens ex datis à Philosopho contendebam:nam si visus est cōtraria asserere, hoc ideo est, quia loquebatur vt Philosophus naturalis & iuxta subiectam materiam: omnia enim sunt candidè, & iuxta cōtexturam propositi argumenti & materiæ tractanda & explicanda. Etenim naturæ autor Deus Opt. & Max. non alligauit virtutem suam causis secundis, neque prius à posteriori pendet,vt Deus, qui vim agendi contulit rebus,sine ipsis nil facere aut operari possit. Quomodo id fieret Aristoteli probabile,cùm non sit rationi consentaneum?

Creatio nō pugnat cū Arist. principiis.

Ad eundem nodum pertinet, si anima nostra educatur de potētia materiæ, quem non est operosum diluere,nisi ijs,qui Philosophiæ principia non percallent. Idem nanq; est non educi,quod non esse in potētia respectiua materię,id est,non fieri in toto,neq; in actū deduci per esse totiùs:quæ enim educuntur de materiæ potentia,priùs sunt in toto,quàm in se:anima autē nostra subsistens est in se(vt in firmamēto habes) ergo nō habet esse à toto, neq; à potentia respectiua materię,quę est illa,quæ cōtinet respectū ad formam,quam sustinet: est aūt in potentia materiæ receptiua,quæ est illa, quę nō cōtinet neq; sustētat formā, & media est inter respectiuā,quę est purè naturalis,& illā,quam Theologi obedientialē vocant,quæ est in ordine ad agens simpliciter supernaturale. Itaq; anima nostra quanuis non contineatur in potentia respectiua materiæ,vt inde educatur, recipitur tamen in potentia materiæ:quoniā dispositiones ad animā rationalem vniendam sunt intra ordinem rerū naturalium,ex quarum vi anima si non producitur,tamen infunditur & substātialiter vnitur corpori,sine quib⁹ citra miraculum non vniretur. Gratia autem

Optimè explicatur quid sit educi de potētia materiæ.

Triplex materiæ potentia, obedietia lis,receptiua,& respectiua.

Dei

Dei omnipotentis, per quam sumus naturæ diuinæ consortes, nostræ animæ diuerso modo vnitur: quia supernaturalis est & merè gratis donatur, nullis nostris exigentibus meritis, quoniam non habemus ex vi nostrarum dispositionum & operationum, vt ex nobis sunt, facultatem ad gratiæ consequutionem. Itaq; potentia animę ad gratiam est obedientialis, quia respicit agens supernaturale: potentia autem materiæ ad nostram animam est quidem naturalis, secus anima non vniretur vt forma essentialis: potentia enim materiæ ad cæteras animas & formas non tantùm est naturalis receptiua, sed etiam respectiua, quia naturaliter continet & sustentat formam, & materia concurrit ad illam formam in genere causæ materialis conseruando intra limites causæ materialis. Et quia in hoc consistit & completur tota ratio eductionis de potentia materiæ, Anima nostra, quæ non pendet neq; sustinetur à materia in genere causæ materialis, sed incipit esse indepẽdenter à materia, ab ea non potest educi, ideo necessariò creatur. Pluribus equidem explicui rationem eductionis de potentia materiæ, sed omnia cõcurrunt & conuertũtur: quoniam nõ fieri in toto, ideo animæ nostrę cõuenit, quia est subsistens: hinc autem habet esse independenter à materia: ex hoc sortitur, quod non sit in potẽtia respectiua materię: insuper quòd ab ipsa nõ sustẽtetur, sed posteriùs manere possit. Vides igitur, quo pacto se consequuntur ista, & diuersa habitudine idem significant: & si retrocedas, valet etiam argumentatio, Posteriùs manet: ergo nõ est in potentia respectiua materiæ: ergo indepẽdenter ab ipsa fit: ergo est subsistens in se. Cum hoc tamen anima nostra actus est essentialis corporis & in materia recipitur, vt vltima, eáq; præstãtissima forma rerum naturaliũ. Ideo generatio hominis nõ solùm ex parte materiæ & dispositionum, sed etiã ex parte formæ rationalis est naturalis appellanda: aliàs neque anima nostra esset actus essentialis corporis, neq; forma, neq; vnio naturalis esset. Omnia igitur ista sunt mirabilia & valde notãda: nam anima nostra, quę in se terminus est creationis, quę à solo Deo creatur, in eodem instanti simul est terminus infusionis & generationis. Et hoc ergo sufficiat, vt potentia materiæ naturalis sit, vnioque animæ naturalis, & hominis quoq; generatio naturalis dicatur (lib. 7. Metaphys. tex. 27. & 28.) Vide S. Thom. de spiritualibus creaturis quæst. vnica art. 2. ad 8.

Obserua pro eductione de potentia materiæ terminos, qui cõuertuntur.

Generatio hominis naturalis, infrà in fine 2. principalis arg.

QVAESTIVNCVLA
An anima nostra indiuiduetur per corpus?

Tertius nodus primi argumẽti totus est de multiplicatione, indiuiduatione atque animarũ perfectione: quem vt faciliùs resoluam, aduertendum, animam rationalẽ duo habere, Vnum, quo communicat cum cæteris formis substãtialibus, nempe quòd actus sit substãtialis. Alterum autem, quod cõmune est animæ nostræ cum angelis, nimirũ quòd subsistẽs est. Ex hoc igitur secũdo habet anima, quòd nõ habet causam formalem, quia nõ existit alio à se realiter distincto, sed per seipsam existit, vti superiùs in cõmuni firmamento expositũ est. (Non disputo modò, si esse animæ distinguatur à sua essentia, quia in omnibus rebus creatis certũ est distingui, sed dũtaxat quòd nõ habet subsistere, neq; existere ab alio vt à toto, vti materiales formæ, sed à se, vt intelligẽtiæ) Neq; habet causam materialẽ, quia simpliciter non pendet neq; educitur à materia: tãtùm ergo habet causam finalẽ & efficientẽ, quæ solus Deus est, qui animę dat esse, vnitatem & multitudinem animarum, sicut stellas cæli variat, multásq; mansiones animabus nostris præparat. Quo fit, Deum simpliciter causam esse multiplicationis animarũ, corpus autẽ posteriùs secũdùm quid cõcurrit: vnde ex deficientia corporũ non oportet multitudinem animarum simpliciter & per se deficere, quia corpora posteriùs & secũdùm quid cõcurruntibene tamẽ ex deficientia influxus ex parte agẽtis, Dei scilicet, à quo anima pendet in fieri & in facto esse: hanc autem subsistẽtiam animæ & independentiam in communi fundamento ex Aristotele ostẽdebamus. Alterũ, scilicet quòd sit forma corporis atq; adeò quòd ei commensuretur, patet ex Aristotele lib. 2. de Aïa cap. 1. & 2. præsertim tex. 24. & 26. dũ inquit, *Et inest ob hoc in corpore, atque in corpore tali, non in quouis sine discrimine vllo, &c.* oportet enim omnẽ actum in accõmodato esse susceptiuo, atq; adeò talẽ animã non in quouis corpore sine discrimine, sed tali, accõmodato scilicet & cõmẽsurato. Quare ex his

Aïa nostra media inter materiales, et immateriales.

Deus solus causa aïæ nostræ.

Corpus nõ est simpliciter causa multitudinis animarũ.

Aïa intellectiua corpori cõmensuratur.

his sequitur, quòd multitudo corporum non est causa multitudinis animarum, quia posterius nunquam est causa prioris: imò ediuerso multitudo animarum causa est multitudinis corporũ: homo enim ex corpore & anima constat, tanquam ex causis & partib' ipsius totius: idcirco licet corpus sit materialiter causa hominis, non tamen causa animæ, neq; esse ipsius animæ, quod à corpore non pēdet, vt sæpe dictum est. Etenim habitudo animæ ad corpus est habitudo formæ ad materiam, actus ad potentiam: ideo anima prior est & independentior, quoniam non educitur, vt reliquæ formæ, de potentia ipsius materiæ. Ex his sequitur, quòd anima nostra non indiuiduatur per corpora tanquam per causam, quoniam corpus in nullo genere causæ concurrit ad animam, sed accipit indiuiduationem, sicut ex conditione & occasione: anima enim non fit sine corpore, manet tamen sine eo, sicut sigillum non fit sine cera, manet tamen sine ipsa. Est igitur anima nostra seipsa indiuidua, vt cæteræ formæ separatæ: hanc autem indiuiduationem intelligimus & quasi à posteriori declaramus per hoc quòd ad tale corpus commensuratur. Non intelligas de commensuratione, quæ habitudo quædam est in genere relationis posita, quia hæc accidentalis est, & posteriùs animam consequitur: sed sermo est de commensuratione substantiali & natiua, quæ alterius commensurationis relatiuæ fundamentum est: sicut enim albedo est fundamentaliter similis & fundat relationem, sic anima fundamentaliter commensuratur tali determinato corpori, cuius actus est; & ibi fundatur commensuratio relatiua: ergo esse indiuiduale animæ neque à materia, neque à quantitate, neque à corpore pendet in aliquo genere causæ: aliàs anima non esset in se subsistens, nec haberet esse separatum & absolutum à corpore. Verum est, quòd hæc habitudo substantialis animæ ad corpus, licet sit quid absolutum, explicari nobis non potest nisi per corpus, ad quod terminatur: anima enim secundùm substātiam huic corpori adæquatur, ita quòd non alteri: vnde necessariò consequitur habitudo, quæ relatio est. Itaq; animam indiuiduari per corpus, non debet explicari per aliquam causæ circunstātiam, nec causalitatem aliquam, sed per habitudinem ordinis inter ipsam animam & corpus ad constitutionem totius: quoniam causalitas materiæ non consistit præcisè & absolutè in hoc quod est recipere formam, sed in hoc quòd sic recipiatur, vt ab ipsa educatur, id est, sustentetur, quia ab ipsa pēdet (sic explicat Aristoteles habitudinem materiæ ad formam lib. 5. Metaph. cap. de causa) & ita anima nostra simpliciter & secundùm esse à materia non pendet, sed secundùm quid quoad vnionem & aliquam durationem in materia. Quocirca nō malè diceremus, corpus in nullo genere causæ simpliciter & absolutè causare indiuiduationem animę, sed duntaxat secundũ quid, vt conditio siue causa, sine qua non indiuiduatur.

Corpus indiuiduat animā vt causa sine qua non.

Duplex cōmensuratio, substantialis, & relatiua.

Animā intellectiuam per corpus indiuiduari qua ratione explicandum.

Causalitas materiæ in quo consistat.

Per hanc igitur doctrinam soluitur argumentum, quod mihi olim erat proteruum; nempe, Anima pendet à materia in esse & fieri indiuiduam: ergo educitur de potētia materiæ: patet cōsequentia, quia quod educitur, nō potest esse neq; fieri sine materia. Neganda tamen est cōsequentia, tum, quia in antecedenti non ponitur quòd depēdeat simpliciter in esse & fieri absolutè, sicut à causa simpliciter, quod requiritur ad eductionem: anima autem nostra non pendet à materia, nisi vt ab occasione & causa sine qua non: tum etiam, quia quod educitur, pendet à materia in esse & fieri, quia ab ea sustinetur: anima autem hoc modo non pēdet, quoniam à materia non continetur. Quocirca hæc causalis est vera, Quia est hæc anima, est, fuit, vel erit hoc corpus, cui coaptatur & essentialiter commensuratur. Tamen hæc est falsa, Quia hoc corpus est, hæc anima erit, si particula *Quia* dicat causam: si tamen dicat occasionem, vera est, quæ exactiùs exprimitur negatiuè, nempe, Si non esset hoc corpus, non esset hæc anima. Ob id anima vnius hominis ex sententia Aristotelis non potest ingredi in corpus alterius (lib. 1. de Anima tex. 53. & lib. 2. tex. 26.) quod Pythagoræ & Platoni placuit ponentibus palingenesian animarum. Quem errorem amplexi sunt Albanenses hæretici, vt Castro refert lib. 2. aduersus hæreses verbo *Anima* hæresi 8. Ad quam alludebat Herodes, cùm de Christo domino existimabat Ioannem Baptistam esse (quem ille decollauerat) cùm dicebat Marci 6. *Quia Ioannes Baptista surrexit, & propterea virtutes operantur in illo, &c.*

Argumētum optimū elegāter dissolutum.

Logicè explicatur doctrina posita.

Plu-

Plurium igitur hominum non poteſt eſſe vna anima, quoniam anima eſt eſſentialis forma & dat eſſe,& ab vna anima plurium hominum vnum & idem eſſe concederemus: quod Auerroiſticum figmentum redolet de vnitate intellectus.

DVBIVM

An omnes animæ ſint ſubſtantialiter æquales?

Vna aīa qua ratione eſſe poſſit altera præſtantior.

QVibus expoſitum eſt quod poſtremò in hoc primo argumento dubitabatur, ſi vna anima eſſentialiter ſit altera perfectior? Nam duplex eſt perfectionis ſubſtantialis gradus; Prior, qui ad ſpeciem pertinet: de hoc enim dubitare non licet, vnam ſcilicet animam perfectiorē eſſe altera, cùm ſint eiuſdem ſpeciei: tutum minimè eſſet & malè audiret, qui ſic diceret, quia omnes homines diuerſæ ſpeciei faceret. Poſterior, qui ad indiuiduum ſpectat: ſicut enim ſpecies ſuas habent differentias ſpecificas, ita & indiuidua ſuos habent ſubſtantiales gradus perfectionis differētes. Et hoc verum eſt, quod non tantùm S. Tho. aſſerit 1.p.q.85.ar.7.& lib.2.ſent.diſtin.32. q.2.art.3.ſed etiā Ariſtoteles lib.2.de Anima tex.24.& 26.cùm de ipſa anima in hæc verba dicit; *Et ineſt ob hoc in corpore, atque in corpore tali, non in quouis ſine diſcrimine vllo. Hoc autem pacto cum ratione etiam fit ſanè: Actus enim vniuſcuiuſq; in eo, quod eſt potentia; & in propria materia ſuapte natura fieri, eſſéq; ſolet.* Et ſubdit, *Animam igitur perfectionem quandam eius, & actum, ac rationem eſſe, quod potentiam habet, vt huiuſmodi ſit; &c.* Vides quàm multis inculcat eandē ſententiam Ariſtoteles; Primò, vt ſit *in corpore tali.* Deinde, *non in quouis ſine diſcrimine vllo.* Præterea, quòd eſt vt *actus vniuſcuiuſq; in eo, quod eſt potentia, & in propria materia.* Tandem, *vt huiuſmodi ſit*, id eſt, huius & non alterius. Quibus omnibus inſinuat Ariſtoteles diuerſum eſſe gradum indiuidualem: hoc enim mira ingeniorum diuerſitas oſtendit, corporum varia figura declarat, hic deformis, ille pulcher, ille peſsima, hic optima præditus complexione. Cùm igitur animæ intellectiuæ prædictam habeant habitudinem ſubſtantialem ad corpora, fit, vt ſicut gradus miſtionis indiuidualis differens eſt, ita & animæ ipſæ ſubſtantialiter & indiuidualiter differant: ſiquidem diuerſi miſtionis gradus & commenſurationes ab ipſa anima rationali proueniunt, quæ ſola eſt in homine, & dat eſſe, omnéſq; formas ſupplet, quia omnes virtualiter, ſeu potiùs eminenter continet. Non quòd ponamus latitudinem gradualem in animabus, ſicut in accidentibus, quæ intenduntur & remittuntur: ſed ponimus gradualem differentiam ſecundùm ſubſtantiam & ſubſiſtentiam indiuidualem, quam ex corporibus, eorúmq; diſcrimine venamur. Qua de re lib.3.de Anima cap.1. dixi circa tex.9. 10. 11. & 12. primam videlicet ſubſtantiam ſupra ſecundam, modum & gradum & indiuidualem & materialem addere: & ſicut genus trahitur formaliter per diuerſas differentias ad ſpecies, ita ſpecies per diuerſos grádus materiales ad diuerſa indiuidua materialiter contrahitur. Indiuidua igitur ſecundùm ſubſtantiam indiuidualem dicuntur, & ſubſtantialia admittunt diſcrimina, non intrinſeca ſpeciei, cui accidunt, ſed vt intrinſeca indiuiduo, quod conſtituunt: variæ autem corporum diſpoſitiones à corporibus in animas non redundant ſimpliciter & cauſaliter, ſed vt occaſionaliter & vt à cauſa ſine qua non: potiùs enim illa varietas ab animabus in corpora dimanat. Producuntur igitur animæ & indiuiduæ & ſingulares, quia varijs corporibus accommodantur, ideo in eadem ſpecie multiplicantur: quod in angelis non admittimus, quia materia vacant. Vna ergo anima altera magis eſt perfecta, non tamen quòd ſuſcipiat magis & minus, quia hæc appellatio accidentibus competit, quæ poſtquam ſemel ſunt producta intenduntur, & magis perficiuntur per aliquam mutationem ad perfectiùs ineſſe & radicari: quod animæ non competit, quia ſemel producta non ampliùs recipit mutationē in ſuo eſſe: inæqualitas ergo animarum indiuidualis eſt, non tamen ſpecifica. Et probari poteſt ex inæqualitate organorum, & proportione formæ ad materiam (lib.1.de partibus animalium cap. 1.) & quia forma noſtra rationalis tempore non eſt ante materiā, quæ tanquam ipſius domicilium, vt ibi hoſpitetur, præparatur, ſed ſimul eſt cum ipſa materia diſpoſita & corpore iam organico (vt ex Ariſtotele diximus lib.12.Metaph.

Verba tex. 26. lib. 2. de aīa ponderantur.

Quid addat indiuiduū ſupra naturam.

Aīa noſtra nō ſuſcipit magis, aut minus.

tex. 16.) Est igitur animarum inæqualitas, qualis est corporum, quæ eis afficiuntur.

De differentia indiuiduationis pro natura diuersitate.

Ex vniuersa huius primi argumenti enodatione, præsertim ex eius postrema parte de animarũ nostrarum indiuiduatione pernis functionè semel cõcipiendum est, quòd sicut animæ nostræ numerantur & multiplicantur pro multitudine corporum (vti fusè dictum est) ita separatę substantię, quas angelos vocamus, seipsis indiuiduantur: ob idq; secundùm seipsas & in se consideratę, incõmunicabiles sunt re & ratione. Etenim in illis non est concipere naturam, non conceptà indiuiduatione: natura sanè, quæ est speciei principium, est & indiuidui: Ratio huius est, quia angeli à materia separantur & ab eius habitudine. Nihil tamẽ vetat (vt à nobis cõcipiuntur, & vt nostro intellectui obijciũtur) cognoscere eorũ naturã, nõ conceptà indiuiduatione: Ratio est, quia à nobis percipiuntur sub quidditate materiali, modo compositorum per materiam intelliguntur. Verbi gratia, Sol nõ habet in sua specie aliud indiuiduũ, tamen quia ex parte sui habet fundamentum indiuiduationis propter materiam, in eo est & speciei & indiuidui ratio. At in Gabriele ex parte sui, vt in se, est, nõ reperies indiuiduationis principium distinctum ab ipsa specie: bene tamen ex parte nostri intellectus, cui nõ obijcitur, nec sese offert, nisi vt compositus & materialis: inde habet fundamentum speciei, quia intellectus nostri considerationẽ nullatenus ingreditur, nisi materialitate & phantasmatibus vestitus, atq; adeò natura speciei accedit ab indiuiduo distincta. Hoc igitur nõ ex fictione nostri intellectus nascitur, sed ex naturali nostro modo intelligẽdi, quo sese offerunt res intellectui: vnde habet Gabriel & quòd sit vniuersale prędicabile & species (lege Gaiet. in prædicabili de specie & 1. p. q. 14. art. 9. & de ente & essen. c. 5. q. 9. maximè ad 1. Scoti.) Consimiliter Deus, qui immaterialior est, concipitur à nobis per modum cõcreti & abstracti (in re enim nil tale in Deo est, sed simplex forma) vnde si non materialis dicitur nec compositus, quia hæc sonant imperfectionem, tamen dicuntur personæ diuinæ constitui relationibus, cùm tamen in se solis originibus & seipsis distinguantur: sed nos non possumus substantias immateriales aliter, quàm nostro modo cõcipere. Anima autem nostra licet sit de genere separatarum, tamen quia actus est corporis, ad quod habet habitudinem intimã, inde distinguitur, multiplicatur & numeratur, & in se habet fundamentum, vt eius natura ab indiuiduationis principio seorsum sit conceptibilis. Hæc de primo argumẽto dixisse satis sit.

Quatuor dubia ex secundo principali argumento dissoluenda.

IN secundo principali argumento tria vel quatuor potissimùm petuntur, Primum, si anima subsistens est sine corpore, cur nõ est completa natura & persona? atq; adeò quòd non vniatur vt pars. Secundum in altero extremo, si anima vnitur vt pars & vniuocè secundùm substantiam sicut aliæ formę, quare non pendet à materia & corruptibilis non est? Tertium, quomodo anima, spiritus cùm sit, corpori conciliatur & faciat mistum, quod consistit in modo, substantialiq; temperamento resultãti ex mistione elementorum? Demum si hominis generatio naturalis sit, cùm anima, quę forma hominis est, nec generationi, nec corruptioni sit obnoxia?

Anima intellectiua subsistens est vt pars.

Inter hæc quatuor quod primo positum est, responsum habet ex illo communi nostro fundamento, quod velut securis ad radicem illorum omnium dubiõrum positũ fuit: quare in particulari dicere, nõ erit admodũ difficile. Anima enim nostra, ex quo subsistens est, proprium habet esse, sed incompletè, eo quòd habeat rationem partis: corpus enim affectat, in cuius actuatione natura humana completur, quæ in anima quasi virtualiter contracta erat. Ob id sicut videmus animam corpore indigere ad suã operationem exercẽdam, ita intelligendũ, esse animæ in corpore per quandam extẽsionem cõpleri & consummari: angeli autem sine corpore neq; aptitudine ad ipsum, integrè & complete subsistunt: esse autem animę nostræ ad corpus est; vt lib. 2. de Anima tex. 7. Idcirco (inquit) *non oportet quærere, si vnum sit anima, atq; corpus, &c.* ad est, non licet inquirere, cur ex corpore & anima vnum fiat: sicut neq; quærendum est, quomodo ex actu & potentia fiat vnum, siquidem potentia non est nisi per actum. Et tex. 24. eiusdem lib. 2. de Anima; *Quoniam autem (inquit) id, quo viuimus, quo' ve sentimus, &c. ipsa profectò ratio quædam erit &* forma

forma,&c. sed anima intellectiua est quo primò intelligimus, cognoscimus, sapimus atq; valemus, &c. ergo est forma essentialis hominis. Ibi habes enarratam huius demonstrationis expositionem, quam initio lib.3.de Anima tex. 1. Aristoteles breuissimis resumit. Quare cùm intelligere sit prima & præstantissima hominis operatio, erit quoq; à proprio & primo actu forma hominis: ergo anima nostra secundùm se non est integra natura, sed pars naturæ humanæ.

QVAESTIO

An anima nostra sit actus corporis, quatenus intellectiua est?

Aïa nostra actꝰ est corporis, tamen nec eductus, neq; corruptibilis.

SEcundum, quod dubitatur, ex primi resolutione constat: nam si anima non est tota natura, pars erit naturæ (hac de re plura dixi lib.2.de Anima cap. 1. & 2. sed exactiùs in hac disputatione contra Auerroem.) Quòd enim anima intellectiua non sit actus eductus à materia, non tollit generalem & vniuocam rationem animæ, quòd sit actus corporis physici, & actus quidem substantialis & essentialis: nam est anima intellectiua id, quo primò viuimus, sentimus & intelligimus: ex hoc enim quòd sit actus substantialis corporis physici, non sequitur, quòd corruptibilis sit, quia esse animæ nostræ proprium est, in quo subsistit independenter à materia. Et hoc est, quod lib.2.de Anima tex.11. dicitur, quòd nullius corporis est actus, scilicet eductus à materia. Nec sibi Aristoteles in tam breui scriptura dissentit: nam anteà in eodem lib.2. tex.7. dixerat, *Ipsa enim perfectio prima, primusq; actus est corporis naturalis, &c.* quod post tex. 24. demonstrat. Itaque non erit nouum, aut à ratione alienum dicere, animam nostram secundùm rationem generalem animæ vniuocè cum reliquis animabus actum esse corporis, tametsi secundùm propriam suam naturam materiam supergrediatur & sese extollat. Sed vt hæc dilucidiora sint, aduerte, quòd anima nostra rationalis secundùm totam suam substãtiam actus est corporis, licet à corpore neq; eductus neq; dependens: esse actum corporis ex eo habet, quia est forma substantialis hominis (lib.2. Phys. tex.26. *Homo namq; ge-*

Aïa nostra vniuocè cũ reliquis est actus & forma corporis.

nerat hominem atq; Sol) ergo anima est in corpore humano dans esse specificum homini (lib.2.de Anima tex.24.) Quod vel ex eo fit manifestum, quòd potentias habet organicas, quales sunt sensitiuæ atq; vegetatiuæ, quarum munia nisi per corporis organa non exercet. Tamen eadẽ nostra anima indepẽdens est à corpore eodem, cuius est substantialis actus, quatenus intellectiua est: quod ex eo similiter notũ euadet, quia intelligere nõ est organicum, & intellectus nullius est corporis actus. Testimonia plurima pro hac re suprà adducta sunt, sed potentissimum est illud lib.1.de Anima textu 65.& lib.2.tex.11.& 21.& lib.3.tex.7.& 20.lib.12.Meta.tex.17. lib.2.de gener. animalium cap.3. vbi de substantia animæ intellectiuæ, qua intellectiua est, est sermo, vt superiùs ex his eisdem locis deduximus.

Cur anima nostra dicatur non est actus.

Quod sanè velim intelligas, candide lector: non quòd anima magis separetur secundùm potentiam, quàm secundùm essentiam (vt quidam pessimè philosophantur) quoniam essentia & potentia proportionantur, ideo æqualiter se habent & ad coniunctionem & ad separationem à corpore: sed dicitur aïa nostra separata quatenus intellectiua, ex eo quòd ex intellectu & intelligere nobis declaratur animæ substantia, & deprehẽdimus ipsam separatam esse: quoniam calor, qui non habet esse separatum, non calefacit vt Quod, quanuis sit forma & ratio calefaciendi. Anima autem nostra, vt sensitiua & vegetatiua est, organicè operatur, quia vt talis educitur & pendet à materia: at forma rationalis nostra, quia subsistens est, vt intellectiua, operationem habet supergredientem omnem virtutem materiæ: & ex modo operãdi naturam potentiæ intellectiuæ deprehendimus: vnde venamur animam nostram subsistere in proprio esse absq; cõposito, cùm sine communione compositi operetur. Et quòd sicut intellectus indicatur separatus à corpore, in hoc anima nostra à corpore separata est, id est, in se subsistens & materiæ minimè immersa: & è diuerso in quo nostra anima materiæ coniungitur secundùm substantiam, quia est actus substantialis corporis, in eo coniungitur intellectus & ipsum intelligere: quoniam nil potest sine phantasmate intelligere: & quandiu est in corpore, obiectũ intellectus est quidditas rei

Intellectꝰ nõ est magis separatus, quã animæ essentia.

materialis: & ita intellectus vna ratione separatur, quia non est actus organi: altera ratione non separatur, quatenus virtus est animæ, quæ corpori substantialiter vnitur: sic anima rationalis separata est, quia esse habet à corpore independens, coniuncta verò, quia est actus substantialis corporis.

Nota.

Vnde Aristoteles animæ immortalitatem colligat.

Quo fit, vt rectè Aristoteles animã probauerit actum corporis, & præterea immortalem, subsistentemq; in proprio esse, quia habet intellectum non organicum, impassibilem, immaterialem & separatum à corpore, vt lib. 3. de Anima cap. 1. Etenim maior est animæ nostræ dignitas & excellentia, quàm sit materiæ capacitas: ideo licet communicet esse corpori, eidem totaliter non se tradit, quia non immergitur: idcirco ex hoc esse & subsistentia animæ, tam excellenti dimanat virtus intellectiua, ad quã proportionabiliter materia non attingit: sicut enim animæ rationalis esse, supergreditur materiam, ita intellectus & intelligere ipsius supra materiam sese extollunt: & sicut anima secundùm suam essentiã actus corporis est, ita intellectus, quandiu in corpore est, sine phantasmate non intelligit, à quo determinatur, vt immutetur: inde speciebus emendicatis actuatur, vt se valeat intelligere (lib. 3. de Anima tex. 15. & 25.)

Attende.

Quamobrẽ à posteriori ex intellectus operatione colligimus animæ nostræ immortalitatem & separationem: tamen à priori intellectus est separatus, quia anima est separata: intelligere enim animæ & operari ipsius supergreditur materiam, quia ipsum esse animæ materiæ supereminet.

Quid sit animã nostrã extollere se supra materiam.

Petenti igitur, quid sit id, quod toties inculcamus, animam scilicet rationalem supra facultatem materiæ esse, eámq; supergredi? Breuissimè ex dictis ab Aristotele, eiúsq; doctrina iã multis à nobis fulcita, respõdebo, particulatim & singulatim omnia distinguendo. Primùm, quoad fieri ipsius animæ, est non fieri per trãsmutationẽ pendenter à materia, quia non educitur ab ea, sed simplici Dei actione per creationẽ producitur, atq; (dicente Aristotele) de foris aduenit, vt ex locis antè à me adductis iam patet. Secundò, quoad esse nil aliud est quàm nostram animam subsistentem esse, & nõ receptam intra vim materiæ, sed per se est talis: quia licet informando det esse corpori, ab eo tamẽ non sustinetur, sed anima potiùs corpus & materiã cõtinet (lib. 1. de Anima tex. 91.) Tertiò, quoad posse, est facultatem & virtutes habere excedentes omnem compositi organizationem, quales sunt intellectiuæ, etiamsi sensitiuę & vegetatiuæ immergantur materiæ. Quartò quoad operari, est quòd in suam exeat operationem intelligendi absq; communione corporis, vt organo, vel subiecto, vel coreceptiuo. Ex quibus omnibus suis partibus deducitur, animam secundùm suã substantiam informare & actuare corpus, tamen non pendere à corpore & incorruptibilem esse. Omnia autem ista quatuor pendent ex secundo tanquam ex radice, nimirum quia subsistens est in sua propria existentia. Quamobrẽ intelligemus facilè, animam nostram excedere materiam, non solùm secundùm quòd intellectiua est, id est, secundùm potentiam intellectiuam, sed etiam secundùm suam essentiam & substãtiam: quia etsi anima vniatur materiæ substantialiter, non tamen ita, vt ab ea simpliciter sustentetur, & absolutè & omnino comprehendatur. Vt ipse ex his quorundam peoteruam instantiam diluas dicentium, quòd anima rationalis, inquãtum intellectiua non est hominis forma (quod cõdemnatur in concilio Vienensi & Lateranensi adductis, & Alfonsus à Castro lib. 2. contra hæreses verbo *Anima* hæresi 11.) nã si quà est intellectiua, non esset forma hominis, neq; homo esset rationalis, neq; imago Dei. Quare non solùm realiter & identicè anima intellectiua est humani corporis actus, sed etiam formaliter & reduplicatiuè inquantum intellectiua: cum hoc tamen stat, quòd nõ sit actus eductus aut depẽdens à corpore: media est enim anima nostra inter infimas & materiales formas, & supremas illas, quæ separãtur. Aliud itaq; est, animam intellectiuam, vt talem, corporis actum esse, aliud autem esse eductum & organicum: neq; enim ex hoc quòd actus sit corporis, confestim sequitur, quòd sit organica, materialis, aut corruptibilis: nec sequitur, potẽtiam esse abstractiorem, quàm essentiam animam ex dictis, patet potẽtiam, & operationem abstractionem sumere ab essentia, vnde fluunt, & potiori iure magis & prius, & nobilius abstractiorem esse essentiam, quàm sit potentia: nisi quòd ex separatione intellectus & intellectionis colligimus necessariò separatam esse essentiã animæ intellectiuæ, & quòd informat materiam,

Anima nõ solùm secundũ intellectum sed secundũ essentiam excedit materiæ capacitatem.

Anima nostra formaliter et reduplicatiuè, vt intellectiua est forma substãtialis hominis.

Obserua diligẽtissimè.

Quæratio ne intellectus non sit actus.

teriam, independenter tamen ab ipsa materia. Et si instes, Anima est actus corporis: sed intellect⁹ nullius corporis est actus: ergo abstractior erit intellectus, quàm essentia animæ? Respondebo primò: negando consequentiam, quia intellectus non potest magis abstrahere à corpore, quàm anima, cùm virtus non sit abstractior eo, cuius est virtus, sed proportionantur, vt dictum est. Secundò distinguo antecedens, quia intellectus non dicitur actus corporis, sicut anima, quoniam est accidens, qua ratione secundum quid abstractior est: tamen quod attinet ad esse organicum, sicut anima intellectiua non est organica, ita neq; intellectus: imò intellectus à nostra anima habet, quòd non sit potentia organica, nec educta, sicut nec ipsa anima rationalis. Vltimò tamen absolutè dico, animam nostram abstractiorē & simpliciorem esse intellectu, quia ab animæ abstractione & simplicitate sumitur nobilitas & simplicitas intellectus: & ex dignitate animæ, quæ materiam excedit, oritur intellectus excellentia, & quòd à materia non comprehendatur. Sed nobis exprimitur animæ dignitas & abstractio à dignitate & abstractione virtutis intellectiuæ: non enim intellectus animam excedit, sicut neq; accidens præstantius est substantia, sed intellectus est suprema virtus animæ, quæ ipsius substantiam indicat & manifestat. Neq; dicas, intellectum animā excedere, quando virtus non est maior eo, cuius virtus est: non est ergo intellectus abstractior aut separatior, quàm ipsa animæ substantia, sed alio modo: quoniam anima abstracta est abstractione independentiæ in essendo, quamuis corpori copuletur, vt actus eius: intellectus autem nec pendet à corpore in essendo, neq; in actuando, quia nullius corporis est actus (lib. 2. tex. 11.) tamen licet intellectus nō actuet corpus, omnis eius independentia & separatio ab animæ abstractione & nobilitate pendet, quæ est in se immaterialiter subsistens, & per se solam potens operari, & adhuc in corpore non intelligit sine phantasmate (lib. 3. c. 4. & 5.) Sed hęc admoneo valde memoriæ commendes, quoniam dissentiunt inter se grauissimi Philosophi, & etiam S. Thom. variè de hac re loquitur: sed hęc sit summa & concordia, nostraq; resolutio, quam plures optare scio. Fruere igitur hac nostra qualicūq; diligētia, vt ad sequētia pergam⁹.

Aīa abstractior etiā ipso intellectu.

QVAESTIO

An animę rationalis effectus sit formalis ipsa mistio?

Egregia dubitatio, quia ratio ne nostra aia, simplex etiam indiuisibilis mistū & diuisibile faciat.

Plurimos torquet & mirabiliter vexat tertia pars huius secūdi principalis argumēti: quoniam cùm in nobis nō sit nisi vnica forma, quæ est forma totius & partium (vt lib. 2. de Anima cap. 3. in quęstione propria huius rei diximus, & lib. 1. de generatione cap. 4. tetigeram) & illa forma sit anima rationalis, incorporea, indiuisibilis & simplex, quomodò igitur constituet hominem corporeum, diuisibilem & mistū? Pręsertim cùm lib. 1. de generatione cap. 10. dixerimus, formam misti modum esse quendam substantialem ex contemperamento elementorum prouenientem: vnde necesse sunt sit fateri, vel non esse solam formam rationalem in nobis, vel animā rationalem mistam & constitutam esse ex elementis? Apparens est argumentum & certè difficile Philosophiæ viscera non penetrantibus, qui rem superficie tenus considerant, atq; in hanc rem indiligēter insudant: si tamen attenderent, fieret eis ex eodem Aristotele perspicuum, quem non solùm enarrandum, sed extollendum suscepimus, & in hac parte vsq; ad spectaculum & naturæ prodigium repræsentandum. Hanc difficultatem vidit & radicitùs euulsit, mirabiliterq; dissoluit Arist. lib. 2. de Anima c. 3. tex. 31. & 32. vbi animæ rationem similitudine figuræ nobis proponit, quòd sicut in quadrato est triangulus, ita in sensitiuo est vegetatiuum: non quòd intelligas, quadrāgulum simpliciter differre specie à triangulo, qui est in ipso, qua ibi habet rationem partis, & est in potentia: quod autem est in potentia, simpliciter & actu non est: si ergo differt specie, propriè & simpliciter est à triangulo, qui actu est à quadrangulo distinct⁹: sicut in numeris similiter quaternarius propriè & simpliciter non differt à ternario, qui in ipso quaternario, vt pars ipsius, est: quia ibi ternarius absolutè non habet rationem speciei, sed vt extrà seorsum existit. Habent præterea numeri atque figuræ aliud, quod eis cōmune est, videlicet quòd si trigonus & tetragonus seorsum producātur, vt inter se distinguūtur, diuersas quoq; habent causas, tamen trigonus ille, qui in tetragono est, non habet aliam causam ab

Lib. 2. de aīa text. 31. et 32. exponitur

ea,

ea,quæ est tetragoni:quia sicut non habēt existentiam distinctam, ita neque causam. Hoc figurarum & numerorum simile nostro proposito accommodatur, quia vegetatiuum seorsum existens à sensitiuo specie differt,& causam quoq; habet differentem;& ita anima arboris & anima bruti diuersæ sunt animarum species,tamen vegetatiuum, quod in sensitiuo continetur, in vno eodemq; animali ita ei coniungitur, vt vegetatiua à sensitiua anima non distinguatur re & physicè, sed fortasse sola potentia & metaphysicè secundùm rationem formalem:physicè autem & realiter eiusdē sunt speciei, & vnum idemq; esse habent, atque ab eadem causa producuntur. Quare vna propria anima est,siue in bruto,siue in homine,in qua,quæ communiores sunt,in potentia & virtute continentur:vt enim in quadrangulo est triangulus in potentia & virtute,non in actu,ita in homine est sensitiuum & vegetatiuum in potentia & virtute,non in actu,hoc est,sensitiuum & vegetatiuum in homine potentiæ sunt, & reipsa à substantia animæ intellectiuæ nō separantur. Vnde Aristoteles lib.2.de gener. animal.cap.3.docet,vegetatiuam & sensitiuam in homine rationalem animam comitari,atq; adeò de foris aduenire,sicut intellectus,quem comitantur: & ratione adiunctæ animæ rationalis,in qua continētur secundùm substantiam,indepēdenter fiunt à materia:nō enim est ibi nisi vnica animæ rationalis forma, cuius rationem aliæ subeunt, quia in ipsa continentur. Ob id anima intellectiua,quāuis sit ab exteriori agēti & de foris adueniat,virtutes habet vegetatiuas & sensitiuas organicas:quoniam virtus superioris agentis attingere potest inferioris agentis effectum & adhuc amplius: ergo sicut producens quadrangulum facit in ipso latentem triangulum, ita & produci sensitiuum non potest, quin habeat inclusum vegetatiuum:sic producens hominem,sensitiuum in ipso atq; vegetatiuum producit. Vnica sanè nostra anima rationalis,in nobis omnes illos effectus atq; operationes exercet,quæ omnia,animæ communiores & præstantiores formæ,si ibi essent, præstarent: est enim posterior forma, ob idq; præstantissima,& quæ virtutes omniū aliarum formarum, cùm corpori coniungitur,vnitè contineat,eminētiusq; suppleat. Quare anima nostra dat esse corporeum

Ex simili tudine po sita in nu meris,& figuris a- nima no- stra decla ratur esse omnis for ma.

Obserua.

Sūma re- solutionis.

(quanuis indiuisibilis sit & spiritalis)& esse misti (quanuis sit simplex) & esse vegetatiuum & sensitiuum (licet sit ipsa intellectualis)ab extrinseco nanq; accedens,præstantissima cùm sit omniū formarū,omnes formas secum in sua virtute per modum vnius & coniunctim trahit, & facit simul vna illa,quæ diuisim & sparsim omnes aliæ formæ facere possent:vniuntur enim in superioribus,quæ in inferioribus sparguntur. Quare cùm anima nostra corpori,vt actus coniungitur,omnes aliarum formarum virtutes,quas radicaliter& in virtute includit, exerit & prodit,vt corpori formaliter communicet esse omnium formarū,quod in se claudit. Tanta igitur est animæ nostræ excellentia, vt vnica ipsa mirabiliter formas omnes repræsentet,exerceat atq; suppleat, & cùm sit incorporea,substātiam facit corpoream.

Sed studiosus veritatis adhuc rationem huius requiret: Probauimus enim esse,non tamen cur ita sit,vt anima nostra,quæ spiritus est,dum corpus informat,corporeum faciat?quod eius naturæ repugnare videbatur,cùm angelus,etsi vniatur,id facere non possit? Hæc redargutio vltimā grauissimæ huius difficultatis resolutionem exposcit. Pro qua aduertendum,animam nostrā mediam esse inter angelos & reliquas formas materiales:nam separata,& spiritalis est cū angelis,quanuis angelus integer sit sua subsistentia& natura:ideo angelus non coniūgitur corpori, nec potest esse illius forma, sicut nostra anima,quæ pars est hominis,vt superiùs non semel dictum est. Cum aliis igitur formis conuenit anima nostra, eo ꝙ substantialiter informat corpus,differt autem,eo quòd subsistit in se,& à corpore nō pendet. Quare anima nostra immergitur materiæ cum materialibus formis, neque omnino separatur cum angelis,sed in vtrarunq; cōfinio posita mediat,& vtrasq; participat, quas vt superioris & inferioris hemisphærij horizon ostēdit,atq; adeò ad angelos collata pura potentia est,& sicut materia in genere intelligibiliū (lib.3.de Anima tex.5.14.15.& 25.) tamen ad nos collata actus corporis est (lib.2.de Anima cap.1.& 2.) Hinc pendet difficultas,hinc etiam dissoluenda: ex eo enim quòd est in potentia respectu superiorum,vt intelligētias & angelos respicit,habet quòd sit actus respectu inferioris corporis organici,& faciat

Causa,ob quam aīa nostra oēs formas suppleat, exponitur.

Anima nostra & actus,& potētia respectu di uersorū.

ciat viuens, exerceatq; omnia opera vitæ: quia ex hoc quòd est potentia ad superiora, consequitur, vt actus sit, vt ad hæc inferiora se vertit, & prima sit & potissima omnium formarum, quæ omnes alias formas supplet quantumuis materiales & diuisibiles, quia virtualiter eas omnes continet, & cùm coniungitur corpori, eas exercet: primû enim in vnoquoq; genere causa est cæterorum, quæ in eo genere sunt (lib. 2. Metaph. tex. 4.) & non solùm adfert existentiam aliarum formarum, sed etiam essentiam supplet & cõstituit: quod quidem excellẽtius præstat, quàm ipsæ per semetipsas præstitissent. Ergo (vt semel dicamus) causa est, quòd anima nostra, licet sit spiritualis & incorporea, est tamen pars naturæ humanę, & non integra natura, vt angelus, sed actus est substantialis corporis. Nil mirum erit, si ex tali potentia & tali actu resultent tam mirabiles effectus? Neq; enim quærẽdum est, cur ex corpore & anima fiat vnũ (lib. 2. de Anima tex. 7.) nisi quia talis est natura coniunctionis actus cum potentia, quòd potentia non existit, nisi per actum (lib. 8. Metaph. tex. 16. qui est vltimus illius libri: quod enim est in potentia, fit in actu) Nec oportet aliud vinculum quęrere, sicut in ijs, quæ penitùs sunt secundùm potentiam diuersa, aut secũdùm actum aduersa, quę, vt sic, natura sua non sunt conciliabilia: agens enim vnumquodq; potentiam ad actum mouet. Rationabile igitur est, vt anima nostra omnes alias formas suppleat: quia quatenus secundùm esse est independens à materia, exercet actus immaterialis ordinis, nempe intelligendo, volendo, &c. quatenus verò forma est, quæ communicat materiæ secundùm esse, actus est corporis, & formas materiales supplet, corpus formando & figurando: atq; adeò sicut superiores actus intelligendi modificãtur modo essẽdi in corpore, ita inferiores eleuãtur ex aĩę independentia ad corpus: & hoc est animas se habere perinde ac figuras, quarum priores sunt virtualiter & in potentia, posteriores autem formaliter & in propria forma. Hinc iam patet, quare anima, spiritus cùm sit, corpori vniatur, nimirum quia potentia est in genere intelligibilium & actus in genere sensibilium: estq; pars naturæ humanæ & actus corporis physici. Et patet etiam, quare faciat corpus & mistum, nimirum, quia est actus corporis, quod dum

Obseruãda resolutio.

actuat & informat, alias omnes supplet formas, cùm in vno composito substantiali non sit nisi vnica forma, & illa sit aliarum virtus & supplementum.

Soluitur argumentũ, quod aĩa nostra faciat mi sturam.

Vnde patet in forma ad hanc tertiã partem secundi principalis argumenti, quòd anima nostra formaliter non resultat ex tẽperamẽto elementorum, sed supposito accidentali temperamento ab actione elemẽtorũ proueniente, vt corpus sufficienter disponatur suis organis & instrumẽtis ad animæ rationalis inductionem, ipsa anima rationalis statim introducitur, & supplet modum illum substantialem, quem lib. 1. de generatione ad mistionem necessarium esse ponebamus: sicut enim supplet formã corporeitatis, cùm ipsa corporea non sit, quod maius mysteriũ erit, si eadem ratione suppleat modum illum substantialem mistionis elementorum? Certè ex hoc quòd anima nostra actuat corpus, hæc omnia prouenire possũt: quo enim modo vegetatiuum & sensitiuum in intellectiuo continentur, ita quoq; corporeum & temperamentum illud substantiale elementorum. Non enim hoc maius habet miraculum, neq; maiorẽ inuoluit repugnantiam: nam si anima intellectiua, dum vnitur corpori, sensitiuum & vegetatiuum facit, cur non etiam corporeum & mistum constituet? Profectò sic natura comparatum est, vnamquanq; formarum virtute sua continere imperfectiores & inferiores se: atq; adeò dum quæuis formarum materiam perficit secundùm diuersos gradus & ordinem perfectionis, prę-intelligimus materiã priùs esse perfectã, tã secundùm inferiorem gradum, & secũdùm dispositiones, quæ illum gradum inferiorẽ consequuntur, quàm secundùm eas dispositiones, quæ perfectiori & summo gradui accommodantur. Id igitur est, quod dicit Aristoteles lib. 2. de gener. animal. cap. 3. sensualem animam recipi tempore pręcedenti rationalis animę receptionẽ, & quòd non simul fiunt animal & homo, neq; animal & equus. Ideo nostra anima dat esse corporeum, quia corporis reperit dispositiones: esse misti confert, quoniam inuenit elementorum mistionem & debitum temperamentum. Ita etiam de vegetatiuo, sensitiuo & cæteris omnibus alijs gradibus est philosophandum, quos omnes vna nostra simplex & indiuisibilis anima confert: quia illa vna multiplices formas virtute cõtinet, quas

Attende.

quas iuxta varietatem correſpondentium ſibi diſpoſitionum variè & diuersè exercitat: & vt præintelligimus præcedere diſpoſitiones ad inferiores gradus, ita quoq; intelligendum prædicata inferiora & imperfectiora communicari: hinc igitur homo capax fit quantitatis & figuræ corporeæ atq; dimenſionis, cæterorúmq; accidẽtium corporalium, quæ anima rationalis ſecundùm ſe ſolã minimè caperet aut admitteret, niſi medio corpore, cuius eſt actus.

QVAESTIO
An homo medio ſemine naturaliter generetur, an ſolùm ſupernaturaliter per creationem?

Quartũ, quod in ſecũdo principali argumento quæritur, ſi hominis generatio ſit naturalis.

QVartò demum in hoc ſecundo argumento petebatur, ſi generatio hominis naturalis ſit? quando anima noſtra ſupra actionem naturæ habeatur, quoniam non generabilis, ſed creabilis. Breuiter ad hanc difficultatem reſpondi ſuprà in primo argumẽto ad finem ſecũdi nodi eiuſdẽ: nunc autem expreſsiùs oportet rem aperire. Non igitur debemus eſſe contenti doctrina generali, quòd naturalis ſit hominis generatio appetitu & naturali inclinatione materiæ, formæq; rationalis natiua vnione cum materia, ſed preſsiùs & particulariùs agendum, & ex parte diſpoſitionum ipſius agentis id enucleandum eſt, vt conſtet, quis ſit intrinſecus terminus, ad quem hominis generatio attingit. Nã ſi ſolùm homo produceret diſpoſitiones accidentales, profectò non ſubſtantiam, ſed accidens produceret, atq; adeò non generaret, ſiquidem generatio ad ſubſtantiam eſt? Si autem homo ſolam faciat vnionem animæ rationalis cũ materia, ſolã faceret relationem (vnio enim relatio eſt) quare neq; ſic homo propriè hominem generaret? Si autem aſſeras, hominem materiam non facere (quia eſt ingenerabilis & incorruptibilis) neq; animam rationalem (quia creatur à ſolo Deo) attingere tamen ex vi diſpoſitionum ad vniendam animam rationalem corpori humano? difficultatem habet: Nam qua via anima noſtra, quæ à Deo creatur, ex vi diſpoſitionum in materiam ſine eductione ab ipſa introducetur? Et homo qua ratione attinget ad eſſe animæ, quod iam actione Dei comparatum eſt? Grauius enim dubium eſt, quo communius eſt & nobis familiarius.

Rationes dubitãdi.

Dubitationis reſolutio.

Principiò certum eſt ex ijs, quæ ſæpe dixi, hominem generare hominem naturaliter & vniuocè, non minùs, quàm equus equum generat: quod indubitatum eſt, atq; apud Ariſtotelem à controuerſia alienum (vt lib. 7. Metaphyſ. tex. 27. & 28. patet) in quo, cùm ſit communis omnium Philoſophorum conceptio, immorandum non eſt. Deinde, vt certa ab incertis diſtinctiùs ſeparemus, ad generationem non eſt opus, vt materia generetur, neq; adhuc vt forma in ſe fiat. Itaq; ad generationem naturalem non requiritur, vt partes producantur, quia dealbans notum eſt non facere parietem, nec facit albedinem, niſi per hoc quòd facit album: nec calefaciẽs facit calorem, niſi faciendo calidum: neq; equus generat formã equi, niſi generando equum. Quare ſi formæ omnes, tam accidentales, quàm ſubſtãtiales per ſe ſubſiſterent, verè & naturaliter fierent actiones, per hoc ꝙ actionibus naturalibus illæ formæ ipſis ſubiectis coniungerentur. Sic igitur in propoſito de homine philoſophandũ: neq; enim noua alia philoſophia in hominis generatione indaganda eſt præter illam, quam in alijs rebus ponimus, licet modus ſit diuerſus, propterea quòd peculiari ratione anima hominis ſubſiſtens eſt & à ſolo Deo creatur: tamen vt anima eſt actus ſubſtantialis ipſius corporis, quoad introductionẽ & vnionem ex vi diſpoſitionũ ab homine attingitur. Pro quo tertiò aduerte, quòd cùm anima noſtra ſubſiſtat in ſe, intrinſecè, directè & primariò à ſolo Deo cauſatur & terminus eſt creationis: tamen vt corpori vnitur tanquã actus ſubſtantialis eius, ab homine attingitur effectiuè, & directè inducitur, & vt ſic, terminus formalis eſt generationis: quoniã homo propria ſua actione & humani ſeminis virtute eouſq; peruenit, vt materiã ſufficienter diſponat, & ſubeſſe faciat animæ rationali, & hoc tandiu laborat, vt materia organicè & ſufficienter illius ſit capax. Quare in vno eodemq; inſtanti anima rationalis ſimul tẽpore & ab homine & à Deo producitur: ſed diuerſimodè, quia prius natura à Deo creatur, & per creationem anima habet ſuum eſſe proprium, in quo ſubſiſtit, & ad quod, vt in ſe eſt, creatio terminatur: at poſte-

Generantis naturaliter nõ fiunt partes generare.

Anima noſtra aliter à Deo, & aliter à generãte attingitur.

posterius natura homo virtute seminis at-
tingit ad idem esse animæ, non absolutè, vt
est in se, sed vt infunditur & coniungitur
corpori: atq; adeò eadem anima secundùm
rem terminus est actionis Dei per creatio-
nem, & actionis hominis per generationē;
sed formaliter diuersimodè se habet, quia
creatio ad animā vt in se terminatur (qua
via creatione fit anima, sed homo factus nō
est) generatio autem hominis ad animam,
vt in corpore est, terminatur (quomodo ho
mo genitus est, anima tamen non fit abso-
lutè, sed in materia) quoniam attingit illud
esse animæ in materia, quam præparat, vt
anima inducatur & substātialiter vnita po-
natur. Et hoc igitur non est hominē coope
rari creationi Dei, nisi remotè & extrinse-
cè, quia non attingit ad animam, vt ex ni-
hilo est, sed ad eam, vt iam ex nihilo factā
in aliquo subiecto collocandam, quatenus
disponit homo materiam sufficientem, vt
inducatur forma, qua fit alter homo gene-
ranti similis. Qua in parte perperàm philo
sophantur qui dicunt, hominem incōpletè
generare, quoniam solùm disponit mate-
riam, Deus autem dat formam: Nam licet
ita sit, quòd Deus producat formam per
creationem, homo tamen completè dicitur
generare: quia perfectum & cōpletum est
quod attingit ad finem, ad quem natura sua
destinatur: homo autem nō ordinatur, neq;
amplius per se facere potest, quàm mate-
riam disponere, & corpus ad receptionem
animæ intellectiuæ organizare, animámq;
quantum in se est, corpori vnire, & ita ho-
minē facit: & si ad hoc perueniat, actio eius
perfecta est, etiamsi vlterius ad animam in
se non pertingat, quoniam id iam cum cæ-
teris ad Deum pertinet. Neq; enim amplius
agentia naturalia faciunt, nec ad ipsa spe-
ctat formas, vt in se sunt, producere, sed dū-
taxat eas ponere in cōposito (vt lib. 7. Me-
taph. loco citato) id autem reliqua omnia
agentia in generatione faciunt, quicquid sit
de forma, siue creetur, siue educatur, nō est
illis cura, dūtaxat solicita sunt de ipso toto.
Quo fit, hominem per duas actiones pro-
duci, quarum vna alteri copulatur & quasi
subordinatur, vbi generatio hominis crea-
tionē animæ supponit, & dispositio, quam
facit homo, vlteriorem & præstantiorem
effectū à Deo præstandū desiderat, perinde
ac instrumentum ordinatur ad effectū prin-
cipalis agentis, quem spectat, & homo ve-
luti causa secūda virtute seminis emissi ma
teriam præparat, vt causa ipsa prima ani-
mam creet, quam corpori ex vi illius actio-
nis infundat.

Eadē aīa nostra formal: est terminus generationis et creationis.

Homo hominē non generat incomplete.

Expēde.

Actio Dei & hominis quomodo se habeat in generatione hominis.

Vides, quomodo finis actionis suo prin-
cipio respondet, & effectus proximæ suæ
causæ assimilatur, & homo genitus generā
ti homini similis euadit, & homo in cata-
logo naturæ ponitur, & cum rebus natura-
libus collocatur? (lib. 7. Metaph. tex. 27. 28.
& 39.) Ex vi enim naturæ actio hominis in
generatione per viam seminis (quod virtus
est materialis, corporea & organica) homo
generatur dependenter ab organo corpo-
reo: ideo hæc virtus non transcendit vsque
ad animam intellectiuam, vt in se subsistit,
quia vt sic, immaterialis est & ab organo
corporeo independens: ergo secundùm ve
ram philosophiam hæreticum est, & in pe-
ripatetica philosophia erroneū, quòd ho-
mo virtute seminis animam rationalem in
se producat, sed tantùm coniungit natura-
liter, & ita homo naturaliter generat homi
nem. Et scioli desinant iactare, quòd in ho-
minis generatione ordo naturæ turbetur:
quàm maximè enim seruatur, vt dictū est.

Summa.

Virtus seminis humani non transcendit ad animā intellectiuam in se.

Ex his habes, semē emitti virtute animæ
rationalis, non tamē attingere ad animam
in se, sed modo iam explicato. Quòd si re-
darguas, Phātasma corporeum est & mate
riale, tamen quia agit virtute luminis intel
lectus agentis, attingit ad speciem intelligi
bilem & immaterialē (suprà lib. 3. de Ani-
ma cap. 3. quæst. de intellectu agente) ergo
licet semen materiale sit & organicum, vt
animæ est instrumentum, poterit attingere
ad animam rationalem producēdam in se?
Bene & subtiliter redarguimur, vt omnia
constent & aperiantur. Fateor igitur, phan
tasmata materialia esse, ab intellectu tamen
agente illustrata & assumpta, quidditatē in
se latitantem intellectui possibili ostēdere,
atq; in ipso species intelligibiles & imma-
teriales producere (quæ loco citato expo-
sita sunt.) At semen humanum directè non
agit in virtute agentis immaterialis: quoniá
homo quamuis generet in virtute propriæ
formæ immaterialis, quæ est anima rationa
lis, tamen vt generat, materiali organo vti-
tur, sicut ad videndum & audiendum, Ideo
vt generat homo, anima non supergredi-
tur materiam, neq; agit qua immaterialis
est, sed in virtute illius, quæ materialis est,
cuius virtutem in semetipsa continet & in-
uolui,

Insignis differētia inter semē in ordine ad animā & phantasma ad species intelligibiles.

uoluit,id est, vt refert actionem animæ vegetatiuæ: vt sic enim anima intellectiua, licet sit simplex & immaterialis, tamen virtute cōtinet omnes alias formas eductas & materiales, operationesq; organicas illarũ, & ita ad modum illarum operatur: & non minùs perfectè & propriè anima intellectiua vegetat & sentit, cæterarúmq; formarũ munia exercet, quàm si reliquæ præsentes adessent secundùm rem, & proprias operationes secundùm semetipsas exercerent: seminatio ergo naturæ, opus est animç humanæ, tamen vt vegetatiuæ munus, per organum corporeum exercet. Vnde soluta est instãtia, nam animæ intellectiuæ virtute semen emittitur: tamen qua vegetatiua est & materiali organo vtitur, sic non transcendit, vt ponat animã in se subsistentem: phãtasma autem non agit in intellectum possibilem, qua materiale est, sed qua illustratũ ab intellectu agente intelligibilem quidditatem in se ostēdit. Quòd si adhuc vrgeas, Semen humanum disponit ad animam intellectiuam, vt intellectiua est, dispositione necessaria: ergo agit in virtute intellectiuæ animç? (quod & S. Tho. videtur asserere de potentia q. 3. art. 9. ad 5.) Respōdetur, neq; hoc argumento probari, animam intellectiuam virtute seminis generari: quia licet anima intellectiua, vt intellectiuæ & immaterialis est, forma sit, tamen est actus corporis (quod suprà dudum in hoc secundo argumento principali circa resolutionem tertij dubij exponebamus) & anima intellectiua etsi realiter & verè virtus sit, vnde humanum deriuatur semen, verùm vt intellectiua, reduplicatiuè & formaliter sumēdo, falsa est. Aliud enim est dicere, quòd materialiter & identicè, vt reduplicat conditionem generantis, in virtute intellectiuæ animæ fiat hominis generatio: aliud est, quòd in virtute intellectiuæ, vt intellectiua est, specificatiuè fiat seminatio. Neq; hoc igitur est peculiare in vegetatiua, quia & in sensitiua idē reperiemus: intellectiua enim anima est qua sentimus, cùm non habeamus nisi vnicam animam, & illa est intellectiua: sed ea non sentimus, qua intellectiua est, cùm sentire organicũ sit, quia intellectiua anima, vt intellectiua, non est organica: habet ergo anima nostra realiter & de facto organum, quod tamen formaliter non exigit, vt intellectiua est. Ex qua doctrina percipies facilè, qua via semen humanum ad animam disponat dispositione, quæ necessariò attingat & trahat animam rationalē, non tamen formaliter ad intellectiuam, vt intellectiua est & in se subsistens, sed ad intellectiuam identicè & realiter; vt in corpore ponitur: quia vno modo anima nostra vtitur organo, & sic attingitur à seminè: alio modo vt intellectiua non vtitur organo, & vt sic à seminis vi non attingitur: isto enim modo non cadit formaliter & reduplicatiuè sub dominio & iure seminis, quod cùm virtus sit corporea, directè & per se non attingit ad animam vt subsistentem, sed vt actus est corporis. Nolo dicere, quòd in generatione hominis terminus nō sit anima intellectiua, quæ actus est corporis, sed quòd vt intellectiua non attingitur à virtute seminis, quæ duntaxat eò peruenit, vt animam intellectiuam vniat, quæ simul & vegetatiua & sensitiua est. Hanc doctrinam à S. Tho. didici loco citato & 1. p. q. 90. & 118. & ab Aristotele lib. 2. de gener. animal. cap. 3. cuius verba ponderanda sunt, quæ sæpe retuli.

Semē humanum quatenus ad animā ponēdam necessitet & cogat, et si ad intellectiuā vt talis est, attingat.

Attende differentē modum exercendi munia formarū omniū in homine per unicā animā rationalem.

Nota, quod virtus seminis qua dã tenus ad intellectiuã animã attingit.

Nec alicuius momenti est quod contra hoc inferebatur, videlicet hominem solam relationem generare: quoniam ad vnionē illam animæ ad corpus virtus seminis attingit, siquidem (vt dictum est) agentium naturalium non interest, partes, sed totum facere (lib. 7. Metaphys. tex. 27. 28.) ideo intrinsecus terminus in generatione hominis est compositum, id est, vnitas substantialis, quæ est hypostasis, siue substantia indiuidua humana. Est enim duplex vnio, quædam, quæ relatio est, & hæc accidens est, & posterior ipsa substantia humana producta, & in ipso toto fundata, quæ ad partes terminatur. Altera est vnio substantialis, quæ vnitus appellatur, siue vnio fundamentalis, quæ nihil aliud est, quàm causalitas formalis & actualis ipsius animç in corpore: & ad hanc terminatur generatio hominis, quæ nihil aliud est, quàm animam dare esse formaliter & actualiter subiecto corpori. Et cùm potentia existat per actum, & actus sit substantialis, ad hoc esse substantiale terminatur generatio, non ad vnionem, quæ relatio est, sed ad vnitatem substantialem, siue fundamentalem vnionem: homo ergo est terminus, gratia cuius, anima verò terminus quo: & homo generat totum hominem categorematicè, non tamē totum hominem syncategorematicè, id est,

Virtus hominis nō vnio materiæ & formæ, terminus est intrinsecus generationis.

Duplex vnio in homine exponitur.

id est, totum, & nō totaliter, quia totum generat, non tamen singulas partes: sic enim Logici breuiùs dixissent, sed rem omnē nō explicuissent tam exactè. Similiter non militat cōtra doctrinam nostram quod in hac postrema parte inferebatur, nimirum in generatione hominis solùm fieri esse accidentale, quatenus materia disponitur & præparatur ad formā, non tamen esse substātiale, quod ad verām generationem requiritur: Nam homo virtute seminis non tantū materiam accidētaliter præparat, sed formam rationalē inducit, quæ substātiale esse confert: ideo generare dicitur propriè & verè, quia dat primū & substātiale esse, quoniam facit corpus humanū per formam substantialem existere: ideo si homo dat corpori actum substantialem, esse substantiale generando facit.

Homo in generatione nō dat solū esse accidentale, sed substantiale etiam.

DVBIVM.

An dispositiones, quæ animā inducūt, ipsam præcedant vel sequantur?

ET si vrgeas, Nemo producit accidentia alicuius formæ, quin producat ipsam formam: ergo si homo producit accidentia & dispositiones ad animā rationalem, producet quoq; ipsam animā rationalē? Difficultas ista implexa est, de qua super S. Thomā 1. p. q. 76. art. 6. ad 1. & dixi 1. 2. q. 113. art. 8. ad 1. & 2. & lib. 1. de gener. c. 4. fusè à me dictum est: nūc verò breuiùs & fortassè distinctiùs atque veriùs. Accidentia igitur quædā sunt, quæ animæ nostræ naturā velut proprietates consequuntur, qualia sunt intellectus & voluntas, quę animam comitantur & cum ipsa comproducuntur, ideò à solo Deo, à quo anima creatur, ipsæ concreantur: & de istis verùm est quod assumitur, nil causare ista accidentia, quin etiam animam producat: imò ex eo quòd anima à Deo creatur, ista accidentia à Deo concreantur. Alia sunt accidentia alterius generis, quæ scilicet ab homine fiunt in materia, quæ per ipsa præparatur ad receptionem animæ rationalis (de quibus in pręsenti disputatur & locis citatis apud S. Th. & quæst. de spiritualibus creaturis art. 3. ad 20. & quæst. de anima art. 9.) materia enim non est capax formæ, nisi vt vestitur accidentibus, per quæ appropiatur & accommodatur ad formam hospitandam. De his igitur accidentibus, quibus corpus organizatur, præsens est controuersia, si præcedant animam rationalem, an sequantur: si dicas præcedere, præfuisset quoq; alia forma ante animam rationalem, super quam dispositiones illæ ad animā fundarentur, atque adeò ante animam rationalem alia præfuisset forma: si dicas, quòd consequuntur, deberes asserere, quòd illa accidentia fiunt à proprio agente illius formæ: quare sequitur, quòd si homo producit accidentia, producat quoque animam rationalem, quod semper negauimus. Respondetur tamen, quòd in productione istorum accidentium duplex ordo considerandus est, Vnus naturæ, qui & intentionis siue perfectionis ordo appellatur, & attenditur secundùm rationem causæ formalis, finalis aut efficientis: quia finis est, qui primò ab agente intenditur: finis autem ab agente intentus, re idem est cum forma (lib. 2. Phys. tex. 70.) Qua ordinis consideratione accidentia, quæ perfectè disponunt ad formam & inducunt formam veluti vltima dispositio, simul sunt cum forma, quàm necessariò consequuntur: prius enim est esse substantiale, quàm accidentale, & accidens substantiam supponit, in quā fit: esse enim secundùm quid accidentis præsupponit esse simpliciter substantiæ, nam in toto composito subiectatur, vt diximus lib. 1. de generatione loco citato. Alter ordo est generationis, qui est secundùm exequutionem, & iste se tenet ex parte materiæ, vt à causa materiali aliquid exit de potentia in actum. Iuxta hos duos ordines diuersimodè loquimur, & fatemur accidentia priùs esse, aut posteriùs: Nam cùm forma magis sit natura, quàm materia secundùm priorem ordinem naturæ, priùs est forma, quàm sint accidentia, quia magis est intenta: secundùm autem posteriorem ordinem generationis, accidentia, quæ præcedunt, vt dispositiones, materiæq; præparationes, priùs sunt. Rursum si ordine temporis dispositiones in re considerentur, simul tēpore sunt cum forma: quia dispositio vltima & perfecta simul est cum forma: secus est de imperfecta dispositione, quæ tempore multo antecedere potest. Si autem considerentur dispositiones

Explicatur, quomodo pro ducēs accidentia producat formam.

Aiæ nostræ accidentia nō sunt vni ordinis.

Duplex ordo ī productione accidentium.

Accidētia prius, & posterius forma diuersimodè.

vltimæ & perfectę secundùm intellectum, sic præintelligũtur præcedere ex indigẽtia & necessitate materiæ: quoniam accidentia secũdùm ordinẽ causæ materialis via exequutionis formã præcedũt siue in re, siue secundũ cóintelligentiã: id enim, quod prępatat, anteire debet. Quocunq; tamen ordine siue intentionis, siue exequutionis cõsiderentur (non tamẽ ex parte materiæ, sed ex parte formæ) sic semper accidẽtia formam sequuntur, sicut effectus suam sequitur causam: resultant enim accidentia ex vnione formæ ad materiam, & in ipso cõposito ex materia & forma recipiuntur.

Temporis accommodata distinctio.

Quare quę dicta sunt clariùs resumamus distinguẽdo tempus in verum, siue reale & imaginarium, siue secundùm nostram considerationem: Realiter igitur secundùm tẽpus verum accidentia simul sunt cum forma: tamen formaliter secundùm considerationem tẽporis imaginarij accidentia priùs sunt, ex hoc solùm quòd præintelliguntur disponere & præparare materiam ad introductionem formæ. His habitis, omnia consentiũt, & quòd accidentia ex parte materiæ per cointelligentiam præcedant, & quòd ex parte formæ sequantur: nunquam tamen sunt in nuda materia, quoniam in toto composito, vt proprio subiecto recipiuntur. Cõstat etiam, id, quod producit accidẽtia, producere formã: intelligẽdum de accidẽtibus, quæ solã formã consequuntur, non de alijs, quę in cõposito fiunt & præcedunt, non vt producatur forma in se, sed vt inducatur in materia, & fiat totum, in quo illa recipiũtur accidentia. Quare non probatur, quòd homo producat animam rationalem in se: nam pręcedentia accidentia, formas, quæ etiam antecedunt animam nostram rationalem, supponunt. Hęc dixisse sufficiat pro secundo principali argumento: nã lib. 1. de gener. c. 4. & in recognitionib⁹ illorũ librorũ apertiora sunt, & dabitur fortasse occasio hęc fusiùs tractãdi.

QVAESTIO

An anima separata operationem habeat propriam, & quæ illa sit?

Tria quęsita tertii argumẽti principalis.

TErtium principale argumẽtum tria potissimũ quęrit. Primum, quòd si anima ex Arist. sententia immortalis est, ipsam separari contingeret, tamen quam operationem habeat separata, ex eadem doctrina non constat, cùm testetur, animã sine phantasmate nihil intelligere. Secundum est, ꝙ inuita & violenter ad corpus traheretur, quod eius functioni ad intelligendum impedimentum præstat? Demum ignoratur, quo fine ad corpus veniat & ad quẽ vsum, & an propter animæ commodum, an propter ipsius corporis? Optarem equidẽ, pro hui⁹ tertij dubij dissolutione à Philosopho (qui omnium opinione ingenio fuit pręstãtissimus) difficile hoc argumentum elaboratũ haberemus, & affabrè sculptũ. Desideramus igitur hac in parte Aristotelis sententiam: neq; enim constat quid senserit,

Non habemus quod Arist. de aïæ separatę operatione scripsit.

quoniam non habemus librum, quẽ de anima separata scripsisse, dubitandum non est, nõ solũ quia promisit, sed etiã quia S. Tho. opuscul. 16. dicit se vidisse, sed nondũ trãslatum: probabilis ergo locus est cõiecturę, ipsum de anima separata quidpiam dictasse: à doctissimis nanq; hominibus accepimus, aliquod opus animæ immortalitati dicatum ab Aristotele fuisse, quod tamen indiligentia hominum obsoleuit & antiquatum est, & tandem abolitum ad nostras nõ peruenit manus. Sed dem⁹, ipsum aut morte præuentũ, aut incuria, aliave causa de statu separatæ aïæ nihil memoriæ prodidisse, non fit statim cõsequens, animã de Aristotelis sententia separari nõ posse: ab autoritate enim negatiuè infirmũ est argumentũ. Ex ipsius igitur dictis quod probabilius &

Quid, & qua methodo tractandũ.

secundùm peripateticã philosophiam consequentius dicamus, priùs in genere, deinde in specie, vt à cõmunioribus ad specialiora ordine doctrinę procedamus. Primũ omnium (vt breuiùs agamus, & ne cogamur quę suprà in hac disputatione habita sunt, & superiùs lib. 3. de Anima enarrata, fastidiosè inculcare) ex his locis accipiam⁹ animam humanam, quãdiu in corpore est, nihil prorsus intelligere, nisi habitudine ad phantasmata, sine quibus neq; species acquirere, neq; acquisitis frui valet. Mox animam separari posse, Aristoteli fuit certissimum, qui cognouit animam nostram immaterialem & subsistentem esse, vt sat mul-

Aïa separabilis.

tis in superioribus demonstratum reliquimus, & lib. 3. de Anima cap. 1. tex. 14. & 15. per se in ordine intelligibilium & separatorum collocatur. Vidit igitur ad illum ordinem posse peruenire, atq; subinde acu-

tissimus

tissim⁹ Philosophus intellexit otiosam esse non posse, cùm adeò abhorruerit otiositatem, & vnumquodq; esse propter suā operationem viderit, aperteq; lib. 1. de Anima tex. 12. & 13. affirmauerit, quòd si separata operationem non habet, nuquā contingeret à corpore separari: sed si sublumas ex doctrina peripatetica, at anima nostra separabilis est de sententia Arist. lib. 3. de Anima cap. 1. & 2. & locis alijs citatis: ergo fateatur nobis Aristoteles est necesse, operationem habere animam in statu separationis.

In speciali tractatur controuersia. Hactenus communi dicta sint, & in præsidium eorum, quæ dicemus, adducta, quæ sunt in scholis Aristotelis sine vlla offensione recipienda. Sed in particulari magnam profectò habent ambiguitatem, & perenni disputationi pesua atq; exposita sunt: maximè cùm hac in parte nos deserat Aristoteles, & eius sententia propter causas initio huius tertij argumenti adductas non cōstet: verisimiliter tamē ex datis, quæ supersunt, indagāda sunt. Quonam enim de operatione animæ separatæ & modo eius, quā coniectare licebit ex ipso modo essendi eius: *Nodus quæstionis vnde dissoluendus.* enim sicut operatio indicat essentiā, veluti effectus à posteriori monstrat propriā causam, ita vice versa essentia à priori manifestam faciet operationē, vt causa manifestat & declarat effectū. Hactenus ab operatione animæ essentiam ostendimus, nūc à declarata & manifestata essentia nostræ animæ, ipsius est aperienda & in statu separationis demōstranda operatio. Recurrit enim discursus talē namq; nouimus essentiā, qualis est operatio: nunc autem ab ipsa essentia explorabimus & expendemus operationē. Peculiare igitur animæ rationali est duos habere modos essendi, quod sæpe diximus: est enim coniuncta corpori, cuius est actus substantialis: est præterea separata à corpore, quia subsistens in propria existentia (hæc superius latissimè & fusissimè exposita sunt) ergo duos habebit proportionatos operādi modos, vt animæ in corpore existenti respondeat operatio intelligendi per conuersionem ad phantasmata: animæ autem separatæ correspondeat operari & intelligere separatum per conuersionem ad superiora: oculus enim & intuitus animæ nostræ in horizonte est superiorum & inferiorum, vtraq; igitur conuersione ad diuersa conspiciet. *Aïa nostra duos essendi & operandi modos habet ex Arist.*

Quod vt apertius ex media philosophia deducamus, iterū patet quod dicimus, quoniam vnūquodq; operatur sicut est in actu (notissima & receptissima est propositio) sed anima nostra Aristoteli nūc coniuncta, nūc separata à corpore est (coniuncta ponitur lib. 2. de Anima c. 1. & 2. separata verò ostenditur lib. 3. de Aïa c. 1. & 2.) & vtrunq; modū existendi significat & declarat libro Phys. tex. 26. lib. 12. Metaph. tex. 16. & 17.) ergo iuxta Arist. in vtroq; statu iuxta modū ipsius status operabitur: vt in corpore, sicut est actus corporis, per ordinē ad phātasmata intelliget: separata autē, vt à corpore absoluitur, ita à corpore absoluta, liberaq; cōuersione ad superiora intelliget. Cōfirmari potest hæc doctrina vere peripatetica: quia in via, dum aïa nostra corpori coniungitur, non intelligit, nisi vt est in potentia ad abstrahendū ex phantasmatibus & sensibilibus: quod animæ propriū est, eo q naturaliter pars est hominis & actus corporis, cui coiuncta operatur, vt in potentia est (lib. 3. de Anima tex. 14. 15. 25.) inde autē ad immaterialia non se extollit, nisi discursiuè & cōfusè intelligēda: tamen ea non penetrat, neq; distinctè cognoscit, quia species, quas habet, à rebus sensibilibus sumptæ sunt, & nihil in corpore intelligit, nisi p phātasmata sensibilia adducatur. Rectè igitur dixit Arist. prędictis textibus, q anima vt tabula rasa est & in potētia, atq; adeò intelligit se sicut intelligibilia cūcta: quoniā perfectiū ipsius animæ sumēdum est à rebus per sensuum phātasmata: at cùm separatur, desinit esse in potētia respectu sui, remotoq; corporis obstaculo, fit sibi præsens & in actu se per suā essentiā intelligēs, quia immaterialis est & de ordine superiorū: ideo in ipsa secundū modū propriū ipsius animę resultāt species per conuersionē ad superiora, superiorūq; influxū in ipsam, nō solùm ex communi vniuersi ordine, sed ex propria etiam aïæ natura: quia ille modus naturalis est, etsi minùs fortasse naturalis sit, quā in coniunctis: de quo statim dicemus, & S. Tho. q. 2. de anima art. 10. Quo fit, non solùm vnumquodq; agere inquātum est in actu, sed etiā naturale est agere per modum suæ substantiæ: meritò igitur anima nostra secundùm proprium existendi modum cognoscet, nempe in corpore dependenter à phātasmate: separata autem cōuersione intuitus ad superiora, & secundū quòd iam in actu est & à corporis obstaculo expedita, *Aïa nostra duobus modis est in actu.* *Observa.* *Aïa nostra agit vt est.*

ipsa, quæ erat potentiâ intelligibilis, facta est iam actu intelligibilis: vnumquodque enim vt disponitur in entitate, ita & in cognoscibilitate, atque res sicut se habent ad esse, ita ad cognosci (lib. 2. Metaph. tex. 4.) Forma igitur nostra rationalis media est inter superiores & inferiores formas, & cum vtrisque habet communionem: ob id ex ipsius animæ media natura & conditione diuersum habet intelligibilitatis modum, tam actiuè ad intelligendum, quàm passiuè vt intelligatur. Mirabile igitur non est, si in corpore existens intelligibilis sit in potentia, extra corpus autem in actu: & intellectus agens, qui in corpore phãtasma ta illustrabat, in statu separationis non illustrat ipsas res materiales, quæ improportionatæ sunt, sed intellectum possibilem irradiat, confortat & fœcundat, vt sese primùm contemplari valeat, & animæ substantiam iam splendentem per ipsammet animę separatæ essentiam instar angelorum deprehendat, quo modo fit de intelligibili in potentia & per alia intelligibilis in actu, atque per seipsam. Hâc ob causam necessarius est intellectus agens in statu separationis, quia possibilis intellectus transit de intelligibili in potentia in intelligibile in actu (1. p. q. 54. art. 4.) ob hanc rationem in angelis non ponitur, quia non sunt quandoq; in actu, quandoq; in potentia. Anima tamen nostra ad seipsam iam lumine intellectus agẽtis illustratam, mox ac separatur, primò se conuertit, vt sese cognoscat, & ex suo aspectu & secundùm rationem illius per effluxas illas species iuxta proprium suæ naturæ modum perficiatur, compleatúrq;, atq; ideo ex hoc quòd se comprehendit, alia inuenit secundùm modum, quo in sua substãtia sunt. Quærenti autẽ, quis modus sit iste, & si potest à nobis secundùm Aristotelem probabiliter conijci? respondebo cũ Philosopho lib. 3. de anima cap. 5. dicente, animã nostram quodãmodo esse omnia, nam sensibilia secundùm sensum, & intelligibilia secundùm intellectũ: ergo anima nostra, quæ separabilis est, cùm separatur, fit etiam res ipsæ separatæ & immateriales, nõ quidem in esse reali, sed in esse intentionali. Nam sicut lapis non est in anima, sed species lapidis, ita angeli in anima sunt, non secundùm suam essentiam, sed secundùm speciem & intentionaliter, nimirum recipiuntur ad modum recipientis, sunt autem in anima in potentia intentionali, non tamen reali. Quare diuersitas ex parte rei cognitæ absolutè non sumitur, sed ex parte cognoscẽtis & secundùm modum ipsius, & iuxta modum cognoscentis diuersus est cognitorum modus: hinc igitur habetur, quòd cognitio commẽsuratur substantiæ cognoscentis & modo essendi ipsius. Quod perspicies, si concipias, quòd anima nostra cognoscit vt est, cognitio autem fit ex hoc ꝙ anima fit res ipsæ cognitæ: ex eo igitur ꝙ in actu est, & se secundũ seipsam videt, omnia alia est imperfectè & inchoatiuè, completur autem & consummatur intentionaliter per supplementum specierum, quæ secum adferunt rationes & perfectiones rerum.

Intellect⁹ agẽtis officiũ in aia separata. — *Perpende.* — *Mod⁹ cõuersionis ad superiora.* — *Attendas obsecro.*

Conclusio itaq; nostra est deducta iuxta modum philosophandi Aristotelis, nempe animam nostrã cognoscere iuxta ꝓprium essendi modum, dum est in corpore in potentia: separata autẽ partim inchoatiuè per suam essentiã, secundùm quam iam in actu facta est, partim consummatiuè per species superadditas ad complementum essentiæ propriæ & cognitionis aliorum. Ob id ipsa animæ substantia & speciei & obiecti, potentiæq; vices sortiri potest: nam si anima acquirit modum essendi angelorum, quid mirum quòd nanciscatur etiam modum intelligẽdi ipsorũ, vt respectu sui ipsimet propria essentia sit species, qua cognoscit, & obiectum, quod cognoscitur, potẽtiaq; cognoscens? Cuius rei signum vel ex eo sumere possumus, quia natura non fuisset (dum anima in corpore degit) tã solicita in depurandis rebus per tot sensuum excollatoria, si res ipsæ immediatè possent agere in animam, atq; res extrà possent intellectui agẽti cooperari: res enim extrà intelligibilia quidẽ sunt, sed in potẽtia nimium remotai quod autem intellectũ possibilem mouet, intelligibile est in actu (lib. 3. de A ia cap. 2.) Phantasmata enim præparata sunt, vt illustrẽtur lumine intellectus agentis, cuius nõ sunt capaces res externæ: sicut ergo lumen externũ diaphana & trãsparentia illustrat, opaca autẽ non penetrat, sic se habet lumẽ intellect⁹ agẽtis: in corpore enim perficitur aia ex phantasmate materiali, quatenus ex cõiunctione ad intellectũ agentẽ quandam sortitur immaterialitatẽ: cessante nãq; tali modo existẽdi in corpore, tale quoq; cessabit perfectiuũ: & sicut succedit alius modus essẽdi

Substãtia aiæ est species, potentia & obiectum. — *Phantasmata apta sunt illuminari ab intellectu agẽte, non tamẽ res.* — *Diuersũ aiæ perfectiuum pro diuer so statu.*

essēdi separat⁹, debet quoq; succedere ali⁹ modus operandi ab omni materia liber: ubi enim anima omnino separata est & immaterialis, neque habet sensitiuæ neque vegetatiuæ munus in exercitio, sed duntaxat in virtute: habebit ergo perfectiuū omnino sine materia: quare etsi modi diuersitatis ipsius perfectiui reperiantur in obiecto, tamen sumuntur illi modi ex diuersitate ipsius animæ operantis. Hæc autem communia videntur, & ab omnibus rectè philosophantibus recepta, & quæ rem, quam intēdimus, exactissimè declarant. Sanè quàm maximè rationi cōsonum est; vt anima nostra & coniuncto & separato statui proportionatas habeat operationes.

DVBIVM

An rationalis animę status vterque, separationis scilicet & coniunctionis, sit ei naturalis?

Aīæ status vnus naturalis alter præternaturalis.

ET si quæras, vter status istorum animæ naturalis, & an alter istorum sit supernaturalis, vel contra naturam? Respondet Auicennas, quòd vterque est naturalis successiuè, sicut homini modus existendi in vtero & extra vterum, naturale est vtrunque suo tempore. Exemplum optimum est, sed perperam proposito applicatur negotio: siquidem homo, siue in vtero siue extrà, vnum quoddam est totum: tamen anima suapte natura pars hominis est, quæ ad complementum & integritatem hominis inclinatur: ergo quanuis vterque status esset naturalis, naturalior multò esset coniunctus, quàm separatus status. Indicatur & significatur hoc verum esse, quoniam anima, dum creatur, corpori vnitur, & ad hoc creatur, vt corpori infusa, ibi secundùm propriam eius naturam operetur; quare esse in corpore est animę nostrę magis naturale: malè ergo Auicennas asserit, quòd status vterq; est æquè naturalis. D. autem Thomas veriùs philosophatur, scilicet quod stat⁹ animæ in corpore naturalis sit: quia naturale est parti in suo toto esse, ideo in toto propriè & distinctè operatur. Verùm status separationis non est appellandus contra naturam, sed potiùs præter naturam, quia est supra propriam naturam & inclinationem propriam: vt ignis, qui seorsum naturaliter fertur, idem circumagitur præter naturam, vt participat naturam superiorem: & nihil incōuenit, quòd circumagi sit magis perpetuum, quàm sursum ferri, quod finitur: sic enim & anima nostra naturaliter intelligit in ordine ad phantasmata per tempus finitum, scilicet per vitæ nostræ periodum, & tamen intelligere per cōversionem ad superiora perpetuò durat. Quare non valet, Modus cognoscendi ad superiora est præstantior & diuturnior, ergo naturalior: fallacia enim aperta est ab eo, quod in se est, ad id, quod in proportione. Instantia est, Sol nobilior est Luna: sed noctuæ præstātior est Luna, quàm Sol: magis enim consonat vespertilioni lumen Lunæ debilius, quàm Solis lumen, quod in se excellentius est: sic igitur & ad manifestissima & præstantissima naturæ, sicut noctua ad lumen Solis, nos habemus: quia etsi ille modus existendi & cognoscendi nobilior sit & excellentior, tamen non est consonus animæ neq; distinctus: quoniam est improportionatus, & non est proprius. Rudibus plura congruunt, quæ acribus ingenijs abiecta sunt: sic animæ nostræ dearticulatiores species & singulariores, distinctiores sūt & magis propriæ, quàm illæ species influxæ & superiores, quib⁹ angeli in sua supercælesti curia loquuntur: meliùs enim se expendit anima per species illas, quas in se fabricat & componit, & quasi humi reptans excogitauit sibi. Similiter puerulo accommodatior est gladiolus aut ensiculus plumbeus, & nano gladius, quàm gigantis versatilis rhomphæa: sic quoq; propriores & distinctiores sunt aīæ species à se in vita mortali elaboratæ, & in phātasmatibus fabricatæ (quas veluti propria manu depinxit & in propria tabella scripsit) quàm illę, quas à superioribus recipit, quę sunt in se quidem excellentiores, sed nostræ animæ confusæ magis propter excellentiam & excessum ipsarum: nimirum ad rusticanum sermonem assueta & nata, ciuilem & vrbanū non assequitur: ob id modus ille est prę ternaturalis, quia per species excedentes & cōmuniores fit, ob dictam causam animæ nostræ sunt confusiores.

Auicennas reiectus.

Autor exponit S. Tho. cōsonè ad Aristotelem.

Species infusæ sunt aīę nostrę confusiores, distinctiores autem quas ipsa hic elaborauit.

Al alma apartada del cuerpo no le quadra tāto el lenguaje ao cortesano, como el aldeano proprio: ni al niño el montante como la espadiça de plomo.

Ex quo principio duo colliges. Vnum, quòd (vt suprà diximus) anima nostra hic non cognoscit quidditatiuè substantias separatas, quia non habet proprias species ipsa-

Aīa nostra quæ ratione in utroq; statu cogno-

scat sub-stātias separatas. ipsarum, nec proportionatas, quoniam ex sensibilibus acceptas: separata autem licet cognoscat intelligentias distinctè, intuitiuè & quidditatiuè, non tamen perfectè, sed diminutè propter hunc excellentiæ excessum: vnde animæ separatæ quasi offuscantur ab ipsarum specierum infusarum exuperatione (vide S. Thom. quæst. de anima art. 17. vbi de hac cognitione multa.) Alterum est (quod statim magis declarabimus) quòd melius, naturaliusq; est animæ coniungi corpori, vbi nobilissimam habet operationem & naturalissimam sibi, hoc est, magis propriam, distinctam, magisque proportionatam atque animæ naturę adęquatam magis (de quibus vide sanctum Thomam 1. p. quæst. 89. artic. 3. ad 4.).

Anima unitur corpori propter meliꝰ esse ipsius animæ.

Vnde studiū disciplinatum in futura vita fit utile valde. Præstantior igitur est status ille separationis in se, sed animæ improportionatus; quæ non ita percipit species illas influxas, ac proprias, quas anima dearticulatissimè in corpore, quasi in propria officina, elaborauit per singulas rerum species, singulas rerum sensibilium quidditates è phātasmatibus emendicando. Hoc enim naturæ animæ magis cōgruit & consonat, quæ in corpore scribit propria, separatæ autem animæ dantur aliena: ideo studium hic comparatum & species acquisitæ statui separationis multum conferunt, atque illius status felicitatem nimiùm promouent. Vnde non mireris, quòd anima nostra tam naturaliter & propensè corpus affectet, quoniam vnumquodque naturaliter est, propter suam operationem: quam animę operationem licet corpus videatur impedire per accidens, non tamen per se, cùm corpus suapte natura ordinetur ad propriam & distinctam animæ operationem. Nam si anima nostra iuxta Aristotelem non habet naturaliter species, sed est in pura potentia (lib. 3. de Anima tex. 5.) & ita infunditur corpori tanquam tabula rasa (tex. 14.) vt species intelligibiles per sensus & phantasmata colligat (tex. 17. & ita seipsam deprehendat (tex. 15.) fit, vt anima suam functionem perficiat, dum se ex sensibilibus inquirit, & vt quidditatem rei materialis à sensibilibus abstrahit: ergo licet separata videatur esse perfectior secundum quid, quia ad intelligendum liberior est & expeditior atque adeò etiam efficacior, tamen simpliciter est imperfectior: quoniā sicut in suo esse manet incōpleta, ita in operatione quodammodo diminuta, quatenus modus ille intelligendi minùs est proportionatꝰ, minusq; proprius & adæquatus, magis excedens, quàm natura animæ nostræ comprehendere queat. Vnde licet vna ex parte anima ipsa à corpore impediri videatur, & ibi sicut in carcere detineri, tamen ibi species elaborare videtur, atq; effingere eas, quæ ei sunt magis proportionatæ & consonæ, habetq; formaliter integrum suum esse & integram perfectionem, quam, dum separatur, contrahit & limitat, nimirum quia ex vnione ad corpus accipit complementum sui esse & vltimā eius actualitatem atq; perfectionē.

Ois forma participat esse à tota: aiā aūt nostra esse nō accipit à to to, sed perficit ī ipso sicut oīs forma in sua potentia absoluitur & perficitur

Si obijcias ex S. Thom. 1. p. q. 7. artic. 7. docente Deum esse infinitum & perfectissimum, quia est actus purus irreceptibilis in materia: vnde infert, quòd licet forma & materia seinuicem finiant & terminent, tamen differenter, quia definitio materiæ per formam, est ipsius materiæ perfectio: at forma, dum finitur per materiam, non perficitur. Hic tamen contrarium dicimus, nempe quòd anima nostra perficitur in corpore, quod appetit: omnis nanque appetitus est propter propriam perfectionem: quod etiam ex eo patere videtur, quòd forma videtur habere esse & operari in materia. Caietanus ibi super sanctum Thomam distinguit de forma, quòd sanctus Thom. loquitur de forma absolutè, quæ deterius esse habet in materia: & obiectio procedit de forma tali, in eo quòd forma. Sed præterquā quòd verba dat, euasio ista est contra doctrinam Aristotelis, quam hic interpretamur, & sanctus Thomas commendat 1. p. quæst. 89. artic. 3. ad 4. & quæst. 84. Idcirco hęc doctrina semper est obseruanda, & locus primæ p. quæst. 7. art. 1. in hunc modum interpretandus, Primò, quòd in vniuersum materia & perficitur & terminatur per formam: forma autem potiùs finitur & directiùs terminatur, quàm perficiatur. Secundò, quòd materia non perficit formam vt causa, sed vt conditio, præsertim in nostra rationali anima, quæ non pendet à materia, nec ab ea educitur: ideo cùm per se seorsum habeat suum esse, non indiget corpore, vt sit, nec vt intelligat tanquā causa, nec tanquam organo, sed duntaxat vt ministro & instrumento, vbi tanquam in officina eleuatiores & dearticulatiores species

Anima rationalis quatenus perficiatur per materiā.

Caiet.

species sibi formet. Per se igitur materia nō est causa formæ, vt rationalis anima nostra manifestat: quamobrem corpus perficit animam nostram concomitatiuè, quatenus ex vnione materiæ & formæ resultat totum, ad quod materia & forma ordinantur: totius autem est esse completum, & perfectum operari: vnde materia concomitatiuè indirectè, vt conditio, perficit formā. Igitur ex illo antecedenti S. Thom. quòd forma finitur, & quòd non perficitur per materiam, duo colliges, Primum, quòd anima nostra finitur per materiam directè. Secundum est, quòd non est infinita, quia receptibilis. Alia autem, vt quòd perficiatur, indirectè competunt. Quam ob causam animæ naturale est vniri corpori, non solùm propter bonum totius compositi (vt quidam non prorsus bene dicunt) neque solùm propter bonū ipsius corporis (vt quidam pessimè philosophātur: materia enim minùs est natura, quàm forma, & materia propter formam est, non econtra) vnitur ergo anima corpori propter melius esse animæ, præsertim cùm forma nulla sit ante materiam (lib. 12. Metaphys. tex. 16.) Si igitur anima nostra primò vt forma consideretur, naturale est vniri materiæ, inquantum forma est, propter bonum ipsius: pòst autem remanere animæ nostræ, vt forma est, accidit, hoc est, præternaturale est (vt ibidem dicit Aristoteles tex. 17.) Si autem anima nostra secundò consideretur inquātum forma est, non in se absolutè, sed in ordine ad rem corruptibilem: sic etiam naturale ei est vniri corpori, siquidem corporis corruptibilitas naturam animæ non tollit, neq; impedit naturalem animæ propensionem: sicut quòd lignum descendens cadat in ignem, à quo comburatur, aut impingat in lapidem, à quo diffindatur, non tollit inclinationem grauitatis ipsius ligni ad centrum: sic igitur in proposito de anima nostra, quæ licet per accidens malè habeat in corpore, per se tamen inclinationem habet ad ipsum, à quo autem separari, similiter animæ accidit prēter naturā. Tertiò anima nostra cōsiderari potest inquātum forma est immaterialis & incorruptibilis, vltima tamen in genere intelligibilium: sic etiam naturale est ei vniri corpori, quoniā naturale est, vltimum supremi tangere supremum infimi, vt sic fiat rerum connexio & copulatio: quo modo separari à corpore similiter non est contra naturam, cùm proueniat à similitudine & communione ipsius generis, quia anima de genere est angelorum & immaterialium: sicut enim rationalitas adueniens animalitati non tollit rationem animalis, ita vnio ad corpus adueniens animæ nostræ, separabilitatem ab anima nostra non tollit, quam suapte natura habebat. Ideo absolutè loquendo naturale est animæ nostræ vniri ad corpus, separari autem neque violentum ei est, neque contra naturam eius, sed præter naturam, reduplicatiuè tamen: licet enim primo aut secundo modo, inquantum est forma aut forma rei corruptibilis, naturale sit vniri, violentum tamen est ei & contra inclinationem & naturam formæ, vt forma est, vt separatur: vt autem anima est forma incorruptibilis, sicut naturale est coniungi corpori, ita naturale est separari, quāuis magis naturale sit coniungi, quàm separari: homini autem corruptibilitas conuenit non ex conditione propriæ formæ, sed ex conditione materiæ. Animæ autem nostræ, inquantum forma est, specificatiuè, sic sanè omnibus his modis naturale est vniri, præter naturam autem separari: quoniam reduplicatiuè duobus primis modis fit abstractio, specificatiuè autem fit contractio prædicatorum præcedentium & superiorum ad rationem animæ rationalis: & idem sonat specificatiuè, quòd forma rationalis, vt immaterialis est, ipsa, vt sic, actus est substantialis corporis, separabilis tamen. Per has igitur distinctiones & diuersos animæ status multa sunt concilianda & illustranda, quæ in probatissimis autoribus apparentem offensionem præ se ferre videntur: subcontrarij tamen sunt sermones, qui simul in veritate minimè pugnant.

Naturale est animæ corpori vniri, quod distinctè et per partes optimè explicatur.

Perpende formales loquutiones.

Attende.

QVAESTIO

An anima corpori vniatur propter melius esse sui, an propter melius esse corporis?

IAm omnia consentiunt, & quam operationem separata anima habeat, & quòd naturaliter corpori vniatur, à quo prēter natu-

Ad 3. argu. et tres et partes.

naturaliter separatur, et quòd naturaliter vniatur corpori potiùs propter melius esse animæ, quàm corporis. Hæc igitur tria in hoc argumento tertio petebantur, quæ à nobis iam sunt exquisitè resoluta: & ad sequens argumentum quartum properandū esset, nisi quia multi non ferunt, quòd anima non vniatur propter melius esse corporis, quod aduentu animæ adeò decoratur, perficitur atq; viuificatur: sed anima propter melius esse sui vniatur, cùm tamē tam malè in corpore habere videatur, & tam variè aggrauetur, distrahaturq;. Quibus non obstantibus, quia accidētaria & extrinseca sunt, asserendum constantissimè est, animā nostrā propter melius esse sui corpori vniri: magnum enim inde commodum reportat, & operæpretia nōn contemnenda sibi cōciliat. Nam primò anima, quæ in se subsistens est, incompletè & imperfectè in sua existētia existit, quoniam pars speciei humanæ est: ideo, vt pars, totū desiderat, quia in se integritate caret, & ipsa corporis informatione esse animæ cōmpletur, perficitur atq; extenditur, in qua communicatione magis Deo assimilatur & naturæ boni, quæ in sui diffusione consistit: meritò igitur esse animæ dicitur perfici & integrari illa vnione ad corpus (vt dudum dicebam, & affirmat etiam S. Tho. quæst. de spiritualibus creaturis art. 2. ad 5. & 1. 2. q. 4. art. 5.) Deinde (vt ibidem dicitur à S. Tho.) anima in corpore secundùm actualitatem causalitatis perficitur, non solùm quia corpori dat esse, sed etiam quia in se perficitur, ex eo quòd exerat, prodat atq; manifestet oēs organicas potentias, quas in se, suáq; virtute radicaliter occultabat: vegetat nanq; in corpore atq; sentit, nō autem separata, nisi originaliter & in virtute, in qua occultè cōtinet istas facultates. Tādem anima quoad intellectionem meliùs se habet in corpore: nam (vt satis perspicuè dudum dicebamus) modus intelligendi in corpore distinctior est, proprior & magis naturalis. Profectò si anima nostra propter corpus vniretur aut propter melius esse ipsius corporis, iam materia magis natura esset, quàm forma (cōtra Aristotelem lib. 2. Phys. tex. 12.) & forma, quæ *quoddam diuinum & bonum est* (lib. 1. Phys. tex. 81.) ad materiam ordinaretur: cùm tamen ibidem dicat Aristoteles, quòd sicut fœmina virum, & quod imperfectum est, appetit quod est perfectius, sic materia formā appetit: gratia enim formæ omnia fiunt (lib. 2. Phys. tex. 20. 70. 74. 81.) & forma est quæ continet (lib. 4. Phys. tex. 35. & lib. 4. de cælo tex. 35. & lib. 1. de Aia tex. 90.) deniq; forma est, cuius gratia omnia mouent (lib. 2. de generatione textu 51.) & finis & forma idem sunt (lib. 2. Phys. tex. 70.) ergo anima primò & per se vnitur corpori, ꝑpter melius esse ipsiusmet animæ, & non pręcisè propter totum, quia in homine esse primò et per se non est totius, sed animę solius: ita pręstātissima operatio animæ, quæ est intelligere, solius animæ est: ergo propter proprium & perfectū operari (scilicet adęquatum intelligere, cui non communicat corpus, vt organum aut subiectum, sed vt instrumentum et ministrum) anima vnitur corpori, quod est melius esse ipsiusmet animæ, atq; adeò modus intelligendi magis consonus et proportionatus: ergo esse proprium animę et propria animę operatio in corpore perficitur: tantum abest, vt anima stupida reddatur, aut detrimētum in vnione ad corpus recipiat. Pręstantissima enim et manifestissima naturæ sub vmbra corporis exquisitiùs et magis sibi proportionatè aīa speculatur, ne, dū sic intuetur, excellentia et exuperatione intelligibilis disturbetur: sicut qui ad videndum perspicilia sumit, ita animę ipsi corpus nostrum instar est cōuspiciliorum: ideo naturale est animæ vniri corpori, et priùs conuenit ipsi, quàm separari. Quam ob causam obiectum intellectus quidditas est rei materialis, quia immaterialia non nisi vestita quadam materialitate intelligimus: ita anima nostra, quę immaterialis est, quasi incorporatur, dum corpore vestitur, vt obiecto intelligibili proportionetur, quod partim est immateriale, vnde quidditas est, partim materiale, vnde rei sensibilis est. Propter hanc igitur proportionem absoluendā inter cognoscentem et cognitū, consummandúmq; et consequendum naturalem modum intelligendi, anima vnitur corpori: quia modus intelligendi per species acquisitas distinctus est & quidditatiuus attingēs vsque ad vltimas rerum differentias. Alius autem modus intelligendi in statu separationis cōfusus est animæ nostræ, quia excedēter et magis amplè, quàm anima nostra capiat res, notificat: est enim modus intelligēdi superioris ordinis, qui ab his, quæ sunt inferioris ordinis, defectiuè participatur.

Aīa nostra corpori vnitur propter melius esse animæ.

Perpende diligentius.

Anima in corpore quasi sub specie & umbra Solem contēplatur.

Elegās resolutio.

Neq;

Aristoteles separationẽ nostræ aiæ affirmat.

Neq; igitur existimandum est, Aristoteli statum animæ separatę displicuisse, aut omnino negasse, cùm lib. 3. de Anima tex. tu 20. docet, nos post mortem non recordari, cùm intellectus pasiiuus corrumpatur (huius loci expositionem & lectionem vide ibi) quod lib. 1. de Anima tex. 66. priùs dixerat. Nam (vt in enarratione illius loci diximus) post mortẽ non recordamur, quia cogitatiua corrupta, non est notitia rei materialis & singularis: memoria enim & reminiscentia, præteriti temporis sunt & in re singulari versantur, ideo in parte intellectiua non reperiuntur, sed ipsemet intellectus posibilis, qui locus est specierum (lib. 3. de Anima tex. 6.) vicem gerit memoriæ, quæ tamen ad rem singularem secundùm se nõ determinatur, sed duntaxat ratione phantasmatis (vt suprà dictum est de cognitione singularis) intellectus autem secundùm se est thesaurus conseruatiuus specierum vniuersalium: ideo post mortem non recordamur, quia corpore corrupto intellectus ipse pasiiuus, hoc est, cogitatiua, quæ singulariũ est, corrumpitur. Non tamen negat Aristoteles animam post mortem manere, imò in hoc eodẽ testimonio expresśẽ fatetur, quod superiùs diximꝰ in enarratione textus 20. lib. 3. de Anima, & in hac disputatione loco 10. deducebamus. Per alium tamen modum separata anima singularia cognoscit: nam sicut, dum est coniuncta corpori, cognoscit singularia indirectè & reflexè (vt lib. 3. de Anima circa tex. 9. 10. & 11. dictũ est & cap. 3. in quæst. de obiecto intellectꝰ) ita quãdo separatur, proportionabiliter dicetur indirectè & per quandam reflexionem singularia cognoscere. Est quidem intellectus incorruptibilis & locus etiam specierũ conseruatiuus & incorruptibilis: cùm ergo subiectum specierũ permaneat, neq; habeant species illæ contrarium, à quo corrumpantur, manebunt cum ipsa anima: atq; adeò sicut per eas species hîc conuersione ad phantasmata singularia indirectè intelligebat, scillic iã separata anima per easdẽ species, conuersione tamen ad superiora & iuxta modum illius status, etiam indirectè singularia cognoscit. Quid enim in hoc erit magis mirabile, quàm in altero? Sed demus animam separatã singulare non cognoscere, neq; deprehendere quæ hîc aguntur, tamen inde statim non efficies, animam otiosam esse, quoniam species habet immateriales & vniuersales, non solùm influxas à superioribus, sed etiam alias, quas, dum in mortali degeret vita, à rebus comparauit, & per vtrasq; intelliget, excellentisimãq; exercebit functionem, qua vniuersalia & singularia etiam ipsa altiùs attingat. Nec te moueat quod lib. 2. Ethic. c. 1. dicitur, nempe habitus inclinare ad similes actus ijs, ex quibus geniti sunt, vt putes species acquisitas in anima separatã otiosas esse, quoniam nõ possunt habere actum per ordinem ad phantasmata: ex hoc enim tantùm colliges non habere actum & vsum illarum specierum secundùm eundem modum & attributionem ad phantasma, non tamẽ quòd absolutè nõ sit illarum specierum vsus. Nam etsi habitus semper inclinent ad similes actus ijs, à quibus causantur, debet intelligi ad similes quidem secundùm esse & propriam speciei rationem, non tamẽ opus est, vt propendant ad similes secundùm modũ & rationem indiuidui. Et ita species acquisitæ in anima separata similem vsum habẽt secũdùm rationem formalem respectu obiecti, non tamen similem secundùm rationem materialem in modo tendendi: & Aristoteles intellexit planè, animas separatas res singulares percipere: nam (vt loco 16. adduxi ex libris moralibus) res amicorum & familiarium ad felicitatem vitæ defunctorum pertinent.

Habitus & species acquisitæ in anima separata non sunt otiosæ.

DVBIVM

Quomodo singulare ab anima separata cognoscatur?

ROganti autem, per quem modum ab anima separata singula, quæ hîc aguntur, deprehẽdi posint? præsertim cùm anima separata non habeat species illas præstantisimas angelorum, quæ naturam rerũ indicant, penetrãdo & descendendo ad diminutisima queq; indiuiduationis principia? Respondendum, esse instar præstantisimi & præclarisimi speculi, quod cũ vniuersalitate singularitatem ipsam manifestat (1. p. q. 57. art. 2.) sunt enim angeli intellectuales, id est, qui efficaciùs & perspicaciùs simplici intuitu intelligũt absq; discursu, singularitatemq; in vniuersalitate attinguntquoniam species angelorum licet sint vniuersales, tales tamen sunt, quæ posint singularia repræsentare, ad quæ mox, ac in

Anima separata intelligit singularia, quæ hîc aguntur, modo differenti ab angelis.

rerum natura existunt, completa assimilatione terminantur. Sicut enim albũ solitarium fit simile alteri albo de nouo producto, vt terminus, sic species vniuersales angelorum repræsentant singularia, non quæ immutẽt angelos, sed quæ se habeãt vt obiectum terminans, quatenus ipsis in rerum natura productis assimilatio in actu completur (vt optimè ibi Caietanus.) Non sic in anima nostra philosophandum est, quoniam neq; species habet adeò vniuersales & immateriales, neq; intellectũ adeò perspicacẽ & viuacem, neq; purè intellectualis est, quatenus non intelligit simplici intuitu: sed rationalis dicitur, quia discursiua est, & ita discursiuè singularia cognoscit, quasi discernendo & deriuando ex illa sua essentia, vt per species cõpleta est: per quẽ modum subinde ad vnum aliquid, vel ratione actiui, vel passiui determinatur.

Quatuor modis aĩa separata determinatur ad cognitionem singularium.

Quod vt intelligas, placet sic seorsum per partes distinguere. Primùm omnium in parte apprehensiua determinatur ex assimilatione & relicto vestigio præcedentiũ cogitationum & specierum, quasi si ex habitis speciebus alias sibi cõnectet. Deinde ex motione & inclinatione per affectionẽ partis appetitiuæ, quæ magnam vim habet ad attrahendum intellectum ad singulariũ rerum considerationem. Tertiò ex parte rei & obiecti per naturalem rerum habitudinem & consonantiam siuè correspondentiã, vt sicut hoc, ita aliud & simile, &c. Postremò ex parte agentis, vt ex superiorum illuminatione, maximè ex Dei ordinatione & reuelatione. His igitur medijs aut alijs cõsimilibus anima separata veluti calcaribus quibusdam concutitur, vt ad rerum singularium intelligẽtiam excitetur: sic enim res animę appropiãtur, & anima ad intelligẽdum inclinata, vt fiat res ipsæ, rebus appropinquatur, & magis in potẽtia est ad intelligendum, quàm angeli, qui magis sunt in actu. Ideo pluribus medijs anima determinabilis est iuxta modum & dispositionẽ suam: quæ enim in superiori natura angelica vnitè fiunt, in nostra anima diuisa sunt & sparsa, & per hũc modum recordari poterit præteritorum, & alio modo singularia cognoscere per nouam cognitionẽ, aut nouum modum cognoscendi: non tamen recordatur singularium per species à rebus acquisitas, & hinc delatas, sed per eum, quẽ diximus, modũ. Quo tu fruere bonis auibus, christiane lector, eúmq; amplitica & illustra: nam mihi ingens animus est festinandi ad finem huius grauissimæ, sed iam prolixæ disputationis, quæ vt omnib^9 suis numeris absoluatur, ad vltimi solutionem properandum.

Ad sex capita reuocantur dubia quarti argumenti.

QVarta & vltima difficultate quinq; vel sex dubijs propositis veritas immortalitatis animorum nostrorum infringitur. Primò, quoniam separata anima nostra sine operatione otiosa torperet. Deinde, quòd species acquisitas, vt quæ à phantasmatibus pẽdent, amittat & perdat. Tertiò, quòd infusæ species ei non dentur, nisi pro libito fingamus aliquid, quod est super naturam animæ & præter ordinem totius vniuersi: præsertim cùm illæ species influxæ sint excedentes & improportionatæ. Quartò, quòd cùm anima vniatur, naturaliter separata esse non poterit sine violentia. Quintò, quia sequeretur dari infinitam multitudinem rerum. Demùm, quoniam anima separata aut in perpetua esset violẽtia sine corpore, aut contingeret naturaliter corpori reuniri. Quæ omnia si pro dignitate essent tractanda, totum hominem, vitámq; integram exigerent, vt nodos propositos abscinderemus.

Quædam prædictarum difficultatũ in præcedẽti argumẽto sunt enucleata.

Tria tamen priora perquàm exigui momenti erit infringere ei, qui præcedẽtis tertij argumenti solutionem percalluerit, vbi tacta & resoluta sunt. Quo in loco de speciebus, quib^9 aĩa separata ad suã functionẽ vtitur, agebamus, explicuimúsq;, vegetalis atq; sensificæ animæ munia atq; officia nõ exercere, sed vt mens est, intelligit per alterutras species, acquisitas scilicet vel infusas, aut per vtrasq;, modo in præcedenti solutione exposito.

Quomodo fiat speculatio in phantasmate.

Quoniam etsi anima, dũ informat corpus, in phantasmatibus intelligat, non tamen ita, vt phantasmata ipsa materialia intelligat, cùm (teste Aristotele) per sensus externos, quasi per fenestras quasdam, animæ rerum simulacra inferantur, vt contingat idem effectus intelligendo, qui & describendo: sicut enim rẽ definitam describimus, tamen aliquid altius significamus, sic quantũ ante oculos proponitur, cuius phãtasma singulare formatur: sed mens vniuersale intelligit, neque quantum perci-

percipit eo quod hoc quantum, sed res ipsas vi intellectiua penetrans, earum substantiam & quidditatem eruit, sibiq; in lucem depromit: hoc enim est, quod sæpe Aristoteles dixit, intelligentem phantasmata inspicere, specularique. Quid ergo apertius adduci potest, vt animam nostram separabilē intelligamus, quàm quòd videamus mentem phantasmata explicare & denudare, vt ipsis expoliatis quidditatem rerum, vniuersaliúmq; splendentes rationes, atq; accidentibus, velut cortice, detractis substantiã ipsam capiat? Vnde nisi in media luce hallucinemur, fatẽdum necesse sit, animã ipsam à corpore liberari, absoluiq; posse, vt separatę animę nil sit, quod impediat aut perturbet intelligẽtiam: huc enim tendere videtur cõtinua illa specierum depuratio, & tam sollicita atq; indefessa abstractio. Sed hæc omnia in præcedentibus dicta sunt sufficienter: & Aristoteles refert opinionem vulgi, imprudentumq; hominum, nõ eorũ, qui rectè iudicant, cùm dixit lib. 1. Ethic. cap. 10. mortuo homine nullum bonum aut malum superesse: non probat hãc sententiam. Similiter cùm lib. 7. Ethic. ad Eudemũ dicię mortuos nihil cognoscere, aliorum non propriam refert sententiam. De quarto tamẽ satis fusè dictum etiam est in pręcedenti, & ostẽsum, animã vniri corpori naturaliter, separari autem præter naturam. De duobus itaq; postremis dubijs superest agamus, vt finem dicendi faciamus.

Obserua pro aīæ inseparabilitate.

Mos Aristotelis, qui in grauissimis viris, & in diuinis etiam literis maximè apud Ecclesiasten reperitur.

Dubiũ de infinita multitudine animorum diluitur.

FRequenter nanq; impugnatur veritas doctrinæ nostræ proposita illa animarũ multitudine; de qua tamen à me plurimis agendum esset, nisi lib. 1. de cælo cap. 12. ad secundam rationem latissimè dixissẽ, nunc breuius dicam. Si enim animum intendamus, parum negotij erit plurimis occurrere & molestæ isti & vulgari dubitationi satisfacere. Primò Aristoteles lib. 1. de cælo cap. 12. rationes probabiles adducit, neć intendit demonstrare: signum est, quia lib. 1. Topic. cap. 9. mundi æternitatẽ inter problemata retulit, verba sunt, *Vel de quibus rationem habemus contrariam opinionibus, vt quoniam non omne existens vel factum est, vel sempiternum est, quemadmodũ Sophistæ dicunt, &c.* ideo secum non pugnat, sed maximè constat. Secundò, quia arguit ex hypothesi & datis à Platone, quẽ redarguit, eo quòd parabolicè, translatitiè & minùs naturaliter loquutus fuerit. Tertiò, quòd non necessum fuit, Aristotelẽ vidisse quod ex duabus illis præmissis sequebatur, scilicet, ex mundi æternitate & animorum immortalitate: humanum enim captum excederet, & diuinum esse videtur hoc Aristoteli tribuere, vt omnia cõsequentia atq; suæ doctrinæ repugnantia perspexisset: homo fuit, & humani nil ab eo alienum putare debemus, igitur aliquid latere potuit Aristotelẽ: non enim est impossibile, quòd non viderit, quid intrinsecè & immediatè sequeretur ex animę immortalitate & mũdi ęternitate. Quartò fortasse intellexit Aristoteles mundum non fuisse æternũ quoad aliquam eius speciem, vt humanã: & si hoc difficile aut absurdum videatur, quoniam rerum species coæuæ sunt mundo (de mundi ratione est rerum & specierum vniuersitas, vt 1. lib. de cælo cap. 8. & 9. dixi) & humana species præstantissima est, qua mundus, in quo est vniuersitas creaturarũ, destitui non debuit: dicere posses (licet absque proteruia vix defendetur) hominem fuisse ab æterno ipsi mundo coæuum, generationes tamen hominum non fuisse ab æterno, sed cœpisse in tempore. Quintò nõ incommodè solueret qui assereret, Philosophum in assertione de mundi æternitate falsum fuisse, quoniam reuera falsa est assertio & contra fidem: de immortalitate autem animæ rectè censuit, quoniam hoc, fide catholica declarante, verissimum & constantissimum est.

1. solutio ex vi argumentorum.

2. solutio ex natura disputationis.

3. solutio ex cõditione humana.

4. solutio ex natura vniuersi.

5. solutio ex natura rei controuersæ.

Sextò fatendum sanè, Aristotelem voluisse & intellexisse infinitum animorũ numerum: tamen cùm singulæ animæ corpore vacent, nihil est contra rationem, huiusmodi infinitum dari entium separatorum. Quibus autem locis infinitum numerum negat, in ipsis de infinito in quantitate loquitur, qui resultat ex diuisione cõtinui, atq; adeò de numero prædicamentali, non trãscendẽtali. Sed hæc solutio lib. 1. de cęlo loco citato aperitur à nobis & redarguitur ex S. Thom. 1. p. q. 7. art. 4. q̄ species multitudinis proportionẽtur speciebus numeri in hoc quòd multitudinis species fiant per vnum, sicut species numeri fiunt, atq; adeò quòd in vtrisque repugnet infinitum dari?

6. solutio ex infiniti natura.

Respon-

Respondebam, quòd in speciebus numeri fit mensuratio per vnū ratione quantitatis, ratione diuisionis & ratione ordinis, quę in multitudine rerum separatarum non reperiuntur: Nam primò quantitate vacat, dein de diuisionis est expers, demum nō est per se ordo successionis, quia in partibus numeri ab vno ad aliud per se transitur, quoniā ex diuisione continui pendet: at in partibus multitudinis transitus iste non habet per se necessarium ordinem dependentiæ à quantitate, neq; à continuata successione diuisionis, sed vndecūq; fieri potest numeratio: quod est signum, in partibus multitudinis non fieri mensurationem & certificationem per vnum, sicut in partibus numeri, vbi mensuratio & certificatio fit per vnū tanquam per formam. Tamē licet ita sit, vt ibi diximus, me mouet multū quòd S. Th. hac ratione vsus fuerit ad probandum nō esse possibilem infinitā multitudinem rerum. Et licet Aristotelis ratio procedat ab speciebus numeri, & ratio S. Tho. ab speciebus multitudinis sumpta sit, & ratio Aristotelis ex mensuratione per vnum, ratio S. Thom. ex formali constitutione, tamen materialiter non est eadem ratio, formaliter verò eadem esse videtur, quia (vt dicit S. Tho.) ad eundem effectum proportionaliter assumitur. Et ratio S. Tho. ob ipsius autoritatē me magis mouet & ampliùs vrget, quoniam & Aristotele erat sapientior, & mundi æternitatem de facto negat fuisse, tamen de possibili docuit nō repugnare, & vt catholicus animæ immortalitatem cōfitebatur, & tam enixè contendebat infinitam multitudinem impossibilem esse. Fateor ego, S. Thomam negare infinitā multitudinem in rebus siue per se siue per accidens, quoniam omnis talis est resolubilis in vnitatem, per quam mensuratur, atq; adeò finita: maximè quia infinita intentione creantis includitur, & facta est per vnitatē. Tamē, vt in eodem articulo S. Thom. sese explicat, de multitudine in actu loquitur, quia concedit possibilem multitudinem in potentia, quæ fit ex diuisione cōtinui: quoniam, inquit, augmentum multitudinis cōsequitur diuisionem multitudinis.

Autor Aristotelis S. Thomā meritò præfert.

6. solutio redarguitur, vt exhauriatur

Sed profectò hæc solutio vires argumenti non eneruat, quādo eo colligimus infinitam multitudinē animarum in actu: ideirco aliter tentandū, vt crucem istam & Philosophorum scandalum à nobis propellamus.

Dico igitur, quòd tribus illis secūdū Aristot. admissis de facto, nempe mundi æternitate, animæ rationalis immortalitate, & animarum multiplicatione numero hominum: siue de possibili secundùm S. Thomā (ex possibili enim posito in esse nullū sequitur inconueniens) consequens non colligitur, scilicet infinita multitudo animarum actu. Primò, quia implicat, infinitū finē aut principium dari: at infinitis, vel angelis vel animabus creatis, Deus potest multò plures creare, cùm nec ex parte materiæ (quæ nihilū est) nec ex parte virtutis productiuæ (quæ est virtus infinita Dei) sit defectus: ergo illis productis, posset multò plures producere, quòd esset duo esse infinita, aut vnum infinitū maius altero. Quare ex hac parte contradictio in cōsequutione inuoluitur: productis nanq; quotquot volueris angelis, plures multò restant producendi: ob id omnes possibiles possunt esse creati distributiuè, non tamen collectiuè, vt patet in numeris, qui distributiuè omnes possunt actu esse, non tamen collectio omnis numeri in actu, sed duntaxat in potentia. Deinde ex possibilibus non sequitur impossibile & repugnans, siue nec ex possibilibus rebus sequitur chimæra, quæ est compositio impossibilis: quare impossibile est præcessisse hāc infinitam multitudinem animarum in actu, quia infinitum aut magnitudine aut multitudine est infactibile & incōceptibile, quoniam inuoluit repugnantiam: quia Deus non posset vltra omne factibile aliquid aliud facere, nec esset possibile, vt dicitur lib. 3. Phys. cap. 7. tex. 63. *Infinitum igitur id est, cuius secundùm quantitatem accipientibus, semper aliquid accipere extrà est. Cuius autē nihil est extrà, id est perfectum & totū: sic enim diffinimus totū, cuius nihil abest, &c.* & tex. 64. *Hic enim infinitum totum dicit, &c.* Nil enim contingit concipere extra infinitum: at hîc extra infinitā multitudinem aliquid daremus, quod ipsi rationi infiniti aduersatur, quia omnem rationem vel magnitudinis, vel multitudinis includeret. Quamobrem nec cogimur cum impio Auerroë vnā animam ponere in omnibus hominibus, nec cum sensualibus & brutalibus, quòd sit caduca & mortalis, nec possibilitatem æternitatis mundi negare: nec compellimur ex illis tribus possibilibus quartū impossibile confiteri, infinitam scilicet multitudinem in actu, sed tantùm in potentia. Ob id aduertas

uertas ra... a tertiò, quòd in illa numeratione infinitorum dierum includitur repugnantia: quoniam infinitam multitudinem in actu numeramus (vt ſcitè Philoſophus 6. Phyſ. cap. 9. tex. 75. contra Zenonem nõtauit) ergo ex poſsibilitate trium illorum videtur ſequi, quòd eſt omnino impoſsibile, ne impoſsibilia multò maiora ingrediamur, ſcilicet quòd Dei virt' eſſet exhauſta, & quòd daretur aliquid infinito maius. Non enim ſequitur quod intendis ex illis tribus, magis quàm ſi ab æterno Deus produxiſſet infinitos vel angelos vel animas, quotquot volueris, & quòd non poſsit modò multò plures creare ſua virtute infinita ex nihilo creando. Dicito mihi, poſsũt eſſe plura entia, quàm pũcta in linea? Non ſanè, & tamen illa non ſunt (adhuc ſi ſeparẽtur) niſi infinita in potentia: ergo non eſt poſsibile infinitum in actu? Item dicito, poſsũt eſſe plures animæ, quàm cogitationes hominum & angelorum omnium, quotquot fuerunt à principio ſeculi ad finem? Minimè gentium, & tamẽ non ſunt niſi infinitæ in potentia, quia poſſunt eſſe plures multò? Sic igitur ex illis tribus conceſsis in antecedenti ſolùm inferes infinitam multitudinẽ animarum in potentia, in actu nullatenus colliges.

Principiũ deceptionis in hac materia eleganter aperitur.

Tria nanq; ſunt, quæ iſtam de infinito diſceptationẽ perplexã faciunt & inextricabilem, ad quæ oportet aduertere. Primũ eſt ex parte ipſius rei & infiniti, cui principium aut finem inaduertenter tribuimus: in quo infiniti rationem latenter deſtruimus, dum ipſam aſtruere conamur. Secundũ eſt ex parte numerationis cõtinui permanentis, vt in partibus lineæ, aut ſucceſsiui, vt in partibus temporis & dierum: quoniã inſcij pertranſimus omnes infiniti partes, ſiquidem eas numeramus, cùm tamen, quia infinitæ ſunt, impertranſibiles & immutabiles ſunt. Tertium & vltimum eſt ex parte noſtri intellectus, qui finitam habet rerum apprehẽſionem, quæ etiam cum infinito pugnat: quod eſt argumẽtum, ipſum impoſsibile eſſe repugnans ei & inconceptibile, in cuius tractatione inuoluũtur iſta impoſsibilia. Quare etiam in argumento & antecedenti ex parte horum trium, aut alicuius eorum, impoſsibile miſcem', aut incõpoſſibile & repugnans: omnis enim ſpecies multitudinis, quibuſcunq; poſsibilibus poſitus, finitur in actu, & eſt in aliquo certo genere aut ſpecie. Sed Scotus in 2. d. 1. q. 3. in reſponſione ad 3. & 4. videtur in eandem ſententiam deſcendere, dum dicit duo, Vnum eſt ad 3. quòd in generatione ab æterno includitur mutatio inter termi-nos oppoſitos: quicquid autẽ eſt, inter terminos oppoſitos non poteſt eſſe ſempiternum. Alterum eſt ad 4. quòd argumentum propoſitum non habet maiores vires, ſuppoſitis illis tribus in mũdi æternitate, quàm ſi in vno die procedamus ſecundùm partes proportionales aut inſtãtia: quia ſi in quolibet illorum produceret Deus, vnum angelum aut vnam animam rationalem, non reſultaret infinita multitudo, quoniam adhuc reſtarent infinitæ producendæ: infinitum ergo in creaturis nullum eſt, nec in eſſentia, nec in mole, nec in multitudine. Tametſi hæc ſufficerẽt, *Non enim* (inquit Ariſt. lib. 3. Phyſ. tex. 64.) *lluũ lino eſt cõtinuare, vniuerſo ac toti infinitum, &c.* liceat ad maiorem illuſtrationem ſubdere vltimò.

Scotus.

Septima et vltima ſolutio ex methodo, & arte.

Quicquid igitur ſit de poſsibilitate infiniti iuxta S. Tho. atq; de mundi æternitate iuxta Ariſtotelis ſententiã, certum eſt apud vtrũq; animos noſtros perpetuos eſſe: niſi quòd pro rei difficultate videtur mihi Ariſtoteli hac in cauſa accidiſſe, quod magnis & inſignibus oratoribus euenire videmus.

Ariſt. cõſilium.

Singuli nanq; ſua arte & ingenio faciunt, nempè quòd cùm in aliquod incidunt argumẽtũ, vel difficile, vel turpe, iniuſtũmve, aut alia de cauſa inuolutum, habent pro victoria rem totam tenebris offundere & arte occultare, vt verborum lenocinijs victoriam, quam reuera aſſequi nõ poſſunt, illis tamen technis & verborum apparatu, aut ſentẽtiæ obſcuritate quodam tenus habere videantur. Sic igitur Ariſtoteles de induſtria hunc de mundi æternitate locum tenebris offuſcauit, varijſq; ſententiarum rationibus occultauit: illum tamen, qui eſt de immortalitate animorum, apertè nõ ſolùm inſinuauit, ſed planis etiam verbis propriã opinionem declarauit, quod latiſsimè in ſuperioribus manifeſtum fecimus.

Nõ omne perpetuũ à parte pòſt, æternum eſt à parte anteriori.

Verùm ratio Ariſtotelis, quòd omne, quod incœpit, deſinat eſſe, diſſoluta à nobis eſt lib. 1. de cælo cap. 12. In primis abſolutè quòd anima neq; eſt de genere impoſsibilium, quæ nunquam ſunt, neq; de genere ſimpliciter neceſſariorum, quæ nũquam non ſunt, ſed de genere contingentium, quæ contingit aliquando incipere & habere eſſe poſt non eſſe:

esse: ideo anima de genere necessariorum est, nō simpliciter, sed ex suppositione, exigente nimirum materiæ dispositione, & summi opificis Dei voluntate concurrente: idcirco potest incipere & nunquam desinere: quoniam ad incipiendum causam nouitatis habemus ex parte materiæ dispositę & organizatę, & ex parte agētis, Dei scilicet animā creantis: vt desinat tamen, neq; Dei voluntas cōcurrit, neq; materiæ dispositiones aliquid efficere valent (lib. 12. Metaphys. tex. 16. & 17.) quamobrem anima quoad inceptionem contingentiam habet, quoad desitionem autem necessaria est & incorruptibilis (vide quæ lib. 1. de cælo in examine dixi cap. 12. & in tex. 123. 130. & 131.) Præterea Aristoteles putauit contra Platonis intelligentiā ex datis ab ipso vniuersitatem rerum finem habituram, si habuit initium: arguebat enim de ijs, quæ incipiunt aut desinūt per generationis & corruptionis transmutationem atq; ex potentia materiæ educuntur: qua ratione anima minime generatur, neque quidpiam habet cum materia, corporéq; commune: quoniā iussu atque imperio omnipotentis Dei extrinsecus accedit, & in corpore collocatur atq; hospitatur: à labe igitur mortalitatis longè abest, quoniam, immissa cùm sit, corpore & contrario vacat. Rursum Aristoteles procedit ex suppositione & ex datis acceptionibus geniti & ingeniti lib. 1. de cælo cap. 11. & in cap. 12. arguit ex eisdem acceptionibus, prout generabile & corruptibile per veram fiunt transmutationem & ex potentia materiæ fiunt & corrūpuntur: quo modo anima neq; generatur, neq; corrumpitur, quoniā de potentia materiæ non trahitur: sic ergo nō desinit, imò nec incepit esse, sed orta est Dei creatione.

DVBIVM

De resurrectione, quæ simpliciter est supernaturalis, si aliquo modo dici possit naturalis?

VLtimum, quod à nobis obijciebatur, nempe resurrectionem naturalē fore, difficultatem habet non paruam: quoniam anima separata naturaliter pars hominis est, per corpúsq; induiduatur, quod naturaliter affectat, & magna propensione fertur ad ipsum: ne ergo perpetuò sit violenta, redibit aliquando ad corpus, vnde egressa fuerat: apparens igitur esset obiectio, si probaret statum separationis esse violentum. Diximus enim animam extra corpus naturaliter existere, licet naturalius sit ei in corpore esse: vtrunq; satis explicuimus præcedenti tertio argumento. Præterea anima nō potest dici violēta, si in natura non est principium, vt ad materiam reducatur: violentum enim (quod Aristoteles negat posse esse perpetuū) est illud, quod in natura habet principium quoad esse & fieri, vt quod leue deorsum detineatur, aut graue sursum: anima autem separata licet habeat inclinationem ad resumēdum corpus quoad fieri, non habet agens naturale, quod illam reducat, ideo non detinetur violenter (sententia est S. Thom. 1. p. q. 76. art. 1. ad 6. & Caietani ibidem.) Quo fit, resurrectionē probari posse in communi & generali possibilem esse ratione naturali: Sicut enim Deum esse, articulus est fidei in particulari, vt De⁹ est talis, cuius natura vna est & trina in personis, tamē Deū esse, ratione naturali euidenter demonstratur in communi (vt sanctus Thom. 1. p. q. 2.) ita in proposito, scimus possibilem esse resurrectionem in vniuersali, modum tamen eius in particulari sola fide catholica tenemus, quæ intimè penetrat rerum viscera, nec in extima sistit apparentia. Similiter scio animam humanam immortalem esse ex vera philosophia & sententia peripatetica, modus tamen eius atq; conditio vitæ æternæ sola fide habetur. Pari igitur consequutione resurrectio naturaliter demonstratur possibilis ratione communi & generali propter insitam illam & natiuam animæ ad corpus inclinationem: in particulari tamen ex parte modi & exequutionis absolutè est supernaturalis, ad quam nō nisi solo ductu fidei peruenimus. Deū enim esse, immortales esse animos, Dei prouidentiam esse, de præambulis ad fidem sunt: de quibus Paulus ad Hebræos cap. 11. inquit: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quis est, & inquirentibus se remunerator sit, &c.* (de his dixi 2. 2. q. 1. art. 5. & 1. p. q. 2. art. 1.) Etenim articuli fidei euidenter sunt credibiles, quia rationi naturali non pugnant, in particulari tamen sunt crediti & ineuidentes: felicitas enim in generali attingitur quoad rationem

Aliqui articuli fidei in cōfuso et generali ratione naturali possidentur.

Obseruanda isagoge ad fidē.

tionem boni, creditur tamen, quatenus bonum est tam excellentissimum, quod excedit omne bonum, quod neq; oculus vidit, neq; auris audiuit, neq; in cor hominis ascendit.

Damnantur qui dicunt, animam nostrã nõ esse natura sua immortalẽ, aut q immortalitas rationib⁹ nõ conuincitur naturalibus.

Pessimè igitur Peresius cùm ita asserit, rationes naturales esse, quæ animam nostram immortalem testentur, sine temeritatis nota affirmari non posse: Patet, quia in communi assequimur animæ immortalitatem, vt reuera eam Aristoteles cognouit. Et quod amplius est, Lateranensis concilij adductum decretum dicit, secundùm veram philosophiam animam suapte natura esse immortalem: tamen vera philosophia non pertingit vsq; ad minima, neq; particularia rimatur, quæ omnia singulatim fides explicat & docet. Ita intelligendũ quod Pomponatius dixit lib. de immortalitate animæ, nullam esse certam argumentationem ad concludendam animæ immortalitatem, sed sola fide teneri. Intellige (inquã) in particulari: nam in communi firmissima est illa ratio, quia nõ pendet à materia, & operatur independenter ab ipsa cũ alijs multis rationibus, quas superiùs per viginti locos ex Aristotele adduximus. Secus absolutè non licet dicere, sola fide teneri animæ immortalitatẽ, cùm concilium Lateranense sess. 8. discernat ex principijs veræ philosophiæ haberi animæ immortalitatem: vnde omnes sancti immortalitatẽ dicunt animæ esse naturalem, & ita concilium dicit ex principijs naturalibus in vera philosophia deduci. Profectò si naturaliter esset corruptibilis, secundùm naturam darentur principia suæ corruptionis: at naturaliter nulla datur causa naturalis, quę possit animam rationalem corrumpere, pręter Deum, qui qua ratione eam ex nihilo condidit, in nihilum potest eam reducere. Ideo in prædicto concilio damnantur qui negãt immortalitatem animorum nostrorum ex principijs naturalibus deduci: atq; adeò ij, qui faciunt animam nostram secundùm veram philosophiam mortalem: & redditur ratio, nam illa non solùm per se & essentialiter humani corporis forma est, sed etiam immortalis: ergo non est citra miraculum corruptibilis. Quare post concilium Lateranense crediderim hæreticum esse asserere, animæ nostræ immortalitatem ex propria sua natura nõ competere: statim enim audire perhorrescimus vt ingẽs absurdum & naturæ valde dissonum: quamuis Reuerendissimus Cano lib. 12. de locis cap. 15. dicat, se malle citra lineam cõsistere, quàm eam transilire, censet tamen, quòd si ad sedem apostolicam deferretur, tanquam hæreticum condemnaretur. Anima igitur nostra ex vi naturæ suæ propriè nõ dono gratuito & superaddito immortalis est. Erat enim Adam immortalis in statu innocentiæ, quandiu vellet permanere (vt definitur concilio Mileuitano cap. 1.) natura tamen sua mortalis erat. Similiter corpus gloriosum dotem habebit immortalitatis, sed ex dote & immortalitatis dono: anima autem ex ipsa sua natura immortalitatem sortita est. Et quod dicitur 6. Synodo generali actione 11. ex Sophronio Patriarcha, & approbatur actione 13. angelos & animas à Deo immortalitatem sortiri, intelligẽdum est, quòd omnia à Deo habent esse mera & gratuita Dei voluntate: solus autem Deus per suam essentiam est immortalis, vt 1. ad Timoth. cap. 1. *Regi autem seculorum immortali, &c.* & ibidem cap. 6. *Qui solus habet immortalitatem, &c.* Perpetuitas igitur animæ naturalis est, atq; adeò temerarium & erroneum, ne dicam hæreticum, erit oppositũ asserere. Et ex vera philosophia argumenta sunt ad concludendam istam animorum nostrorum immortalitatem: & quæ hactenus adductæ sunt demonstrationes, conuincere videntur, nisi lippis fimus oculis atque indociles: quia anima nostra subsistens est, incorporea, contrarioq; vacat, vt metaphysicis, physicis atque moralibus rationibus confectum est.

Cano.

Aĩa nostra naturaliter incorruptibilis.

Quo gradu habendũ sit aĩæ immortalitas.

Simpliciter solus De⁹ omnino immutabilis.

Sed vt omnis prorsus absit calumnia, libet his adijcere ex S. Tho. 1. p. q. 9. artic. 2. Deum esse simpliciter & absolutè necessarium atque omnino immutabilem, tam ab intrinseco, quàm ab extrinseco: quoniam omnis mutabilitas à priuatione oritur, De⁹ autem nullam admittit priuationem, vt qui sit omne esse, & totius esse, perfectionisq; principium, atq; eminenter omnia: non ergo habet quòd mutationem recipiat, quia omne recipiẽs denudatur à natura recepti; Deus autem à nulla perfectione denudatur, vt Ioan. 1. *Quod factum est, in ipso vita erat, &c.* ergo nec logicè, nec physicè, nec metaphysicè mutari potest Deus. Cęterùm creaturæ omnes mutabiles sunt & variabiles, vtpote quæ habent esse participatum; limitatum atq; pendens à Dei gratuita voluntate:

luntate: & ita est absolutè pronuntiandum, creaturas omnes habitudine ad Dei gratuitam voluntatè posse deficere & esse cōtingentes ab extrinseco: tamen si considerentur ab intrinseco & secundùm id, quod habent in propria suæ naturæ consideratione, nil prohibet aliquas creaturas esse secundùm quid immutabiles, id est, ab intrinseco necessarias & indefectibiles, siue incorruptibiles: cuiusmodi sunt angeli, animæ rationales, cæli, materia prima. Demonstratio huius est, quia omnis corruptio pēdet à priuatione, vt dicitur lib. 1. Phys. tex. 82. *Quod enim corrumpitur, in hoc est priuatio, &c.* ob id probat materiam primam ingenerabilem & incorruptibilem, quia est primum subiectū, cui nil est contrarium: & dixerat præcedēti tex. 81. quòd appetit formam ratione priuationis, ob quam eius maleficiū machinatur: & eodem lib. 1. Phys. tex. 43. probauerat, vnumquodq; fieri ex suo contrario, vt album ex non albo, atq; adeò ex sua priuatione. Quo fit, vt qualis fuerit priuatio, talis proportionabiliter fit mutatio, vt si priuatio est formæ substātialis ad esse substantiale, mutatio fit, & ad substantiam, vt docet priuatio formæ, quæ est in materia (vt toto lib. 1. Phys. maximè locis citatis) si autem priuatio non fit, nisi accidētis, mutatio erit accidentalis. Ex hac doctrina sequitur, quòd nulla substantia mutatur ad suum accidens proprium, quoniam nō intercedit priuatio & eius absentia: siquidem accidētia propria necessariò emanāt à principio naturæ, cum qua comproducuntur: eadem quoq; ratione substantiæ spiritales, vt angeli & animæ rationales, de quibus loquimur (quoniam sunt subsistentes; hoc est, esse sequitur naturam ad modum propriæ passionis) sunt subsistentes & inuariabiles vt Quod, tametsi possint esse principium vt Quo, hoc est, subiectum variationis, vt ibidem dicit S. Tho. ad 3. & Arist. locis citatis: quia forma, quæ non cōplet capacitatem materiæ aut indiuidui, vacuitatem relinquit, quæ est vacuitas quædam seu priuatio, & terminus à quo mutationis: ergo angeli & animæ rationales, quoniam sunt subsistentes, non admittunt priuationem sui esse: igitur ab intrinseco nec mutabiles, nec corruptibiles sunt secūdùm substantiam, quoniam eorum natura & essentia non est in potentia ad non esse, atq; adeò nō habet priuationem ipsius esse, sicut nulla natura habet priuationem propriæ passionis, ob id ad eam non mutatur, licet passio ipsa dicatur simpliciter emanare. Subnotanda tamen est differentia, quia homo licet nō admittat priuationem risibilitatis & naturalis inclinationis, admittit tamen priuationem respectu actus ridendi: at angelus non tantùm secundùm habitum inclinatur ad esse, sed etiam secūdùm actum, id est, non tantùm secundùm formam in habitu, sed etiam secundùm formam in actu ad esse inclinatur: & esse in actu fluit à natura, ita vt manente natura angeli aut animæ rationalis, actuale esse sit inseparabile: idcirco meritò dicuntur incorruptibiles & immateriales, non omnino & absolutè, sed potentia ab intrinseco. Quod Arist. ex iam positis principijs lib. 1. Phys. iterum demonstrat 9. Metaphys. tex. 17. quia cùm actus sit potentia prior, subdit, *Est autem nihil in potentia sempiternum:* adiungit rationem, *Ratio verò hæc, Omnis potētia simul contradictionis est, &c.* sed angeli, animæ rationales, cæli non habent potentiam ad non esse, siquidem cōtingeret nō esse: ergo sunt necessaria entia immutabilia & incorruptibilia ab intrinseco. Et nequis dicat, me assumere probādum, illustrare iterum possumus hanc Arist. rationem, aliter eam formando, videlicet, Nil est in potentia ad non esse nisi per accidēs, quia appetit aliud esse (sic docemur ex materia prima, quæ esse, quod habet, destruit, siue machinatur eius maleficium, vt aliud acquirat) at sic est, quòd animæ rationales, sicut angeli & formæ immateriales atq; subsistentes, si aliud esse appeterent, necessariò consequeretur, vt appeterent nō esse, quod est incompossibile & repugnans, vt aliqua forma tendat ad non esse: non enim angelis, nec animæ rationali debetur aliud esse, quod contingit in materia prima: quare appetitus ille naturalis ad non esse frustraretur, quinimo non posset esse à natura, quia ipsi naturali inclinationi repugnat. Ecquis enim ferat, vt angelus, cæli, animæ rationales non sint magis necessaria, quàm grādo, aut vermiculus? quæ sunt necessaria pro instanti, quo sūt, iuxta illud Arist. lib. 1. Peri Hermenias cap. vltimo. *Necesse est igitur id, quod est, quando est, esse, &c.* Ad hoc igitur alludebat prędictum concilium Later. sess. 8. vbi anima nostra rationalis secundùm veram philosophiam definitur incorruptibilis & immortalis:

Ostēditur à priori mutabilitatis creaturarū radix.

Ad propriā passionē non est mutatio, quia nō est priuatio media.

Obseruandū discrimen.

mortal... sanè esset, si desineret esse, & præte... ...iem naturę, si Deus vellet illam corrūpere: sicut Arist. dicit 9. Meta. tex. 17. de motu cęli, Solis atq; astrorum, *Non autem est timendū, ne quando stent, &c.* vbi S. Tho. dicit non esse timēdum, vt desinant moueri, quia nō sunt in potentia ad nō moueri: sed anima rationalis (vt deductū est) non habet priuationē ad esse, nec est in potentia ad nō esse: ergo non potest mutari ad illud, ideo nec corruptibilis est ab intrinseco, nec cōtingens: idcirco immutabilitas intrinsecùs & extrinsecùs est Deo propria, immutabilitas autē ab intrinseco est cōmunicata creaturis voluntate & gratia creatoris. Idcirco Caiet. super S. Tho. 1. p. q. 9. art. 2. docet, animā desinere posse per potentiā in alio, id est, in Deo creante aut anihilāte, nō tamen per potentiā in ipsa creatura, quę nō habet potentiā passiuam, vt corrumpatur.

Caiet. resolutio ab Autore explicata.

Verè resoluit, sed obscurè & confusè. Idem sic ppono clarius, quòd anima desinat aut anihiletur, aut angelus, nō est potentia passiua naturalis: quia nulla est potentia actiua naturalis, siquidē non est intrinseca priuatio, in qua ista fundantur: tamen in angelis & anima rationali potentia est passiua obedientialis, vt anihilentur, cui correspōdet in Deo virtus actiua supernaturalis, quæ est quędam priuatio secundùm denominationem extrinsecā habitudine ad diuinum beneplacitum, quod est extra ordinem rerū naturalium. Iam igitur omnia constant, & vnde egressa est, redeat oratio.

Resurrectio igitur absolutè & simpliciter supernaturalis est, secundū quid naturalis appellatur ex sola animæ inclinatione in cōmuni: tamen exequutio est supernaturalis & miraculosa, Primùm ex parte agētis, scilicet Dei: Deinde ex parte subiecti & materiæ, quæ semel deperdita forma, quā habuit, ampliùs non habet potentiam ad illā: quia nō est agens naturale, quod illā reducere valeat, siquidē à priuatione ad habitū imposibilis est regressus: solū ergo manet in materia ipsa potentia obedientialis ad Deum, qui solus potest animam reducere. Quare absolutè resurrectio, quę est articulus fidei, & talis, qualis in particulari fit, simpliciter supernaturalis & miraculosa est: idcirco licet in cōmuni posit communibus & plausibilibus rationib' persuaderi, tamē in particulari ob rationes dictas planè non cōuincitur, nec sufficiēter demōstratur, nisi quoad quandā vmbrā posibilitatis, quæ à longè insinuata adumbratur, vt naturæ & rationi fides non reperiatur aduersa. Nec separatæ animæ felicitas ob eiusdem animę propensionē ad corpus retardatur, aut imminuitur, ex eo quòd perfectissimam habet operationē in Dei contēplatione, cum quo excellentissima vnione copulatur.

Aię beatur etiam ante corpora.

Conclusio huius disputationis & totius operis.

Quare patet, q illa corporis libido per aliquid sublimius & excellētius suppletur, nimirū per consortiū diuinorum, vt latissimè disputo 1. 2. q. 4. art. 5. Quib' etiā cōstat certa Arist. sententia, & quòd Arist. non fuerit dubius (vt Duran. putat 2. d. 17. q. 2. & Scot. 4. d. 43. q. 2. & Galenus lib. de his, quæ credit & dubitat) atq; etiā absoluim' rem difficilem multiplici dubio laborantē. Ex quo poteris tibi non mediocrē vsum & vitę cōdimentū sumere, si videas & attētiùs inspicias, quā excellentē finē habeat homo, qui thesaurū immortalitatis secū defert, de cui' custodia strictissimè seuero iudici reddenda ratio est. Grādis igitur res, humana anima, quæ deiformis cùm sit, nos diuinæ naturæ cōsortes facere potest: grauis ecōtrario accidet miseria, si ab ęterna remuneratione cadens, tremēdo Dei iudicio perpetuis supplicijs tradatur. Cōcipiam' semel, perpetuoq; nobiscū cogitem', nos huius immortalitatis participes futuros, si nostri memores, Deo, religioni & catholicæ Romanæ Ecclesię ad obediendū paratissimi simus atq; prōptissimi. Quid? non ita faciemus? siquidem De' vniuersa propter nos creauit, & vnigenitū filiū suū tortoribus tradidit, vt nos immortalitatis huius participes faceret? Porrò his cognitis atq; diligēter inspectis, expeditiùs & alacriùs multò in Dei laudē prorūpem', cùm tres libri isti de aīa, sed potissimū hæc disputatio de animorū ęternitate, nostri nos admoneāt officij, vbi hæc nostra immortalitas, à tam multis aduersariorū oppositionibus expedita, tot ac tā efficacib' rationibus manifestata est: quia sic visum est summo rerū opifici hominē cōstituere, vt animus noster sese posit in hac misera vita tueri, fouere atq; fulcire, immortalitatisq; animæ innixus, ad participiū vitæ æternæ, quæ vltimus noster finis est, peruenire posit, qui Deus est Opt. Max. quiq; solus immortalis est, cui gloria sit, regnum & imperium in secula seculorum, Amen.

TRACTATVS DE IMMORTAlitate animæ intellectiuæ finis.

n

GABRIEL CASTI[L]
AD LECTOREM de indicibus.



TSI in his indicibus pro exigua mea supellectili sedulam adhibuerim operā, non mirabor, amice lector, si multa desiderari videantur, non equidē potui tā exactos tibi præstitisse, vt nulla queant ratione culpari. Video certè peccata quàm plurima esse: ne tamen continuò ea aut Autoris domini mei indiligentiæ, aut meæ imperitiæ adscribas, submonere paucis te volui, ipsa, neutra nostrum incuria, sed negotiorū, quibus premimur, mole euenisse. Domino itaq; meo, cùm succisiuis horis hos concinnasset Commētarios, neq; marginales summas colligere, neq; in ordinem alphabeticum redigere per temporis angustiam licuit, maximè instantibus ordinarijs prælectionibus, alijsq; publicis exercitationibus: qua de causa, ne hac in parte huius indicis fructu priuareris, rē hanc mihi eius amanuensi, efflagitantibus iam Typographis, demādauit, posteaquam integro ferè anno in horum Commentariorum excussione indefessè sudatum atq; improbè laboratum est. Repentè quidem (eorundem librorum correctione, atq; marginaliū summarum recopilatione meo charissimo cōdiscipulo bacchalario Ioāni Castellano delegata atq; iniuncta) hoc negotium meis humeris impositū esse video, quod detrectare nefas erat, cùm ipse Autor & dominus meus nulla ratione præstare valeret: nūquā enim otiosè degit, noctu, diuq; sine vlla tēporis intermissione rebus vtilibus atq; publicis operam dat: taceo priuata Theologiæ sacræ studia, & verè christianam & paternā domesticorū curam, ob quæ, ni omnino nostri immemores essemus, aliqua diei particula domino meo ad vitæ refectionem & reparationem subripienda erat. Eleganti enim, breuiq; sermone sublimium rerū mysteria Autor & dominus meus hic complectitur, lucidaq; disputatione ingentem scribentium Philosophorum caliginem discutit, quod tibi facile erit videre. Vellē igitur hęc tibi satisfacerēt, quæ, quæso, bono animo accipias, boniq; cōsulas: in alijs enim grauioribus studijs, quę iamiam in lucē prodibunt, diligentiorē, præmeditatioremq; nostram operam tibi polliceor, Vale.

QVAESTIONES PRAECIPVAE, QVAE IN HIS COMMENTARIJS AB AUTORE AGITANTUR, SUNT QUAE SEQUUNTUR.

Primus numerus paginam, secundus columnam indicat.

Index

INDEX COPIOSISSIMVS RERVM MAXIME NOTABILIVM,

quæ in hoc opere continentur, ordine alphabetico digestus.

Primus numerus paginam, secundus columnam indicat.

A

animato-

B

C

Color

Diuina

Finis

G

H

I.

M

N


O

P

Suppo-

Suppo-

Laus Deo.



SEGVNTI
Excudebat Ioannes Gratianus
anno 1575.

PREMITVR, NON OPPRI-
mitur, quæ vulnere virescit,
VIRTVS:

Ideo non quæ super terram, sed quæ

EX ALTO.

Ni foret hæc nauis, sæuis turbata procellis:
In portum tandem tenderet ipsa suum.



Et cuicunq; darentiustissima præmia lances:
Iura dare, humanæ sed vetuêre manus.

Ingenijs, sic verus honos, sic palma negatur
In terris: sic, fit cum ratione nihil.

AGERE ET PATI
fortia.